5628

BEIDV

Libreria de Trinitarios de Burgos.

S. THOMÆ
A VILLANOVA
ARCHIEPISCOPI VALENTINI
ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI
CONCIONES

IN DOMINICIS TOTIUS ANNI, ET FERIIS QUADRAGESIMALIBUS: NEC NON IN FESTIS D. N. JESU CHRISTI; BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ; ET SANCTORUM:

IN DUOS TOMOS DISTRIBUTÆ.

Editio omnium quotquot præceſſerunt auctior, & locupletior; additis nimirum Concionibus ſupra centum, quæ in Brixienſi, Colonienſibus, Romana, ac Veneta deſiderantur: adjectis quoque Concionibus decem & ſeptem in Bruxellenſi Editione prætermiſſis.

ACCEDUNT

Præfatio; Vita S. Præſulis; ac demum notæ ad Conciones.

OPERA P. LAURENTII A S. BARBARA
Congregationis FF. Eremitarum Diſcalceatorum S. Auguſtini Italiæ & Germaniæ, ex Provincia Mediolanenſi.

TOMUS PRIMUS

COMPLECTENS CONCIONES IN DOMINICIS TOTIUS ANNI, ET FERIIS QUADRAGESIMALIBUS.

Ortum fecit fructum centuplum. Luc. 8.

BIBLIOTECA PROVINCIAL DE BURGOS

MEDIOLANI MDCCLX.
Ex Typographia Bibliothecæ Ambrosianæ
APUD JOSEPHUM MARELLUM.
Superiorum Facultate, ac Privilegio.

RBARA
ENSIS
EXCALCEATUS.



novam in lucem typorum
miniſterio prodeunt Concio-
nes S. Thomæ a Villanova,
in ſinum tuum recta convo-
lant REVERENDISSIME PATER;
tantumque abeſt, ut illas ego
artificioſo circuitu ad te compellere debue-
rim; ut vi potius quadam fuiſſet opus, ſi

 ſpon-

paſſi
ſto, qu
guſtiniani
adſcribit Sanct
alia certe, nunc cu
ab ea, cujus in terris luc
argumenta. Jam ergo videre m
te volumina iſta jucundo atque hilari vultu accipientem, iiſque repetita libantem oſcula; non ſecus ac magnus ille prædeceſſor tuus Hieronymus Cardinalis Seripandus, dum Hiſpaniarum provincias luſtraret, venientem ad ſe Thomam arcte com-

plexus,

plexus, ampliſſima amoris ſignificatione Ordini gratulatus eſt, quod tantum Virum ſuos inter alumnos recenſeret.

Sed hæc dignitatis tuæ jura ſunt, quæ non mihi violare fas eſſet, quicumque demum hac ætate ad Auguſtiniani Ordinis clavum ſederet. Sunt, & alia, plane multa, REVERENDISSIME PRÆSUL, quæ tibi volumina hæc non modo hæreditatis titulo attribuunt, ſed & perſonæ merito, ut proinde non dubitem, quin hanc ob cauſam S. Thomas lucubrationibus ſuis tuum nomen quam libentiſſime præfixum videat. Liceat mihi nonnulla ex his commemorare, quæ propius ad rem accedunt, etſi nonnihil modeſtiæ tuæ gravis futurus ſim, quæ moderatam etiam ingenuamque laudis ſpeciem ſolidiori virtute averſari in more habet. Hoc enim capti a me conſilii ratio exigit; idque eo libentius perſequor, quo tutius in tanta meritorum copia, ſublimitate, evidentia apud æquos rerum æſtimatores non ſane videar inanem aſſentationis illecebram moliri, a qua tamen ingenita quadam ſeveritate alienum me ſentio, ſed intra veritatis limites cauſam agere.

An non igitur libenter videat Thomas labores ſuos tali nuncupatos Viro, quem

ſuarum antea virtutum egregium imitatorem agnovit, earum præſertim, quas ipſe in Præſule plurimum eminere optavit? Equidem animi falſus non ſum; nam S. Thomæ acta percurrenti mihi, tuaque cum illis comparanti ea ſe ſe offert conſenſio, atque harmonia, unde haud temere pronuntiare audeam te ad abſolutiſſimum illud virtutum exemplar mores & axiomata componere, quibus univerſo Ordini modereris. Fuit Ille clauſtralis diſciplinæ tenax; cum tamen aliis præeſſet, ita rigorem manſuetudini, & charitati attemperabat, ut omnibus palam fieret, ſe amantiſſimi patris ſolicitudine potius inſervire, quam Prælati auctoritate dominari; illudque facile aſſequebatur, quod cæteroquin maximum & difficillimum eſſe ſolet, ut nimirum legibus ſuus integre ſtaret honos, dum ſubditi aurea tranquillitate fruerentur. Hoc ipſum in te renovari quilibet non invitus fatebitur ſi vel ſemel ad te oculos converterit; eam enim vultu totiuſque corporis habitu præfers affabilitatis ac manſuetudinis ideam, ut Thomam ipſum nobis quodammodo redditum ſpirare videaris. Sed diuturno id magis comprobatum habent experimento Ordinis Sodales, qui humaniſſimis tuis moribus, ac

ſincera prorſus comitate vehementer illecti, legibus præceptiſque tuis, queis Monaſticæ diſciplinæ partes tueris, volentes parent, & plenam ubique pacem, nulli afflicti diſſidiis experiuntur. Neque ego jam miror, quod Bononienſibus in Comitiis Viri pietate ac doctrina ſpectatiſſimi te Ordini, quoad vixeris, præficiendum judicaverint, utpote alio antehac functum magiſtratu, in cujus adminiſtratione tuam probaveras indolem, ſimulque dexteritatis & prudentiæ laudem, bonorum omnium acclamatione obtinueras. Hæc mihi potius in mentem revocant ſummum illud Provinciarum Caſtellanæ ac Bæticæ ſtudium, quo Thomam unaquæque ſibi in ſuperiorem adſcivit, poſtquam bifariam diviſo monaſteriorum numero ex una in duas diſtributa fuerat; neque enim quod ſimul utraque habere non poterat, temporis partitione ad ſe trahere neglexit. Fuit Thomas, ut alia proſequamur, S. Theologiæ ſcientiſſimus, ac Sacrorum Canonum peritia illuſtris; quæ quidem ſtudiorum genera Eccleſiaſticum hominem aliorum regimini incumbentem maxime decent: has tu quoque facultates, Theologicam præſertim nedum in te ipſo eximia plane ingenii felicitate comparatas ſervas, verum &

in ſubditis fovere, ac propagare ſoles; ita tamen, ut quemadmodum Thomas literarum ſtudia a pietatis exercitationibus minime ſejuncta voluit, ſic tu doctrinam amico fœdere pietati ſociatam poſſideas, ac promovere non ceſſes. At nimius eſſem, & tibi pluſquam gravis, ſi ad ſingula, quæ calamum ad ſe compellere certatim ſatagunt, ea potiſſimum, quæ ad augendum Auguſtinianæ Religionis decorem a te feliciter hactenus tentata ſunt, copioſa oratione deſcendere vellem; uberem mihi inter cætera miniſtrante meſſem ſolertia tua in vindicandis ab oblivione præclare geſtis Auguſtinenſium Virorum ſanctimonia præſtantium: cujus diligentiæ fructum nuper accepimus, comprobatum nempe Apoſtolicæ Sedis decreto tribus Beatis immemorabilem cultum. Hoc unum, quod tamen plurium inſtar eſt, præterire nequeo, nimirum te in præcipua Ordinis dignitate conſtitutum non tam muneris auctoritate, quam virtutis exemplo omnibus præire, juxta Sancti Præſulis ſententiam ab eo conſuetudine firmatam, ſive dum Monaſtica obiret munia, ſive dum Archiepiſcopale regimen exerceret.

Vides porro REVERENDISSIME PATER an liberum mihi fuerit S. Thomæ lucubrationes

alteri

alteri quam tibi exhibere. Sane quod tuum undequaque eſt, reddo; atque ita tuum, ut ereptam mihi videam partem, illud ipſum in grati memoriſque animi monumentum offerendi ob ſingularem benevolentiam, qua Congregationem hanc meam reſpicere dignaris; Thomam in hoc quoque imitatus, qui alumnos ſuos Mexicano in Regno aſperiorem vivendi methodum ſervantes, conſiliiſque ſuis atque opera ſuſtentatos, largiori dilectionis copia proſequebatur. Illud dumtaxat ſubvereor ne forte tibi minus placitura ſint volumina hæc, utpote ab Editore non ſatis pro Auctoris dignitate compta atque illuſtrata. Verum hoc etiam ab humanitate tua facile ſperaverim, ut ſcilicet privati hominis laborem in hoc ſtudiorum genere ad meliora ægre tendentem, ſin minus commendatum, ſaltem benigne excuſatum velis. Interim ſacras tibi manus reverenter deoſculor, Deum Optimum Maximum humiliter precatus, ut te incolumem Ordinis utilitati ac decori in annos plurimos ſervet.

IN NOVAM HANC EDITIONEM PRÆFATIO.

I. PRÆCLARE ii ſemper de re litteraria mereri viſi ſunt, qui ſtudium, operamque contulerunt, edendis, atque illuſtrandis eorum hominum voluminibus, qui nedum ingenii, ſed ſanctitatis quoque fama claruere. Cum enim ſummo in pretio lucubrationes hujuſmodi habeantur, ac peculiarem ſibi apud omnes, ut par eſt, auctoritatem concilient; nihil ſane Lectoribus jucundius accidit, quam cum cujuſquam labore, atque induſtria, nova illarum paratur editio, quæ ſuperioribus, tum rerum copia, tum emendatione, aliiſque adminiculis antecellat. Propterea non piguit ſæpenumero præſtantiſſimos viros oneroſæ huic provinciæ humeros ſupponere, aliiſque dimiſſis, quibus non impari, aut fortaſſe etiam majori cum laude ingenium exercere potuiſſent, totos Sanctorum Virorum illuſtrandis Operibus inſudare. Nimirum litterariæ Reipublicæ intereſſe magis hi probe noverant, aliena interdum emendatiora recudere, quam propria, etſi nova Lectoribus miniſtrare. Quocirca pluribus non erit demonſtrandum, nec inutilem, nec injucundam me impræſentiarum rem aggredi, dum novam Concionum S. Thomæ a Villanova Editionem litterario Orbi exhibere contendo. Illud potius a me jure exiget prudens Lector, ut novæ hujus Editionis cauſas, ac methodum aperiam; unde haud temere præcedentium numerum augere illa videatur. Hoc autem, aliorum exemplum ſecutus, paucis quidem, ad unguem tamen, exponere non morabor.

II. Conciones S. Thomæ a Villanova multorum votis expetitas, prælo committendi, primus omnium mandantibus ſuæ Provinciæ Patribus curam ſuſcepit R. P. Petrus Uzeda Guerrero Ord. Auguſtiniani, Collegii Complutenſis Rector. Eas unico volumine in fol. duos in tomos diſtributo complexus eſt, ac typis Complutenſibus Joannis de Lequerica edidit an. 1572., quæ iterum ex officina Ferdinandi Ramirez prodiere anno 1581. Verum non omnes Sancti Præſulis Conciones, a ſe tunc editas, ſed limatiores tantummodo faſſus eſt; atque ita Lectorem ad calcem Operis monitum voluit. *Selectiores Conciones hactenus tantum dedimus, neque enim omnes Auctoris commentationes, uno quaſi partu edere nobis licuit, in quidvis aliud, quam in hoc conſcriptas, quas nimirum Auctor in adverſariis tumultuarie, & in litura reliquerat, & quarum plurimæ indignis truncatæ modis, vix in unum Orationis corpus coaleſcere poſſe videntur. Dabimus operam, Deo ſuo operi aſpiranti, ut cura, & diligentia noſtra, eam formam propediem accipiant, ut ſuum Auctorem & decere, & referre quiſque judicet. Sit hic tomus cæterorum antecurſor, viamque aliis muniat, ac pandat iter durum ingeniorum, voluntatumque humanarum; & aſſuefacere incipiat pietati, ac divinis ardoribus deſueta hominum corda; mox Conciones reliquæ, quæ modo deſiderantur, ire viam accipient.* Quid vero in prima hac Editione e S. Oratoris manuſcriptis codicibus hauſta præſtiterit laudatus Uzeda, his plane verbis exprimit in epiſtola ad Joannem Mugnantonium Epiſcopum Segobricenſem ex Ordine Auguſtiniano aſſumptum, olim S. Thomæ neceſſarium, a quo & autographum ipſum Concionum, ut publici juris fieret, traditum memorat. *Equidem quod ad me attinet, pro virili mea portione curavi, ut quam emendatiſſimum, in manus hominum prodiret opus. A verborum autem, & ſententiarum mutatione ita abſtinere conſtitui, ut tamen interim illiberales quaſdam voces, & quaſi plebei ordinis, aut ſuſtulerim, aut cum aliis commutarim, & orationes præterea nonnullas, integraſque periodos, quas ille, ne quid imperfectum moraretur, vernacula lingua Concioni libere admiſcuerat, ita verterim, ut ſimili ſtylo, & contextu ſermo procederet, neque ſicyonios calceos, ut dicitur, Socrati inepte inducerem. Cæterum illud*

lud

lud ſummopere cavi, ne qua loquendi formula, ne qua metaphora, ne qua exaggerandi ratio, cavillis, & ſycophantiis anſam ullam calumnioſis hiſce temporibus præbere poſſet. Atque hinc colligere licet, Uzedam levi tantum calamo textum S. Thomæ tetigiſſe, non vero in totum ad elegantiorem verborum formam revocaſſe, quod ab re innuere videtur Auctor Bibliothecæ Scriptorum Hiſpaniæ, dum in Uzedæ elogio inter ejus opera, *Conciones S. Thomæ cultiore latinitate donatas* enumerat. Etenim nedum ſententias, atque Orationis ſeriem, ſed verba quoque ipſa S. Præſulis, paucis exceptis, nos adhuc habere, ex ejuſdem Uzedæ manifeſto teſtimonio conſtat, recitatis verbis expreſſo.

III. Summo plauſu exceptæ fuere S. Thomæ Conciones; verum fruſtra expectatum ab Editore earum complementum: morte enim, ut quidem puto, præventus Uzeda fidem, qua ſe obſtrinxerat liberare non potuit. Interea plures e Complutenſibus exemplaribus manarunt Editiones; Brixiæ nimirum anno 1603. in 4.: bis Coloniæ, annis videlicet 1614., & 1616. in 4.: tum Romæ anno 1659. in fol.: tertio deinde Coloniæ anno 1661., atque alibi fortaſſe. Qui Romanam curavit Editionem P. Jo. Baptiſta Penne Ord. Auguſtiniani, vitam S. Præſulis, una cum illuſtrium virorum elogiis Operi præmiſit, necnon indicem locorum S. Scripturæ adjecit, nihil præterea novi attulit. Quamquam index rerum memorabilium in hac Editione plurimum Lectoribus affert incommodi; neque enim conſueto ordine vocabula digeruntur, ſed intricato, atque confuſo, ut percurrenti manifeſtum erit.

IV. Integro, & amplius elapſo jam ſæculo, in meditatam ab Uzeda provinciam ſucceſſit, atque abſolutam undequaque Concionum S. Thomæ Editionem ſtrenue aggreſſus eſt anno 1685. R. P. Antonius de Witte Bruxellenſis, Ordinis Auguſtiniani alumnus, qui pridem in Hiſpaniam profectus, Sanctiſſimi Præſulis Reliquias, & pretioſam Concionum ejuſdem ſuppellectilem partim ex autographo, quo Uzeda ipſe uſus fuerat, partim ex alio volumine S. Oratoris manu ſubſcripto erutam, ac diligenter collatam, ſecum in Patriam detulerat. Opus autem in quinque tomos in 4. diviſit, atque ita Concionum ordinem ſtatuit, ut quæ prius unico volumine ab Uzeda editæ fuerant, in ſingulos quinque tomos deinceps, juxta argumenti indolem, una cum ineditis commixtæ diſtribuerentur. Conciones omnes in capita quædam diſtinxit, ac unicuique capiti ſynopſim præmiſit; quas etiam ſynopſes in unum collectas Concioni cuilibet præfecit, omnium vero ſummam ad calcem ſingulorum voluminum adjecit. Ad hæc, indices tres contexuit, quorum primus loca S. Scripturæ indicat, ſecundus themata Concionum refert, tertius concionatorius, materiem ſingulis temporibus congruentem exhibet. Quartum res memorabiles ordine alphabetico complectentem, mea quidem ſententia, omnino neceſſarium pollicitus fuerat Editor in monito ad Lectorem ad calcem tomi primi; verum promiſſis non ſtetit, neque ullam mutati conſilii protulit cauſam. Loco indicis laudati, qui primi etiam voluminis defectum ſuppleret, theſes quaſdam a P. Franciſco Pauwens Auguſtiniano compoſitas ſub finem ſecundi tomi imprimi curavit, ſub titulo *Concordiæ Theologicæ SS. Auguſtini, & Thomæ a Villanova;* quas licet optimas omittere decernimus, utpote qui S. Oratoris fœtus unice edere in animo habeamus. Quid autem Editor circa textum Concionum S. Thomæ præſtiterit, non præfatur; attamen ex Concionum ſerie aperte liquet, eas, prout in MS. Codice S. Oratoris jacebant, ab ipſo editas fuiſſe, nulla prorſus injecta additione, aut ſententiarum, verborumque mutatione; plures quippe ex ineditis Concionibus eam præferunt formam, quam in monito ad Lectorem Uzeda deſcripſerat; immo ex quo in lacunam alicubi deprehenſam aliqua immittere verba religioni duxerit, ac propterea hiatum, prout invenit, relinquere maluerit, ne leviter quidem dubitare poſſumus idipſum in reliquis ab eo obſervatum fuiſſe. Tametſi vero laudatus de Witte quinque tomos pollicitus ſit in monito poſt tomi primi indices exarato, quatuor tantummodo reipſa edidit; ejus enim conſilium mors, puto, intercepit, nec alius quiſquam complendo operi hactenus manum appoſuit; neque enim ab anno 1703., quo lucem adſpexit tomus quartus, novi quidquam, quod ſciam, apparuit, ſive Bruxellis, ubi impreſſi fuere quatuor tomi, ſive alibi. Ex quo illud conſecutum eſt, ut nedum Concionibus necdum editis, & quinto tomo deſtinatis

tis careamus; ſed nulla inſuper ex repetitis Editionibus, Conciones omnes S. Thomæ publici juris cæteroquin jam factas, integre comprehendat. Etenim Editiones Bruxellenſi vetuſtiores, Concionibus dumtaxat XCVI. ab Uzeda ſelectis conſtant; Editio vero P. Antonini de Witte ſupra centum Conciones ineditas ſuæ quidem inſeruit collectioni, verum ex jam ab Uzeda publicatis decem, & ſeptem prætermiſit, quæ nimirum, juxta ordinem ab ipſo Editore præſtabilitum, quinto tomo reſervabantur.

V. Hinc porro ſponte colliget prudens Lector novæ hujus Editionis cauſam: nimirum neceſſaria nunc temporis videbatur Concionum S. Thomæ collectio, quæ & Conciones omnes a P. Antonino de Witte promulgatas exciperet, ac ſimul ab ipſo prætermiſſas ex antiquiori Editione ſuppleret. Huc accedit Bruxellenſem Editionem apud Italos raram deprehendi, & pluribus ignotam, ut propterea Venetus Impreſſor, qui anno 1740. non inelegantem Concionum S. Thomæ Editionem in fol. vulgavit, nonniſi veteres ſit imitatus; cum tamen multo locupletiorem ex Bruxellenſi, quæ jam lucem adſpexerat, efficere potuiſſet. Id quoque extra Italiam accidiſſe video; nam biennio poſt vulgatum a P. de Witte volumen primum, ideſt anno 1687., Colonienſis Typographus Ketteler, antiquam collectionem renovavit, nulla prorſus interpoſita mutatione. Optandum quidem foret eam Concionum portionem, quam Bruxellenſis Editor tomo quinto deſtinaverat ex MSS. Sancti Præſulis tunc primum imprimendam, noſtræ huic accedere collectioni, ut completa undequaque prodiret in publicum. Neque ego ſane intentatum aliquid reliqui, ut lucubrationum S. Oratoris apographum aliquod impetrarem; ſed fruſtra. Etenim nuntiatum eſt, manuſcriptum exemplar a P. Antonino de Witte ex Hiſpaniis allatum, in ſubſecuta bibliothecæ ſui cœnobii conflagratione periiſſe. Eo accepto nuntio, ad Hiſpanos me converti, ac nonnullos epiſtolis ſollicitavi, ut, ſi quæ ſupereſſent Concionum S. Thomæ exemplaria, tranſmitterent, earum ſaltem, quas Bruxellenſis Editor prætermiſerat. Enim vero, præter Autographum, manuſcripta aliqua, licet depravata admodum, circumferri conſueviſſe teſtatur idem Uzeda in prælaudata epiſtola his plane verbis: *Quid vero noſtra hæc opera emolumenti attulerit, ille exactius judicabit, qui Editionem hanc, ſane tuam, Pater ampliſſime, cum illis manuſcriptis exemplis contulerit, quæ depravata, & ab imperitis ſcribis exſcripta, vulgo circumferuntur.* Præterea P. Antoninus de Witte tomo 4. pag. 386. ex epiſtola, quam ibi recitat, non obſcure indicat, manuſcriptum exemplar Concionum S. Thomæ in conventu Compoſtellano ſui Ordinis circa annum 1699. repertum fuiſſe, cujus tamen copiam minime ſibi factam affirmat, ut proinde Sermonem quemdam in exemplari, quod præ manibus habebat deſideratum, in Editione ſua omittere debuerit. Ex his non adeo difficile Concionum, quæ deſunt, ſupplementum adornari poſſe ſperabam. Veruntamen nihil ego adhibitis non ſemel precibus impetrare potui; itineris vero non mediocris longitudo prohibuit, ne diligentiori, quam per epiſtolas fieri conſuevit, inquiſitione cauſam promoverem. Itaque contentus erit Lector, ſi Editio hæc noſtra, præcedentium omnium ſit auctior, etſi nullas ex nondum editis exhibeat Conciones, obſiſtente conatibus noſtris, tum prænarrato infortunio, tum diffita nimium regione, in qua plura fortaſſe adhuc manuſcripta latitant exemplaria Editioni perficiendæ opportuna.

VI. Jam vero quid ulterius in hac ipſa Editione actum fuerit, reliquum eſt, ut aperiam. Ac primo: Conciones omnes, paucis exceptis, nonnullis adnotationibus illuſtratas conſpicies, quod ne prætermitterem, Eruditorum aliqui ſuadebant. Etenim loca quædam non omnibus fortaſſe æque obvia luce aliqua perfundere Editoribus mos eſt; neque Lectoribus hic labor faſtidium parit, modo intra brevitatis limites cohibeatur, nec ad inutilia, & ab argumento prorſus aliena deſcendat. Hanc labem a noſtris, quæcumque illæ ſint, adnotationibus pro virili arcere conati ſumus, ac potius aliquid interdum deſiderari, quam ſuperfluere Lector ipſe comperiet. Præterea cum frequentes ſint in Concionibus S. Thomæ SS. Patrum, aliorumve Scriptorum allegationes, perraro autem loca, unde hauſtæ ſint, indicentur; immo non verba ipſa, ut plurimum, ſed ſententia ad ſuccum redacta afferatur; neceſſarium videbatur, ſententias iis, quibus apud Auctores ſuos expreſſæ ſunt verbis, una cum earum locis proponere, ut & ipſis uti, & majora inde excerpere poſſet, qui vellet. Paucas ta-

men excipio, quibus, ut par erat, inveniendis, neque eruditio mihi præſto fuit, neque eidem ſupplendæ ſatis conceſſum eſt temporis. Eas quoque excipiendas cenſui, quæ ampliori verborum circuitu ab earum Auctoribus exponuntur: tunc enim ſola libri, aut tractatus adnotatione contentus fui, ne voluminis moles plus æquo augeretur. In his autem ſententiis afferendis Lectorem interdum monui, ſi quæ ex Operibus aut dubiis, aut falſo alicui ex Patribus attributis acceptæ forent. Nec quemquam movere debet, eas indiſcriminatim uſurpaſſe S. Oratorem, quandoquidem eo, quo ipſe ſcribebat ſæculo, non illæ Patrum emendatiſſimæ Editiones circumferebantur, quas deinde ingenti Chriſtianæ Reipublicæ bono eruditi homines, ac præſertim doctiſſimi PP. Congreg. S. Mauri adornarunt. Mirum propterea non eſt, ſi tritam tunc temporis calcaverit viam, neque ab eo ſevere expetendum, quod ab aliis ævi ſui lectiſſimis Scriptoribus nemo prudens audeat poſtulare. Neque etiam cuiquam negotium facere debet, quod allegata a S. Præſule teſtimonia ſemel, aut iterum aliter in fonte uſurpata reperiantur. Manuſcripta ſiquidem exemplaria lituris, ut mos eſt, interſperſa Editores fallere potuerunt, ut aliquid aut omittendo, aut aliter exponendo, allegatam ſententiam immutarent. Neque etiam a vero abhorret, teſtimonia nonnulla non ex ipſis SS. Patrum, aliorumque Scriptorum libris Sanctum Oratorem deduxiſſe, ſed ex aliis Auctoribus, ea parum diligenter allegantibus, proindeque vitium rivulo, non aquas haurienti tribuendum. Sed hæc præmonere vix neceſſarium; nemo enim in re litteraria non hoſpes ignorat, quam facile in afferendis aliorum teſtimoniis aliquid excidat; ac potius mirabitur parum, & nihil ferme in tot a S. Thoma productis emendatione dignum reperiri. Atque hic plane in rem cadit, quod P. Vincentius Houdry in Præfat. ad Biblioth. Concionat. ſcribere non dubitavit: *Diligentiſſimus quiſque, & illi ipſi, qui optimorum Criticorum laudem ſunt nacti, decepti nonnunquam fuere, alioſque deceperunt, qui ipſos ſecuti ſunt, alium pro alio Auctorem deſumentes, vel ſententiæ alicujus locum negligentius, ac falſo notantes.* Horum nonnulla profert exempla Hieronymus Tartarotti in erudita Epiſtola ad Patrem Theobaldum Cevam data, quæ extat inter Opuſcula P. Cologerà, tom. 25. pag. 349. Quantum porro tædii, atque laboris mihi fuerit devorandum, ut loca omnia apud SS. Patres indagarem, is tantum in animum ſibi inducere poterit, qui ſimilem aliquando provinciam ſuſceperit, ac reipſa compertum habuerit, parum ſuffragari quamplures rerum notabilium indices, qui cæteroquin locupletiſſimi ab eorum Auctoribus prædicantur. Sane conjectura potius, ac prolixa lectione, quam indicis auxilio teſtimonia non raro inveniuntur.

VII. Concionum ordinem a P. Antonino de Witte ſervatum, intactum prorſus relinquere placuit: nam etſi non paucas, utpote in ſylvæ, ut ajunt, modum ab Auctore ipſo relictas, ab aliis, quæ Orationis forma donantur, ſecernere nonnulli opportunum ducerent; cum tamen ejuſdem Scriptoris fœtus legitimi ſint, ad argumentorum potius ordinem, quam ad Concionis formam, in earundem collocatione reſpiciendum eſſe judicavi. Ut quid enim Lectorem ab uno ad aliud volumen, vel ab una ad alteram voluminis partem amandare juvat, ut Conciones ad idem argumentum ſpectantes perlegat, ſi commodius uno conſpectu diſpoſitas invenire, ac percurrere poſſit? Huc accedit ordinem ab Editore Bruxellenſi cuſtoditum, eundem eſſe, ut quidem reor, ab ipſomet S. Oratore in Autographo relictum. In contextu enim Sermonis ad alium vel proxime antecedentem, vel ſubſequentem, aut certa die habitum, Lectorem remittit nonnunquam, neque ab hac diſpoſitione diſcrepat ordo Bruxellenſis Editionis, ut pluries obſervavi. Sed & ipſa Sermonum argumenta adeo diebus, ſeu feſtis per annum recurrentibus affixa ſunt, ut aliam invehere methodum, aliud plane non ſit, quam Sermones e propriis ſedibus violenter avellere. Præter Sermones, commentaria quædam, licet imperfecta, reperta ſunt inter S. Thomæ ſchedas, eaque in Cantica, in Apocalypſim, & cap. 28. Job. Hæc autem, quæ in ſuperioribus Editionibus varium obtinuere locum, aut omiſſa fuere, ut ſuo loco notabimus, ad calcem ſecundi voluminis reſervare ſtatui, ne Sermonum ſeries alio ſcriptionis genere intercideretur.

VIII. Ad Concionum textum quod attinet, illud in primis ſancte obſervandum

mihi

mihi propoſui, ut licet aliqua interdum vix indicata, aliqua vero repetita non infrequenter occurrant, nullam tamen aut addendi, aut minuendi mihi facultatem arrogarem. Quot igitur verba numerat Bruxellenſis Editio, tot & in noſtra reperiet Lector, adjectis unice Concionibus in ea deſideratis. Si quid porro animadvertendum accidit, id totum in notas rejeci, ne exceptis quidem Patrum teſtimoniis, ut Lectorem verbis S. Thomæ, hac etiam in parte, minime fraudarem. Neque enim eorum conſilium probavi unquam, qui ut elegantiorem reddant alienam ſcriptionem, illam ex Auctoris ſui manibus quodammodo eripiunt: ac majori ſemper in pretio habenda cenſui Sanctorum Hominum fragmenta quædam, quam eorum diligentiam, qui adjunctis aliis ea in unum corpus redigere contendunt. Atque hic Lectorem monitum velim, ne Conciones illas, quas S. Orator noſter vix delineatas reliquit, faſtidioſe prætereat; ſed veluti pretioſa maximarum rerum ſemina ſtudioſe meditetur; uſu enim ipſo comperiet, quam uberem dicendi meſſem miniſtrare poſſint breves quædam, ac conciſæ ſententiæ, quæ nullius fere momenti prima fronte videbantur. Nonnunquam ſenſus Concionum anceps videbitur, aut ſubobſcurus, quod fortaſſe nonnulla deſiderentur, aut perturbate amanuenſium vitio exſcripta fuerint; ubi præſertim Conciones vix delineatæ, ſeu celeri calamo a S. Oratore expreſſæ habentur. Quia tamen unica mihi Bruxellenſis Editio in his ſubſidio fuit; eam ſequi omnino debui, & Lectoris ingenio fidere, quamvis aliter efferendam ſententiam judicarem. Excipio manifeſta typographi errata, quæ non tam potui, quam debui e medio tollere, atque ad germanam lectionem evocare. Quamquam nec omnia hæc ſuſtuliſſe, mihi audeam polliceri: tot enim ſcatet mendis Bruxellenſis Editio, ut facile corrigentis oculum pluribus intentum, aliqua ſubterfugere contigerit. Quod ſi etiam plura offendat Lector adhuc emendatione digna, noverit tamen innumera fuiſſe ſublata; quod non magnifice, ſed vere dictum is concedet, qui Editionem hanc noſtram cum Bruxellenſi conferre non indiligenter curet. Atque hæc quidem non ita commemoro, ut Bruxellenſi Editioni, aliis omnibus ab rerum copiam præferendæ, invidiam conciliem; ſed ut noſtræ huic ab humaniſſimo Lectore veniam præmature implorem, qua certe indignus non videtur privatus homo iis deſtitutus ſubſidiis, manuſcriptorum præſertim codicum, ſine quibus critica ars ſterilem ſe ac jejunam in hoc ſtudiorum genere agnoſcit.

IX. Conciones ipſas non in capita quædam diſtinctas, ut Editori Bruxellenſi placuit, ſed unico, perpetuoque contextu comprehenſas damus, juxta methodum primitus ab Uzeda ſervatam, additis tantum commodi cauſa numeris; neque enim partitio illa earum genio ſemper congruit, plurimarum vero brevitas ſectionem in capita omnino reſpuere videtur. Synopſes in prælaudata Editione ad ſcrupulum uſque repetitas, prorſus omiſi, ita & indicem concionatorium; nam Lectorum commodo ſatis conſultum cenſui, ſi præter Concionum catalogum, duo accurate, quoad fieri poteſt, indices texerentur, quorum alter loca S. Scripturæ, non quidem omnia, ſed ea, quibus interpretationem adjicit S. Orator, alter rerum memorabilium copioſam ſeriem complecteretur; his enim clavibus facile libri cujuslibet, quantumvis in molem excreſcat, ſententiæ explorantur; reliqua libri paginas augent potius, quam utilitatem. Quia vero indiculum Comparationum, quæ Concionibus interſperſæ identidem occurrunt, tamquam Concionatoribus opportunum, aliqui optabant; cum aliunde res parvi menti ſit, facile petentibus morem geſſi.

X. Vitam S. Thomæ aliquanto uberius, quam in antecedentibus Editionibus factum ſit, Concionum collectioni præponere curavi; in hac vero ex Salonio, aliiſque Scriptoribus educenda, hiſtoriæ ſeriem diligenter ſervare conatus ſum; idque etiam pro viribus egi, ut brevitati conſulerem, & tamen inſigniora S. Præſulis geſta, quantum ſynopſis ratio patitur, oratione complecterer. Illuſtrium virorum elogia de ſanctitate, ac doctrina S. Thomæ, tum quæ Jo. Baptiſta Penne Romanæ Editioni præfixit, tum quæ Bruxellenſi præire voluit P. Antonius de Witte, ex toto prætermiſi; illa quidem utpote ex vitæ ejuſdem Scriptoribus ut plurimum deprompta, aut in noſtra ſynopſi, aut in notis commodius propriis locis indicanda reſervavi; hæc vero ad Acta Canonizationis de more ſpectantia, copioſius qui volet inveniet apud

P. Andream Aznar in Serie Actorum ejuſdem Canonizationis edita Romæ an. 1658. Quæ autem ex aliis Scriptoribus honorifica de S. Thoma teſtimonia erui poſſent, nimis longum foret recenſere, nec vero neceſſarium. Nam cum Sancti Viri lucubrationes, nec non ejus vitæ ampliorem ſynopſim his voluminibus comprehenſa habeat Lector, locupletiora ſane doctrinæ, & ſanctitatis ejuſdem teſtimonia hoc loco jure non optabit.

XI. Sed jam fortaſſe a me quæret quiſpiam, quo idiomate Conciones publice habere conſueverit S. Orator noſter? Num Latino, ita plane ut Conciones, quas publicæ iterum luci nunc exhibemus, eædem omnino ſint, ac illæ, quas e ſuggeſtu recitavit; an vero communi Hiſpanico? Quod ſi forte non Latino, ſed Hiſpanico recitavit, num Conciones ſuas Latine primo exaravit, tum in Hiſpanicum vertit, ut populo communicaret; an vero Hiſpanico ſermone primo exaratas in Latinum tranſtulit? Ut quæſtioni non prorſus inutili ſatisfaciam, in ea fateor me eſſe ſententia, ut credam S. Oratorem Hiſpanico tantum idiomate peroraſſe, ac Latino dumtaxat ſermone, ſcripto conſignaſſe Conciones ſuas. Propterea ex tempore ad populum dicere aſſuetum fuiſſe cenſeo, ac Conciones, quas præ manibus habemus eo conſilio ab ipſo conditas, ut ipſi ex tempore declamanti tanquam fontes, ac loci communes rerum dicendarum præſto eſſent, exinde vero paulatim limatæ, atque perfectæ ad Concionatorum utilitatem, ac commodum vulgari poſſent. Porro non ſine cauſa hæc mihi animo jampridem inſedit opinio, quam mox ſufficienti argumentorum pondere, quoad ſingulas partes firmatam comperiet Lector.

XII. Ac primo Hiſpanice ad populum verba feciſſe S. Oratorem manifeſte indicat incredibilis ferme illa populi frequentia, qua ejuſdem Conciones excipi conſueverant, de qua plura, ac mira enarrant Salonius, & Baxius, aliique Scriptores in ejus vita. Atque ut prolixiora nunc omittam: *Cœpit autem*, inquit Auctor Bibliothecæ Hiſpanicæ, *cum ſeſe primo dare in publicum potuit de Verbo Dei pro Concione verba facere, ea quidem commotione Salmanticenſis populi, ut tanquam ad Apoſtolum aliquem vitæ redditum, Angelumque in terris apparentem ab omni ſexu, & ætate concurreretur*. Porro quis ſibi facile inducat in animum Salmanticenſem populum ex omni ſexu, & ætate tanto ardore Sancto Oratori aures præſtitiſſe, ut ea avidiſſime exciperet, quæ ob linguam ipſi prorſus ignotam minime intelligeret? Neque enim Conciones theatralia ſpectacula ſunt, in quibus, etſi verba negligantur, alia tamen adminicula, ut ſoni, apparatus, & hujuſmodi, intentos ſatis conciliant ſpectatores, rudiores præſertim. Sane dum concionantis verba aut non audiuntur, aut aure ſuſcepta minime intelliguntur, fruſtra Concioni quis intereſt; nam etſi parum virtutis abſque actione habeant verba, abſque verbis plane nihil virium alliciendi, retinendique auditores habebit actio. At licet S. Oratoris præſentia, & actio accurrentium turbarum deſiderio ſatis reſponderent, quod nec negaverim aliquando accidiſſe, qui fieri poſſet, ut innumeras pravorum hominum converſiones ex omni perſonarum ſtatu obtineret Latina Thomæ prædicatio, niſi ad prodigia recurramus; quatenus nimirum aut Thomam Latine concionantem audiret populus Hiſpanice, aut ea Sanctiſſimi Viri prædicationis eſſet vis, ut ſolius actionis ope animos ad bonam frugem reduceret; prout de S. Bernardo apud Germanos Gallice concionante narrat Gaufridius Vitæ lib. 3. cap. 1. Utriuſque tamen prodigii ne leve quidem veſtigium eſt apud Hiſtoricos, qui ejus verbis ſingulari quodam fervore, & doctrina refertis vim auditores commovendi tribuunt. Si itaque nunquam abſque ingenti populi multitudine publice verba facere conſueverat Thomas, ſi Conciones ab ipſo habitas, morum reformatio, ac nova ſemper penes populum pietatis incrementa ſubſequebantur, ultro concedendum eſt, ea S. Oratorem locutum lingua, quæ familiaris auditoribus eſſet, atque notiſſima. Talem autem minime fuiſſe Latinam non ab re hactenus pro certo habui. Etenim exeunte duodecimo ſæculo Hiſpaniarum gens, teſte Bernardo Aldrete de Orig. linguæ Caſtellanæ lib. 2. cap. 1., Latino eloquio vulgarem ſermonem ſubſtituere cœpit. Cum vero eodem procedere videantur gradu novæ uſus linguæ, & ignorantia veteris: nemo equidem ægre admittet communem Latini idiomatis intelligentiam, integro & amplius trium ſæculorum ſpatio apud Hiſpaniarum populos potuiſſe deleri.

XIII.

XIII. Non me latet Juſti Fontanini opinio circa veterem Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſuetudinem Verbum Dei populis miniſtrandi. Cenſet Vir clariſſimus Eloq. Ital. lib. 3. cap. 1. & 2., non alia licuiſſe olim uti lingua in Eccleſiis, quam Latina nedum ſacris in Liturgiis, ſed in Sermonibus quoque, ſeu Concionibus publice inter Eccleſiaſticas functiones recitandis. Cum enim vulgares linguæ, quas vivas appellamus ſingulis quibuſque ſæculis varias ſubeant mutationes, Eccleſiæ, ut idem ait, viſum eſt Latino in omnibus uti eloquio, quod utpote Gentium omnium conſenſu firmatum, non tam præclaram illam, qua cæteris eminet, majeſtatem in Eccleſiaſticos ritus inveheret, quam mutationes quaslibet, a quibus Eccleſia abhorret, procul omnino ablegaret. Et hanc quidem diſciplinam uſque ad ſæculi XV. finem, & diutius forſan perſeveraſſe advertit laudatus Fontaninus, idque ex pluribus colligi, qui Conciones ſuas Latino idiomate ediderunt. At quemadmodum hac Latine dumtaxat in Eccleſia loquendi conſuetudine, ſacrarum functionum majeſtati, ac decori conſultum erat, ita rudiorum hominum, quibus id genus eloquii ignotum eſt, inſtructio prætermiſſa minime cenſeri debet. Siquidem pergit Fontaninus, vulgari etiam ſermone iis temporibus Conciones publice habebantur, ſed extra Eccleſiam in plateis ſcilicet, aut atriis adjacentibus, quod exemplo comprobare nititur. Hæc ſi vera ſint, non leve miniſtrant argumentum ſuſpicandi S. Oratorem noſtrum, qui ineunte ſæculo XVI. in eo munere exerceri cœpit, Latine ut plurimum declamaſſe, ne Eccleſiaſticæ diſciplinæ jura violaret; quamvis nonnunquam, ut rudibus etiam hominibus ſermonis ſui copiam faceret, Hiſpanico idiomate, ſed extra Eccleſiam in atriis, aut plateis adjacentibus peroraret; proindeque Conciones, publicæ nunc luci expoſitas, eaſdem illas eſſe, quas modo in Eccleſiis ſui Ordinis, modo in aliis recitavit.

XIV. At vero S. Præſulis acta percurrenti mihi, ea occurrunt momenta, quibus vehementer moveor, ne a priori ſententia diſcedam. Etenim ex his manifeſte conſtat popularem frequentiam, Thomæ, non extra Eccleſiam, ſed in Eccleſia ipſa concionanti adfuiſſe; ac propterea legem illam, ſeu conſuetudinem, ſi unquam extitit, ob quam vulgaris ſermo ab Eccleſia prorſus exulabat, tunc temporis ab Hiſpaniis receſſiſſe, hodierna praxi jam tum obtinente, quæ in Concionibus ad Chriſtianum populum habendis a propria cujuslibet provinciæ, ſeu regionis lingua non abhorret, reſectis unice idiotiſmis, quibus in trivio plebecula, nativæ linguæ ſyntaxim inficit, atque corrumpit. Equidem præterquamquod S. Oratorem in plateis prædicaſſe nunquam legi; populum ad Eccleſiam certatim confluentem, illum audiendi cauſa, perhibet Salonius vitæ lib. 1. cap. 8., ubi plurimos aſſerit ſummo mane Eccleſiæ loca opportuniora occupaſſe, ne ſi illuc tardius acceſſiſſent, aut ingreſſu ob turbarum irruentium copiam prohiberentur, aut incommode admodum morari debuiſſent. Aſſerit præterea nonnunquam Eccleſiam, in qua Thomas Quadrageſimalibus Concionibus fungebatur, ita multitudine oppletam, ut auditorum portionem publica via exciperet. Quis porro credat Thomæ in Eccleſiis concionanti tantam ſemper auditorum copiam ſolos Litteratos miniſtraſſe, præſertim dum majori in templo Salmanticenſi verba faceret? Ne igitur in eas incidamus difficultates, quas paulo ante memorabam, dicendum eſt Hiſpanice in Eccleſiis concionari, nulla tunc lege fuiſſe prohibitum.

XV. Quamquam nec illa diſciplinæ pars, quam ſevere adeo olim viguiſſe ſupponit Fontaninus, ſatis firmo nititur fundamento, ſi rem ipſam quis enucleare aggrediatur. Nam quæ ex Doctore Angelico affert teſtimonia Comment. in cap. 14. Epiſt. 1. ad Corinth. lect. 3. & 5., luce clarius apparet, ad ſacram Liturgiam, non ad Sermones eſſe referenda, ut contextus ipſe luculenter oſtendit. Nec melioris ſane ſunt notæ alia, quæ ad opinionem ſuam confirmandam in medium profert momenta. Sed huic argumento prolixius immorari, mei non eſt inſtituti; illud autem erudite admodum agit adverſus Fontaninum Vir clariſſimus Apoſtolus Zenus in notis ad ejuſdem Bibliothecam Vol. 2. pag. 424. & ſeq., ubi certis probat documentis Concionatores retroactis temporibus nedum Latino, ſed vernaculo etiam idiomate in Eccleſiis ipſis populo verbum Dei miniſtraſſe. Et ſane longe credibilius unicuique videbitur, liberam fuiſſe facultatem hanc vernacule concionandi, ne populus aut rerum ad Religionem ſpectantium documentis careret, aut aperto ſub cœlo ſemper, quod hyemali præſertim tem-

tempore intolerandum eſt, Concioni intereſſe cogeretur. Quod ſi Conciones Latinæ in Eccleſiis recitatæ memorentur iis etiam temporibus, quibus populus vulgarem linguam unice callebat, id quidem probat Latino uti eloquio in publicis Sermonibus licuiſſe, quod nemo negabit, ſed nonniſi Latino licuiſſe, non item probat. Immo advertit laudatus Apoſtolus Zenus morem tunc quoque fuiſſe Latinam orationem vernaculo idiomate in eadem Eccleſia ſubinde interpretandi, cum quo concinit Muratorius Antiq. Med. Ævi tom. 2. col. 1046. *Si quando vero Epiſcopi ſermonem in Eccleſia habebant, Latine adhuc ſuo munere fungi conſuevere, niſi quod apud aliquos mos invaluit, ſubinde explicandi populo Latinam orationem per vernaculam linguam.* Hæc nimirum in linguarum mutationibus communis eſt conſuetudo, ut junior nonniſi ſenſim, & diuturno tempore tamquam domina ad publica quædam, & ſolemnia munera admittatur, cum ob illius rudem adhuc, & impolitam ſyntaxim, tum ob antiquioris dignitatem, ac veluti jus quoddam poſſeſſione firmatum.

XVI. Sed ut ad alteram aſſertionis partem progrediar, ſcilicet Latine dumtaxat Conciones ſuas S. Thomam ſcripſiſſe; cum nulla præter Latina Concionum ejuſdem exemplaria ſuperſint, nec ullum apud Hiſtoricos reperire ſit indicium, aliqua olim vernaculæ linguæ extitiſſe exemplaria, quæ exinde perierint, haud temere affirmari poſſe videtur, Latine dumtaxat, non Hiſpanice ab eo ſcriptas fuiſſe. Equidem nec Uzeda, nec de Witte, nec Auctor Bibliothecæ Hiſpanicæ quidquam de hujuſmodi exemplaribus proferunt, quod tamen citra oſcitantiæ culpam omittere non potuiſſent, ſi ea extitiſſent unquam. Aliquas tantummodo periodos memorat Uzeda Hiſpanice ſcriptas, ſed quæ Latinis lucubrationibus celeritatis cauſa a S. Thoma interjectæ fuerant, quaſve Uzeda ipſe in Latinum ſe tranſtuliſſe fatetur, ne membra aliqua a corpore diſcreparent, ut ex ejus teſtimonio, initio hujus præfationis recitato colligimus. Nonnihil potius conjecturæ noſtræ contrarium indicare videntur ea, quæ Card. Pallottus in Relatione de geſtis S. Thomæ coram Summo Pontifice habita, tradit, ut videre eſt apud P. Aznar in Serie Actorum Canonizationis ejuſdem pag. 15. *Hujuſce autem*, inquit, *& aliarum quamplurium Concionum in Latinum idioma verſarum codex quam eruditiſſimus, & animarum ſaluti perutilis, eo ſuperſtite, nunquam Thomæ ſingularis modeſtia præbuit aſſenſum, ut typis committeretur.* Verum hæc obiter, & præter inſtitutum dicta, ex communi aliorum ſilentio ita interpretandi cenſeo, ut non verſionem aliquam ab exemplari Hiſpanico innuere velint; ſed potius ut Conciones, diverſa ab ea, qua recitatæ fuerunt lingua, ſcripto commiſſæ intelligantur.

XVII. Atque hinc jam ſponte ſua fluit, quod tertio dicebam, nempe S. Oratorem ex tempore ad populum verba facere conſueviſſe. Si enim eidem Hiſpanice concionanti, non alia præſto erant ſcripta, quam hæc ipſa Latine vulgata; cum magna in his Concionum pars materiem dumtaxat, ac rerum dicendarum ſummam exhibeat, hæc ſane nonniſi extemporali oratione ſuppleri poterat. Quod vero attinet ad Conciones perfectiori forma donatas, veriſimile non eſt S. Oratorem ſingulas earum periodos ſolius memoriæ ſubſidio in Hiſpanicum idioma tranſtuliſſe, ut populo pronuntiaret, quandoquidem id omnibus perquam incommodum fuiſſet, ipſi vero multo gravius, nam Salonio teſte Vitæ lib. 1. cap. 6. ingenio quidem plurimum, at memoria parum valebat. Præterea extemporalem orationem familiarem Sanctiſſimo Viro fuiſſe aperte indicat laudatus Salonius in his, quæ Vitæ lib. 1. cap. 10. refert; nimirum Seripandum Generalem Ordinis Præſidem, Toletanæ Provinciæ comitia tunc forte celebrantem, accito ad ſe Thomæ impoſuiſſe, ut ſolemnem ſequenti die Concionem haberet. Hoc ſane vir prudentiſſimus homini imparato, ac itineris labore fracto non imperaſſet, niſi eidem, Thomæ conſuetudo ſatis nota fuiſſet. Porro & juſſit ille, & Concionem ſtato tempore Thomas habuit coram lectiſſimo auditorum cœtu ea doctrinæ, ac eloquentiæ vi, ut eruditiores plerique admiratione correpti affirmaverint, humani artificii limites exceſſiſſe Concionem illam, & divinitus acceptam dici debuiſſe. Idipſum de quo agimus diſerte confirmant alia Salonii verba præallegato cap. 10. lib. 1., dum dotes, quibus Thomæ prædicatio eminebat, enumerans, ita loquitur: *Prima fuit mirabilis lux, & interior notitia, qua mediante agnoſcebat, ſeu potius Spiritus ſanctus ei ſignificabat, dum ſuggeſtum conſcenderet, ſpirituales auditorum neceſſitates, unde ſermonem illis attemperabat.* Quid clarius, ut inde

ap-

appareat non præmeditata fuiſſe Thomæ verba, ſed in ipſo concionandi fervore producta?

XVIII. Sed alia quoque, ut id credam, efficiunt. Etenim familiaris videtur Sanctis Viris ea conſuetudo, quippe qui animarum zelum, quo mirifice inflammantur, vix, ac ne vix quidem intra Concionis ſcripto commiſſæ limites, ac vincula continere poſſint. Præterea frequenter adeo ad populum verba facere illis quandoque neceſſum eſt, ne multorum votis id avidiſſime expetentium deſint, ut Concionibus ſingillatim conſcribendis, atque ad limam revocandis, ne ſatis quidem temporis ſuppetat. Denſque cum animarum ſaluti, ac morum reformationi proſpicere unice iis cordi ſit, Conciones ſuas oratione potius, ac lacrymis, quam ſtudio, ac præceptorum adminiculis parare conantur; accedente vero ſanctiſſimæ vitæ exemplo longe facilius, quam communis eloquentiæ labore cauſam obtinent. Atque hæc erat familiaris Thomæ ſententia, orationis ope intellectum Concionatoris illuſtrari, voluntatem inflammari, & in ea ſagittas acui, quibus auditorum corda feriantur. Sed ut aliquod ad rem afferamus exemplum: eximius ille prædicandi verbi Dei penes Epiſcopos reſtitutor S. Carolus Borromæus haud aliter, quam ex tempore ad populum verba facere conſueverat, quemadmodum ex clariſſimi Saxii Præfatione ad ejus Homilias paucos ante annos publici juris factas manifeſte liquet. Etenim quæ S. Cardinalis pro Concionibus habendis apparabat, nonniſi ſynopſim quamdam in arboris formam diſpoſitam præferunt, unde argumenta, partitiones, Scripturarum teſtimonia, aliaque id genus pro re nata depromeret. Quæ vero ipſius ſuperſunt integræ perfectæque Homiliæ, e viva Italice dicentis voce exceptæ ſunt, atque in Latinum idioma a Poſſevino ejus familiari ſubinde translatæ. *Huic igitur*, inquit Saxius, *familiariſſimo ſuo provinciam demandaverat Sanctiſſimus Cardinalis, referendi in tabulas verba, quæ ille ad populum faceret, nec dubio eſt locus, cum geſti a ſe hujus muneris mentionem agat ipſemet Poſſevinus*. Ea propter quorumdam Sanctorum Hominum, ut S. Antonii Patavini, & S. Vincentii Ferrerii Sermones typis vulgatos, etſi eorum legitimos fœtus eſſe non ambigam, diverſos tamen dici debere ab iis, quos populo audiente pronuntiarunt, mihi plane perſuaſum eſt. Etenim longe plura, & vehementiora in ipſo dicendi æſtu pro circumſtantiarum varietate protuliſſe, veriſimile admodum videtur, ne dicam certum. Sed de his aliquid innuere ob argumenti affinitatem pluſquam ſatis: neque enim ſingillatim de aliorum Sanctorum lucubrationibus diſputationem texere in animo eſt.

XIX. Cæterum ne aliquid, quod cauſæ officiat diſſimulare videar, prætermittenda non ſunt quæ adverſus hactenus producta afferri queunt. Extant illa apud Concionem primam de S. Michaele Archangelo, ſatis ante medium, ubi S. Orator humanæ vitæ ærumnas deſcribens inter cætera hæc habet: *Et cuncta, quæ ſunt invenimus cum labore, nam, exempli gratia, hunc Sermonem, quem vobis prædico, non ſubito intuitu percepi ſed cum multa anxietate, multis horis hac, & illac animo diſcurrendo collegi*. Quæ quidem apertiſſime indicant præmeditatum fuiſſe Thomæ Sermonem. Verum quis prohibet, ut hæc ipſa de Sermone non recitato, ſed ſcripto intelligamus; quandoquidem Concio illa, de qua nunc agitur, inter limatiores ab Uzeda primo editas enumeratur? An non ſcribenti Concionem, idipſum proferre licet, quod pronuntianti liceret, & lectores ſuos tamquam auditores alloqui? Quamquam etſi allegata verba, etiam viva voce a S. Oratore pronuntiata concedamus, nihil inde incommodi timendum eſt. Nam ii etiam, qui Conciones ex tempore habere conſueverunt multa in anteceſſum colligunt, multa diſponunt, neque omnino imparati ſuggeſtum conſcendunt. Etenim Scripturæ ſacræ interpretationes, difficiliores præſertim; Patrum teſtimonia; varia ad hiſtoriam ſpectantia; aliaque hujuſmodi nonniſi prævio labore, ac aſſiduæ lectionis ope, diverſiſque in locis diligenter conquiruntur; nec talia ſunt, quibus ſola ingenii feracitas, ac promptitudo ſufficiant. Labor igitur ille, de quo S. Thomas loquitur, non ad integrum Concionis contextum, & verba, ſed ad materiem, & præcipua ejuſdem capita ſi referatur, nec incongrua, nec violenta evadet ejus loci interpretatio.

XX. At vero fortius contra nos urgere videtur id, quod Salonius refert in Vita S. Thomæ lib. 2. cap. 6. Publice in Eccleſia ſui Ordinis Concionem habiturus erat S. Orator, tunc temporis Burgenſis monaſterii Prior. Eum ut audiret, illuc mature acceſſerat Carolus V., ac poſt preces de more in templo perſolutas clauſtrum ingreſ-

ſus,

ſus, ædituo indixerat, ut Priorem de adventu ſuo moneret. Paruit ille; ſed cum Thomas (ita plane Salonius) tenui præditus eſſet memoria, atque ob id, ſtudio defectum ſupplere cogeretur, ita nuntianti reſpondit: Dic Cæſari, me ſtudio ob imminentem Concionem incumbere: propterea aut Concione, aut ejus colloquio mihi eſſe abſtinendum. Qua quidem ex reſponſione tantum abfuit, ut Cæſar vel minimum læderetur, ut potius ad Magnates converſus dixerit: Ita monachos omnes eſſe oporteret, nimirum ab humanis quibuſcumque rationibus expeditos. Porro cum hic de ſolius memoriæ obice ſermo ſit, perſpicuum omnino videtur S. Oratorem Concionem ſuam quoad ſingula verba memoriæ mandaſſe, non ſecus ac Concionatorum ætatis noſtræ maxima pars conſuevit. Sed neque iſta, ſi recte perpendantur, nos adigunt, ut a propugnata hactenus ſententia diſcedamus. Nam qui ex tempore verba faciunt, quemadmodum nuper diximus, multa prius diſponunt, & ſchedis contractiori ſtylo committunt, quæ deinde fuſiori ſermone perorando amplificant. Jam vero, qui præter ingenii fœcunditatem, ac nativam promptæ eloquentiæ vim, memoria quoque tenaciori pollent, facile quovis tempore Concionem promere queunt; nam nullo negotio, quæ ſemel parata fuere in promptu habent. At ii, quibus labilis eſt memoria, antequam publice ſermonem proferant, meditatione opus habent; ut nempe rerum dicendarum ſemina altius menti infigantur, ſicque in ipſo dicendi fervore opportune occurrant. Itaque S. Oratoris noſtri ſtudium in hoc quidem meditationis genere, non autem in verborum ſerie memoriæ mandanda ſtetiſſe affirmandum eſt, nedum ob ea, quæ ſuperius a nobis adducta ſunt, ſed ne Salonium ipſum ſibi minime cohærentem reddamus. Immo ex quo Thomas promptius ingenium, quam memoriam experiretur, novum inde oritur argumentum pronuntiandi, ipſum extemporalem potius uſurpaſſe orationem, quam verbis affixam, quandoquidem illa & ingenio facile obtinetur, & memoriam longe minus torquere dignoſcitur.

XXI. Quæ cum ita ſint, reliquum eſt, ut in hanc ultro deſcendamus ſententiam, nimirum Conciones Latino idiomate a S. Thoma eo conſilio fuiſſe conſcriptas, tum ut ipſe ex iis, veluti ex fontibus materiem pro Concionibus Hiſpanica lingua ex tempore habendis, cum opus eſſet, hauriret; tum ut Concionatorum utilitati, & commodo conſuleret, vulgatis ſaltem poſt ejus obitum Concionibus. Ac poſtremæ hujus cauſæ fidem ingerit indubiam diligentia a S. Oratore adhibita, qua plurimas Conciones, illas præſertim, quas primo vulgavit Uzeda, perficere curavit; etſi id laboris, eidem Hiſpanice peroranti, magna ex parte futurum eſſet inutile. Id quoque ex iis, quæ ipſemet tradidit Concione 2. in die SS. Corporis Chriſti non obſcure colligitur. Poſtquam enim Judæi cujuſdam ad Chriſtianam religionem mirabiliter converſi factum enarravit, ita ſubdit: *Hæc, ut dixi, illo Neophito narrante cognovi, rogabatque ut hoc aliis, illo mortuo publicarem; quod vivente facere nolui, ne hujuſmodi Neophitorum teſtimoniis fides noſtra roborari videretur. Sed quia ab æmulis fidei teſtimonium majus eſt, nunc illud libuit ſcripto inter alia publicare.* Scripto igitur aliqua publicare meditabatur. Et omnes quidem Sermones uti conjicere eſt, ad debitam perfectionis metam perduxiſſet, niſi ad Valentinum Archiepiſcopatum promotus, gravioribus curis obſequi debuiſſet. Cur autem emittendis in lucem Concionibus latinam potius, quam vernaculam aſſumpſerit linguam, in cauſa fuit eorum temporum conſuetudo, ut ſacræ Orationes, licet vernacule in Eccleſiis, aliiſve locis recitatæ, Latine ſcriptis voluminibus vulgarentur; quemadmodum ſcite advertit Apoſtolus Zenus in not. ad Bibl. Font. loco ſuperius laudato. Hinc quamplures ab Hiſpanis, Gallis, Italiſque Oratoribus habemus Latino idiomate vulgatas Conciones ſæculo præſertim XVI., ut neminem latet; nec ex quo Latine in publicum, voluminum miniſterio prodierint, inferri legitime poteſt, Latine dumtaxat tunc in Eccleſiis concionari licuiſſe, ut Fontanino placuit. Porro Eccleſiaſticarum Concionum Editoribus cur in more fuerit Latinum idioma, ſi quis a me poſtulet; id contigiſſe affirmaverim, ut hæ facilius ad omnes nationes pervenirent, ſublato extraneæ linguæ impedimento. Quod ſi quiſpiam hoc ipſum Latinæ linguæ dignitati, quæ res ſacras jure quodam ſibi peculiariter vendicare videtur, tribuendum putet, eidem anxie non contradicam. Cum enim ad litteratos homines libri hujuſmodi dirigantur, ac propterea linguæ majeſtas, atque ſublimitas,

rerum



FALTAN DOCUMENTOS
(paginas, cuadernillos...)
ISO 9878/1990

SYNOPSIS VITÆ
S. THOMÆ
A VILLANOVA
NUNC AB EDITORE ADORNATA.

I. DUm Eccleſiæ univerſæ Innocentius VIII. præeſſet; Chriſtiani Orbis Imperium teneret Federicus III.; Hiſpanis jura daret Iſabella Ferdinandi uxor, editus in lucem eſt Thomas, anno reparatæ ſalutis octogeſimo octavo ſupra milleſimum quadringenteſimum. Avitum quidem parentum domicilium illuſtri in oppido fuit, cui *Villanova infantium* nomen, quodve in Marchia Aragoniæ jacet, inter Diœceſis Toletanæ confinia, unde & Thomæ cognomen fluxit; vitales tamen auras haurire cœpit infans in Caſtro Fontiſplani vulgo *Fuellana* quingentis ſupra mille paſſibus diſſito; quò nempe parentes ſeceſſerant, moti periculo peſtis, quæ patrio jam in oppido graſſabatur. Patrem nactus eſt Alphonſum Thomam Garziam ex nobilioribus Villanovæ incolis, virum, in quo morum gravitas, pietaſque cum divitiarum affluentia certabant: matrem vero Luciam Martinez Caſtellanam e Caſtro Fontiſplani, matronam animi dotibus egregie inſtructam. Utrique alte adeo cordi infixa erat in pauperes miſericordia, ut eos in bonorum partem veluti filios aſſumerent, ſepoſita unice ad ipſorum ſubſidium certa, nec tenui domeſticorum reddituum portione; præter eleemoſynas, quas recurrentibus præcipuis anni ſolemnitatibus, uberiores erogare conſueverant, tum carcere detentis, tum infirmis, aliiſque, quos pudor ab emendicanda ſtipe prohiberet. Tam effuſa denique piorum conjugum liberalitas erat in omnes, qui ad eorum opem implorandam undique convolabant, ut niſi Divina Providentia ſingulari beneficio, nec abſque prodigio, opportuna ſubſidia multiplicaſſet, nihil ſane quod filio in hæreditatem obveniret, fuiſſet reliquum. Ad hæc, mater, arrepta Chriſtianæ perfectionis ſemita, haud ſecus plane ac in aſceterio degeret, quidquid a familiaribus officiis ſupererat temporis, id totum rerum divinarum contemplationi, corporis macerationibus, aliiſque ſpiritualibus exercitiis concedebat; digna proinde, cui Deus ſupernas illas delicias, quibus etiam in terris ſanctitas abundare conſuevit, uberrime largiretur. Tantæ virtutis, ut teſtem intimum, ita & laudatorem eximium habuit ſubinde illa filium Thomam, qui quoties de matre cum amicis verba faceret, Auguſtinum de Monica diſſerentem exprimere videretur. Sed, ut ad Thomam ipſum, unde nonnihil digreſſa eſt, revertatur oratio; quemadmodum Sanctorum Hominum merita miraculis prænuntiare non infrequenter dignatus eſt Deus, ita futuram Thomæ ſanctitatem, prodigio ejus nativitatem comitante, indicatam voluit. Etenim eadem, qua ipſe in lucem prodiit die, dira lues Villanovam antea acerbiſſime divexans, præter omnium expectationem prorſus extincta eſt. Nimirum ſublimiorem animæ ſalutem, quam populis allaturus naſcebatur, reddita Patriæ incolumitate non obſcure præſignavit. Exactis infantiæ impedimentis, cum primum diſciplinæ capax viſus eſt puer, ſedula parentum cura ad omne pietatis ſtudium efformari cœpit: nec ſero aurea pueri ſeſe produxit indoles, quæ optimæ inſtitutioni, ac præſertim domeſticis exemplis reſponderet.

S. Thomæ Ortus, Patria, Parentes.

II. Pri-

S. Thomæ Pueritia.

II. Primis ætatis annis ad duodennium uſque, in patria commoratus eſt Thomas, ibique litterarum rudimenta ſuſcepit, ingenio uſus prompto, firmo, perſpicuo, atque ad majora ſubſequentibus temporibus capeſſenda perquam idoneo. Quod quidem licet popularibus ſuis jam tum admirationi eſſet, multo tamen mirabilior in dies vitæ ejus ſeries videbatur. Gravitas enim, & prudentia in puero deprehenſa eſt, nedum ætatis crepundia antevertens, verum provectioribus, qui conſilio, rerumque uſu eminebant, facile comparanda. Gravitatem temperabat jucunda quædam oris ſuavitas animi index compoſiti, & ad comitatem in omnes propenſi, cujus egregia poſtmodum ſpecimina edidit, dum aliis præfuit, & ſubditorum ad ſe traxit benevolentiam. Quo illibatum Angelicæ puritatis candorem ſervaret accuratius, ita modeſtiam, quæ fidiſſima illius eſt comes, excoluit, ut oculos fere ſemper ſolo defixos a communibus etiam objectis prohiberet; verba autem, quorum ſumma erat parcitas, ad honeſtatis normam, ne leviſſima quidem injecta licentia componeret. His minime contentus, ſeveriorem aggreſſus ſui cuſtodiam, cilicio, flagellis, jejuniis in corpuſculum ſancte ſeviebat; membrorum legem ſpiritui reluctantem, præmature non cohibens modo, ſed plane conculcans. Solitudine mirifice delectabatur, ab inanibus puerorum nugis, eorumque conſortio perpetuo ſejunctus: horas proinde litterario labore vacuas inter ſacros templorum parietes traducebat, aut orationi incumbens, aut Sacerdotibus rem Divinam facientibus inſerviens, aut componendis ad altaria ornamentis, excutiendo pulveri, everrendoque pavimento ſollicite intentus. Verbum Dei avidiſſime e Concionatorum labiis arripiebat, moxque domum reverſus, illud ipſum e ſublimiori loco ſonora voce, firmis lateribus, aptiſſima actione, tanto denique mentis ardore iterum proferebat, ut nedum attentos ſibi præberet auditores, ſed ab eorum oculis extorqueret lacrymas prætextatus Orator. Sanctiſſimæ Dei Genitricis amorem inter piæ matris blandimenta feliciter hauſtum, novis incrementis adaugens, ab ejus aris divelli vix poterat; fauſtaque toto vitæ curſu Thomæ fuere ob cœleſtium donorum copiam ejuſdem Virginis ſolemnia. Sed fervens illa in Chriſti pauperes miſericordia, quæ ſecum ab utero egreſſa erat, moræ impatiens ardorem ſuum quaquaverſum effundere non deſtitit, etſi per ætatem grandia moliri non poſſet. Propterea quotidiani alimenti portionem ſibi ſubtrahens, quod graviſſimum pueris eſſe ſolet, eam pauperibus libentiſſime diſtribuebat, nunquam ob id viſus matutinam famem jentaculo cohibere. Quin & prandium illis ceſſiſſet; ſi provida Parentum cura, fameſcentis filii periculo obviam ut iret, non vigilaſſet; reipſa enim compertum habuerant illum diebus integris fame laboraſſe, ut pauperes liberalius reficerentur. Ægrotos in noſocomio degentes munuſculis recreabat ſæpiſſime: meſſorum vero paterni agri operibus nonnunquam præfectus, exercitii genus ingenuo adoleſcentulo haud indignum, non illorum tantum annonam, ſed & ſibi deſtinatam, pauperibus illuc ſpicilegii cauſa adventantibus largiebatur; meſſoribus interim minime reclamantibus, cum nihil detrimenti eorum cibaria ex novo pauperum conſortio paterentur. Abſentibus forte domeſticis, dum nihil concedendum poſtulantibus pauperibus ſuppeteret, gallinæ pullos, quotquot ad manus venere, illico tribuit; cujus facti cauſam cum eſſet percontata mater, reſponſum accepit: aut ſtipem ſibi in poſterum domi relinqui oportere, aut pullos iterum, ſi qui forent, pauperibus dari. Hiberno tempore pueros ſeminudos ac frigore algentes conſpiciens non ſemel, detractam ſibi tunicam uni, alteri thoracem, tibialia alteri impertitus, ſeminudus ipſe domum reverſus eſt: tum matris animadverſionem præveniens ad ejus genua provolutus, pium ſane ſpectaculum: In pœnam, inquit, ire paratus ſum; ſed mota ſunt viſcera mea, pauperculorum inopia, neque ab eorum ſubſidio abſtinere poſſum. Die altera domo egreſſus novas, quibus tunc induebatur veſtes, cum lacinioſis ſordidiſque pauperis pueri commutavit, ſubdens, has ſibi melius, illas pauperi congruere. Quod ſi interdum nec nuditate propria, nec fame, miſerorum hominum incommoda avertere potuiſſet, eorum cauſam apud parentes patroni inſtar agebat; proindeque ejus precibus, ac lacrymis debitores facile abſolvebantur. Sed & ingenio, piiſque fraudibus clanculum moliri aliquid in more habuit, quo pauperum pudori parceret, ſimul ac neceſſitati provideret. Id ruſticus quidam expertus eſt, qui tritici menſuram mutuo acceptam reddere impotens, Thomæ conſilio ſacculos palea plenos detulit, ut inde ſciſcitanti patri Thomas reſponderet, ruſticum

debi-

debitorem ſacculos attuliſſe, tunc quidem vacuos, ſed quos ipſe, cum allati fuere, vidiſſet plenos; quod feliciter, ut tentatum erat, evenit.

Geſta ad ingreſſū uſque Religionis.

III. Jam vero tantæ expectationis indoles, patriæ confiniis ſatis hæſiſſe parentibus viſa eſt. Duodennio expleto Complutum mittitur, ut in celeberrima illa ſcientiarum omnium Academia ingenium exerceret, atque ad ſplendida munera ſterneret viam, quibus nova familiæ decora ſuppeditaret. Conceptam ab optimo parente expectationem brevi temporis intervallo non æquavit tantum, ſed vicit Thomas, nam diſciplinas omnes prompte arripuit, Theologiam præſertim, quæ ſcientiarum eſt princeps; dignus proinde, qui non tam Collegii Ildephonſini, cui inter primos adſcriptus fuerat, quam totius Academiæ veluti ornamentum celebraretur. Nedum quippe auditoris munus in ea doctrinarum ſede explevit, ſed vix ab inſtitutorum diſciplina ſubductus cathedram conſcendere juſſus eſt, ibique Philoſophicas, ac Theologicas quæſtiones diſcuſſit ſummo plauſu, nec minori fructu auditorum certatim confluentium, quos inter præclara illa Hiſpaniarum lumina Ferdinandus Enzinas, ac Dominicus Soto enumerantur. Porro ut ingenii fama, ſic morum honeſtate Complutenſem Academiam illuſtravit Thomas; neque enim aliam inter ſcholarum ſtrepitus, ac frequentiam exhibuit vitæ ſeriem, quam illam, cujus tam ſolida paterna in domo jecerat fundamenta. Ac probe intelligens, & ſuccreſcentis ætatis fervore, & Academicorum juvenum conſortio multiplicari pericula, diligentiori uſus cuſtodia, vias omnes obſtruxit, unde virginalis innocentiæ candori damnum poſſet oriri. Adoleſcentis modeſtia, manſuetudo, humilitas, atque eximia virtutum omnium ſpecimina, quibus Angelicum quidpiam ſpirare videbatur, omnium ad ſe traxerant oculos, omniumque in ore verſabantur: nec defuit ex præcipuis Academiæ Profeſſoribus, qui in ipſamet popularis concionis celebritate Thomæ exemplum, non ſecus ac hominis jam Sanctorum albo adſcripti, auditoribus imitandum proponeret. Hinc oborta identidem inter ſcholarum principes, ſive ex opinionum varietate, ſive ex æmulationis æſtu ſchiſmata, etſi clariſſimorum hominum dexteritati invicta, paucis illius verbis ad pacis concordiam evocabantur; mirantibus cæteris, tantum junioris conſilio deferri. Interea Salmanticam delata, doctrinæ, ac virtutum, quibus Thomas enitebat illuſtris fama, eum habendi ſtudio vehementer incendit ampliſſimæ illius Univerſitatis Rectores; qui ſcientiarum naturalium cathedram tunc temporis vacuam eidem officioſe obtulerunt. Verum is, quod de nuntio humanis rebus mittendo jam tum cogitaret, non impari humanitatis ſignificatione oblatos honores, auctumque ſupra deceſſorum conſuetudinem ſtipendium conſtantiſſime repudiavit. Quæ porro fuerit Sanctiſſimi Viri per ea tempora, quibus Compluti moratus eſt, in pauperes munificentia, non eſt, cur pluribus proſequamur, quandoquidem ex iis, quæ puer in patria degens oſtendit, pluſquam ſatis colligi poteſt; in ipſo enim majora ſemper miſericordiæ, quam ætatis fuere incrementa. Hoc unum ſilentio præterire piaculum foret, quod patre e vivis ſublato accidit. Triſti accepto nuntio, mox Villanovam conceſſit Thomas, bonorum omnium, paternæ hæreditatis jure in ipſum confluentium rationem initurus, rebuſque domeſticis, ut par erat, daturus ordinem. Sed ea pauperum verius, quam filii hæreditas fuit, poſtquam in tam munifici diſpenſatoris incidit manus. Nimirum matre ſuperſtite, fervidi ſermonis ope, in ſententiam ſuam adducta, ita bona diſtribuit: pauca ad matris ſuique commodum reſervavit: domum paternæ contiguam in publicum noſocomium translatam voluit, omnibus ære proprio ditatum ſupellectilibus: quod erat patrimonii reliquum, alendis nobilibus puellis in pauperiem actis integrum deſtinavit; tum veluti ſarcina depoſita Complutum reverſus, conſuetis Academiæ exercitationibus animum adjecit.

Religionem ingreditur.

IV. Has inter viciſſitudines exeunte jam vigeſimo octavo ætatis anno de capeſſenda Religione, ad quam piis animi motibus jamdiu ferebatur, maturius cogitare cœpit. Hinc crebris ad Deum precibus cœleſte lumen poſtulare, quo plene diſpiceret, num clauſtralis vitæ ratio, cæteris quidem ſanctior, unicuique tamen non æque congruens, ſibi ad æternæ ſalutis negotium eſſet profutura. Ad eam ubi ſe divino afflante Spiritu haud dubie vocatum comperit, continuo de ſacro Ordine, cui nomen daret, electionem aggreſſus eſt. At ne hac in parte, quæ non minoris eſt ponderis, quidquam imprudenter ſubreperet, diverſorum Ordinum in Eccleſia militantium ſtatu-

ta diligenter expendit, adhibitis in consilium graviſſimis viris ſibi neceſſitudine conjunctis; tantoque ſtudio id genus omnia ad trutinam revocavit, circumſpexit, exploravit, ut ſolidum annum ea conſultatio occupaverit. Placuit demum pluribus de cauſis Auguſtiniana Religio, præſertim vero quod Joannis a S. Facundo Salmanticenſis cœnobii alumni inter Cœlites poſtea relati recentibus miraculis coruſcaret. Nulla propterea interpoſita mora ad monaſterium Salmanticenſe ſanctitatis fama celeberrimum convolat, ac Religioſorum conſortio adſcribi humiliter, enixeque poſtulat. Piorum hominum cœtum incredibili perfudit gaudio inexpectata Thomæ petitio, ſibique invicem gratulati ſunt, Salmanticenſe monaſterium ſponte accedentem admittere, quem Salmanticenſis Academia rogatum accipere non potuiſſet. Cumque de prudentiſſima poſtulantis deliberatione nulla vel levis emergeret ſuſpicio, communi ſententia admiſſus, religioſo induitur habitu die Beatiſſimæ Virginis Mariæ Præſentationi ſacro. Id ubi reſcivit, graviter conqueſta eſt mater, filium inviſa patria, inſalutatis domeſticis de vitæ inſtituto deliberaſſe, ſeque ab eorum oculis perpetuo ſubduxiſſe. Verum conſulto hoc factum voluit Thomas, qui ſciret ſanctioris vitæ propoſitum, carnis, & ſanguinis impedimentis ſæpenumero enervari, nonnunquam interimi. Jam vero in Auguſtinianum Sodalitium cooptatus brevi palam fecit, non idem ſibi eſſe virtutum, ac Religionis tyrocinium, quippe qui obedientia, humilitate, ſilentio, aliiſque religioſæ perfectionis adminiculis, uſque adeo excelleret, ut veteranis ipſis miraculo eſſet tanta virtus in novo milite, qui paucos ante dies ad caſtra veniſſet. Somni parcus, quem nudis quandoque innixus tabulis carpebat, perſoluta in noctis medio communi Pſalmodia, orationem ad lucem uſque protrahebat; ac per id temporis, quod inter Eccleſiaſtica officia ad meridiem fluit, ſanctorum voluminum lectioni inſtabat ſedulus. Bernardi Operibus apprime delectabatur, unde uberrimos ſuaviſſimæ eloquentiæ rivos deduxit, quos deinde provectior ſacra prædicatione in populos large effudit. Reliqua ad ſolis occaſum horarum ſpatia, partim orationi tum publicæ, tum privatæ, partim evolvendis Theologicarum quæſtionum ſcriptis impendebat; ne ſilicet ſacra facultas, cui tradendæ ſe in poſterum facile deſtinandum, animo præſentiebat, excideret memoria, ſi exercitationis cujuſcumque actio prorſus ceſſaret. Atque ita exemplo comprobavit ſuo, quod axiomatis loco ſemper habuit, orationem, ac ſtudium duos eſſe religioſæ vitæ cardines, tantumque abeſſe, ut invicem impedimento ſint; ut potius ſibi mutuo ſuppetias ferant, atque individua familiaritate copulentur, modo ſtudium Eccleſiaſtico homine dignum ſit, nec ad ſupervacanea, & curioſa deflectat. Præter jejunia domeſticis legibus indicta, alia Thomas annuentibus Superioribus ſancte ſervanda ſibi propoſuerat; nec minus, quam tres ex quatuor anni partibus abſtinentiæ rigor abſorbere conſueverat; quartam ſumma parcitas jejunio ſimillima obtinebat. Cujus ſeveritatis ad mortem uſque tenaciſſimus, parentibus eum quandoque ad lautiorem refectionem invitantibus invicte reluctatus reſpondit; delicata, ac pinguia ſalutem animæ non operari.

Profeſſionem emittit, & Sacerdotio initiatur.

V. Emenſo tyrocinii curſu, ſacris de more ſe obſtrinxit votis, maximum tunc expertus pietatis fervorem de cœlo immiſſum, cujus quotieſcumque vel ſola menti occurrebat recordatio, præſertim dum aliis vota emittentibus coram adſtaret, ſolvebatur in lacrymas. Nec vero a novitiorum ſocietate, ac diſciplina abductus de ſcepta vitæ methodo quicquam imminuit; immo ea virtutum ſpecimina ſuperaddidit, quæ hactenus, utpote a juniorum ſtatu aliena, intentata reliquerat. Cum primum itaque data eſt facultas, fratribus infirmitate laborantibus præſto fuit, non ſecus ac eorum famulatui addictus ex munere. Hinc ipſorum cellulas verrere: medicinas, alimenta, aliaque hujuſmodi ægrotis opportuna, manu propria miniſtrare; mœrentes ſolari, dolentibus compati, incredibili alacritate, promptitudine, aſſiduitate. Ac quemadmodum Thomæ copioſa inde meritorum ſeges, ita infirmis tam præclara oriebatur ſolatii ſpecies, ut ad ſe accedentem, non hominem, ſed ex Angelicis Spiritibus aliquem intueri viderentur, dolorum, queis cruciabantur, tunc plane obliti. Neque infirmorum dumtaxat, ſed fratrum omnium obſequiis facilem ſe præbuit, nullumque extitit, quantumvis abjectum, & laboris plenum monaſterii munus, quod ad ſuorum commodum in ſe non reciperet quam libentiſſime. Superiorum mandatis,

quæ-

quæcumque illa forent, obſequentiſſimus, nunquam ne vultu quidem imperantibus obniſus, Chriſtum in Prælato loquentem humillime venerabatur. Sed novum augendis Thomæ virtutibus, anno necdum elapſo, acceſſit argumentum, cum nempe Sacerdotio ante præfinitum a domeſticis legibus tempus Superiorum juſſu eſt initiatus. Sacris primo operatus eſt ipſo Virginei Partus ſolemni die, quem ad poſtremas uſque vitæ periodos ſingulari proſecutus pietatis ardore, tam effuſam a Deo obtinuit donorum ubertatem, ut rem Divinam eo recurrente faciens lacrymarum imbre pene obrutus ſubſiſteret, interdum radiante vultu extra ſenſus omnino raperetur. Familiaris erat Thomæ ſententia, Sacerdotem quotidie celebrantem, niſi nova in dies acquirat gratiæ incrementa, malo utique indicio laborare. Propterea hac dignitate auctus nihil non egit, ut ad anteriora, & perfectiora ſemper progrederetur, licet eo jam perveniſſet, quo paucorum veſtigia cernerentur impreſſa. Hinc ſolitudinem, ac ſilentium, quibus ſpirituales vires oratione partæ ſervantur, exactius ſi uſquam alias cuſtodiebat, nedum reſectis inanium confabulationum nugis, ſed repudiata etiam mutuæ collocutionis hora, quam recreandis animis legum indulgentia conceſſerat. Otii perpetuus hoſtis certam ſingulis quibuſque momentis ſibi indixerat actionum ſeriem, a qua ne latum quidem unguem recedebat, ratus vitiorum omnium illecebras unius otii victoria facile ſuperari. Sed his jam amplius immorari non vacat, cum multo fuerint ſublimiores, quas Thomas in corde ſuo diſpoſuerat, aſcenſiones, quam ut humanis oculis aſſequi quiſquam poſſit, aut humano eloquio memorare.

Thomas Theologiæ, & ſacris Concionibus operam dat.

VI. Optaſſet quidem Vir ſanctiſſimus cœleſtibus deliciis nullo publici muneris impedimento diſtentus frui; hæc enim divinæ conſolationis eſt indoles, ut eo ardentius ſui excitet deſiderium, quo frequentius animæ ingerit experimentum. Verumtamen aliter Prælatis viſum eſt; quippe optimo ingenio ad aliorum utilitatem ſatis opportune utendum judicarunt, Thoma nec minimum refragante, qui publicæ rei cauſam privatis rationibus præferendam, cum probe noſſet, tum maxime vellet. Ergo impoſitum ei munus Theologicas quæſtiones monaſterii Sodalibus explanandi: quod laboris genus ſuapte natura graviſſimum, multo gravius ipſe experiri non ſemel faſſus eſt. Nam etſi doctrina excelleret plurimum, memoria tamen, ut præclaris ingeniis quandoque accidit, parum valebat: cumque ad Theologicam palæſtram utrumque afferre neceſſe ſit, poſtremum hoc, diuturniori ſtudio ſupplere cogebatur. Ad hæc, quia nihil ferme de ſuſceptis ſemel ſpiritualis vitæ exercitiis ob novi laboris acceſſionem decerptum pateretur, nam & nocturnæ Pſalmodiæ frequens intererat, in magnas ſe incidiſſe anguſtias deprehendit. Vicit tamen, quæ laborum magnitudine nunquam obrui ſolet conſtans in Deum, & proximos pietas; ac quadriennium magiſterii feliciter abſolvit. Auditores porro nactus eſt tanto inſtitutore dignos, qui acceptum pietatis, ac doctrinæ cenſum multo cum fœnore Thomæ reddidere. Sed horum honorificam mentionem commodiori loco depoſcit hiſtoria. Vix dimiſſo docendi munere, Oratoris partes obire juſſus eſt, neque enim multorum utilitati eripiendus videbatur, qui egregiam eloquentiæ vim, morum ſanctitati conjungens, populi ſalutem promovere potuiſſet. Cum primum e ſuggeſtu dixit, propagata per urbem novi Oratoris fama, ea frequentia Salmanticenſes traxit, ut veluti ad Apoſtolum e cœlo delapſum turmatim confluerent, nec modo templa, ſed adjacentes viæ promiſcua multitudine redundarent. Hinc abjecta rei familiaris cura quamplures, diurnam lucem prævenientes, ad ſacras ædes Thomam audituri accedebant, ne ſerius illuc ſi pergerent, loco fraudarentur. Porro divinus ille ardor, quem oculis, vultu, totius corporis habitu præſeferebat, ac ignea plane verba, mirum in modum animos commovebant, nunc Divinæ Juſtitiæ ſeveritate deterritos, nunc miſericordiæ in ſpem erectos, nunc ad humanarum rerum contemptum impulſos; nec ſine lacrymis, ac communi ejulatu a Concione ut plurimum auditores dimittebantur. Nonnunquam in ipſo declamationis fervore, oculis in ſublime elatis, ſenſuum miniſterio deſtitutus hærebat Thomas; quæ ſpectaculi ſpecies non tam admiratione, quam religioſo quodam horrore percellebat populum. Illud etiam plerique mirabantur, nimirum in ejus Concionibus, auditorem quemlibet, documenta ad unguem ſibi congrua excipere, prorſus ac ſi pro ſingulis peculiaris digeſta, atque in anteceſſum parata fuiſſet oratio. Hæc aliaque hujuſmodi cum

omnium ſermone Salmanticæ trita eſſent, ægre ab eruditioribus nonnullis populari judicio parum tribuentibus, fidem obtinuerant. Verum poſtquam experimenti cauſa, Thomæ Concionibus interfuere, earum eloquentia mirifice capti ſunt, atque in poſterum ab his divelli vix poterant. Horum locupletiſſimo teſtimonio non plene convictus acceſſerat vir tota Hiſpania celeberrimus Joannes Hurtado; ſed unum eidem fuit Thomam perorantem audire, ac inſolito admirationis impetu commoveri. Hinc elata medios inter auditores voce, exclamavit, immortales Deo referendas eſſe gratias, qui tam eximium verbi ſui præconem, tamque ſtrenuum adminiſtrum, Eccleſiæ largiri dignaretur. Tum vero frequenter dictitabat, Thomæ doctrinam, eloquentiam, atque Euangelicam libertatem, non humani ſtudii artificio adſcribi oportere, ſed Divinæ illuſtrationis peculiare munus eſſe, aſſiduæ orationis ope comparatum. Jam vero præcipua ejus eloquentiæ laus fuit non repentina, ac fluxa auditorum commotio, ceſſante Oratoris voce evaneſcens; ſed ſtabilis omnino ad bonam frugem reditus, quem obfirmati antea in malo homines luculentiſſimis indiciis oſtendebant. Sane Salmanticenſis urbs, nedum vitiorum univerſim labe deterſa, ſed tot inſuper virtutum ornamentis decorata exinde apparuit, ut non tam Chriſtianæ urbis, quam monaſtici ſodalitii formam exhiberet. Quamplurimi ex florentiſſimæ illius Academiæ alumnis, perfectioris vitæ deſiderio incenſi Regularia inſtituta amplexi ſunt; ac nedum ſedes omnes novitiorum educationi Salmanticenſibus in monaſteriis deſtinatas replevere, ſed aliarum etiam urbium, atque oppidorum cœnobia occuparunt. Rei teſtis ſimul ac pars Joannes Mugnantonius, qui Thomæ prædicatione illectus Eremitarum Ordini nomen dedit, ac eruditionis fama poſtmodum illuſtris, a Philippo II. Hiſpaniarum Rege Principis Caroli inſtitutioni præpoſitus, tum Segobricenſis in Aragonia Epiſcopus nominatus eſt. Interea finitimæ urbes, & circumjacentia oppida tam eximiæ eloquentiæ rumore excitata Sanctiſſimi Viri præſentiam flagitabant, urgebantque Religionis præfectos, ut eam in dies ſaltem impetrarent. Obtinebant porro, nec ſine maximo populorum fructu, in quibus renovata primitivæ Eccleſiæ tempora ob ardentiſſimum pietatis fervorem plane videbantur. At nec ipſemet Carolus V., magnus cæteroquin rerum æſtimator, quandiu Hiſpaniarum in Regnis moram traxit, Thomæ prædicatione privari paſſus eſt. Ex quo enim Valliſoleti e ſuggeſtu dicentem audivit, adeo Regiæ expectationi reſpondentem fuit expertus, ut eum illico ſibi a Concionibus in poſterum eſſe juſſerit, expeditis ad Provinciæ Præſidem litteris, quibus Thomam Valliſoleti, ubi ſedem tunc fixerat Imperator, collocandum ſignificaret. Audiebatque eum ſæpiſſime una cum Iſabella Auguſta, ac cæteris aulæ Dynaſtis, neque diſſimulavit ſe ad rerum cœleſtium amorem tanti Oratoris eloquentia ardentius evocari. Quin ferunt Cæſarem nunquam Concione abfuiſſe, tametſi in Sacello Regio ea minime haberetur: tunc vero, quoties ſolemni pompa templum adire non placeret, ut privatum acceſſiſſe. Non minori in Thomæ eloquentiam flagrabat ſtudio Joannes Luſitaniæ Rex, poſtquam inter Hiſpanos adeo celebrari acceperat. Hic occaſionem nactus, dum Cæſar ab Hiſpaniis forte ſeceſſerat, hominem ad ſe mitti curavit, honorifice excepit, nunquam ſubinde lætior, quam cum perorantem audivit. Verum prolixior Thomæ abſentia, gravi Valliſoletanos triſtitia cumulavit, qui propterea coacto Magiſtratu, publicas Cæſari preces obtulere, ne quod ipſe Valliſoleto munus conceſſerat, vel ad tempus auferret Luſitania.

Fratribus ſui Ordinis præeſt.

VII. At vero dum ardens populorum deſiderium Thomam ad ſe trahere contendebat, quo diutius ſaluberrima haurire liceret documenta, haud ſegnes fuere Ordinis Sodales, quibus potiori jure Thomæ ſolertia debebatur. Illum proinde non ſemel, recurrentibus Comitiis, Præfectum voluere, ut nedum ejus ſanctitatis exemplo, ſed prudentiæ quoque ſubſidiis ad Regularis vitæ perfectionem facilius proveherentur. Grave id quidem onus viro Concionum laboribus præpedito, nec minus ejuſdem humilitati adverſum, quæ omnibus famulari aſſueta, vix imperantis perſonam poſſet induere. Alienæ tamen voluntati obſequendum fuit, quamquam non ſine ingenti mœrore, ac lacrymis. Ergo Salmanticenſi primum monaſterio præfuit, quod iterum regendum ſuſcepit; bis Burgenſi, ſæpius Valliſoletano jura dedit. Cum vero per ea tempora Caſtellana Provincia bipartito monaſteriorum numero in duas excreviſſet, utramque adminiſtravit, Bæticam ante, Caſtellanam poſt: neutra enim Thomam a ſe divelli recentis diviſionis

cauſa

cauſa patiebatur. Ad hæc, Definitoris, ut vocant, ac Viſitatoris munera obivit. Ac quemadmodum is aliorum regimini invito prorſus animo dabat humeros, ita prompto, & alacri ſemel impoſitum ferre conſueverat, nullo unquam aut tædio abreptus, aut fractus labore. Illud porro curabat in primis, ut ſubditi fidei ſuæ commiſſi, mores ad veræ ſolidæque virtutis normam componerent, ſæpenumero repetens, interiorem hominem ſummo ſtudio perficiendum, ſine quo externa Religionis ſpecies inanis eſſet, atque ad pudendam hypochriſim declinaret. Hinc orationis, & ſacræ lectionis exercitia, unde uberrima virtutum ſeges oritur, ſimul ac enutritur, ſerio commendabat, plura, & mira de his dicere ſolitus, quæ ipſe nimirum experimento jampridem didiciſſet. Mutuam inter Sodales charitatem fovendam, augendamque præ oculis habuit, Chriſti Domini præcepto vehementer motus; opportune propterea in eos animadvertens, quorum vitio diſſidia, aut rumores excitarentur. Otium malorum fontem e Clauſtris eliminare non deſtitit, unicuique congruam occupationis menſuram perpetuo aſſignatam volens; hocque cum Provincias regeret, monaſteriorum Superioribus in mandatis dederat, ut quoties otioſe quemquam vagantem deprehenderent, benigne primo corriperent, tum non reſipiſcentem, pœnarum ſeveritate cohiberent. Sacrarum functionum decorem, ac majeſtatem, templi nitorem, Pſallentium frequentiam, omnia denique ad Divinum cultum ſpectantia recto ordine diſpoſita cupiens, nihil in his quantumvis minimum negligi toleravit unquam. A novitatibus quam maxime alienus, quippe quæ concordiæ bono adverſentur; acceptas a majoribus leges cuſtodiri diligenter curavit, ita tamen ut infirmiorum debilitati, facile cum opus eſſet, indulgeret, integrum earum pondus ſibi unice ferendum conſtituens. Hic nempe Sanctorum Hominum mos fuit ſemper, mitiſſime cum aliis agere, in ſe ipſos ſeveritatem convertere. Subditorum neceſſitates pervigili cura antevertens, ne quidem expectabat preces, ſed indigentibus occurrebat ipſe; ſic plane, ut hi patrem verius, quam Prælatum experiri gratularentur. Ac mirum in modum enitebat paternus ille amor, ſi forte humanum aliquid correptione dignum apud ſuos inveniſſet. Amare tunc flebat, indictoque ſibi arctiori jejunio, ac flagellis ad ſanguinem uſque adhibitis, reorum prius ipſe luebat pœnas: tum prudenter diſſimulans rem morabatur, quoaduſque ſedatis animi motibus, blande corrigenti, aut nonnunquam pœnam ſtatuenti, æquiores præberent aures, qui deliquiſſent. Ita porro cum nihil ſe præter animarum ſalutem velle, nulloque partium ſtudio abduci palam faceret; refractarium neminem, quin omnes ſolo quandoque oculorum nutu præcipiens, obſequentes experiebatur. Denique tanti viri auctoritas humilitate temperata, timorem ſimul, atque amorem ingerens, ita ſubditorum corda ad ſe traxerat, ut quocumque voluiſſet, nullo negotio adduceret.

Alumnos ſuos in Mexicanam Regionem mittit.

VIII. Interea dum Hiſpaniarum populis ſacræ prædicationis miniſterio, Sodalibus vero optimi regiminis prudentia conſuleret Thomas, majora adhuc conſilia animo concipiebat. Siquidem dilatandæ fidei, atque ordinis amplificandi, inter barbaras novi Orbis Gentes non multo ante Hiſpanici Regis ditioni ſubactas, rationem, ac modum tacitus moliebatur. Quandoquidem vero miſeris hominibus præſentiam impertiri non poterat, ita rem componere ſtatuit, ut ex ſodalibus aliquos in partem laboris vocatos, in Mexicanum Regnum mitteret, ipſe negotii ſummam in Hiſpaniis gerens, auxilia omnia illic degentibus ſuppeditaret. Itaque occaſionum nactus, dum Bæticam Provinciam adminiſtraret, manum operi admovere cœpit, delectis præſertim quatuor, doctrina, ac ſanctitate præſtantioribus viris, quos olim in Theologia erudiendos ſuſceperat, quoſque non abſimilem hac in parte mentem gerere apprime noverat. Hi fuere Hieronymus Ximenius, Chriſtophorus a S. Martino, Petrus Pampilonenſis, Joannes Cruzatus, quibus alios pariter tanto muneri idoneos adjunxit. Delatam ſibi a S. Præſule expeditionem libentiſſime omnes amplexi ſunt, ac moræ impatientes uberrimam ſpatioſo in campo meſſem, quam necdum manu attingere licebat, oculis vorare videbantur. Cum primum arripiendi itineris facta eſt facultas, Thomam convenere, eam plane, quæ Apoſtolicos viros deceret, ſpeciem præſeferentes, rudiori ſcilicet amicti habitu, ac pede ſandaliis tantum ſuffulto. Tum ad ejus genua provoluti paternæ benedictionis pignus, & aſſidue orationis ſubſidium, quo bene omnia cederent, enixe poſtularunt. Ad hos hilari fronte converſus S. Præſul, ac præ gaudio collacrymans: Ite,

inquit, filii: vos ille ad has mittit nationes, qui Apoſtolos olim in univerſum Orbem promulgandi Euangelii cauſa diſperſos abire juſſit. Ne incertæ navigationis pericula, Gentium barbariem, incommoda, ærumnas timeatis, qui enim vos mittit, haud dubie vobis ipſe præſidio erit. Aut enim vos Gentibus fidem, aut illæ vobis martyrium dabunt. Utinam & ego pro Chriſto legatione fungi poſſem; verum ſin minus auxiliariam manum laborantibus præſens afferam, certe orationibus, jejuniis, quacumque demum licuerit via, quantumvis abſens vobis non deero. Ac revera ſacræ illius expeditionis negotia ſtrenue adeo curavit Thomas multiplicatis præſertim novorum Sodalium miſſionibus, ut brevi Mexicano in Regno nova Ordinis Provincia erecta ſit, & magna earum regionum pars veræ fidei lumine illuſtrata fuerit. Omnium, quæ ibi agebantur, certiorem per epiſtolas Thomam reddere ſatagebant Apoſtolici viri, ſæpe gratulantes, quod opus illud ſuum, divino afflante Spiritu, magis in dies proficeret; eidemque largiora a Deo præmia precabantur. Atque hoc commercii genus, quandiu in Ordine vixit S. Præſul, religioſe obſervarunt Mexicani Patres, nihil niſi eo auctore aggredi aſſueti, cui totius operis, ut initia, ſic & progreſſus merito deberentur. At nedum amplificatio Ordinis, & fidei propagatio Mexicano in Regno Thomæ conſilium conſecutæ ſunt, ſed uberrima quoque in ordine reformatio ad rei cumulum acceſſit. Nam Mexicana Provincia, quæ ſeveriorem diſciplinam a primis ejuſdem Patribus invectam ſancte cuſtodiebat, plurimos ex Auguſtiniano inſtituto in Hiſpaniis degentes exemplo excitavit, ut ſimilem vivendi rationem amplecterentur. Hi autem urgente apud Generalem Ordinis Præſidem Philippo II. Hiſpaniarum Rege, cum in peculiare Sodalitium coaluiſſent, plura inſtaurarunt monaſteria reformationis nomine commendata, quod idem, ut apud Italos, Germanoſque fieret, Clemente VIII. operam conferente, curavere.

Thomas in Archiepiſcopū eligitur.

IX. Hæc, aliaque feliciter non tam ad ſuorum commodum, quam ad univerſæ Eccleſiæ utilitatem peragenti Thomæ, Granatenſis Eccleſia Paſtore viduata maximum intulit timorem. Nam præclaras illius dotes animo reputans Carolus V., ut in demortui Archiepiſcopi locum ſufficeretur, Pontifici præſentandum ſponte deliberavit. Quocirca Provinciæ, cui præerat, luſtrationi tunc forte incumbentem mox Cæſar advocat, eique Regiæ voluntatis arcanum pandit, ſimulque momenta, ob quæ in eam ſententiam conſtanter deſcendiſſet. Verum oblato honori repudiando, multo eloquentior fuit Sancti Viri humilitas, cui vel ipſa inter Sodales Prælationis dignitas intolerandum onus videbatur, nihilque magis, quam aliis ſubeſſe, ac cellulæ quiete frui in votis erat. Cum vero Granatenſis Archiepiſcopi electio graviſſimis de cauſis moram non ferret, nec ullus præſto eſſet, qui Regiæ voluntati, atque amicorum precibus obnitentem auctoritate compellere valeret, re infecta Thomam Cæſar dimiſit. Non ita tamen ab ea tempeſtate evaſit, ut aliam non multo poſt ingruentem declinaverit. Siquidem Valentini Archiepiſcopatus ſedes ob recentem Georgii Auſtriaci abdicationem, novum Paſtorem flagitans, iterum Thomam in diſcrimen vocavit, nihil tale cogitantem, quin immo ex iis, quæ cum Cæſare acta fuerant, perpetuam hac in parte tranquillitatem ſibi pollicentem. Ita porro res contigit. Cæſar de Valentini Archiepiſcopi electione cum Summo Pontifice per litteras agens, nomen Monachi cujuſdam ex Ordine S. Hieronymi in tabulas referri mandaverat. At vero amanuenſis, ejus loco diſerte ſcripſit, mentem Cæſaris eſſe, ut in Archiepiſcopum Valentinum eligeretur P. Thomas a Villanova Ordinis S. Auguſtini. De quo, cum Cæſar admirans, ſcriptorem interpellaſſet, reſpondit is, ſe non aliud plane, dum Carolus loqueretur, quam Thomæ nomen intellexiſſe; cæterum erroris veniam petere, quem non difficile emendaret. Cui Carolus, ſecretiori Dei conſilio id tribuendum ratus, mox ſubdidit: non immutandum eſſe, quod Divina voluntate factum dici oporteret. Confeſtim delata res eſt ad Philippum Principem Auguſti filium, qui Hiſpaniarum Regnis Patris nomine præerat, ac Valliſoleti ſedem tenebat. Hic Thomam per ea tempora Valliſoletani monaſterii Præſidem ad ſe vocatum peramanter excepit, tum ſignificavit Cæſari placuiſſe, ut in Valentinum Archiepiſcopatum ſufficeretur; quandoquidem non alios, quam optimos ditionum ſuarum Eccleſiis Paſtores dari maxime cuperet, neque ignoraret, quantum Valentinæ Eccleſiæ ejus induſtria eſſet profutura. Rem Cæſari ac ſibi facturum gratiſſimam, ſi nullum Regiæ voluntati obi-

cem

cem opponeret. His humillime auditis ſubdidit Thomas: gratias ſe quidem utrique cumulatiſſime agere, quod immerentem prorſus, tanto honore donatum vellent, preces tamen addere, ne onus, cui ſe imparem ſentiebat, ſuſtinere cogeretur. Obfirmatum jamdiu ſe habere animum, ut nullo unquam tempore provinciam hujuſmodi periculi plenam aſſumeret, ac religioſæ vitæ humilitatem cum dignitatis ſublimitate commutaret. Cui Philippus, rem eſſe reſpondit, maturiori conſilio diſcutiendam, cujus cauſa dierum aliquot intervallum concederet. Interim ob oculos poneret Eccleſiæ illius neceſſitates, utpote quæ ob Prædeceſſoris abſentiam in eo eſſet tunc ſtatu, qui ejus doctrinæ ſubſidia, ac ſanctitatis exempla procul dubio poſtularet. Verum flectendo Sancti Viri animo nec Cæſaris, aut Philippi auctoritas, nec induciæ ad deliberandum conceſſæ quidquam profuere. Ægre id ferebant quamplures ex aulæ Proceribus eidem familiaritate conjuncti; propterea intentatum nihil reliquerunt, quo illius conſtantiam expugnarent, moti cum Principum deſiderio, tum Eccleſiæ utilitate. Hos inter Cardinalis Joannes Tavera Archiepiſcopus Toletanus pluribus idipſum ſuadere conabatur; uſque adeo, ut repugnanti pervicaciam exprobraret, quod in tam manifeſta Divinæ voluntatis ſignificatione, proprio adhuc judicio inſiſteret. Fruſtra tamen omnes, nova ad opus experiri nitebantur: nam Thomas argumentis argumenta objiciens, cauſam ſtrenue propugnabat, effuſiſque lacrymis ſuaſores ipſos hortabatur, ut meliorem amplexi ſententiam, preces apud Carolum, ac Philippum interponerent, ut tractatum ſilentio involvere dignarentur. Verum hi animo non dejecti victoriam opportuniore conſilio quæſiere. Philippo rei exitum præſtolanti inſinuandum curarunt, nihil magis ad deſperatum pene negotium conferre, quam ſi Auguſtinianæ Provinciæ Præſidi ſignificaret Princeps, quæ geſta fuerant, eumque, ut Thomæ præceptum imponeret, litteris ſollicitaret. Nullum fore Viro obedientiæ ſtudioſiſſimo effugium, ubi Superioris urgeret mandatum. Placuit Philippo conſilium, cujus cum e veſtigio executionem juſſiſſet, finem altercationi fecit. Etenim P. Franciſcus de Nieva vir graviſſimus Provinciæ adminiſter, ac Thomæ alumnus, vix compertam habuit Principum mentem, brevem, ſed ſucci plenam ad eundem epiſtolam miſit, qua Valentini Archiepiſcopatus electionem intra viginti horarum ſpatium acceptandam præcipiebat, ſecus Eccleſiaſtico ſe anathemate percuſſum intelligeret. Tunc demum victus Thomas manus dedit, Philippo, ac bonis omnibus plaudentibus, ipſo unice inter communis lætitiæ ſigna mœrore correpto. Tantum Sanctis Hominibus terroris ſemper incuſſit Epiſcopalis dignitas, ad quam plures quaſi ſine curis victuri feſtinant.

X. Acceptis Thomas Pontificiis litteris, Bullas vocant, atque a Cardinali Archiepiſcopo Toletano in Epiſcopum Eccleſiaſtico ritu conſecratus mox Valentiam conceſſit, eo comitatu qui acceptæ dignitatis, aut ignarum, aut immemorem plane indicaret. Nam pedes, uno contentus monacho, ac famulo; eodemque, quo uti conſueverat, habitu indutus in viam ſe dedit. Vix Ordinis monaſterium paucis ab urbe paſſibus diſſitum ingreſſus eſt, cœlum diuturna ſerenitate frugibus infeſtum copioſiſſimo imbre in arentem terræ ſinum effuſo, collapſam fere agricolarum ſpem erexit; eoque beneficii genere, majora civibus novi Archiepiſcopi adventum anxie expectantibus parari, non ambigue prænuntiavit. Reddita poſt dies aliquot aeri ſerenitate, inter populi acclamationes, Magiſtratuum, ac Cleri obſequia in urbem adducitur, templum ſubit ea peracturus, quæ muneris obeundi propoſitum deſignarent. Tum ad Archiepiſcopale palatium accedens, primam omnium talem ſuſcepit curam, unde lenitatis, ac miſericordiæ, quæ ſibi in imperio familiaris futura erat, egregium ſpecimen poſſet hauriri. Juſſit oſtendi receptacula coercendis ex Clero delinquentibus deſtinata. Horum, ut vidit nonnulla humente ſolo, denſiſque tenebris horrenda, miratus eſt vehementer, mandavitque injecto aggere pœnitus obſtrui, ſubdens: facinoroſorum hominum ea eſſe ſupplicia, non Sacerdotum, quibus alio animadverſionis genere medendum ſit, charitatis nimirum dulcedine temperato. Sed jam tempus advenerat, quo ardens illud ſtudium, miſerorum hominum calamitatibus occurrendi, tot annorum ſpatio religioſæ paupertatis conſtrictum anguſtiis, veluti flamma e cuniculis erumpens, in apertum proſiliret, nativæ libertati reſtitutum. Nec ſera ſeſe obtulit occaſio. Cathedralis Eccleſiæ Canonici rati venientem e Clauſtris Archiepiſcopum, nulla congeſta pecu-

Primæ in Archiepiſcopatu curæ.

pecunia ſuffultum, alieno ſubſidio maxime indigere, quatuor aureorum millia eidem dono obtulerunt, quibus rem domeſticam procuraret, donec ex Eccleſiæ prædiis fructus Archiepiſcopo debiti colligerentur. Horum commendata munificentia, gratias officioſiſſime perſolvit S. Præſul, at ſimul juſſit nulla interpoſita mora ad Xenodochium, cujus ædes paulo ante conflagraverant, integram pecuniæ ſummam deferri. Tum factum mirantes, ac tantum non indigne ferentes Canonicorum Legatos rogavit, ne id forte deteriori oblati muneris exiſtimationi tribuerent, quod ſummo in pretio, atque in amoris pignus ſe habere fatebatur; ſed hoc unum intelligerent, pecuniam illam levando recenti pauperum infortunio utilius, opportuniuſque impendi. Paucioribus ſe indigere, quam ut tantum auri domeſticæ rei addiceret; neque enim adauctam ſibi fortunam, ſed unice multiplicatos labores judicare. Sed hæc magnarum rerum, quibus prolixa narratio debetur, initia fuere. Interim Thomas cum bene noſſet inveteratis malis difficilia eſſe remedia, nec præcipiti quodam furore arripiendam ægrorum curam; prudenter omnia diſſimulans, Cleri populique mores, ingenium, conſuetudines diligentiſſime obſervabat, ut temporis beneficio uſus, quod cuique congruum eſſet, in opus deduceret.

Familiã ſuam inſtituit.

XI. Quandoquidem vero nonniſi tumultuaria Reipublicæ adminiſtratio ab eo expectanda ſit, qui familiæ ſuæ legem imponere neſciat, in hanc recte inſtituendam, omnem collocavit ſollicitudinem S. Præſul. Paucis eam hominibus conſtare voluit; nam præter famulos, qui variis explendis muneribus neceſſarii omnino credebantur, neminem honoris cauſa familiæ annumeravit exceptis ephebis, quos tamen alebat, ut ſtudio unice incumberent, cui ob paupertatem valedicere debuiſſent. Bini pro ſacris miniſteriis delecti Sacerdotes: reliqui ex laicorum cœtu aſſumpti; omnes in Archiepiſcopali palatio perpetuo reſidentes. Ne autem in graviſſimi momenti negotio vel leviter erraret, nullum unquam familiæ adſcripſit, niſi morum probitate, non tam alieno teſtimonio, quam proprio dierum aliquot experimento comprobatum; ejuſque diligentiæ fructum inde excepit, ut quem ex famulis ſemel admiſiſſet, ejecerit nunquam. Hæc porro fuit legum ſumma, qua ad Archiepiſcopi familiam accedentes ſeſe conſtrictos agnoſcerent. Mutuæ charitatis rationem haberent maximam ſublato quovis æmulationis ſtudio, ac ſcirent herum quæcunque in ſe ipſum commiſſa facile toleraturum, ea non item, quorum cauſa, domus tranquillitati vulnus fuiſſet illatum. Quo vero facilius diſſidiorum ſemina tollerentur, nemo in alterius officia injiceret manum, niſi ſocii, cui illa incumberent, aut nutu, aut rogatu; nemo quoque inanibus confabulationibus tereret tempus, aut ab aliis audita, ſuſurronum more, circumferret. Curſitationes per urbem vitarentur ſummopere; neque enim Archiepiſcopum monaſticæ ſolitudini addictum decere familiares otioſe vagantes, aut trivio deſidioſe inſiſtentes. Nemo propterea abſque domini venia e domo pedem efferre auderet, quam nonniſi diurno tempore impetraret, ceſſante luce minime duraturam. Ad hæc indicta omnibus ſpiritualia exercitia, quotidiana nimirum myſteriorum Dei meditatio ſtatis horis peragenda; ſacræ, ex inſtituto Eccleſiæ, ad Beatiſſimam Virginem laudes perſolvendæ, quas litterarum ignari aliis ſupplerent precibus. Recurrentibus demum ejuſdem Virginis, nec non Chriſti, & Apoſtolorum ſolemniis conſcientiam rite exonerarent, ac Divina Synaxi reficerentur. Hæc omnia religioſe, ad unguem obſervari crebris hortationibus mandabat, paterne corripiens, ſi quemquam ea minus ſollicite implentem noſſet. At quemadmodum promptam integramque domeſticarum legum executionem ſevere ab omnibus exigebat, ita omnes ea proſequebatur benevolentia, quæ domini in famulos amorem excederet, nonnunquam viſus, ob vitæ diſcrimen, in quod eorum aliquis incidiſſet, effuſis lacrymis dolere. Congruæ quotidiani victus diſtributioni proſpiciens, ſæpe, num aliquod deeſſet, anxie inquirebat; ac præter ſtipendia ex pacto debita, exquiſita identidem præmia diligentioribus largiebatur.

In Archiepiſcopatu nihil de monaſticæ vitæ ratione remittit.

XII. Jam vero inſtitutam his legibus familiam fortius exemplo ſuo ad optima quæque incitabat. Nam etſi illuſtri dignitate auctus ſupellectilem, veſtes, aliaque hujuſmodi ad novi ſtatus rationem abſque ambitionis nota componere potuiſſet, nihil tamen de priſtinæ paupertatis frugalitate, ac modeſtia remiſit, ſic ut Archiepiſcopi domus in monaſterium converſa diceretur. Nulla enim ibi ornamentorum ſpecies, delici-

ciæ nullæ, ſed ea dumtaxat admiſſa ſupellex, ſine qua domus miniſteria non ſubſiſterent. Veſtes quibus indutus a monaſterio primum receſſit, Archiepiſcopus retinuit, neque earum formam immutavit unquam; immo bis tantum undecim annorum ſpatio habitum ex rudi panno, juxta ſui Ordinis ſtatuta, novum ſibi parari toleravit. Quocirca vetuſtate adeo conſumpta veſtis, diluto colore, aſſutiſque laciniis deformis interdum apparebat, ut famuli ipſi rubore ſuffunderentur; atque ex Canonicorum Collegio nonnulli precibus S. Præſulem ſollicitaverint, ne immodico paupertatis ſtuſtio, Archiepiſcopalis dignitatis ſplendorem labefactaret. Is tamen eam curam humaniſſimo ſubriſu excipiens, reſpondit: nullum ex attritis veſtibus Archiepiſcopali dignitati detrimentum accedere, cujus auctoritas non in veſtium ditiorum pretio ſit collocanda, ſed in morum ſanctitate, ac perpetua pro grege ſibi commiſſo vigilantia. Cæterum paratum ſe eſſe poſtulantibus morem gerere, dummodo honeſtiores, quas illi optaſſent veſtes, monaſticæ profeſſioni, quam non idcirco dimiſſam vellet, minime adverſarentur. Nihil ultra urgendum illi exiſtimarunt, niſi quod ſaltem laneum pileolum in ſericum commutaret. Hoc ſe facturum ſpopondit, ne eorum conſilium parvipendere videretur: ſerico propterea tectus pileolo exinde apparuit, in quem nonnunquam digitum intendens, feſtivo modeſtoque lepore, quo valebat plurimum, illud repetebat: En meum Archiepiſcopatum. Veſtium paupertatem lectuli forma imitabatur, cui præter ſtramenta duo totidemque lanea lectiſternia nihil aliud, niſi affecto ægritudine corpore, unquam adjectum eſt. His omnibus par fuit menſæ conditio, nam teſtaceis lancibus inferebantur cibi, conſuetam monachorum Bæticæ Provinciæ frugalitatem præſeferentes, adaucto dumtaxat hoſpitum cauſa epularum numero, intra tamen Eccleſiaſticæ moderationis limites. Sed nihil magis S. Præſulis modeſtiam, ac paupertatem commendat, quam annuorum Archiepiſcopalis juris reddituum diſtributio. Enim vero ad decem & octo ducatorum, ut vocant, millia primo aſcendebant, tum latifundiis exquiſitiori cultura ſubactis ad viginti duo millia, demum ad triginta millia pervenerunt. Ex his duo millia Georgio Auſtriaco, qui ea ſibi penſionis jure ſervaverat annuatim ſolvebat; quatuor curandis domeſticis negotiis deſtinaverat, ne ſubductis quidem Advocatorum, aliorumve operam eidem locantium honorariis. Quod erat reliquum in pauperes, aut pios uſus ita erogabat, ut anno expleto nihil prorſus pecuniæ in ærario ſupereſſet. Ac ſingulo quoque menſe expenſarum rationem exigebat, diſcuſſis quam diligentiſſime earum libris, & ſi forte aliquanto plus excreſcere deprehenderet, miniſtros ſevere objurgabat, non ſuos, dicens, ſed pauperum eſſe cenſus, unde ſi quid largius inſumptum foret, illis reddi oportere.

Diœceſim luſtrat, & Synodū celebrat.

XIII. His ita conſtitutis, de urbis ac Diœceſis univerſæ luſtratione cogitavit. Diuturna Epiſcopi abſentia, innumeris malis, iiſque graviſſimis habenas laxaverat, quæ eo licentius debacchari conſueſcunt, quo diutius ſublata Paſtoris virga impune agere permittuntur. Collapſa Cleri diſciplina, ſacris rebus detractus honos, graviora laicorum crimina, antiquum Valentinæ Eccleſiæ decorem mirum in modum deturpaverant. Etſi porro obfirmata conſuetudine vitia vix remedium pati viderentur; ſpe tamen minime dejectus S. Præſul oratione, vigiliis, lacrymiſque Divinæ Providentiæ opem implorans, iis radicitus evellendis validam manum appoſuit. Id ut facilius aſſequi poſſet, Paſtorales litteras in anteceſſum vulgavit, quibus omnes ad morum reformationem, & Chriſtiana ſtudia hortatus, delinquentibus quibuſcumque, criminum, quæ hactenus commiſiſſent, veniam ultro offerebat; ſic ut non judicem delictorum vindicem pertimeſcerent, ſed medicum vulnera curaturum ad ſe accedentem læto animo complecterentur. Tum delectis probatiſſimæ integritatis, ſpectatæque prudentiæ miniſtris, qui incolarum indolem exploratam haberent, luſtrationem aggreſſus eſt menſe vix ab ejus ſolemni ingreſſu decurſo. Diœceſis loca omnia, nullo, tametſi obſcuri nominis, oppidulo prætermiſſo adiit, idque aſſiduo labore, incredibili diligentia, eaque celeritate præſtitit; ut quinque circiter menſium intervallo opus abſolverit. Ubique ſermones ad populum habuit, quorum verba, ut Hieronymi (*a*) de Paulo ſcribentis utamur phraſi, totidem erant tonitrua:

(*a*) *Epiſt.* 30. *alias* 50.

nitrua: animarum quippe zelo, quo ſemper flagraverat, vehementiores addiderat ignes Archiepiſcopale munus; unde animas illas, non ut antea extraneas, ſed ut fidei ſuæ commiſſas accuratius reſpiciebat. Publicis hiſce, privatiſque ſermonibus pro circumſtantiarum varietate multiplicatis, ſtupentes homines, nihil tale unquam experti, mirifice trahebantur; nec cohibere ſe poterant, quin Sanctiſſimi Præſulis mandatis ultro obſequerentur. Hinc ſublatæ ſeditiones, amota ſcandala, reddita Eccleſiæ jura, Cleri populique mores ad Chriſtianæ vitæ normam præter omnium expectationem feliciter evocati. Nondum luſtrationis laboribus recreatus Synodum coegit, cujus beneficio leges formarentur Eccleſiaſticis, laiciſque in officio continendis opportunæ. Id vero operis, cum ante Concilii Tridentini decreta, quæ auctoritatem Epiſcopis reddidere, tentatum fuerit, non ſine multorum contradictionibus ſtetit. Verum invicta Thomæ conſtantia, ac prudentiſſima in omnibus agendi methodus, difficultates inde obortas ſic tandem intercepit, ut Synodi ſtatuta plaudente Clero promulgarentur.

Reliquæ in Archiepiſcopatu curæ.

XIV. Provida hac rerum diſpoſitione Archiepiſcopale Regimen auſpicatus, totus exinde fuit in ſingulis inſtaurandis, quæ ad Dei honorem, atque animarum ſalutem magis conducere in dies agnoſcebat. Quo magnificentius divina officia, media præſertim nocte Cathedrali in templo celebrarentur, Cleri in odeum convenientis numerum auxit, conſtituta ad hoc mille aureorum ſumma, Epiſcopali ex ærario annuatim repetenda. Omnium mores diligentiſſime explorabat, ac ſi quos ad vitia pronos deprehendiſſet, horum nomina in peculiarem librum referebat, ut exquiſitiorem eiſdem curam adhiberet; dolebatque perſæpe nimiam Diœceſis amplitudinem, quæ in cauſa foret, cur Epiſcopi vigilantiam nonnulla effugerent; neque enim in tanto animarum numero, ſingulis eam impendere poterat Paſtoralis ſollicitudinis menſuram, quam ipſe cæteroquin neceſſariam judicabat. Qua de re ſerio apud Cæſarem egit, ut Valentinam Diœceſim in duas dividi pateretur; ſic enim fore, ut Epiſcopi duo, partito inter ſe labore, quæ ſui eſſent muneris diligentius exequerentur. Antiquis hoc ſemper Epiſcopis placuiſſe, quos non dominationis amplitudo, ſed animarum ſalus habebat ſollicitos. Paratum ſe Summo Pontifici ea de cauſa preces porrigere, ut facultatem operi perficiendo neceſſariam concederet, nec grave ſibi futurum Archiepiſcopalium reddituum portionem cedere in novi Epiſcopi ſubſidium convertendam. Verum ſpe fruſtratus, integrum onus ſuſtinuit, multiplicatis vigiliis, aſſiduoque labore auxilii inopiam levans. Inde Parochos ad operam ſibi, ut par erat, conferendam alacriores reddere conabatur; alios quoque excipiendis confeſſionibus, aut concionibus habendis incumbentes identidem ad ſe vocatos fervido ſermone excitabat, ut animarum ſalutem nullis parcentes incommodis ſtrenue procurarent. Tum vero concione ferme quotidiana, precibus, lacrymis, minis, ac cum opus fuiſſet pœnis, omnibus denique modis, quos ingenioſa charitas indicaſſet, delinquentes a vitiis abſterrebat. Quod ſi e laicorum numero contumaciores aliquos, ac repetitis monitis omnino obſiſtentes inveniſſet; implorata Regiæ poteſtatis ſeveritate, eos demum Diœceſi expellendos curabat, ne morbidæ, ac ſtrigoſæ oves univerſum gregem inficerent. Maurorum, quorum non tenuis copia in Hiſpaniarum Regnis diſperſa erat, converſionem anxie proſequebatur: quæ res cum difficillima videretur, in maximas animi anguſtias S. Præſulem conjecerat; e quibus ut tandem emergeret, Archiepiſcopali dignitate ſe abdicare conſtituit, tentavitque non ſegniter. Sed cum neque id ad votum ceſſiſſet, aliam iniit viam. Cæſari inſtanter per epiſtolas inſinuavit, ut in Maurorum pagis Parochi conſtituerentur, qui vitæ integritate, prudentia, ac zelo eorum converſionem promoverent, congruis ad hoc aſſignatis redditibus, unde eleemoſynas quoque indigentioribus largiri poſſent. Collegio inſuper educandis recenter ad fidem converſorum filiis erecto, bis mille aureorum ſummam annuatim ſolvendam ex Archiepiſcopalis menſæ cenſibus conſtituit. Eccleſiaſticorum hominum famam, ut pro magno ſemper habuit, ſic tuendam a laicorum dicteriis curavit maxime. Hinc Clericorum delicta, appoſitis excuſationibus apud eos tegere in more habuit, a ſtrepitoſis judiciis ut plurimum abſtinens, ac reos paterne corripiens. Atque hoc manſuetiſſimo animadverſionis genere, variis artibus temperato, mirum eſt, quantum nonnullis in profundum fere malorum lapſis profuerit. Equidem communis inter Clericos erat ſententia, validiora animis commovendis eſſe S. Præſulis verba, quam tormenta

quæ-

quælibet; ac palam dictitabant, ejus vultum, lacrymaſque tamquam Divini Judicis tribunal in terris quodammodo erectum ſeſe expaveſcere. Etſi vero ab auctoritatis oſtentatione quam longiſſime alienus, negotia omnia prudenti quadam ſuavitate componeret; fortitudinem tamen Pontifice dignam præſetulit, ubi hac opus eſſe cognovit. Silentio prætereundum non eſt eximium, quod inter cætera edidit prudentiæ ſimul, ac Epiſcopalis conſtantiæ ſpecimen. Cathedralis Eccleſiæ Canonici, ut novi Archiepiſcopi leges veluti antiquæ eorum libertati contrarias eluderent, litteras quaſdam intimaverant, quarum beneficio ab Archiepiſcopi diſciplina ſubducti, Conſervatoris, ut ajunt, curæ commendabantur. Rem, quam nec probare, nec facile evertere poterat, tacite diſſimulavit Thomas, donec opportunam agendi occaſionem temporis diuturnitas miniſtraret. Accidit interea, ut ex Canonicis unus ad laicum tribunal traheretur, quod ſatellitum ducem, illato vulnere, in vitæ diſcrimen adduxiſſet. Ac inſolentis facti vindictam meditabatur Provinciæ Gubernator in furias actus, reo interim carceri mancipato. Canonici cum ſocii periculo territi, tum Collegii honore moti, Archiepiſcopum rogavere, ut injuriam Eccleſiaſtico juri manifeſte inflictam, auctoritate ſua propulſaret. Veruntamen is negavit id muneris ad ſe pertinere, ex quo alium ſibi delegiſſent, cujus patrocinio freti, ab Archiepiſcopi juriſdictione ſubtraherentur. Conſervatoris eſſe Canonicorum rebus conſulere, non Archiepiſcopi, cui ſatis foret ſubditorum ſuorum negotia pertractare. In ea vero ſententia immotus perſtitit, quamquam creſcente in dies periculo, preces ad importunitatem uſque multiplicarent Canonici; mirantibus nonnullis S. Præſulis conſilium, quod a pertinaciæ nota vix poſſet excuſari. His porro reſpondit Thomas: non ſibi, ſed Canonicis id vitio vertendum, quippe qui promptam haberent viam, unde ex anguſtiis, in quas ſponte ſeſe conjeciſſent, nullo negotio emergerent. Dimiſſo Conſervatoris ſubterfugio, Archiepiſcopi juriſdictioni, quemadmodum decebat, ſe ipſos ſubjicerent, ut inde agnoſcerent, Archiepiſcopo, tuendi a laicorum poteſtate ſubditos ſuos, nec voluntatem deeſſe, nec modum. Jam vero cum Canonicis ſatis ſuperque explorata eſſet Thomæ auctoritas, animique conſtantia, cui parem tanto in diſcrimine fruſtra expectaſſent, conſultius judicarunt privilegio cedere, quam imminenti obrui tempeſtate. His ita compoſitis cauſam ſtrenue amplexus eſt S. Præſul: litteras ad Gubernatorem dedit Sacerdotali gravitate refertas, quibus intolerabilem poteſtatis abuſum deteſtatus, auctorem violenti judicii Eccleſiaſticis cenſuris irretitum renuntiabat. Amens præ furore Gubernator, tantum abfuit, ut S. Antiſtitis epiſtolæ quidquam deferret, ut potius ſcelus ſceleri addens, Clericum quemdam homicidii reum, prolata ſententia, ſuſpendio publice necari juſſerit. Ad hæc Valentini Regni Prorex Thomam litteris terrere aggreſſus, monuit, ne Regiæ poteſtati infenſum ſe ultra exhiberet, ſecus reddituum omnium, quos Eccleſiæ ſuæ nomine poſſidebat, jacturam ſe brevi ſubiturum ſciret. His ne leviter quidem motus S. Præſul, ditiorem ſe tunc fore, reſpondit, cum minus temporalium rerum onere premeretur. Copiam ea ratione ſibi factam ad monaſterium libentiſſime remeandi, a quo olim nonniſi mœrens, lacrymanſque receſſerat. Anni dimidium, productis hinc inde momentis, ea contentio occupavit, donec Thomæ conſtantia victus Prorex Canonicum Archiepiſcopo ſuo reddi mandavit. Non tamen abſque debita Gubernatoris animadverſione cauſæ impoſitus eſt finis; hunc enim ad cæterorum terrorem ſolemni Palmarum die ante fores templi, nudis pedibus, apertoque capite hærentem a cenſuris ritu Eccleſiaſtico abſolvit.

XV. Pauperum curam, quæ Paſtoralis ſollicitudinis pars eſt, eam habuit, quam vix ullo verborum miniſterio mortalium aliquis ſatis exprimat. Cum primum Valentiam appulit, alterum ex Canonicis, qui eum honoris cauſa in monaſterio convenerant, ſollicite interrogavit, num pingues Archiepiſcopalis menſa redditus poſſideret? Cumque audiſſet octodecim conſtare ducatorum millibus, turbatus eſt, ſeque deceptum affirmavit, multo enim pluris æſtimari nuntiatum ſibi fuiſſe: tenues eos videri cenſus alendæ pauperum multitudini, quam Valentiæ degere intellexiſſet. Archiepiſcopali ſuſcepto regimine, pauperes omnes nedum urbis, ſed & Diœceſis deſcribi juſſit, eorumque elenchum penes ſe cuſtodiens, quid cuique pro ſtatus ratione opus eſſet, diligenter expendebat, neminem unquam abſque opportuno ſubſidio relinqui paſſus. Stipem

Pauperū curam gerit.

oſtia-

oſtiatim quærentibus, menſam quotidie paravit pane, vino, ac pulmento inſtructam; numerata inſuper unicuique certa pecuniæ ſumma, quæ infirmitate aliqua laborantibus duplo major erogari conſueverat, addito quoque ad reliqua obſonio. Annonam ſinguli certo ordine diſtributi accipiebant, ita ut primis recedentibus ſuccederent alii; neque enim ſimul omnes palatii area capere poterat, utpote qui ad quadringentos, nonnunquam quingentos aſcenderent. Monitus in ea pauperum turba vagos, perditoſque homines perſæpe miſceri, quibus nimirum fuſtis potius, quam eleemoſyna congrueret, reſpondit: Ne hujus furfuris homines in urbe impune morentur Prætoris eſt; Archiepiſcopi vero, ne quiſquam ab ejus domo eleemoſyna vacuus recedat. Atque hoc religioſe adeo obſervabat, ut ne manifeſtis quidem pauperem fraudibus famulos ſuos obviam ire æquo animo ferret. Cum enim quempiam e domeſticis cum paupere contendentem vidiſſet, quod hic portione jam recepta, accepturis ſeſe aggregaſſet, juſſit S. Præſul queſtione ſepoſita eleemoſynam concedi, ſubdens: in his, quæ ad pauperes ſpectant nullam inſtitui oportere diſputationem, fraudem metuendam eſſe nullam. Forte enim ſub pauperis veſte Angelum latuiſſe, qui charitatis, ac patientiæ experimentum facturus eleemoſynam bis poſtulaſſet; proindeque nonniſi periculoſe in controverſiam vocari, aut injurioſe repelli. Quos gravior infirmitas ad Archiepiſcopi domum accedere prohibebat, nec publici valetudinarii beneficio frui honeſtior ſinebat conditio, alia levabat methodo. Bini pro eorum cura conducti medici, chirurgus unus: deſignata pharmacopolæ officina, unde quidquid medicinarum opus eſſet repeteretur; nec ex quo diuturna foret, aut perpetua ægritudo, ceſſabant ſubſidia. Ad hæc eleemoſynario injuncta alimentorum proviſio, omniumque recreandis recens ab infirmitate convaleſcentibus pertinentium. Nobilibus familiis in pauperiem actis largiorem pecuniæ ſummam ſingulo quoque menſe erogabat, ita plane, ut pudori, qui huic hominum generi egeſtate gravior eſt, conſultum vellet; nam vel propriis ipſe manibus, vel prudentum virorum miniſterio ad id munus unice utebatur. Quod ſi nobiliores matronæ ne Archiepiſcopo quidem, ærumnas ſuas innoteſcere paterentur, cum tamen hunc diu latere nequaquam poſſent; vigiles enim plures inveſtigandis pauperum neceſſitatibus in promptu habuit: hoc rem tegebat artificio. Pecuniam incogniti earum debitoris nomine mittebat, qui inducias quærens integram ſummam certis temporum intervallis paulatim ſe redditurum ſponderet. Neque a veritate procul aberat, nam vere ſe pauperum debitorem, poſtquam Epiſcopalem Cathedram aſcendit, agnovit ſemper. Ex his porro familiis non defuere, quæ ducentos, quæ trecentos aureos annuatim acciperent, præter uberiora ſubſidia premente validius neceſſitate multiplicata. Puellarum maxime periclitantium honeſtatem in tuto ponere non deſtitit, dotale aurum pro cujuſque ſtatu, ac pecuniam domeſticis rebus coemendis opportunam ultro concedens; nec ullæ ſane, eo Archiepiſcopatum tenente, celebratæ ſunt pauperum nuptiæ in quibus ejuſdem liberalitas deſiderata fuerit. Pauperum ſtudentium educationi Collegium Valentiæ erexit: Oriolenſe & Salmanticenſe redditibus auxit. Sed nunquam fortaſſe clarius S. Præſulis enituit charitas, quam erga expoſititios infantes, qui publico in noſocomio alebantur. Ne ſiquidem diligentiæ quidquam in eorum educatione omitteretur, nutrices proprio ære conductas ſingulis aſſignabat, atque ab his ſtato tempore accerſitis, infantium ſibi creditorum rationem exigebat accuratiſſime. Ac ſi deſidioſe nonnullas agere deprehendiſſet, acriter objurgabat: eas vero, quæ nitidiores, pinguioreſque attuliſſent pueros, pecunia ſupra mercedem pactam donatas dimittebat. Jam vero tantæ pietatis opus, cum nemini ex civibus eſſet ignotum, eo fiduciæ pauperes adduxerat, ut quos alere non potuiſſent infantes, ante Archiepiſcopalis palatii fores reclinarent, ac ſi illud proprium eorum domicilium extitiſſet. Atque hoc non modo injurioſe factum nunquam doluit Thomas, ſed quotquot deferebantur hilari fronte ſuſcepit enutriendos, etſi interdum ad ſeptuaginta, vel octoginta excreſcerent, interdicta domeſticis ſupervacanea parentes indagandi curioſitate. Immo hanc miſericordiæ partem una cum morte interire noluit S. Præſul, ſepoſita certa pecuniæ ſumma, quæ educandis expoſititiis infantibus poſt ejuſdem obitum ſufficeret ad triennium, prout ipſemet, paucis antequam decederet, diebus ſignificavit. Nulla denique ſive publica, ſive privata calamitas Thomæ charitatem ſubterfugit.

fugit. Ac nemo ſane avariſſimus hominum tantum corrogandæ pecuniæ in ſtratagemata pronus unquam fuit, quantum hic novis ſemper excogitandis artibus, quibus miſeros ab incommodis recrearet, promptus extitit. Quoſcumque ad ſe accedentes ad miſericordiam erga pauperes ardenti ſermone excitabat, illud inter cætera inſinuans, ut pecuniam, quam in eleemoſynas deſtinaſſent non teſtamento legarent, ſed ipſimet, dum inter vivos eſſent, indigentibus diſtribuerent. Futuros pauperes futuris divitibus commendari, ajebat, præſentes præſentibus; nec decere viventes fame interire, ut necdum natis ſubſidia præparentur. Quæ in Sancti Præſulis uſus deducebantur, nonniſi viliſſimo ſtabant pretio, quod etiam altercando quodammodo paciſci ipſe conſueverat, ne vel minutiſſimo ære inde proveniente pauperes fraudarentur. Id porro mercatoribus, ejus mentem haud ſatis aſſequentibus, avaritiæ, tenaciſque animi ſuſpicionem ingeſſit, quam tamen protinus depoſuere, dum egeſtate preſſi, ejuſdem liberalitatem experti ſunt. Temporis copiam nactus, veſtes proprias acu, filo, laciniiſque reparabat: quam curam, uti Archiepiſcopali dignitati indecoram, indigne ferentes e familiaribus aliqui, palam eidem reſtitere aſſerentes: haudquaquam e re eſſe Archiepiſcopum in iis occupari, quæ unius julii diſpendio commode ab aliis fierent. His autem objurgationibus ſubridens Thomas reſpondit: optime laborem illum ab Archiepiſcopo impendi, quo pecuniam uni per diem alendo pauperi idoneam lucraretur. Aulam Archiepiſcopali in Palatio conſtrui paſſus erat, quam domeſtici, uti omnino neceſſariam inſinuaverant: at poſtquam extructam vidit, agnovitque pretium, doluit vehementer, plus quam voluiſſet, pecuniæ aulam abſorbuiſſe; atque ab amicis in ea obambulans deprehenſus eſt amare hac de cauſa flens, ac ſi pauperum bona dilapidaſſet. Erga conſanguineos ſubſidia interdum poſtulantes moderatum adeo, ac parcum ſe præſtitit, ut æquo rigidiorem nonnulli accuſaverint. Verum is charitatis legibus obſecutus, neceſſaria dumtaxat concedebat, ſubdens, Archiepiſcopales redditus non ſuas, ſed pauperum opes eſſe, quarum proinde ſeveriſſimam Deo eſſet rationem redditurus, ſi vel minimum in pecuniis erogandis defeciſſet. Sæpiſſime de pauperum ſtatu, veluti mater de filiis ſollicita, ſciſcitabatur; eratque illi familiariſſima interrogatio, dum Parochos alloqueretur: an bene eſſet pauperibus? Ac revera non ſecus, ac filios, quoties ad eum accederent, amantiſſime excipiebat; nam licet ſordidos, horridoque aſpectu nauſeam cientes, honorifice ſibi aſſidere imperabat, diu cum illis miſcebat ſermones, eorumque calamitates paterne ſolabatur, lacrymis quandoque lacrymas jungens. Neque vero frequentia creabat moleſtiam; quin ſi quiſpiam importunitatis veniam, ut aſſolet, petiiſſet, lædi ſe hujuſmodi excuſationibus, ajebat; nihil ſibi gratius, quam pauperum, quorum curam gerebat ex munere, audire cauſas, neceſſitatibus ſubvenire. Nullam incuterent verecundiam repetiti acceſſus; ſed paratum ſe fore intelligerent quovis tempore, omnes paterna charitate complecti. Ea de cauſa janitori injunctum, ut neminem ex pauperibus Archiepiſcopi audientiam petentibus arceret, aut moleſtis torqueret induciis. Illud demum alte animo infixum habuit, quod & ſæpenumero repetebat, non tam, ſcilicet, eleemoſynam pauperibus erogandam, quam pro viribus agendum, ut pauperes ipſi ab ærumnis, quibus eſſent obnoxii, levarentur omnino. Quocirca multo majorem pecuniæ quantitatem indigentibus identidem concedebat, quam poſtulantes expectaſſent, nulla crumenæ, aut ærarii habita ratione; qua de cauſa Œconomus alimenta domeſticis ſubtrahenda in poſterum reclamaret, niſi ab eo prodigalitatis genere abſtinuiſſet. Et ſane penſatis humano conſilio rebus, tantæ liberalitati modus aliquis imponendus videbatur, neque enim Archiepiſcopales redditus diſtribuendis in pauperes tot pecuniis pares erant, quin alieno ære, ſupra quam ferre poſſent, gravarentur. Verum mira quadam æmulatione inter ſe certabant Thomæ liberalitas, ac Divina Providentia: illa quidem ingentem auri vim profundendo; hæc vero, unde inceſſanter profunderet, prodigiorum ope miniſtrando. Hinc multiplicata in ejus manibus pecunia; crumena apud miniſtros poſt ampliſſimas largitiones minime flacceſcens; horrea frumento inde penitus exhauſto, iterum, nullo immiſſo, redundantia; aliaque id genus naturæ ordinem excedentia; quæ tamen ipſe ſilentio tegere ſatagebat.

XVI. Inter hæc Thomas, ac ſi Eccleſiæ ſibi commiſſæ inutilis eo uſque Archiepiſcopalem ſedem occupaſſet, veritus divini judicii ſeveritatem, cui rationem eſſet proxime S. Thomæ Obitus.

xime redditurus, incredibili afficiebatur anxietate, atque animi amaritudine. Propterea eas ſaltem vitæ periodos, quas breves admodum ætatis ingraveſcentis incommoda minabantur, ſibi unice reſervatas cupiens, dignitate ſpoliari tentavit, ac monaſterii tranquillitati reſtitui. Quod tamen conſilium cum intercipi omnino videret; die Purificationi B. V. M. ſacra, ante Chriſti Domini in cruce pendentis ſtatuam domeſtico in ſacello aſſervatam, dolorem ſuum effuſis lacrymis, ac piis ad Jeſum querimoniis ſolito ardentius expreſſit. Dum his immoraretur, Crucifixi labia repente vidit reſerari, audivitque vocem hæc verba ſuaviter proferentem: *Æquo animo eſto: in die Nativitatis Matris meæ venies ad me.* Cujus quidem prodigii luculentiſſimum adhuc indicium exhibetur; Crucifixi enim, os antea clauſum, apertum nunc cernitur, dentibus ea perfectione elaboratis, quam fruſtra peritiſſimorum artificum manus imitari conetur. Fauſtiſſimo recreatus nuntio Thomas, in cœleſtis patriæ delicias, a quibus non procul abeſſe intellexerat, tanto mentis ardore exinde ferebatur; ut ob continuam ferme extaſim, cœli potius civibus, quam terræ incolis accenſendus videretur. Optatiſſima tandem acceſſere tempora remunerandis Sancti Viri laboribus Divino oraculo præfinita. Ergo vigeſima nona Auguſti anni 1555., cum pridie S. Parentis Auguſtini ſolemnia celebraſſet ſacris operatus, angina corripitur, nec multo poſt febri. Tunc quo appropinquanti jam morti lætior occurreret, excuſſa quam diligentiſſime conſcientia, totius anteactæ vitæ noxas, leviſſimas ſane, Pœnitentiæ Sacramento diluit. Secunda Septembris die in feriam ſecundam incidente, Sanctiſſimum Chriſti Corpus, unicum ad patriam tranſituris Viaticum afferri poſtulavit, quod ab Epiſcopo ſuffraganeo ſolemni ritu, iiſque pietatis ſignificationibus accepit, ut adſtantes in lacrymas ſolverentur. Tum vero ab eodem Epiſcopo monitus, nullam ex medicorum ſententia vitæ ſpem ſuperesſe, ſereno atque hilari vultu reſpondit: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi*, quem lætitiæ exceſſum mox cohibens, ſubdidit: *Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem: ſecus cupio diſſolvi, & eſſe tecum.* Interea urbem univerſam impleverat periculi fama, ac ſimul bonorum omnium corda incredibili mœrore cumulaverat. Hinc inſtitutæ ad celebriora templa ſupplicationes, innumeris civium agminibus refertæ; publicæ ubique ad Deum preces crebris ſingultibus interruptæ, ut amantiſſimum Paſtorem, ac pauperum patrem Valentinæ Eccleſiæ adhuc ſervaret incolumem. Dolorem nonnihil temperavit felix nuntium ſubſequente feria quinta promulgatum, medicos nimirum remiſſam morbi vim, non ſine aliqua valetudinis ſpe, teſtatam reliquiſſe. Sed nihil ea decreſcentis infirmitatis ſpecies S. Præſulis animum ab imminentis mortis cogitatione removit. Propterea extrema daturus beneficentiæ monimenta, juſſit quinque aureorum millia, quæ Œconomus, inſciente ad eam uſque horam Archiepiſcopo, in Cathedralis Eccleſiæ ſacrario forte cuſtodita ſervabat, pauperibus honeſtioris præſertim conditionis per ſingulas paroecias confeſtim erogari. Id cum plures ad hoc conſtituti per urbem diſcurrentes præſtitiſſent; nuntiatum eſt S. Præſuli, pecuniam quidem pauperibus, quorum notitia hauriri potuiſſet, pro cujuſque ſtatu abunde traditam, extare tamen ducentos ſupra mille aureos. His auditis: Videte, inquit, ne pecunia illa hac nocte domi hæreat, ite, effundite eam ſtatim in pauperes, aut iis forte non inventis, ad xenodochium deferte. Cur hic me detinetis adhuc? ſentio enim tamdiu producendam mihi vitam, quamdiu aliquid pauperibus donandum habeam. Itaque iterum, & diligentius conquiſiti a familiaribus pauperes, queis pecuniæ, quod erat reliquum, diſtribueretur. Ab his, ubi deſiderio ſatisfactum reſcivit, gratias egit, iiſdemque parem illatæ ſibi lætitiæ mercedem a Deo precatus eſt. Eodem ferme tempore, theſaurario referente, intellexit exactam reddituum portionem, domus vero ſuppellectilem necdum eſſe diſtractam. Utrique illico incommodo occurrendum cenſuit S. Præſul, imperans aurum inter famulos dividi, ſupellectilem omnem ad Collegium a ſe erectum adſportari. Quoſcumque interim ad ſe accedentes prout antea conſueverat, officioſe excipiebat, ac dignis tanto Viro ſententiis ad promovendam Dei gloriam hortabatur: nec defuere, qui morientis Præſulis monita, pluſquam perorantis verba, ſibi fuiſſe utilia faterentur. Porro quia concepta ſuperioribus diebus valetudinis ſpes, medicorum judicio evanuerat, Cathedralis Eccleſiæ Canonicis viſum eſt Archiepiſcopum precibus urgere, ne alio in loco præterquam in eorum Eccleſia ſepul-

crum

crum eligeret; ſed inter eos, quos filiorum loco hactenus habuiſſet, corpore ſaltem, quod equidem poſſet, poſt mortem degere dignaretur. Nequaquam petitioni annuit Thomas, amorem cæteroquin commendans, ſignificavitque omnino velle in monaſterio ſui Ordinis inter Fratres recondi. Quarta noctis hora recurrentis pervigilii Nativitatis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, poſtquam diu mentem in cœleſtium rerum meditatione defixam tenuit, Sacro inunctus eſt Oleo, prout ipſemet poſtulaverat, Pſalmos, aliaque ex Eccleſiaſtico ritu una cum adſtantibus recitans. Unctione expleta, iterum Canonicos de ſepulcri electione inſtantius agentes audivit; neque enim id ſibi negandum ſperabant, quo imminentem S. Præſulis jacturam ſolari magna ex parte potuiſſent. Verum is minime e ſententia motus, piam importunitatem perhumaniter excepit, eoſque obteſtatus eſt, ut tractatum hujuſmodi ſeponerent, nec voluntati ſuæ, quam ſatis exploratam haberent, vim ultra repetitis precibus inferrent. Monaſticæ profeſſionis in Archiepiſcopali dignitate ſe nunquam oblitum; propterea ab illa ne poſt mortem quidem recedendum judicare. Preces potius ad Deum converterent, ut ſe in cœleſtem patriam benigne admitteret; quod ſi obtinuiſſet, non minora erga Eccleſiam ſuam amoris teſtimonia, quam vivens exhibere conatus eſſet, ſe præſtiturum polliceri. His non ſine mœrore dimiſſis, oculos forte convertit ad pauperem hominem ſibi jamdiu notum, cui nihil in poſtremum amoris pignus dediſſe meminerat. Tunc lectulum ipſum, in quo animam agens jacebat eidem dono dedit, quandoquidem nulla jam aut pecunia, aut ſupellex, quam largiri poſſet, ſupererat: annuitque familiaribus ſe in ſtorea reclinari, ac lectulum pauperi inde adſportandum tradi. Obnitentibus illis, quod nonniſi cum apertiſſimo vitæ diſcrimine id aggredi liceret; pauperem enixe, humiliterque rogavit, ut lectulum, cujus dominium nactus erat, ſibi concederet, donec efflaret animam. Quod cum impetraſſet: Jam inquit nunc lætus ad agonem propero, nudus cum nudo, nihil habens unde tenear, contra malignos ſpiritus fortiter luctaturus. Die Naſcenti Deiparæ ſacra, aram in cubiculo erigi juſſit, ibique ſacroſancta Myſteria celebrari hora circiter tertiadecima. Interim S. Joannis Euangelium, in quo extrema Chriſti Domini ſupplicia enarrantur, audivit, lectorem interdum monens, ut ſubſiſteret, quo vividius ſententiarum meditatione mentem exerceret. Tum Sacerdotem ſacris operantem, pietate lacrymas exprimente proſecutus, Canticum *Nunc dimittis* recitavit; eadem autem momenta & Cantico, & Sacrificio, & S. Præſulis vitæ finem dedere. Ferale nuntium Campano ære vulgatum dolorem in urbe excitavit, cui ad vivum deſcribendo nec calamus, nec verba ſufficiunt. Protinus obſeſſæ palatii fores plorantium agminibus anxie demortui Præſulis vultum intueri cupientium, quo extremo ſolatii genere infortunii acerbitas aliquatenus levaretur. Dum funus ſolemni pompa duceretur, octo pauperum millia inter civium ſeſe invicem prementium turbas diſtributa miſerandum oculis, auribuſque ſpectaculum exhibebant. Tot quippe fuere ejulatus, tam inconditæ, Patris jacturam dolentium voces, ut urbem aut terræmotu quaſſatam, aut hoſtium ad cædem direptionemque omnia pertrahentium incurſione oppreſſam credidiſſes. Clerus, cui ſacras de more preces concinendi munus incumbit, amantiſſimo Paſtore deſtitutus, ſtupenti ſimilis hærebat, ſingultibus, lacrymiſque vocis miniſterium præpedientibus; nec præter fletus aliud quidquam ea in actione auditum eſt. Luctus denique apparuit, quo magis triſtem nulla antea, quantumvis dura calamitas e civium oculis potuit extorquere. Tantum boni in uno Archiepiſcopo ſe amiſiſſe univerſa civitas agnovit.

XVII. Hactenus S. Thomæ vitam brevi calamo delineavimus: nunc lubet exponere, quam ſibi Sanctus Præſul, dum inter vivos ageret, apud æquos rerum æſtimatores opinionem comparaverit, tametſi inanem humanæ gloriæ umbram nihili faceret, & ſtudioſiſſime evitaret. Sed eam eſſe gloriæ indolem, ut fugientem non ſecus ac umbra corpus, indiviſa ſequatur, ſatis compertum eſt. Sane dum adhuc in clauſtris degeret Thomas, tanti habitus fuit ab Hieronymo Seripando univerſi Ordinis Auguſtiniani Moderatore, qui poſtea ad Romanam purpuram evectus, Tridentinæ Synodo Pontificis nomine præfuit, ut epiſtolam ab eo acceperit iis refertam encomiis, quæ niſi a tanto Viro ad talem Subditum emanaſſent, nimia in Superiore videri potuiſſent. Etenim in hæc prorſus verba erumpere non dubitavit: *Sanctiſſimi* Communis S. Thoma opinio.

Spiritus munera diviſa ſunt, ea ut arbitror ratione, quia omnium mens una mortalis capax non eſt; propterea alteri datur ſermo ſapientiæ, alteri ſermo ſcientiæ; noſti tu cætera, ut recenſere non oporteat. Sed (bone Deus) quid audio! Divina omnia munera cumulatiſſime tibi conceſſa eſſe, ut idem ſis eloquentiſſimus Divini verbi interpres, & vitæ, ac Sanctimoniæ tanta integritate, ut ſummos illos primos noſtri Ordinis Patres non ſequi, ſed præire videaris. Cum vero Toleti Comitiorum Provincialium cauſa moram tunc traheret Seripandus, eadem epiſtola Thomam accerſivit, cum illius videndi, amplectendique expleturus deſiderium, tum ſublimiora eidem per univerſam Hiſpaniam munera collaturus. Id ubi ſubaudiit Sanctus Vir, paruit quidem ſuſcepto confeſtim Toletum verſus itinere, tardioribus tamen de induſtria uſus paſſibus, donec dies eadem, viam ſimul, & Comitia clauderet. Ita porro dignitatibus, quæ durante Comitiorum tempore diſtribuebantur, nullo negotio ſeſe ſubduxit. Serius, quam oportuiſſet, accedentem humaniſſime complexus eſt Seripandus, nec dolorem diſſimulavit, ea uſurpans verba: *Fili, quid feciſti nobis ſic? Fratres tui, & ego multum deſideravimus te.* Quamquam non ſine ſecretiori Divinæ Providentiæ conſilio inducias illas fuiſſe interjectas, haud multo poſt declaravit eventus. Cum enim Thomæ, triennio nec-dum expleto, Cæſar Valentinum Archiepiſcopatum obtulerit, ſi tunc ipſe dignitatibus ad Seripandi votum fuiſſet auctus, facile neminem auctoritate compellentem paſſus, in ſententia perſtitiſſet; proindeque Valentina non ſecus ac Granatenſis electio irrito conatu Sancti Viri humilitatem pulſaſſet. Atque ita honoribus ſibi paratis, dum obeſſe voluit, profuit vel invitus. Non minorem de Thomæ doctrina, ac ſanctitate opinionem conceperat univerſus Ordo. Propterea, dum in Comitiis Generalibus Conſtitutionum reformationi quinque ex gravioribus Patribus præficiendi deligerentur, licet abſens, locum inter eos obtinuit. Quam tamen Provinciam ad Archiepiſcopalem Cathedram aſcendens explere non potuit. Præter domeſticos, tot laudum ſuarum præcones expertus eſt, quot habuit auditores, dum Concionibus operam daret. Hinc nedum a plebeis, ſed a doctioribus quoque Theologis, Spiritus ſancti organum, Tuba vitæ, Cælorum vox, Vas electionis palam dicebatur. Eo uſque autem increbuit hominis exiſtimatio, ut quoties prodiret in publicum, quod raro admodum, nec niſi negotiorum cauſa contigit, effuſa in vias multitudo, tranſeuntem avidis oculis inſpectura concurreret. Sed nihil fortaſſe luculentius eximiam ejus famam indicat, quam graviſſimum Caroli V. judicium. Is enim Thomam dignum cenſuit, qui ſibi non tam a Concionibus, quam a conſiliis eſſet. Equidem aulicorum, aliorumque, quibus publicæ rei inerat cura, conſtans fuit ſententia, Cæſarem difficilioribus in negotiis, quæ in magna illa Regnorum mole haud infrequenter occurrebant, Sancti Viri mentem ſecretiori via exploraſſe, ac juxta habita inde conſilia, executionem imperare conſueviſſe. Jam vero publicum quoque, illudque egregium Cæſar teſtimonium dedit, quo quiſque plene deprehenderet, quantum auctoritatis apud ipſum ſibi Thomas vendicaſſet. Nobiliſſimi aliquot juvenes Cæſaris iram atroci crimine inflammaverant; jamque Princeps, cæteroquin ad clementiam pronus, reos diligenter conquiſitos extremo ſupplicio juſſerat afficiendos. Terribilem, etſi juſtam ſeveritatem precibus emollire conati ſunt aulæ proceres, & quotquot gratia apud Carolum valebant; quin immo interpoſita Philippi Hiſpaniarum Principis officia, quibus nulla ſane apud judicem validiora merito credebantur. His tamen omnibus immotus Cæſar, delinquentes ad pœnam omnino expoſcebat. Cum res ad extremum deducta, humano quolibet auxilio carere videretur, animum non deſpondit Cardinalis Joannes Tavera Archiepiſcopus Toletanus; ſed Thomam tunc Valliſoletani monaſterii Priorem rogavit inſtanter, ut Cæſarem adiret, vitam miſeris adoleſcentibus præſentiſſimo in diſcrimine imploraturus. Ægre eam in ſe curam ſuſcipiebat Thomas, ratus nec ſibi conceſſum iri, quod tantis antea interceſſoribus, ipſiquemet filio, negatum fuiſſet. Verum charitas, cui renuens deeſſe verebatur, ad dubiæ admodum ſpei opus ancipitem inclinavit. Ergo Imperatorem conveniens, his plane verbis pro damnatorum capite peroravit. Juvenum delinquentium error levitati potius, quam improbitati tribuendus eſt, Cæſar, cui propterea non mors, ſed vita medeatur. Veniam pro his mecum poſtulat aula univerſa, atque ego ſane vitam reis conceſſam, uti mihi redditam accepturus ſum. Non eſſe Deo gratiſſimum nequit id be-

neficii

neficii genus, ex quo pacis bonum proculdubio orietur. Satis hæc flectendo Cæsaris animo fuere: mox enim sententiam rescindi mandavit, incredibili Magnatum lætitia, vehementer mirantium monachum unum paucis a Cæsare verbis obtinuisse, quod simul omnes multiplicatis precibus haudquaquam extorquere potuissent. Non minorem intulit aulicis stuporem summa Caroli humanitas erga Thomam ad se tunc accedentem. Nam præterquamquod hilari vultu, veluti amicum diu exoptatum excepit, caput insuper aperuit, licet eam honoris significationem nonnisi Cardinalibus Imperatoria Majestas exhibere soleret. Tum discedente Thoma ad Proceres conversus Cæsar: Hujus, inquit, hominis verba non tam preces mihi sunt, quam præcepta; sincerus omnino est Dei servus, & licet inter mortales sit, Cœlitum dignus est honoribus. Nec leviter ad hæc movebatur Princeps; nam Sancti Viri concionantis vultum cœlesti lumine coruscantem se etiam vidisse testatum reliquit. Quid plura? Celeberrimi illius ætatis Theologi, inter quos Dominicus Soto, Melchior Canus, Alphonsus de Castro, Thomæ doctrinam, atque sententias in cathedris, atque suggestibus tamquam alterius e Sanctis Patribus dicta allegare non dubitarunt. Hispaniarum Episcopi, antequam ad Concilium Tridentinum progrederentur, Sanctum Archiepiscopum adiere, ejus documenta audituri, quandoquidem ipse infirmitate, ac senio præpeditus Concilio interesse non poterat. Immo eousque de Thomæ sanctitate apud Prælatos illos excrevit opinio, ut cum medio in itinere oborta tempestas naufragium imminens portenderet, licet viventem, Cœlitum more invocaverint, eumque Pontificali habitu indutum, fluctibus, ac mari imperantem vidisse testati sint; subsecuta illico tranquillitate, rei fidem indubiam adstruente.

XVIII. Illustribus miraculis in immensum aucta est post mortem S. Præsulis fama; nam nullum pene infirmitatis genus fuit, quod ejus invocato nomine a vexatis corporibus non recesserit. Ad hæc mortui tres ad vitam revocati enarrantur. His porro permotus Paulus V., instante etiam Philippo tertio Hispaniarum Rege, Thomam Beati donavit titulo, anno sexagesimo tertio post ejusdem obitum: tum vero Alexander VII. Sanctorum solemniter fastis adscripsit anno post Christum natum sexcentesimo quinquagesimo octavo supra millesimum. Scriptores, qui Thomæ summa cum laude mentionem agunt, ejusque auctoritate sacris in rebus præsertim concionatoriis utuntur, innumeri sunt: plures qui ipsius Vitam variis linguis, variaque methodo edidere. Inter omnes tamen rem acu tetigisse videtur Michael Salonius Ord. Augustiniani, quippe qui S. Præsulis historiam aurea plane simplicitate, ac religiosa unctione Hispanice conscripsit, ut vix temperes a lacrymis, si eo ad legendum aggrediaris animo, quo Sanctorum hominum gesta perlegenda sunt. Sane hujus Scriptoris librum tanti fecit Ven. Card. Bellarminus, ut postquam ejus exemplar præ manibus habuit, incredibili aviditate ac pietatis affectu illud devoraverit; sæpe conquestus, sero nimis delatum sibi fuisse. Extat Salonii liber Italice redditus, atque in Romana Editione anni 1727. nonnullis additionibus locupletatus.

S. Præsulis fama post mortem.

SERIES CONCIONUM SANCTI THOMÆ A VILLANOVA.

CONciones S. Thomæ in hac noſtra Editione ad numerum CCVI. aſcendunt: in tres autem dividuntur claſſes non ſecus ac in Editione Bruxellenſi. Prima claſſis complectitur Conciones ſpectantes ad omnes Dominicas totius anni una cum Feriis Quadrageſimalibus. Secunda exhibet Conciones in Feſtis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Tertia Conciones ad Feſta Sanctorum pertinentes comprehendit. Quæ aſteriſco ſignantur, primo vulgatæ fuerunt Bruxellis a P. Antonino de Witte, & in aliis omnibus Editionibus deſiderantur. Quæ vero ſigno §. notantur, prætermiſſæ ſunt in Bruxellenſi Editione; extant vero in aliis omnibus. Prima claſſis in Editione Bruxellenſi tomos primum & ſecundum occupat; in noſtra primum. Secunda & tertia claſſis in Editione Bruxellenſi tomos complent tertium & quartum; in noſtra ſecundum.

TOMUS PRIMUS

CLASSIS PRIMA CONCIONUM,

ID EST

IN DOMINICAS TOTIUS ANNI, ET FERIAS QUADRAGESIMALES.

1. IN Dominicam I. Adventus Concio I. *De Judicio finali*. Col. 1
2. In eandem Concio II. *De Judicio extremo*. 13
* 3. In eandem Concio III. *De Judicio extremo*. 24
* 4. In eandem Concio IV. *De Judicio extremo*. 29
5. In eandem Concio V. *De Adventu Domini in Carne*. 38
6. In Dominicam II. Adventus Concio I. *De congruentia Adventus Domini*. 49
* 7. In eandem Concio II. *De fructibus Adventus Domini*. 61
8. In eandem Concio III. *De poſſibilitate Adventus Domini, & legatione Præcurſoris*. 67
* 9. In eandem Concio IV. *De circumſtantiis Adventus Domini*. 79
10. In Dominicam III. Adventus Concio I. *De cognitione ſui ipſius*. 87
* 11. In eandem Concio II. *De Perſona Præcurſoris, & manifeſtatione Chriſti*. 98
* 12. In eandem Concio III. *De Euangelio Dominicæ, & S. Iſidoro*. 106
13. In Dominicam IV. Adventus Concio I. *De quadruplici voce, qua Deus clamat ad Peccatorem*. 114
* 14. In eandem Concio II. *De poſſibilitate præparationis viæ Domini, & quomodo*. 119
* 15. In eandem Concio III. *De Verbo, & via Domini, eaque plananda*. 125

* 16. In eandem Concio IV. *De Adventu ſpiritali Domini.* 128
* 17. In eandem Concio V. *De efficacia Confeſſionis Sacramentalis.* 134
* 18. In eandem Concio VI. *Qualis debeat eſſe Confeſſio, ut ſanctificet.* 139
* 19. In Dominicam infra Octavam Nativ. Domini. *De exinanitione Verbi per Incarnationem, & Euangelio.* 151
* 20. In Dominicam infra Octavam Epiphaniæ. *De Euangelio.* 155
* 21. In Dominicam II. poſt Epiphaniam. *De Connubio ſpiritali Animæ, & Poſtilla Euang.* 159
* 22. In Dominicam III. poſt Epiphaniam. *De juſtificatione hominis per fidem Chriſti.* 169
* 23. In Dominicam IV. poſt Epiphaniam. *Cor peccatoris mare tempeſtuosũ.* 175
* 24. In Dominicam V. poſt Epiphaniam. *De incrementis, ac damnis peccati, & modis, quibus Deus peccatorem liberat de abyſſo peccati.* 179
* 25. In Dominicam Septuageſimæ Concio I. *De Vinea ſpirituali Domini; ad Moniales.* 185
26. In eandem Concio II. *De mercede Operariorum, eaque promerenda; ad Reginam Hiſpaniarum.* 193
* 27. In eandem Concio III. *De peccati, & boni operis mercede ex juſtitia fundata in Dei miſericordia.* 199
28. In Dominicam Sexageſimæ. *De efficacia Verbi Dei; & Poſtilla Euang.* 205
29. In Dominicam Quinquageſimæ. *De Cœleſti Gloria.* 215
* 30. In Feriam IV. Cinerum. *De Clangore tubæ & buccinæ, & de morte.* 221
31. In Feriam VI. poſt diem Cinerum. *De dilectione inimicorum.* 229
32. In Dominicam I. Quadrag. Concio I. *Monomachia inter Chriſtum, & Diabolum.* 239
* 33. In eandem Concio II. *De Chriſti Domini victorioſo certamine.* 248
* 34. In eandem Concio III. *De tribus præcipue juſti certaminis conditionibus.* 252
* 35. In eandem Concio IV. *De Diaboli multiplici tentatione, ejus utilitatibus, ac vincendi modis.* 257
* 36. In eandem Concio V. *Quinque documenta, Duce Chriſto in tentationibus, militi Chriſtiano imitanda.* 265
37. In eandem Concio VI. *De tentatione noſtra.* 270
38. In Feriam IV. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ. *De Virtute Pœnitentiæ; & Poſtilla Euang.* 281
39. In Feriam V. poſt Dom. I. *De Eccleſia militante, ſupplicante.* 295
40. In eandem Concio II. *De imitatione Sanctorum.* 302
41. In Feriam VI. poſt Dom. I. *De ſpiritali curatione, ſeu juſtificatione Peccatoris.* 311
* 42. In eandem Concio II. *De Contritione.* 318
43. In Dominicam II. Quadrag. Concio I. *De Transfiguratione Domini.* 321
* 44. In eandem Concio II. *De Chriſti Transfiguratione.* 333
* 45. In Feriam IV. poſt Dom. II. *De triplici Hierarchia Domini.* 543
* 46. In Feriam V. poſt Dom. II. *De Divite avaro, & Paupere Lazaro.* 353
47. In Feriam VI. poſt Dom. II. *De Vinea, Eccleſia Dei; & Poſtilla.* 357
48. In Dominicam III. Quadrag. Concio I. *De Confeſſione: Cur illa neceſſaria ſit ad remiſſionem peccatorum. Cui quæſtioni reſpondetur.* 365
49. In eandem Concio II. *De fructibus Confeſſionis frequentatæ.* 375
* 50. In eandem Concio III. *De recidivo peccati.* 382
* 51. In eandem Concio IV. *Poſtilla Euangelii.* 389
* 52. In Feriam III. poſt Dom. III. *De ſecreta, & blanda Proximi correptione.* 395
53. In Feriam VI. poſt Dom. III. *De duplici conſolatione Animæ, terrena, & ſpirituali. Et de dono lacrymarum.* 405
* 54. In Dom. IV. Quadrag. *De miſericordia Dei, & Poſtilla Euangelii.* 415
* 55. In Feriam II. poſt Dom. IV. *De Avaritia.* 421
56. In Feriam VI. poſt Dom. IV. *De ſpiritali Peccatoris reſuſcitatione.* 431
57. In Dom. Paſſionis Concio I. *De Contritione.* 447
* 58. In eandem Concio II. *De Euangelio, ac Themate.* 455
* 59. In eandem Concio III. *De Veritate.* 467

60. In

60. In Feriam VI. post Dom. Passionis. *De Concilio; ad Principem Hispaniarum Philippum.* 471
* 61. In Dom. Palmar. *Passio Domini nostri Jesu Christi.* 477
* 62. In Feriam V. Majoris Hebdom. *De Mandato.* 483
* 63 In Dom. Resurrectionis Concio I. *De Resurrectione Domini.* 487
* 64. In eandem Dom. Concio II. *De Resurrectione Domini.* 499
* 65. In eandem Concio III. *De Historia Resurrectionis, in septem stationes divisa.* 503
* 66. In eandem Concio IV. *De Resurrectione Domini.* 512
67. In eandem Concio V. *De Resurrectione Domini.* 525
68. In eandem Concio VI. *De Resurrectione Domini.* 535
69. In Feriam II. Pasch. *Item, de Resurrectione Domini.* 539
70. In Feriam III. Pasch. Concio bipartita. Pars prima. *De Pace.* 545
71. In Feriam III. Pasch. Pars altera. *Item, de Pace.* 550
72. In Domin. in Albis. *De duabus Christi apparitionibus; & de probis Resurrectionis Domini, ac nostræ.* 555
* 73. In Dom. II. post Pasch. *De bono Pastore, sive in Capitulo, in electione novi Pastoris.* 565
* 74. In Dom. III. post Pasch. *Super illud Euangelii: Modicum, &c.* 575
75. In Dom. IV. post Pasch. Concio I. *De Euangelio.* 583
* 76. In eandem Concio II. *De Euangelio; & Postilla.* 595
* 77. In Dom. V. post Pasch. *De Oratione.* 607
78. In Rogationibus. *Pro expeditione adversus Turcas suscepta.* 615
* 79. In Processione. *Pro Epidemia, pro tribulationibus, ad invocationem alicujus Sancti.* 625
* 80. In Dom. infra Oct. Ascens. *De Spiritu Sancto post Ascensionem Domini mittendo.* 631
81. In Dom. Pentecostes Concio I. *De Spiritus Sancti missione.* 637
* 82. In eandem Concio II. *De missione Spiritus Sancti, & de effectibus missionis.* 650
83. In eandem Concio III. *De Spiritu Sancto.* 661
* 84. In eandem Concio IV. *De modo, de tempore, de rationibus, de effectibus adventus Spiritus Sancti.* 672
85. In Dom. SS. Trinitatis Concio I. *De SS. Trinitatis Mysterio; ad Philippum Hispaniarum Principem.* 681
86. In eandem Concio II. *De SS. Trinitatis Testimoniis; ad Philippum Hisp. Princ.* 690
* 87. In eandem Concio III. *De SS. Trinitatis Testimoniis, & Fidei Catholicæ.* 704
* 88. In Dom. infra Oct. Corp. Christi. *De Institutione SS. Sacramenti.* 711
* 89. In Dom. III. post Pent. *De Angelis, & eorum erga nos propensione.* 721
* 90. In Dom. IV. post Pent. *De Piscatoribus, & arte piscandi.* 735
* 91. In Dom. V. post Pent. *De justitia Pharisæorum.* 741
* 92. In Dom. VI. post Pent. *De Misericordia Dei, & Euangelio.* 745
* 93. In Dom. VII. post Pent. *De arbore, & fructibus, ex Euangelio.* 753
* 94. In Dom. VIII. post Pent. *De reddenda ratione Domino.* 761
* 95. In Dom. IX. post Pent. *De Hæreticis ejiciendis de Ecclesia.* 769
* 96. In Dom. X. post Pent. *De vitio Superbiæ.* 775
* 97. In Dom. XI. post Pent. *De Euangelio.* 779
* 98. In Dom. XII. post Pent. *De Amore Dei juxta Euangelium.* 783
* 99. In Dom. XIII. post Pent. *De Cæco, & Leprosis.* 795
*100. In Dom. XIV. post Pent. *De comparandis spiritualibus, & contemnendis temporalibus divitiis.* 801
*101. In Dom. XV. post Pent. *De Euangelio.* 807
*102. In Dom. XVI. post Pent. *De rationibus, & damnis Superbiæ.* 815
103. In Dom. XVII. post Pent. Concio I. *De mandato Amoris.* 821
104. In eandem Concio II. *Quare Dominus Deus diligendus.* 829
105. In eandem Concio III. *De eodem Themate.* 839
*106 In Dom. XVIII. post Pent. *De Euangelio.* 851
*107 In Dom. XIX. post Pent. Concio I. *De Matrimonio Christi cum Ecclesia, & qualibet Anima.* 857

108. In eandem Concio II. *De Desponsatione Christi cum anima: ad Imperatorem Carolum Quintum.* 866
*109. In Dom. XX. post Pent. *De utilitate ægritudinis, ejusque curatione.* 877
*110. In Dom. XXI. post Pent. *De fructibus Orationis, & quomodo orandum.* 884
*111. In Dom. XXII. post Pent. *Quomodo homo sit imago Dei.* 888
*112. In Dom. XXIII. post Pent. *De quadruplici mortuorum Resuscitatione.* 896
*113. in Dom. XXIV. post Pent. *De Judicio, Morte, & Peccato.* 903

TOMUS SECUNDUS

CLASSIS SECUNDA

COMPLECTENS CONCIONES IN FESTIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, AC BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

*114. IN Conceptione B. V. M. *De illius Immaculata Conceptione.* Col. 1
115. In Expectatione Partus B. V. M. *De partu virginali, & spirituali.* 15
116. In Festo Natalis Domini Concio I. *De Christi Nativitate juxta Euangelium.* 27
117. In eodem Festo Concio II. *De Verbis Thematis: Egredimini &c.* 39
118. In eodem Concio III. *De admirabili ejusdem Nativitate.* 47
119. In eodem Concio IV. *De Divina, & humana generatione Verbi.* 55
*120. In eodem Concio V. *De ineffabili benignitate Dei: per Christi Nativitatem.* 72
*121. In eodem Concio VI. *De Verbo æterno, ejusque præcellentiis.* 82
*122. In eodem Concio VII. *De Potentia, & Justitia Divina, & de Triumpho Divini Amoris: de Verbo Incarnato.* 88
123. In eodem, & in Festo S. Stephani. *Quod solis hominibus natus sit Christus; & de S. Stephano.* 95
*124. In Festo Circumcisionis. *De gloriosissimo Nomine Jesu.* 103
*125. In Epiphania Domini. *Concio prima historialis.* 113
*126. In eodem Festo Concio II. *De historia Euangelii, & oblatione nostra.* 124
*127. In eodem Concio III. *De Desponsatione Christi cum Ecclesia, de Historia Euangelii, ac de muneribus offerendis.* 131
*128. In Octava Epiph. *De Desponsatione Christi cum Ecclesia, & Baptismate.* 141
129. In Festo Purificationis B. V. M. Concio I. *De Purificatione Matris, & Redemptione Pueri.* 151
*130. In eodem Festo Concio II. *De Euangelio.* 163
131. In Festo Annuntiationis B. V. M. Concio I. *Ad Virgines Religiosas. De imitatione Beatæ Mariæ Virginis.* 177
132. In eodem Festo Concio II. *De Archangeli cum SS. Virgine Colloquio, & quomodo, ac quando Christus regnavit in domo Jacob.* 187
*133. In eodem Concio III. *De excellentia laudum B. V. in Annuntiatione.* 197
*134. In eodem Concio IV. *Maria Virgo in Annuntiatione facta Thronus Dei, adornata Creaturarum omnium gratiis.* 203
*135. In eodem Concio V. *Maria hortus conclusus, Sponsa, & Soror, & fons signatus.* 211
136. In Ascensione Domini Concio I. *De gloriosa Christi Ascensione, & tremendo ejusdem reditu.* 225
137. In eodem Festo Concio II. *De mystici Corporis Ascensione, in Capite Christo.* 235

138. In eodem Concio III. *Aſcenſio Chriſti, glorificatio, & utilitas noſtra.* 241
*139. In eodem Concio IV. *De Chriſti Aſcenſu & Deſcenſu, & de Hiſtoria Euangelii.* 245
140. In Feſto Corporis Chriſti Concio I. *De proprietatibus Manna, & venerabilis Euchariſtiæ.* 255
141. In eodem Concio II. *De exiſtentia Corporis Chriſti in Sacramento.* 263
142. In eodem Concio III. *De debita præparatione ad ſumendam ſacram Euchariſtiam.* 271
143. In Feſto Viſitationis B. V. M. *De exultatione parvulorum in Viſitatione ejuſdem SS. Virginis, cum explicatione Cantici Nunc dimittis, &c. & exhortatione ad Virgines ſacras.* 281
144. In Feſto Aſſumptionis B. V. M. Concio I. *Concordia Euangelii cum Vita B. V. Mariæ.* 295
145. In eodem Feſto Concio II. *De duplici Aſcenſione noſtra, & SS. Virginis.* 303
146. In eodem Concio III. *Homo de terra terrenus, Maria tota cœleſtis; & de illius glorioſa Aſſumptione.* 315
147. In eodem Concio IV. *Expoſitio Moralis Euangelii: & de Aſſumptione B. Virginis.* 323
148. Ejuſdem poſterior pars. *De Aſſumptione B. Virginis.* 331
*149. In eodem Feſto Concio V. Pars prima. *De dignitate Animæ, & glorioſiſſima SS. Virginis Aſſumptione.* 339
*150. Ejuſdem. Pars altera. 348
*151. In eodem Feſto Concio VI. *Qualiter ad propoſitum hujus ſolemnitatis ſit Euangelium, & de Themate.* 355
*152. In eodem Concio VII. *De Aſſumptione SS. Virginis in deliciis, ex hoc miſero deſerto.* 367
153. In Feſto Nativitatis B. V. M. Concio I. *De quinque libris, Vitæ, Naturæ, Scripturæ, Exempli, & Conſcientiæ.* 375
154. In eodem Feſto Concio II. *Ad Moniales Virgines. De Genealogia Chriſti.* 384
155. In eodem Concio III. *Maria a Deo electa, ut ſit Mater Dei, & Advocata Mundi.* 396
*156. In Feſto Præſentationis B. V. 405
*157. De Domina noſtra. 415

CLASSIS TERTIA

EXHIBENS CONCIONES DE SANCTIS.

*158. IN Feſto omnium Sanctorum Concio I. *Quinam ſint, qui aſcenderunt, & de modo aſcendendi in montem.* 423
*159. In eodem Feſto Concio II. *De via ad Cœlum, & de falſa, ac vera paupertate.* 431
*160. In eodem Concio III. *De altiſſima mercede Sanctorum, & de ſcala, qua ad eam aſcenditur.* 436
*161. In eodem Concio IV. *De Gloria Beatorum; & labore, quo ad eam pervenerunt.* 447
*162. In eodem Concio V. *De magnitudine mercedis, & de loco illius.* 452
163. In eodem Concio VI. *De decem gratiis, ſive modis, quibus Dominus Deus Sanctos, & Electos ſuos dirigit in viam ſalutis.* 458
164. In Commemoratione Fidelium Defunctorum. 467
165. Concio funebris. *De fallacia, & brevitate vitæ humanæ.* 475
166. De S. Martino Pontifice, & Confeſſore Concio I. *De humilitate.* 483
167. De eodem Sancto Concio II. *De Eleemoſyna.* 495
*168. De eodem Concio III. *De multiplicibus illius talentis.* 509
169. De S. Romano; & de Sanctorum Martyrum cruciatibus. 513
*170. In Feſto S. Catharinæ Concio I. *De divitiis ſpiritualibus, earum congregatione, & quomodo in illis congregandis Catharina vicerit omnes.* 521

*171. In eodem Concio II. *Dispositio alia Concionis antecedentis; & Postilla.* 530

*172. In Festo S. Andreæ Apost. *Sanctus Andreas imitandus in tribus.* 537

173. De S. Nicolao Pontif., & Confess. Concio I. *De spirituali ædificatione.* 545

174. De eodem S. Nicolao Concio II. *De definitione Viri Sancti.* 552

*175. In Festo S. Thomæ Apost. *Quibus armis duodecim Apostoli mundum vicerint; & quomodo columnæ facti sint in templo Dei.* 561

*176. In Festo S. Stephani Protomart. *De Martyrum certamine, ad imitationem Passionis Christi, & de duplici pugna, interiori & exteriori.* 573

177. De Sancto Joanne Apost. Concio I. *De Amore Dei erga suos.* 577

*178. De eodem Concio II. 589

*179. In Cathedra S. Petri Concio I. *De authoritate, & veritate Ecclesiæ in definiendo; de Ecclesiæ fundatione, stabilitate, & pulchritudine; & de mystica Ecclesiæ descriptione.* 591

*180. In eodem Festo Concio II. *De qualitatibus in Supremo Ecclesiæ Rectore requisitis.* 600

*181. In eodem Concio III. *De quatuor Ecclesiæ Persecutoribus.* 604

182. De Sancto Ildephonso Concio I. *De Fide, ac sanctis hujus actis.* 609

183. De eodem Concio II. *De Euangelio Sint Lumbi vestri &c.* 622

184. In Festo S. Dorotheæ V. M. Concio I. *De Euangelio Prudentes Virgines &c.* 633

185. In eodem Festo Concio II. *De vita spirituali.* 643

*186. In Festo S. Mathiæ Apost. *De existentia bonorum, & malorum in Ecclesia Dei.* 651

*187. In Festo S. Crucis Concio bipartita. *De Botro Christo, in Vite Crucis.* 657

*188. Pars altera. *De spirituali Vinea, ex Canticis Canticorum.* 667

189. In Festo SS. Quirici, & Julittæ Martyrum. *De utilitate tribulationum.* 677

§. 190. In Festo S. Michaelis Archangeli Concio I. *De Angelis, & eorum perfectionibus.* 685

§. 191. In eodem Concio II. *Expositio Euangelii; & de amore, quo Angeli homines prosequuntur.* 697

§. 192. In Festo S. Joannis Baptistæ Concio I. *De ejusdem munere, & dignitate.* 709

§. 193. In eodem Concio II. *De ejusdem imitatione.* 720

§. 194. In eodem Concio III. *In laudem ejusdem Sancti.* 730

§. 195. In Festo S. Jacobi Apostoli. *De Euangelio: & ad Equites Commendatarios.* 739

§. 196. In Festo unius Martyris Concio I. *De Cruce ferenda.* 745

§. 197. In Festo unius Mart. Concio II. *De Crucis suavitate.* 753

§. 198. In Festo SS. Cosmæ, & Damiani Concio I. *De Militia Christiana, & triumpho Martyrum.* 759

§. 199. In eodem Concio II. *De tribulationibus.* 769

§. 200. In Festo S. P. Augustini Concio I. *In laudem ejusdem.* 779

§. 201. In eodem Concio II. *De dono Cordis, & laudibus ejusdem Sancti.* 794

§. 202. In eodem Concio III. *De Sacerdotio mystico, & spirituali.* 804

§. 203. In Festo S. Ægidii Abb. Concio I. *Quomodo Deus honorat suos, & nos eos honorare debemus.* 813

§. 204. In eodem Concio II. *Expositio Psalmi centesimi undecimi.* 825

§. 205. In Festo S. Mariæ Magdalenæ. *De amore Dei.* 835

§. 206. In Festo Dedicationis Ecclesiæ. *De Templo spirituali.* 857

ACCEDUNT

COMMENTARIA

In Cantica Canticorum. 863

In Apocalypsim. 895

In Cap. 28. Job. 905

IN DO-

In Cantica Canticorum.

In Apocalypsin.

COMMENTARIA

IN DO-

ACCEDUNT

De Templo Hierosolymitano.

In Aggæum Prophetam.

In Zachariam Prophetam.

In Malachiam Prophetam.

De Esdra Scriba, & Nehemia Tirshatha.

In Esther.

In Job.

In Psalmos.

In Proverbia Salomonis.

In Ecclesiasten.

In Canticum Canticorum.

In Isaiam Prophetam.

In Jeremiam Prophetam.

In Threnos.

In Ezechielem Prophetam.

In Daniele Prophetam.

In Osee Prophetam.

In Joel Prophetam.

In Amos Prophetam.

In Abdiam Prophetam.

In Jonam Prophetam.

In Michæam Prophetam.

In Nahum Prophetam.

In Habacuc Prophetam.

In Sophoniam Prophetam.

In Aggæum Prophetam.

In Zachariam Prophetam.

In Malachiam Prophetam.

De Esdra Scriba, & Nehemia Tirshatha.

In Esther.

In Job.

In Psalmos.

In Proverbia Salomonis.

In Ecclesiasten.

In Canticum Canticorum.

In Isaiam Prophetam.

In Jeremiam Prophetam.

In Threnos.

In Ezechielem Prophetam.

In Daniele Prophetam.

In Osee Prophetam.

In Joel Prophetam.

In Amos Prophetam.

In Abdiam Prophetam.

In Jonam Prophetam.

In Michæam Prophetam.

In Nahum Prophetam.

In Habacuc Prophetam.

In Sophoniam Prophetam.



FALTAN DOCUMENTOS
(paginas, cuadernillos...)
ISO 9878/1990

VIII. Ipsa igitur vitæ præsentis perspicua inordinatio futuræ animadversionis in malos apertum, & evidens argumentum est. Quo (a) fit, ut nonnulli gentilium (a), quasi ipsa veritate coacti, iniquis hominibus etiam post vitam destinent pœnas; nimis enim rationi obviare videtur, tantaque facinora manere inulta, humanarumque rerum nemini curam esse; propter quod Propheta lætabundus populis denunciat, dicens: *Lætentur & exul-* Psal.66. *tent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.* Gaudeant, inquam, & lætentur populi, quia est justitia, est veritas, est judicium: Est, qui actus Joan. 8. hominum quærat, & judicet, est, qui puniat, & vindicet, est etiam, qui sanctorum laborum præmia reddat. O quantum gaudium! O qualis gentium consolatio! O quam vera & justa lætitia! Ipsos denique peccatores, licet reos, & timidos ab isto gaudio non judico secludendos. Quis enim non gaudeat de justitia? Bonum universi proprio incommodo, si æquitas viget, præferendum est. Timeant igitur & trepident gentes, sed Psal.66. *Lætentur* nihilominus, *& exultent, quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis*, non cogis. Sed qui negligit directorem, experietur Judicem; unde, & alibi Ps. 139. idem Propheta inquit: *Cognovi, quoniam faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum*. Quasi dicat: non solum fide hoc credidi, sed naturali etiam ratione cognovi, quod Deus bonorum malorumque sit retributor: quia ita videlicet summam Dei sapientiam, bonitatem, justitiamque decet, & rerum ordo deposcit, ut præcedentibus rationibus demonstratum est. O vere necessariam gehennæ pœnam! Vere decoram inferni pyram! Quæ Creatoris sui injurias vindicat; & inordinata per culpam reordinat per pœnam. O vere pulchram creaturam mundoque utiliſſimam post reatum! Quæ si post culpam deesset, defectuosus, & imperfectus mundus maneret. Ita namque necessaria est ad universi complementum, & ordinem, retributio peccatorum, sicut remuneratio meritorum.

IX. Sed forte dices: Ad hoc, judicium particulare sufficit, quod in morte cujuslibet fit; quid opus est post hoc judicium alterum (b) generale? Deus enim non vindicabit (b) bis Nahum 1. in idipsum. Sed audi, obsecro, & paucis tibi ostendam hoc ita expedire, rationique & justitiæ ita consentaneum esse. Virtus enim non solum meretur præmium, sed & honorem; imo honor proprium virtuti præmium est, & illi maxime debitum. Similiter peccatum, non solum meretur pœnam, sed etiam confusionem, & verecundiam. Unde justissime præcipiunt leges Imperatorum, ut delicta reorum publice puniantur: ut videlicet pœnam inflictam adstantium verecundia, & confusio comitetur. Quod si quis judex secreto in carcere latronem pro furto flagellaverit, non plenam peregit de furto justitiam; quia præcipuam quandam partem vitio debitam, scilicet confusionem latroni remisit, quæ non potest per quamcumque aliam pœnam corporalem suppleri, quoniam alterius generis est. Unde, usque adeo confusio, & verecundia humana pœna est, ut hæc præcipua sit hominis pœna, quatenus homo est; nam & jumenta flagellari, cruciari, occidi possunt, sed non verecundari. Quo fit, ut ingenuus quisque malit aliquando secreto torqueri, quam publice confundi, & libenter quamlibet pœnam secreto portare, ut publici pudoris confusionem evadat. Tunc igitur homo, maxime ut homo, punitur, quando pro delictis suis publice confunditur.

X. Oportet igitur ad perfectam, & integram justorum remunerationem, & malorum retributionem, ut felicitatem justorum honor, & gloria, & miseriam iniquorum confusio, & pudor comitetur. Si enim in secreto fieret retributio, non modica retributionis pars deesset utrisque. Unde quia Deus bonorum malorumque in summo justissimus est retributor, justis post gloriam sempiternam, summum, possibilem, & illis debitum honorem non denegabit: malis quoque ingratis, & legis suæ prævaricatoribus, post gehennam, summam quoque confusionem præstabit. Itaque, ut justo nihil desit ad plenum virtutis honorem, neque iniquo ad plenam delictorum suorum confusionem, omnem intellectualem rationalemque creaturam simul in illo judicio congregabit, ut ab omnibus creaturis rationis, & intellectus capacibus justus honoretur, & coram omnibus confundatur iniquus: propter quod non relinquetur in cœlo angelus, neque dæmon in inferno, neque quisquam hominum, ex quo Adam conditus est, sive in cœlo sit, sive in inferno, sive in limbo, qui non adstet in hoc judicio, & bonorum malorumque causam apertissime cognoscat. Si enim quisquam illorum illi judicio deesset, jam non plenus honor, neque confusio videretur, portio enim illa, vel honoris, vel confusionis deesset, quæ ex illius præsentia proveniret. Unde honorabitur justus apud omnes, apud quos honorabilis est, & confundetur iniquus coram omnibus, coram quibus confundi potest, ut integra, & perfecta Dei

(a) Varia Ethnicorum dogmata, quæ in hoc conspirant, ut hominum animæ pœnis, vel præmiis post mortem afficiantur, erudite admodum collegit Vir clarissimus Daniel Huetius Alnetan. Quæst. lib. 2. cap. 24.

(b) Ita Nahum 1. v. 9. legunt Septuaginta, Vulgata vero vertit: *Non consurget duplex tribulatio.* Priori utitur versione hoc loco S. Orator, quod objectioni propius inserviat. Eandem pro non absimili argumento afferunt S. Hieronymus in Nahum. S. Thomas Aquinas p. 3. q. 59. art. 5. Zacharias Episc. Chrysopolitan. lib. 3. cap. 99. Abs re Bruxellensis editio sententiam refert ad Jobi cap. 33. v. 14. *Semel loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit.*

juſtitia inveniatur. Quapropter etiam omnia ſecreta cordium, omnes cogitationes, affectioneſque, & deſideria nudabuntur; omnia opera, ſive bona, ſive mala publicabuntur, & ita quiſque adſtantium conſcius erit alienarum cogitationum, affectionum, & operum, ſicut ſuorum. Deo namque prodente, omnibus omnia nota erunt, ut omnibus Dei juſtitia manifeſta ſit.

XI. Neque mirandum hoc: nam ſicut in radio ſolis atomi, quæ prius non apparebant oculis, fiunt notæ, ita in radio divinæ lucis omnis illa congeries cogitationum, affectionum, & operum veluti atomorum multitudo, aperte, & clare videbitur coram omnibus. Si enim oculus noſter corporalis, propter lumen creatum, ad tantam diſtantiam, ſimul tantam videt multitudinem ſtellarum: Quid miraris, ſi irradiante Deo oculus intellectus tam numeroſam ſimul videat cogitationum, & operum multitudinem? Hoc eſt quod Dominus in Euangelio aperte inſinuat, dicens: *Nihil opertum eſt, quod non reveletur, neque abſconditum, quod non ſciatur. Quoniam quæ in tenebris dixiſtis, in lumine dicentur &c.* Et Apoſtolus: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Et Propheta: *Revelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Rurſus Iſaias ait: *Revelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum; ultionem capiam, & non reſiſtet mihi homo.* O confuſionem nimiam! O maximum, & terribilem pudorem! Quis illum verbis explicare valebit, imo vel animo cogitare? *Incipient dicere montibus, cadite ſuper nos, & collibus, operite nos*, ut Dominus in Euangelio, & Joannes in Apocalypſi teſtantur, ut tantum poſſint evadere pudorem; tolerabilior namque illis omnis cruciatus, & quantumvis amara mors videbitur, quam coram Deo, & angelis ejus, & tam gravi multoque ſenatu, in tanta deformitate nudatis criminibus apparere. Quid dico? Imo vellent potius pro tunc inferni ignibus cruciari, quod Job deſiderat, dicens: *Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus*, modo ibi non me relinquas, *Et conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* O intolerabilem malorum pudorem, quo etiam ipſa gehenna mitior eſt! Latere enim impoſſibile, apparere autem intolerabile erit.

XII. Vere illi, ut Pſalmiſta inquit: *Beati erunt, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Vere, *beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum.* Quorum autem tecta erunt peccata, niſi quorum hic fuerint Deo, & confeſſori revelata? Noli homo, noli celare peccatum tuum, ne celes uni, ne univerſitati nudetur. Revela uni pudenda tua, ne revelentur univerſo. Si uſque adeo confunderis uni in ſecreto propalare peccatum, magis, credo, illud publice, & coram populo dicere expaveſces. Quid ergo tibi eventurum putas, cum jam non verbo, ſed facto, Deo, angelis, & hominibus, ſicut factum eſt, propalabitur? neque enim ſcelus ita turpe eſt dictu, ſicut factu. Pudet hic referre quorundam in ſuorum confuſionem delictorum temerariam, frivolam, pernicioſamque palliationem, quæ æternum illis eſt paritura pudorem; qui enim unum peccatum, aut palliat, aut tegit, cætera prodidiſſe nihil proderit; quoniam juxta prædictum Prophetæ teſtimonium: Illi ſolum tegentur iniquitates, cui Deo propitio, hic fuerint remiſſæ: uno autem celato, cætera etſi prodantur, non remittuntur; non ergo tegentur. An vero ita tecta erunt (*a*), ut penitus non appareant, juxta quorundam ſententiam: An, ut appareant quidem, ſed non confundant, juxta aliorum ſententiam: non eſt meum hoc loco diſputare. Quod autem ad hoc judicium univerſa illa multitudo, de qua diximus, convocanda ſit, & quod ratione probare nitebamur, etiam propheticum teſtimonium adſtipulatur, dicens: *Deus deorum, Dominus locutus eſt; & vocavit terram a ſolis ortu uſque ad occaſum: Ex Sion ſpecies decoris ejus. Deus manifeſte veniet: Deus noſter non ſilebit. Ignis in conſpectu ejus exardeſcet: Et in circuitu ejus tempeſtas valida. Advocabit cœlum deſurſum: Et terram diſcernere populum ſuum. Congregate illi ſanctos ejus: Qui ordinant teſtamentum ejus ſuper ſacrificia. Et annunciabunt cœli juſtitiam ejus.* Et ne de tali, ac tanta congregatione mireris, ſequitur: *Quoniam Deus judex eſt.* Quid ergo mirum, ſi Creatori judicanti omnis aſtipuletur creatura?

XIII. Sed jam de hoc tanto Judice apertius differamus; non enim parum refert ad reum cauſæ ſuæ propitium habere judicem, etiamſi juſtitia ſervanda ſit in judicio; hanc enim propitiationem Propheta petit a Domino, dicens: *Vivet anima mea, & laudabit te: Et judicia tua adjuvabunt me.* Quis ergo tanti judicii futurus eſt judex? Non utique Angelus, vel Archangelus, vel quantumvis illuſtris, & ex ſupremo ordine Seraphim, non enim decet Angelum tanta majeſtas, ſed Deum omnium Conditorem: nec humanæ naturæ, quam ſibi copulando ita honorare dignatus eſt Deus, tantam irrogabit injuriam, ut eam aſſiſtere faciat ad tribunal Angeli judicandam. Divino itaque judicio, & infallibili judicabitur homo: Ille noſter futurus eſt Judex, quem neque fallere,

Lucæ 12. 1. *Cor.* 4. *Nahum* 3. *Iſaiæ* 47. *Lucæ* 23. *Apocal.* 6. *Job* 14. *Pſal.* 31. *Nahum* 3. *Pſal.* 49. *Pſ.* 118.

(*a*) Juſtorum peccata per pœnitentiam deleta, minime in extremo judicio manifeſtanda, docuit Magiſter Sentent. in 4. diſt. 43. Oppoſitum ſentit Angelicus Doctor in laudatum Magiſtri locum Art. ult. *& hæc eſt*, inquit, *probabilior, & communior opinio, quamvis Magiſter contrarium dicat in littera.*

re, neque fugere quicquam poteſt, qui nec decipere, neque decipi novit. Cujus rei timorem Propheta commemorans, ad iniquos ita proloquitur: *Dixi iniquis: Nolite inique agere: Et delinquentibus: Nolite exaltare cornu: Nolite extollere in altum cornu veſtrum: Nolite loqui adverſus Deum iniquitatem.* Propter quid o Propheta? Qua ratione? Sequitur: *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a deſertis montibus*, ſcilicet, fuga vobis patet, *Quoniam Deus judex eſt.* Sub tanto ergo judice quis audet peccare? Qui omnium judicandorum, & judex, & teſtis eſt, & quem nulla ſcelera noſtra latent: neque tamen in forma Dei, reprobos judicaturus eſt. Tantæ enim majeſtatis tribunali aſſiſtere quis auderet? Apparere coram eo quis ſuſtineret? *Columnæ cœli contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus. Qui reſpicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant.* Montes, & rupes ſicut cera liqueſcunt a facie ejus. Et poterit adſtare coram eo fluxa, debilis, & putrida caro? Unde Propheta: *Sicut deficit fumus, deficiant: Sicut fluit cera a facie ignis, ſic pereant peccatores a facie Dei.* Et Job: *Oculi tui in me, & non ſubſiſtam.* Et rurſus: *Etiamſi locutus fuerit homo, devorabitur.* Quis igitur coram illo juri ſuo innitetur? Quis ſe juſtum audebit aſſerere? Non potius ante illum, contractus, humilis, tremebundus, & pavidus ſubſiſtet?

Pſal. 74. Job 26. Pſ. 103. Pſal. 96. Pſal. 67. Job 7. Ibid. 37.

XIV. Propter hoc Propheta regius, nomine, & voce filiorum Adam ad Patrem ſupplicat, dicens: *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam Filio Regis, judicare populum tuum in juſtitia, & pauperes tuos in judicio.* Hoc eſt: Non in tua majeſtate nos judica Deus (*a*); ſed vices tuas Filio tuo Domino noſtro committe: Illum ad judicandum delega: Ille meus Judex ſit, qui fuit Redemptor. Nec hoc piiſſime Pater peto, quod, aut rectitudinem tuam, aut miſericordiam tuam ignorem: rectus namque es Domine Deus noſter, & non eſt iniquitas in te: miſerator, & miſericors es Domine, patiens, & multum miſericors. Scio Domine, ſcio, quia rectiſſimus, & mitiſſimus es natura; quid enim natura divinitatis benignius, aut clementius? Sed, *Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.* Horreo, trepidoque tuæ veritatis aſpectum: Neque meas infirmitates, miſerias, laboreſque, quibus ab infantia ſubdor, expertus es. Illum, ſupplico Pater clementiſſime, illum mihi delega Judicem, qui eſurire, frigeſcere, triſtari, & anguſtiari mecum agnovit, qui miſeram hominum ſortem, & exiguitatem expertus eſt, qui malorum inſidias, perſecutiones, fraudeſque ſuſtinuit, qui tentari, & pati omnia novit. In eo enim, quod tentatus, & paſſus eſt ipſe, dignabitur & eis, qui tentantur auxiliari; didicit enim ex his quæ paſſus eſt miſericordiam: Ipſe cognovit figmentum meum, ipſe meam exiguitatem, & tempeſtatum validos fluctus, quibus in hoc mari naufragamur, ſimul agnovit. Quare libenter illius judicium ſubeo, & amplector ſententiam, qui pro me miſerrimo, & indigno ſervo ſuo judicatus, & mortuus eſt: Et, ne me damnaret ad gehennam, ad Crucem ſe damnari permiſit; hunc non recuſo Judicem, quem habui Redemptorem. Agnum, inquam, pro me occiſum, hunc Judicem efflagito, hunc deſidero, hunc totis viribus concupiſco. Non ipſius crudelitatem accuſabo, quia Agnus eſt; non ſuſpectam habebo amicitiam, quia frater meus, & caro eſt; neque de rectitudine formidabo, quia & ipſe Deus eſt; illius aſſiſtere tribunali non renuo, qui pro me profani judicis tribunali aſſiſtere non eſt dedignatus. Quidquid de me decreverit ipſe, libenter ſuſcipio. *Judicium tuum*, ergo potentiſſime Pater, *Regi da:* ipſe ſit meus Judex, qui pro me fuit judicatus; eo enim quod indigne judicatus eſt, ipſe dignus eſt vivorum, & mortuorum omnium fieri Judex. Unde ad illum merito proclamat omnis cœleſtium militum multitudo: *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, fortitudinem, & honorem & omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo.* Exaudivit Dominus preces noſtras, votaque ſupplicantis populi non deſpexit: Filioque ſuo Domino noſtro judicium delegavit, illum conſtituit Judicem vivorum omnium, & mortuorum. Unde id ſcimus? Quia ipſe Unigenitus nobis hoc aperte revelavit. Pater, inquit, non judicat quemquam, ſed omne judicium facere dedit filio, quia filius hominis eſt. Noluit enim Deus hominem niſi per hominem judicare, cauſamque ſuam cum homine judicandam homini commiſit; ut inter Deum, & hominem judicet Homo Deus; judicet, inquam, non ſolum, quia Deus, ſed quia Filius Hominis eſt. Nolite mirari hoc; videlicet, ſi tanta dignitas Homini conceditur, quæ non conceditur Angelo; hic enim Homo, non ſolum Filius Hominis eſt, ſed & Filius Dei eſt; hanc omnem celſitudinem ipſe promeruit; in eo enim, quod humiliatus eſt uſque ad judicium per obedientiam, exaltari quoque ad judicium omnium promeruit per gratiam. Nolite ergo mirari hoc, quia Filius Hominis eſt.

Ibid. 5. Pſ. 102. Apoc. 5. Geneſ. 37. Pſal. 71. Apoc. 5. Jo. 5.

XV. Quanta hominibus fiducia, quanta mortalibus ſpes in Judice iſto! Quis non ſperabit ſalutem, etſi peccator ſit, & indignus,

(*a*) Eandem ſequitur interpretationem S. Bernardus Serm. 73. in Cant. ubi poſt aliqua hac de re: *O vere*, inquit, *Patrem miſericordiarum! Vult per hominem homines judicari, quo in tanta trepidatione, & perturbatione malorum, electis fiduciam præſtet naturæ ſimilitudo. Prædixerat hoc quondam Sanctus David, orans pariter, & prophetans: Deus, inquiens, judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis.*

quando a Patre piiſſimo ejus ſententia ferenda eſt? Unde Apoſtolus: *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat. Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Quomodo condemnabit Interpellator, qui, ne damnaret, ipſe mortis ſubiit damnationem? Quando Salvator damnabit, quos morte redemit? Aut quando Advocatus in clientem ſuum poterit eſſe damnator? Fatebor enim, neque me dixiſſe pigebit; in hoc judicio omnia terrent me, omnia me conturbant, neque ſine timore nimio hujus tanti judicii valeo recordari; ſola hæc mihi relicta conſolatio eſt, Domine mi, quia criminum meorum tu ſolus futurus es Judex, tu inquam Redemptor meus, Adjutor meus, Advocatus meus, Pater meus, tota ſpes mea, & totum bonum meum, & ſolatium. Unde ſæpius cum Propheta clamito, dicens: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: Quoniam tu mecum es.* Et rurſus: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* Quid ni ſperem, cum ipſe ſit propitiatio pro peccatis noſtris. Quid ni confidam, ubi in corpore mei Judicis ſalutis meæ impreſſa inſignia fulgent? Certe, etſi taceam ego, ſatis pro me loquentur vulnera illa; nec aliud *Reſpondebo exprobrantibus mihi verbum*, niſi hoc ſolum: *Quia ſperavi in* iſtis *juſtificationibus tuis* ſemper. Sed quamvis iſta dixerim; nemo, Fratres mei, nemo ſe circunveniat, nemo dormitet, nemo in peccatis ſuis perduret in ſpe veniæ: maledictus enim, qui peccat in ſpe. Audite Pſalmographum mirabiliter conſulentem: *Deus*, inquit, *noſter, Deus ſalvos faciendi: & Domini, Domini, exitus mortis.* Ita eſt profecto; Deus ſalvos faciendi, non damnandi; ab ipſo enim non mors, ſed exitus mortis. *Veruntamen*, etſi ita ſit, *Deus confringet capita inimicorum ſuorum: Verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.* Nolite dicere: Deus ſalvos faciendi eſt, neminem damnabit: Agnus mitiſſimus eſt, neſcit iraſci. Agnus quidem electis, reprobis autem ferociſſimus Leo tunc apparebit. Unde Propheta: *Quaſi Leo rugiet & formidabunt filii maris.* Et alius Propheta: *Rugitus ejus, ut leonis, rugiet, ut catuli leonum; & frendet, & tenebit prædam; & amplexabitur, & non erit, qui eruat.*

XVI. Secundum ergo judicandorum conſcientiam, Judex in ſe unus varius apparebit, probis Agnus, improbis Leo. Sic enim etiam in humanis: Judex filiis, uxori, & amicis benevolus eſt, & benignus; facinoroſis vero, & latronibus viſus nimium incutit terrorem; non quia ipſe terribilis, ſed quia rei conſcientia timida eſt. Hic quoque re ipſa terribilis apparebit, ac fortis; tum propter diſtrictam juſtitiam, & acerrimam in malos vindictam, tum propter admirandam majeſtatem, & magnificum apparatum, graviſſimumque Angelorum, Sanctorumque conſeſſum. Non enim ſicut in primo adventu mitis, & humilis, ſed potens, & fortis adveniet, ſicut in prothemate dicitur: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magna, & majeſtate*; non occultum, ſed manifeſtum; non in Virginis utero, ſed in altiſſimo ſolio; non vagientem in præſepio, ſed regnantem in throno; non jumentis, ut prius, ſed Angelis comitatum.

XVII. Præveniamus ergo, Fratres, tantum Judicem, & *præoccupemus faciem ejus in* delictorum noſtrorum *confeſſione* ſicut monet Pſalmus: Præoccupemus manus ejus condigna pœnitentia, jejuniis, & flagellis; & ſententiam ejus fletibus leniamus. *Ploremus ante Dominum, qui fecit nos*, ne perdat nos; cordiſque noſtri maculas lachrymis diluamus, gemamus pro delictis aſſidue, gemamus modicum, ne ſemper gemamus, ploremus modicum, ne in æternum ploremus, non parcamus nobis, ut parcat ipſe; quo enim quiſque diſtrictior fuerit in ſeipſum peccatorum vindex, eo illi mitior tunc apparebit Judex. Felix, qui dicere poterit in illa die: *Feci judicium, & juſtitiam* Domine, *non tradas me calumniantibus me.* Judicium facit contra ſe, quia ſe reum agnoſcit, & confitetur, & judicat: juſtitiam facit, qui peccata, quæ ſententia damnat, pœnitentia punit. Hic dæmoniis calumniantibus illa die non tradetur, quia modica, & tempeſtiva pœnitentia magnam præoccupavit, & declinavit vindictam. O felices lachrymæ, o felices gemitus, o felices ſingultus, quibus perpetuos illos evitamus gemitus, & dolores! Felix pœnitentia, quæ liberat a gehenna. Peccavimus, Fratres; pœnitendum eſt, aut ardendum. Quanto melius modicum pœnitere, quam perpetuo ardere. Nolite putare, quod commenta, aut aniles fabulas vobis narremus, rem certam ſeriamque narramus.

XVIII. Heu! Heu! Quam ſecuri, & intrepidi hæc dicimus, & audimus; quaſi nos non tangeret hæc ſententia, quaſi ad nos non pertineret hiſtoria, quaſi alii, non nos tribunali adſtare, rationemque reddituri eſſent, aut quaſi dies ille nunquam eſſet venturus; ſed, *Adeſſe feſtinant tempora*, & cum minus putaverimus, feſtinus adveniet. Ne igitur iſta putemus, dictis ſuis adjungit Dominus mirabilem confirmationem: *Cœlum*, inquit, *& terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt:* Quam dictorum confirmationem huic maxime loco apponendam idcirco Dominus judicavit, ut ſopitos, & ſecuros ad pœnitentiam excitaret, indubitati examinis cognita certitudine. Unde, & in Epiſtola congruenter ſatis, & concinne Apoſtolus velut tuba perſonat, dicens: *Fratres: Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere.* Excutite ſomnum, pellite ſoporem: hæc auditis in Euangelio & dormitis? Hora eſt corrigendi vitam, emendandi mores, expellendi vitia, ne nos incautos reperiat tantum malum. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur*

Rom. 8.
Pſal. 22.
Job 13.
Jo. 2.
Pſ. 118.
Pſal. 67.
Ibidem.
Oſeæ 11.
Iſaiæ 5.
Luc. 21.
Pſ. 118.
Pſal. 94.
Deut. 32.
Luc. 21.
Rom. 13.
Ibid. 22.

mur arma lucis: non indultam nobis hanc a Deo salutis opportunitatem negligamus, ne nos transeat hora, quia postea non erit hora. Veniet ecce tempus, quando præsentis opportunitatis recordabimur, ejulabimus, & flebimus, frustra clamabimus contra nos dicentes: Heu, quia potui, heu, quia nolui, hei mihi, quia tantam miseriam evitare non curavi, cum in manu mea, & tam facile fuerit! O quomodo lætabuntur tunc, qui hæc non surdis auribus audierunt, quomodo utile salubreque consilium pœnitendi laudabunt, cum videbunt stultos pereuntes, & peccatores cum diabolo inferni hiatibus deglutiri! *Confige timore tuo carnes meas* Domine, confige cor meum sagittis tuis, ut timeam te, & timendo pœniteam, pœnitendo præveniam, præveniendo securus ad dexteram cum tuis electis audire merear: *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* In quo cum Patre, & Spiritu sancto, vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Pſ. 118.

Mat. 25.

IN DOMINICAM I.

ADVENTUS

CONCIO SECUNDA.

De Judicio extremo.

Erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium.
Lucæ 21. v. 25.

Concio II.

I. NOn vacat mysterio, quod, cum ex secretis alia aliis revelata fuerint filiis Prophetarum per Spiritum Dei, hoc tamen unicum extremum, & ultimum omnium Judicium nulli fere Prophetarum fuerit occultatum: omnes enim fere (*a*) Prophetæ (*a*) de hoc Judicio aliquid prædixerunt. Nec solum Prophetis sanctis, sed etiam barbaris illis virginibus ex gentilitate Sibyllis vaticinantibus secretum hoc, Deo prodente, est revelatum. Unde P. Aug. in lib. de Civitate Dei, Erythrææ Sibyllæ plura, & mira carmina (*b*) ponit, quæ in quibusdam etiam Ecclesiis sacra Natalis Domini nocte concinuntur, in quibus de Judicio, & signis illius, vates illa virginea luculenter, & potenter edisserit. Quare hoc Domine? Nempe; ut nullus in Judicio reus ullam tanti examinis futuri ignorantiam obtendat; Nemo dicat, non fui conscius, hoc me latuit, nescivi, quod operum eorum redditurus essem rationem, ideoque imprudenter me gessi, voluptatibus inservivi, nec opera mea, ut decuit, observavi.

II. Voluit ergo Dominus hoc, tam gentibus, quam Judæis notorium esse, ut legitimam non habeat coram eo excusationem omnis caro. Propter quod, & carmina illa Sibyllina toto orbe quæsita (*c*), publice in Capitolio conscribi, & in maxima haberi apud gentes authoritate fecit, ut Judicii sermo neminem mortalium lateret. Hoc est, quod Propheta Isaias commemorat, dicens: *Nunquid non scitis? nunquid non audistis? nunquid non annuntiatum est vobis ab initio? nunquid non intellexistis fundamenta terræ? Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores ejus sunt quasi locustæ:* quæ in cophinis colliguntur, & mittuntur in foveam, ne lædant terram. Unde, sicut ibidem dicitur: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.* Nam, quasi locustarum, ita innumera illa hominum multitudo reputabitur coram Domino, damnabiturque incendio: Deus enim non reputat malos.

(*c*)

Isaiæ 40.

Ibidem.

III. Est etiam hujus rei non modica causa solicitudo, quam de Electis suis Dominus habet: Unde sicut iniquis, ne ullam habeant excusationem, denunciatum est, ita & electis, ut tantum, & tam periculosum malum effugere possint. Unde Psalm. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.* Gratias tibi agimus Domine: non quales debemus, sed quales nos miserrimi homunculi possumus: quia sic prævenisti nos. Quis enim servus domino suo de bonis ejus rationem redditurus, neque post deductam rationem ullam ab eo solvendi dilationem habiturus, non prius sedet, & computat sumptus, acceptam expensamque dinumerat pecuniam; ut, cum rationis reddendæ dies advenerit, securus, & intrepidus ad mensam accedat? Ita, obsecro, Fratres mei, ita faciamus: ne postea ligatis manibus & pedibus pro debito, in atrocissimum illum, æternum, & teterrimum carcerem perpetuo detrudamur. Mementote illius carminis Moysi: *Gens absque consilio est, & sine prudentia: Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent,* & frequenter illud animo volvite.

Pſal. 59.

Mat. 25.

Deut. 32.

IV. Jam hujus Judicii ordinem, & modum, sicut præcedentis sermonis promisimus principio,

---

(*a*) Prophetarum de extremo judicio testimonia congessit S. Joannes Damascenus Parall. lib. 1. cap. 15. Insigniora expendit S. P. Augustinus de Civit. Dei lib. 20. & seq. Uterque citatis locis alia quoque Scripturæ testimonia de eodem argumento copiose adducit.

(*b*) Hæc carmina num. 27. recitat S. P. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei. Etsi vero non omnia quæ circumferuntur Sibyllarum oracula genuina sint, ut facile demonstratu est: quæ tamen ab antiquis Patribus Clemente Alexandrino, Justino Mart., Theophilo Patriarcha Antiocheno, Origene, Lactantio Firmiano, Augustino laudantur, pro genuinis habenda esse prudens ratio suadet, nec dissentiunt graviores Critici.

(*c*) Sibyllarum carmina diligenter conquisita, & Romam adsportata refert Tacitus lib. 6. Annal. idque postquam restitutum est Capitolium in quo condita olim fuerant ab Octaviano Augusto, ut narrat Svetonius, de XII. Cæsar lib. 2. ibique conflagraverant.

cipio, enarremus; non ex vulgaribus communibusque authoribus, sed ex Euangelio, & Prophetis veram, & certam historiam colligentes, eorumque testimoniis singula roborantes. Ante diem illum dierum ultimum, dierum maximum, grandem mortalibus futuram calamitatem nemo ambigit, qui in Scripturis sacris vel mediocriter fuerit eruditus. Omitto nunc diabolici hominis Antichristi persecutiones & clades, omitto etiam
(a) tormenta Martyrum (a) præteritorum agonibus acerbiora, quibus fideles ad suam impietatem adducere tentabit iniquus ille; de cujus ortu, & apparitione apertissime Apostolus scribit ad Thessalonicenses, dicens:
2. Thess. 2. *Rogamus autem vos fratres, per Adventum Domini nostri Jesu Christi, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini: ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus &c.*

V. Hujus igitur pestiferi nebulonis persecutiones, & fraudes ut omittam, ipsa rerum facies prope finem maxime deturbabitur; prius enim, ut Dominus ait in Euan-
Mat. 24. gelio: Insurgent prælia, dissensiones, rixæ, inimicitiæ, fames, pestilentiæ, ægritudines, aliaque innumera infortunia; non qualia a principio sæculi visa sunt, sed multo majora, & quæ finis sæculi apertissimum mortalibus ingerant testimonium. Neque enim, si
(b) communia essent, ut P. Aug. inquit (b) ad Hesychium, in signum darentur a Domino. Erit enim tanta hominum dissensio, ita ut ubique terrarum, civitas cum proxima civitate, oppidum cum vicino oppido, regnum cum regno, familia cum familia, domus cum domo, gravissimas exerceant inimicitias, & discordias: concitatisque undique bellis passim homines consternentur, & trucidentur. Veluti, cum serenam prius aquam tempestas ingruens a fundamento deturbat, atque in fluctus excitat monstruosos: talis erit tunc hujus nostri maris facies, malorumque omnium in sæculo inundatio.

VI. Hanc autem hominum turbationem, motumque bellorum, elementorum perturbatio subsequetur. *Virtutes enim Cœlorum*,
Lucæ 21. (c) id est, influentiæ cœlestes (c), ut Dominus inquit: *Movebuntur*, distemperabunturque, a quibus omnis ista inferior machina gubernatur; quibus ita distemperatis, omnis elementorum ordo solvetur, & confundetur; ac proinde fient inordinationes maximæ in orbe, tonitrua, fulmina, fulguraque tremenda, tempestates horribiles, grandines incredibilis magnitudinis, terræmotus, hiatusque terræ formidabiles: Fluctus autem maris intumescent, adeoque littoribus imminebunt, ut videantur universam terram devoraturi: Unde, tantus fiet eorum fragor, & sonitus, ut procul a littore audiatur: & erit *In terris pressura gentium* maxima, ut ait Dominus, *Præ confusione* illa *sonitus maris, & fluctuum:* Alteratis namque, ut prædiximus, influentiis, necesse est omnem elementorum ordinem perturbari, monstruososque in aere, aqua, & terra effectus quotidie hominibus apparere. O qualis erit tunc hominum vita, quam acerba, & amara, quam tristis, & luctuosa! Quis enim non horreat tantam inspicere confusionem, permutationemque rerum? Unde, & Dominus in Euangelio: *Arescentibus*, inquit, *hominibus præ timore, & exspectatione* eorum, *quæ supervenient universo orbi*. Obliviscentur cibi, & potus, & omnium sæculi deliciarum: veluti, qui in mare naufragium periculosissimum sustinent. Itaque toto orbe mortales omnes naufragabuntur ubique. De hoc Joannes in Apocalypsi ita inquit: *Omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt:* videlicet, a terræmotus magnitudine: tantum enim motum neque montes sustinere valebunt, quin corruant, & ab inundatione fluctuum, aliis opertis aqua, aliæ de novo maris insulæ alibi apparebunt. Propter quod, ut ait: timore agitati *Reges terræ, & principes, & divites, & fortes, abscondent se in speluncis, & in petris montium*. Ne videlicet horrendam, tremendamque rerum omnium videant confusionem, mundique pereuntis formidabilem casum. Qualem existimas tunc futuram mortalibus vitam, quando reges, & primates, & qui cæteris solebant esse terrori, relictis urbibus palantes, & errabundi confugient ad speluncas? & veluti reptilia quædam perterriti, & stupefacti, nec se invicem expectantes, montium perquirent latibula? Unde, & idem Joannes Angelum buccinantem audivit, atque clamantem: *Væ, væ, væ, habitantibus in terra!*

Ibidem. *Ibidem.* *Apoc. 6.* *Ibidem.* *Ibid. 8.*

VII. Optandum valde nobis est, Fratres, in

(a) Recte Antichristi tormenta præteritorum Martyrum cruciatibus acerbiora innuuntur. Talia equidem futura pluribus ostendit Malvenda de Antichristo lib. 8. cap. 11.

(b) Ad ea Sanctus Orator respicere videtur, quæ Epist. 199. alias 80. ad Hesychium cap. 10. asserit S. P. Augustinus de signis judicium præcedentibus. *Quare si apparebunt etiam talia, si non spiritaliter potius intelligenda sunt, tunc apparebunt, quando finis sic appropinquabit, ut debeant apparere.* Quæ quidem verba ad literalem sensum referuntur, & longe aliis omnibus atrociora indicant ea signa utpote consummationi temporum peculiariter destinata. Cæterum S. P. Augustinus allegorice aliqua signa melius intelligi, non obscure docet in hac eadem Epistola; quem tamen sensum populari Concioni minus accommodatum non sequitur Sanctus noster, sed communi Patrum, & Interpretum sententiæ adhæret, ut infra vides.

(c) Antiqui Scriptores S. Joannes Chrysostomus, Origenes, Theophilactus, Eutymius, *virtutum Cœlorum* nomine, Angelos ipsos subaudiunt, qui septimum Chorum, seu Ordinem constituunt. Verum recentiorum fere omnium Interpretum opinio, ad Cœlos, Cœlestiaque corpora, ea verba traducit cum Lactantio lib. 7. cap. 16.

in pace vitam finire, & tantam mundi calamitatem non videre: neque te moveat, quod Dominus in Euangelio ait: *Sicut in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes, usque ad illum diem, quo intravit Noe in Arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes: Ita & erit adventus Filii hominis.* Et alibi: *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ; & superveniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.* Et Paulus ad Thessalonicenses: *Ipsi enim,* inquit, *diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet; cum enim dixerint pax, & securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient.* Ex quibus, & aliis Scripturæ locis, Adventum Domini impræmeditatum, & repentinum mortalibus superventurum apertissime colligitur. Quomodo ergo præ timore arescent, expectantes superventuram diem, & imminentem judicis iram? Neque enim ignorare poterunt senescentis mundi ruinam, cujus tam evidentia experientur testimonia. Quomodo etiam tunc nubent, & nuptui tradent, quasi securi, & intrepidi, si Reges montium & petrarum præ timore latibula quærent? Sed facile solvitur quæstio, si ad diversa tempora hæc Scripturarum testimonia referamus; prius namque, sicut in diebus Noe securi, & intrepidi voluptatibus, & negotiis sæcularibus homines incumbent, quibus ita agentibus repentina veniet dies illa, non dies ultima Judicii, sed tempus illud breve supradictæ confusionis, & inordinationis, quæ, veluti quædam tempestas incautos occupabit, & usque ad ultimam Judicii diem protendetur. Dies ergo ille pro toto illo tempore signorum accipitur, quod breve erit. Quod, si de die ultimo intelligendum est, oportebit dicere: post tempus hoc formidabile signorum aliquamdiu serenitatem, & tranquillitatem rebus reddendam esse a Deo, ut præteriti timoris obliti mortales ad pristinæ vitæ consuetos redeant actus: & ita incautos opprimat dies illa. Sed prima responsio magis placet; ex quo enim cœperit dissolutio, & distemperatio illa partium universi, veluti ingravescens ægritudo indies magis, ac magis augebitur, & per suos cursus mundus paulatim in interitum deveniet. Sicut enim quispiam prius robustus est, & fortis in juventute, postea, ingravescente ætate senio confectus, fluidus, & lassus; si vero morbus debiles artus invadit, humores illico distemperantur, alteratur anhelitus, enervantur vires, dissolvuntur artus, & ad ultimum hebetantur sensus, turbatur judicium, totusque ille potentiarum, & virium animæ ordo confunditur, donec corporali distemperie spiritus solvatur a carne, & tandem mors fiat: Ita omnino in hoc orbe continget: post primam enim ejus juventutem, quando fortis fortia, & robusta quæque gignebat, eo jam in senium acto, priusquam intereat, elementorum solvetur temperies: deinde, veluti crescente jam morbo, *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo,* id est, cadere videbuntur, cometis scintillantibus undequaque; hæc enim veluti sensus in orbe sunt. Ad ultimum vero flagrante igne, ut ait Apostolus Petrus: *Elementa calore solventur,* & ultimus orbis erit interitus. Unde Psalmista: *Opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Apertissime namque defectum illum, permutationemque supradictam cœlestium influentiarum cœlorum inveterationem nuncupavit, non quidem in substantia, sed in apparentia, non in re, sed in virtute; non quoad cœlorum impassibilia corpora, sed quoad effectus eorum, & influentias, quæ veluti inveteratis orbibus inferiori mundo deficere, minusque ad illius gubernationem sufficere videbuntur.

VIII. Omnibus igitur flagranti illo incendio consumptis, subito, & in cinerem redactis, e cœlo missus tuba canet Archangelus; id est, in assumpto corpore validissima voce clamabit, cujus vocem audiet totus orbis, & quæ in cœlo, & quæ in limbo, & quæ in abysso sunt animæ: In ictu ergo oculi, in voce illa Archangeli terribili, in novissima tuba, ut inquit Apostolus: omnes resurgemus, cum eisdem corporibus, quibus in vita viximus; *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Reprobi namque terreni Adæ imaginem portantes, carnales, deformes, & ponderosi, licet incorruptibiles, surgent propemodum, quales fuerunt in hac vita mortali: electorum vero nova progenies, in gloriam filiorum Dei permutata, in spirituali carne *fulgebunt* sicut *Sol in regno Patris eorum;* non quidem æqualiter, nam, qui in sancta simplicitate ab aliis edocti viam justitiæ tenuerunt, fulgebunt sicut firmamentum, qui vero eos ad justitiam erudierunt, sicut stellæ in perpetuas æternitates: Et sicut stella differt a stella in claritate, ita erit resurrectio electorum; quo enim plus virtute, & merito claruerunt in Ecclesia, eo ibi amplius corporali etiam decore fulgebunt. Quantus tunc iniquorum gemitus, quantus planctus! Quis dentium stridor! Quantus æstuantis animi fremitus, & indignatio, cum præ oculis gloriam, quam amiserunt, inspexerint, & decorem filiorum Dei, quem neglexerunt, attenderint! *Exibunt* ergo *Angeli, & separabunt malos de medio justorum,* quos ipsa exterior forma satis discernet; reprobisque in terra residentibus, electorum multitudo advenienti jam Judici obviam rapietur in aera.

AX.

IX. Si quidem ſuper montis Oliveti cacumine directo apparebit de cœlo, ſenſim adveniens potentiſſimus Judex, Angelorum millibus comitatus in nube lucida, veluti in triumphali curru evectus, ſigno Crucis veluti vexillo triumphi deſuper in omnium oculis radiante; hoc enim Matthæus aperte commemorat. *Mat. 24.* O quantum gaudium! O quanta lætitia! Quantus tunc beatarum mentium jubilus! Quanta cum laude adventantem in ſuam civitatem principem cum triumpho ovans ſuſcipiet civium multitudo! Permiſcebunturque utriuſque Jeruſalem Senatores, & dextras dextris conjungent in fœdus ſempiternum, pacemque perpetuam fœderati, atque ſub uno Imperatore unam incolent civitatem, in unamque rempublicam conſpirabunt. Statuentur ſedes, locabuntur throni, ſedebunt circumquaque Judices orbis judicaturi, non ſolum duodecim tribus Iſrael, ſed & omnes gentes, populos, & nationes, ipſos etiam Angelos a Principe cœlorum apoſtatas. *Ibid. 19.* *1. Cor. 6.* Unde Propheta: *Quia illic ſederunt ſedes in judicio, ſedes ſuper domum David*, *Pſ. 121.* id eſt, ſuper Chriſti univerſam Eccleſiam. Sic enim illis Dominus in Euangelio promiſerat, dicens: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael.* *Mat. 19.* Nec Apoſtoli ſoli ſedebunt coram eo, ſed etiam omnis multitudo Sanctorum, quorum judicio judicandus eſt orbis. Quanta tunc majeſtas, quanta venuſtas, quanta ibi ſeveritas!

X. Adſtabit deorſum in valle Joſaphat, teſte Propheta, & in omni confinio judicandorum maxima multitudo vallata dæmoniis univerſis: Ibi adſtabit Judas cum proditoribus, & ſicariis; Cain cum occiſoribus homicidis; Nero cum crudelibus tyrannis; Herodes cum parricidis; Pilatus cum judicibus iniquis; Mahumet cum inſanis; Arius, & Lutherus cum hæreticis; Simon cum magis, & ſimoniacis; Ninus cum paganis; Sardanapalus cum infamibus voluptuoſis, omnes in faſciculos conglobati adunatique ad ignem, *Mat. 13.* ſecundum parabolam zizaniorum Euangelicam. Hi omnes ad ſiniſtram locabuntur, ut hœdi procaces, & inquieti. Stabunt quoque ad dexteram electorum familiæ ſeparatæ, ubi ſanctiſſimus Patriarcha Abraham erit cum uxoratis; Joannes cum his qui vitam cœlibem peregerunt dum in vita manebant; Helias cum eremitis; Petrus cum clericis; Auguſtinus, & Franciſcus cum ſuis fratribus; Stephanus cum martyribus; Virgo virginum cum virginibus: ſuo ordine quiſque apparebit, ſuæque profeſſionis habitum geſtabit, non ex lana, ſed ex gloria intextum.

XI. Neque latebit fructus, quem quiſque geſſit in vita, ſed ſuo quilibet labore decorabitur. Hoc eſt, de quo Paulus apud Theſſalonicenſes non inaniter gloriatur, dicens: *1. Theſſ. 2.* *Quæ eſt noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in adventu ejus?* Et ad Philippenſes. *Fratres mei chariſſimi, & deſiderati ſſimi, gaudium meum, & corona mea, &c.* *Philipp. 4.* Quia videlicet ex eorum ſalute fulgentiſſima tunc in capite ejus corona fulgebit, immenſaque illi gloria redundabit. Quot reges, & potentes bubulcis ibi, & agricolis ſociati ſilebunt! Quid illis tunc proderit gloria mundi? Quid faſtus, & pompa regalis? Quid apparatus familiæ? Quid pretioſitas veſtium? Quid delicata, & numeroſa ciborum multitudo? Nemo ibi in alterum mutire audebit, neque garrire. Teſtatur hoc Job, dicens: *Parvus & magnus ibi* erunt, *& ſervus liber a domino ſuo.* *Job 3.* Qui ergo in hac vita dexteram tenuerunt, ibi lævam tenebunt, & e contrario. Cancellatis enim manibus, veluti Patriarcha Jacob, populum ſuum Dominus judicabit. *Gen. 48.* Quantus tunc tremor, quantus terror: ubique fletus, & ululatus, & horribilis gemitus! *Plangent* enim *ſe ſuper eum omnes tribus terræ*, ut ait Propheta: *Apoc. 1.* videntes ſcilicet, quia non eis profuit tanta dignatio, tam mira benignitas; quod homo factus eſt, quod natus, & paſſus eſt, & eos inæſtimabili ſanguinis ſui pretio redemerit.

XII. Neque grandis in judicando mora, nam ſubito aperietur liber vitæ, aperientur quoque conſcientiarum libri, & omnia patebunt. Non erit opus teſtibus, non locus excuſationi, & fraudi: quia luce clarius omnium vita, actus, cogitationes, & affectus coram omnibus apparebunt; non ibi dilatio, aut appellatio, quia *Deus judex eſt*, & ipſe *Pſal. 94.* judex, & teſtis; Et ſicut per Prophetam dicit: *Accedam ad vos in judicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.* *Malach. 3.* Omnibus prævaricatoribus teſtis velox apparebit, quia coram omnibus ſubito radio claritatis ſuæ omnia eorum peccata nudabit. Hi ſunt libri infallibiles, & veri, quos nemo poterit rejicere: ipſa enim cujuſque conſcientia reatus ſui teſtimonium palam omnibus exhibebit.

XIII. Liber autem ille vitæ, in quo cujuſque reprobatio, & prædeſtinatio relucebit, non omnibus perſpicuus erit, ſed ſupremis illis judicibus, qui judicandorum rationes in eo legent apertius, vel obſcurius, prout donaverit ipſe, qui judicat Deus: & per eos inferioribus patefient, ſicut ſcriptum eſt: *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis*, id eſt, ſanctis illis verticibus ſanctarum mentium, *turbati ſunt omnes inſipientes corde*, ſuam in eis videntes damnationem. *Pſal. 75.* Et hæc forte eſt eorum judicialis poteſtas, & authoritas, qua ab inferioribus etiam electis diſcernuntur ut judices, de quo ſatis luculenter ediſſerit Richardus de Sancto Victore

(*a*) ctore (*a*), cujus, ne immoremur, ſcripta perlege. Hanc vero Judicii ſeriem, librorumque aperitionem magnifice ſatis Daniel præcinuit, dicens: *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit: Veſtimentum ejus candidum quaſi nix, & capilli capitis ejus quaſi lana munda: Thronus ejus flammæ ignis: Rotæ ejus ignis accenſus. Fluvius igneus rapiduſque egrediebatur a facie ejus. Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei. Judicium ſedit, & libri aperti ſunt... Aſpiciebam ergo in viſione noctis: Et ecce cum nubibus cœli, qua Filius hominis veniebat, &c.* Quid apertius, quid lucidius, quid potentius de hoc judicio dici potuit? Mira res, ita diſtincte Vati illi hujus Judicii majeſtatem in viſione imaginaria fuiſſe monſtratam. Conſonat illi Joannes Apoſtolus in Apocalypſi: *Et vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, a cujus conſpectu fugit terra, & cœlum, & locus non eſt inventus eis. Et vidi mortuos, magnos, & puſillos, ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt; Et alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: Et judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum.*

Dan. 7.

Apoc. 20.

XIV. Quanta tunc confuſio quorundam, qui ſe ſanctorum agminibus agglomerandos in hac vita credebant, cum ſe viderint damnatis annumerari? Quomodo ſtupebunt dicentes: Domine quomodo hoc? Quidnam hoc eſt? Ita ne fruſtrabitur ſpes noſtra? *Nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus*, multos ad fidem tuam convertimus, *virtutes multas*, & miracula *fecimus?* Hæcne laborum noſtrorum retributio? Hoc tantorum operum ſtipendium? Quibus dicet: *Nunquam novi vos: diſcedite a me* operarii inquitatis. Quanta turbatio, quanta in his verbis mœſtitia! non enim ad modicum ſeparantur, ſed in æternum. Quod ſi prophetantibus, & prædicantibus eum, mandatorum ejus prævaricatoribus hæc dicturus eſt: Quid avaris, quid blaſphemis, quid laſcivis, quid rapacibus, & profanis dicturum putas? Quid facies tunc o avare, quid facies raptor, quid o ſuperbe, & lubrice? *Quid facietis*, inquam, *in die viſitationis & calamitatis de longe venientis? Ad cujus confugietis auxilium? Et ubi derelinquetis gloriam veſtram, ne incurvemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis:* Non ibi precandi locus, nullus vobis interceſſor aſſiſtet, qui pro vobis verbum loquatur. Non beata Virgo, non Angelus, non Apoſtolus, non amicus, non etiam qui te genuit pater propitiabitur pereunti. Unuſquiſque in ſua juſtitia liberabitur: æquitas Judicii quæretur, nemo audebit pro te dicere teſtimonium.

Mat. 7.

Iſaiæ 10.

Ezech. 18.

Unde, ſi juſtus vix ſalvabitur, impius, & malus quid ſperare poterunt? Ita enim adamuſſim ibi diſcernentur non ſolum exteriores actus, & opera, ſed radices quoque operum, intentiones, & voluntates; meritorum quoque, & demeritorum cauſæ, intentionumque, & deſideriorum fines, & circumſtantiæ; ut vix ulla reperiatur pura juſtitia, quæ non auxilio gratiæ, & miſericordiæ egeat roborari. Unde Gregorius (*b*): Væ vitæ quantumcunque laudabili, ſi remota pietate judicetur, & Pſal. *Non intres in judicium cum ſervo tuo.* Et Job: *Vere ſcio, quod ita ſit, & quod non juſtificetur homo compoſitus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit reſpondere ei unum pro mille.* Et iterum: *Unum eſt quod locutus ſum: Innocentem, & impium ipſe conſumet.* Conſonat Pſalmus: *Cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo.* Non ait peccata, non ſcelera, ſed juſtitias. Et alius Propheta: *Scrutabor Jeruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis, &c.* O lucernas Dei! Quis veſtram poterit effugere lucem? Quid coram vobis poterit occultari?

(*b*)

Pſ. 142.

Job 9.

Pſal. 74.

Soph. 1.

XV. Neque minus hoc pium erit in ſanctos, quam in reprobos ſeverum; nam, & Pſalmiſta hoc ipſum a Deo poſtulat, dicens: *Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta.* Ac ſi dicat: non labores, non ſudores, non pericula, & diſcrimina, non famem, ſitim, nec nuditatem, non vigilias, & aſperitates volo, ut dijudices, hæc enim omnia, & avarus pro lucro, & guloſus pro cibo, & elatus pro honore, & lubricus pro voluptate, cumulatius paſſus eſt. Non ergo opera nuda judices, non agones ſolos dinumeres, ſed *Diſcerne cauſam meam, de gente non ſancta*, de populo vano: hæc eſt Judicii tota ratio, hoc pondus, hæc totius ſpei meæ unicum firmamentum, quia laborum meorum, & opera, qualiacunque ſunt, tu Domine cauſa, tu finis propter te, & ad te ſunt facta. Brevi igitur tempore tantarum rerum ſumma finietur, ſic enim omnes, quaſi ſingulos judicabit: ſua enim quiſque conſcientia convincetur, nec erit, quid valeat reſpondere convictus, ſed ſicut ſcriptum eſt, *Omnis iniquitas oppilabit os ſuum*, & rurſus: *Impii in tenebris conticeſcent.* Unde ſervus ille nequam in Euangelio, quia quid pro ſe reſponderet non habebat, obmutuit. An vero ſolo interiori, & ſpirituali examine, an corporali quoque voce, & ſermone hæc definienda ſint, non multum refert; credimus tamen audibilem omnibus a judice futurum ſermonem, quem Leonis rugitum nonnulli Prophetarum, alius autem verbum aſperum vocat, dicens: *Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium,* & *a*

Pſal. 42.

Ibid.

Pſ. 106.

1. Reg. 2.

Mat. 22.

Iſaiæ 5.

Pſal. 90.

(*a*) Vide ejuſdem Tract. de Poteſtate judiciaria. Attamen recte Maldonatus in Matth. cap. 19. *Quo autem modo*, inquit, *judicaturi Apoſtoli ſint, vix nobis compertum eſſe poteſt, quemadmodum magni quidam Theologi dixerunt.* De hoc late Angelicus Doctor in 4. ſent. diſt. 47. q. 1. art. 2.

(*b*) S. Gregorius Moral. lib. 29. cap. 18. num. 34. Eadem ferme leguntur apud S. Patrem Auguſtinum Confeſſ. lib. 9. cap. 13. *Et væ etiam laudabili vitæ hominum ſi remota pietate diſcutias eam.*

& a verbo aspero. Unde, & alibi, sicut superius annotavimus, inquit: *Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit*. Et alius Propheta: *Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar: Dissipabo, & absorbebo simul*. Omnem enim indignationem, quam longo tempore præcedentium sæculorum in reprobos concepit, tunc effundet in eos. Væ miseris! Et quis poterit sustinere? *Si enim*, ut ait Job: *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus*, trepidamus: *Quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?*

Psal. 49. *Isaiæ* 42. *Job* 26.

XVI. Sed, quidnam tunc dicturus sit, licet ex parte per Scripturas noverimus, magna tamen ex parte, ut creditur, ignoramus; plura enim quam Scriptura commemorat, ut existimo, ac duriora loquetur: Et licet, velle hoc definire, forsitan temerarium videatur, satis tamen placet beati Bernardi sententia (*a*), qui fere in hunc modum cum reprobis eum asserit expostulaturum: Audite me filii Adam, *Quique terrigena, & filii hominum audite:* Quid invenistis in me iniquitatis, quia recessistis a me? Quid causæ est, quod inimico meo, vestroque servire magis libuit, quam mihi? Neque enim ille creavit vos, sed neque pavit quidem, aut tempora vestra ipse disposuit: & si parva hæc videntur ingratis, non ille, sed ego redemi vos, sed quo pretio? Non utique corruptibilibus auro, & argento, non sole, vel luna, non aliquo Angelorum, sed proprio vos cruore redemi. Testes sunt plagæ istæ, quas in meo corpore cernitis: testis Crux illa, quæ superius rutilat in excelso: testes hi, qui morienti affuerunt & adhæserunt. O generatio stulta, & prava! Quare cum labore huic teterrimo hosti obedire maluisti, quam mihi cum gaudio Deo tuo, Redemptori tuo? *Vocavi, & renuistis: Extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium, & increpationes meas neglexistis*, præcepta quoque, & leges meas pro nihilo habuistis. Dicite vos Angeli, dicite o Judices: *Judicate inter me, & vineam meam. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Attollent tunc omnes vocem suam, & dicent: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum*. Tunc ad populum suum, quem fide, & doctrina illuminare dignatus est, convertet sermonem suum, dicens: *Populo meus quid feci tibi? Aut in quo molestus fui tibi? Responde mihi*. O Synagoga Satanæ! O perfida, & incredula! Quantum pro te laboravi, quantum pro te sudavi, quanta miracula feci in te, quanta prodigia, quot tibi contuli beneficia! *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Misera! Insuper, & pro laboribus meis, & donis, tale mihi stipendium præbuisti? Et vos Christiani, qui nomine meo, & fide gloriabamini, factis & opere negastis me: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: Sitivi, & non dedistis mihi potum: Hospes eram, & non collegistis me: Nudus eram, & non operuistis me: Infirmus eram, & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei ipsi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis dicens: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis*. His igitur, & similibus impios increpabit. Unde si ad illos, qui de suis facultatibus non dederunt, hæc dicturus est: Quid fiet de illis, qui non solum pauperes non paverunt, sed ipsos etiam spoliaverunt, & oppresserunt? Si, qui non dedit, damnatur, qui rapuit, quo inferno punietur? Attendant divites, qui satis probe se vixisse putant, si aliena non rapiunt, si licitis modis ditantur, si nemini injuriam faciunt, aut fraudem. Videant, quia non dedisse sufficit ad gehennam. Si enim cum supereset non dare indigenti, non esset damnabile, non utique in hos tam acriter Domini sententia desæviret. Expleto itaque Judicio, & examine finito, ad impios intonabit, dicens: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*. Ad electos autem, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*. Tunc ad verbum ejus dehiscet terra hiatu grandi sub malorum pedibus, & deglutiet eos: Justi autem cum ipso perpetuo regnaturi conscendent in gloriam; ad quam nos perducat idem Dominus noster, & Judex noster Jesus Christus, cui cum Patre, & Spiritu sancto est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Ibid. 25. *Ibid.*

(*a*) Seu Gaufridi Abbatis in declam. ex Bernardo vol. 3. edit. Mabillonii decl. 43. Aliquid etiam simile reperitur apud S. Ephrem Syrum de judic. extr. & compunct. Et S. Hippolyt. Mart. de consum. mundi sub fin.

IN DOMINICAM I. ADVENTUS CONCIO TERTIA.

De Judicio extremo.

Erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium.
Lucæ 21. v. 25.

I. APostolis quærentibus in Ascensione: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Responsum est: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*. Usque adeo secretus est dies ille, ut dicat Euangelista: *De die autem illo, vel hora, nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*.

* Concio III. *Act.* 1. *Marci* 13.

(a) ter. Quod, ſecundum P. Auguſtinum (a) intelligi debet ſic: Neque filius ſcit, ad revelandum: ſicut Confeſſarius dicit, non ſcio hoc, ad revelandum. Tamen Dominus, licet diem ſignatum non oſtenderit; ne incautos nos raperet, dedit ſigna, dicens: *Erunt* Lucæ 21. *ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione quæ ſupervenient univerſo orbi. Nam virtutes cœlorum movebuntur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magna & majeſtate.* Magna quæſtio (b) inter Parentem (b) Auguſtinum, & Epiſcopum Heſychium: An per iſta ſigna poſſit conſtare propinquitas Judicii, nam, ſi non; ad quid igitur data ſunt? Vide Auguſtinum in epiſtola octogeſima. Appropinquante enim fine hominis totus mundus conturbabitur, qui propter hominem factus eſt. Sol contra perverſos ſubtrahet ſuam claritatem, ſtellæ cadent in terrorem, & turbatio maris præmonſtrabit tribulationem ſequentem futuram. Iſaias: Iſaiæ 13. *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furoriſque, ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea. Quoniam ſtellæ cœli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum: Obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo. Et viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum: & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.* Ezechiel: *Operiam cœlum, & nigreſcere faciam* Ezech. 32. *ſtellas ejus: Solem nube tegam, & luna non dabit lumen ſuum. Omnia luminaria cœli mœrere faciam ſuper te: Et dabo tenebras ſuper terram tuam, dicit Dominus Deus, cum ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus.* Joel: *Multiplicata eſt malitia* Joel. 3. *eorum: Populi populi in Valle conciſionis: Quia juxta eſt dies Domini in Valle conciſionis. Sol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum. Et Dominus de Sion rugiet, & de Jeruſalem dabit vocem ſuam, & movebuntur cœli & terra.* Et alibi diverſis in locis.

II. *Videbunt Filium hominis venientem in* Lucæ 21. *nube cum poteſtate magna, & majeſtate.* Chriſtus in carne apparebit propter duas rationes. Prima ratio eſt: Ut oſtendatur Dominus ſecundum carnem ſuper omnes gentes. Apoſtolus: *In hoc enim Chriſtus mortuus* Rom. 14. *eſt, & reſurrexit: Ut, & mortuorum, & vivorum dominetur*, non minus Dominus quia Redemptor, quam quia Creator. Secunda ratio eſt: Ut videant Judæi & confundantur. *Videbunt in quem transfixerunt.* O Ju- Joan. 19. dæe reſpice corpus, quod laceraſti, reſpice manus & pedes, quos perforaſti; reſpice venientem in nube cum majeſtate, eum, quem crudeliſſime in paſſione dilaceraſti. O quam differens adventus a primo! In primo venit judicandus, ad ſolvendum debitum humilis. Iſaias: *A planta pedis uſque ad verticem* Iſaiæ 1. *non eſt in eo ſanitas. Vulnus, & livor, & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* O quanta crudelitas paſſionis! In ſecundo aderit judicaturus ad remunerandum debitum ſublimis. *Cum venerit Filius hominis in majeſtate ſua,* Mat. 25. *& omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes. Et ſeparabit eos ab invicem, &c.* O ſumma majeſtas judicantis!

III. *Cum poteſtate magna, & majeſtate.* Lucæ 21. Dic de tuba: Mortui venite ad judicium. Quam difficile apparere! Dicent montibus: *Cadite ſuper nos &c.* Ecce confuſionem. Ibid. 23. Pondera hoc: *Cum poteſtate.* Ecce Angeli adſtabunt undique, & Sancti omnes, Do- Mat. 19. mino promittente: *Cum ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Iſrael.* S. P. Auguſtinus ſuper Pſalmos (c): (c) Numquid non plures ſedes? Ubi ergo Paulus ſedebit? Reſponſio. Omnes Martyres etiam ſedebunt judicaturi. Apocalypſis: *Qui vice-* Apoc. 3. *rit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: Sicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo.* Nobilis in portis vir ejus quando ſederit cum Prov. 31. *Senatoribus terræ.* Gregorius (d): Veniet ibi (d) Petrus cum una familia quam liberavit, veniet etiam Hieronymus, veniet P. Auguſtinus; & nos miſeri, quid dicemus, qui non audivimus oves, ſed perdidimus noſtro exemplo? Pondera hoc. Undique miſeria! Cor intus accuſabit, dæmon extra, ſurſum Judex, infra infernus. O impie, tunc ubi parebis? Liberet nos Dominus ab auditione Pſal. 90. mala, *a verbo aſpero: Diſcedite a me male-* Mat. 25. *dicti in ignem æternum.* Iſaias: *Quis poterit* Iſaiæ 33. *habitare de vobis cum igne devorante? Quis* Ibid. *habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? Nunc conſurgam, dicit Dominus: Nunc con-*

(a) Ita plane S. P. Auguſtinus lib. de diverſ. quæſt. 83. quæſt. 60. *Ideo bene accipitur id, quod dictum eſt ſolum ſcire Patrem, ſic dictum eſſe, quia facit Filium ſcire, & quod dictum eſt, neſcire Filium, ſic dictum eſſe, quia facit neſcire homines, ideſt non prodit eis, quod inutiliter ſcirent.* De hoc iterum S. Parens Enarr. in Pſal. 6. n. 1. & in Pſal. 36. n. 1. nec non lib. 1. de Trin. cap. 12.

(b) Quæſtionis inter Heſychium, & Auguſtinum ſumma hæc erat. Heſychius conſideratis divinis teſtimoniis de ſæculi fine, aſſerebat, certo quidem cognoſci non poſſe diem, & horam adventus Chriſti; attamen ex ſignis num jam inſtaret, poſſe deprehendi. Auguſtinus quomodo intelligenda ſint Scripturæ teſtimonia aperit, ac docet non eſſe inquirendum tempus adventus Chriſti, ſed ita vivendum ut ad eum excipiendum ſemper parati ſimus. Extat tomo ſecundo operum S. Auguſt. noviſſimæ editionis Epiſtola Heſychii num. 198. quam ſequitur Auguſtini Epiſtola.

(c) Ideſt Enarr. in Pſal. 49. num. 9., ubi objectionem proponit. *Sed dicit aliquis duodecim illic Apoſtoli conſedebunt non amplius. Ubi ergo erit Apoſtolus Paulus?* Vide etiam in Pſal. 86. num. 4.

(d) In Ezechiel lib. 1. Hom. 2. num. 18., & Hom. 17. num. 17. in Euang., ubi de Judæa converſa, cum qua Petrus in Judicio apparebit. *Ibi Petrus cum Judæa converſa, quam poſt ſe traxit, apparebit. Ibi Paulus, &c.*

ſurgam, ſublevabor. Concipietis ardorem, parietis ſtipulam: Spiritus veſter, ut ignis, vorabit vos. Gregorius (*a*): Priuſquam ſe teneri permitteret Chriſtus Dominus, perſecutores ſuos requiſivit, dicens: *Quem quæritis?* Cui illico reſponderunt: *Jeſum Nazarenum.* Quibus, cum repente diceret, *Ego ſum:* Vocem ſolummodo mitiſſimæ reſponſionis edidit, & armatos perſecutores ſuos, protinus in terram ſtravit. Quid ergo facturus eſt, cum judicaturus venerit, qui una voce hoſtes ſuos perculit, etiam cum judicandus venit? Quod erit illud Judicium, quod Immortalis exerit, qui in una voce non potuit ferri moriturus? Quis ejus iram toleret, cujus & ipſa non potuit manſuetudo tolerari? De operibus miſericordiæ ratio hic etiam reddenda eſt. O res terribilis! ait Bernardus (*b*): non dicitur, quod mala geſſerit, ſed quod bona non fecerit. *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare: Sitivi, & non dediſtis mihi potum: Hoſpes eram, & non collegiſtis me: Nudus, & non cooperuiſtis me: Infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me.* Et ideo: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus.* Si ſic punitur, qui non dedit propria, quomodo punietur, qui rapuit aliena? Commenda hic opera miſericordiæ.

IV. Igitur, *Fratres, hora eſt jam nos de ſomno ſurgere.* O ſomnus! O dormitio ſenſus! O torpor cordis, quando excitaberis? *Quis ſuſcitabit Jacob, quia parvulus eſt?* Dormimus, fratres, ignorantes periculum noſtrum, in quo poſiti ſumus. Latent inſidiæ circumcirca, & nos neſcimus. *Fratres,* ait idem Apoſtolus: *Adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies.* Vociferate, clamate cordibus veſtris, ſi forte excitetis ea ad timorem hujus judicii, ad verecundiam, ad confuſionem, ad amorem, ad cupiditatem regni cœleſtis. O Domine! Quoties mihi videor ſimilis dormienti, & cupienti excitari, & mecum ipſe contendo, *Et non potui ut viderem!* Hoc ſolum video: Quoniam cæcus ſum. Excitamini, Fratres, & ambulate in lucis fervore, vivi, non mortui, non algidi, non tepidi, non veluti ſequentes umbram, & ſicut parvuli, ambulantes poſt lanuginem. *Spes* enim *impii, tamquam lanugo eſt, quæ a vento tollitur: & tamquam ſpuma gracilis, quæ a procella diſpergitur: & tamquam fumus, qui a vento diffuſus eſt: & tamquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis. Dicite* obſecro: *Quid* vobis *profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit vobis? Tranſierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuntius percurrens, & tamquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam: cujus, cum præterierit, non eſt veſtigium invenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus: aut tamquam avis, quæ tranſvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, Sed tamquam ſonitus alarum verberans levem ventum, & ſcindens per vim itineris aerem: commotis alis tranſvolavit, & poſt hoc, nullum ſignum invenitur itineris illius: aut tamquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diviſus aer in ſe recluſus eſt, ut ignoretur tranſitus illius. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Cum finis illorum mors ſit? Sufficit* ergo, fratres, ut ait Apoſtolus Petrus: *Præteritum tempus, his qui ambulaverunt in luxuriis, deſideriis, vinolentiis, comeſſationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus; Ut jam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne* vivant *temporis.*

V. Sed Hei! Babylon, ut ait Bernardus (*c*): Quia terra eſt, nec poteſt ſuſtinere ſermones Dei, elongata a corde in iis, quæ carnis ſunt, perſeverat, tamquam mortua a corde, imo *Facta eſt quaſi columba ſeducta non habens cor:* amat enim perſeverare & lætari in rebus peſſimis, audienſque vocem Domini, hujuſmodi gaudia nullatenus approbantem, ſed deteſtantem, ſed arguentem, ſed condemnantem, fugit & abſcondit ſe in ſimilitudine prævaricatoris Adæ. Sed heu me! Quam vile operimentum quæris miſera anima, quam inutile quæris operimentum! Folia enim ſunt quæ intexis, folia, inquam, quæ nil tibi caloris præbeant, nihil habeant ſoliditatis. Orto namque ſole areſcent, & ventus urens diſperdet illa, tu vero nuda & miſera manebis, quando ſcilicet: *Nihil opertum, quod non revelabitur,* quando veniet *Dominus: qui & illuminabit, abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Non erit in quo lateas miſera, quoniam nudam & apertam oportebit te ſtare ante tribunal Chriſti, ut audias vocem judicii, quæ vocem conſilii contempſiſti. Satius ergo, fratres, dum hora eſt, dum tempus eſt, de ſomno hoc ſurgamus. Relinquite vanitatem, ſequimini veritatem: & vel ſaltem experimini delicias ſpiritus, & pacem, & quietem juſtitiæ. *Et videbitis,* ut ait Propheta: *Quid ſit inter juſtum, & impium; Et inter ſervientem Deo, & non ſervientem ei;* ſed ſervientem vento, & mundo. Attendite, quid dicat Propheta de dormientibus: *Sicut oves in inferno poſiti ſunt: Mors depaſcet eos.* Iſti ſunt qui dormientes deferuntur ad ſepulcrum, & ſepeliuntur in inferno, non prævidentes miſeriam, uſque dum experiuntur eam. Liberet nos

(*a*) Moral. lib. 17. cap. ult. num. 54. uſque ad ea verba: *Non potuit manſuetudo tolerari.*

(*b*) Reducitur ad ea, quæ tradit S. Bernardus, ſeu Auctor declam. ſub num. 23., & in tract. de Converſ. ad Clericos cap. 10. num. 1. denique Epiſtola 2. num. 11. Auctor libri de conflictu vitiorum, & virtutum inter opera S. P. Auguſtini tom. 6. Append. cap. 17. *Memento quid purpurato diviti contigerit, qui non ideo damnatus eſt, quod aliena tulerit, ſed quod egenti pauperi ſua non tribuerit.*

(*c*) Extat teſtimonium Serm. 5. de diverſis num. 2. & 3. Bernardi porro verba ſunt, paucis exceptis, uſque ad finem Concionis.

nos Deus a tali ſomno: & donet, hodie eum audire conſulentem, admonentem, docentem, & multum arguentem, increpantem, corripientem: quam in illa die tam amara, tam lugubri, tam tenebroſa, audire illum judicantem, indignantem, ulciſcentem, ſævientem, condemnantem. Bonum ſit nobis hic humiliari, hic corripi a juſto Domino in miſericordia, & increpari; ne forte terra inveniamur, quam aliquando percutiat virga oris ſui, quando vaſa figuli virga ferrea conterentur. Bonum ſit nobis propter verba labiorum ejus hic cum Propheta cuſtodire vias duras, quam pariter cum impio interfici ſpiritu labiorum ejus in perpetuum. Amen.

Pſ. 140. *Iſaiæ* 11. *Jer.* 19. *Pſal.* 16.

IN DOMINICAM I. ADVENTUS CONCIO QUARTA.

De Judicio extremo.

Levate capita veſtra: Quoniam appropinquat redemptio veſtra.
Lucæ 21. v. 28.

Concio IV. *Lucæ* 21.

I. MIrabile eſt, Fratres mei, quod cum Dominus tam horrenda ſigna præmiſerit, ſolis tenebras, lunæ motum, maris ſonitum, bella, ſeditiones, judicis iram, & ignem; adeo tremenda, ut dicat: *Areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi.* Tunc dicat: *Levate capita veſtra*, & erigite vos in lætitiam. Cum homines areſcent, cum etiam Angeli, in conſpectu ejus timebunt, tunc præcipiat eos exhilarare. O vere beata vita innocens, & conſcientia munda, quæ mundo cadente caput levat! Et tunc cum omnia cadunt, levatur, & non timet apparere coram judice irato, ante quem præcedit ignis. Credite, Fratres, credite: Non mors eſt, quæ peccatores terret, ſed vita male acta. Apoſtolus: *Nam gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei converſati ſumus in hoc mundo.* Cum hoc teſtimonio conſcientiæ, & teſtimonio Spiritus Dei, qui *Teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei:* Non timet Sanctus Judicis irati præſentiam: timeant ergo cæteri. Vos autem, Fratres: *Levate capita veſtra.* Dominus dixerat in Euangelio: Ecce, *veniunt dies, quando deſideretis videre unum diem filii hominis.* Perfectorum eſt tale deſiderium; eorum, qui optant *Diſſolvi & eſſe cum Chriſto;* eorum, qui clamant cum Propheta: *Educ de cuſto-*

2. *Cor.* 1. *Rom.* 8. *Lucæ* 21. *Ibid.* 17. *Philipp.* 1.

dia, Deus, *animam meam*, id eſt, corpore mortali. Et cum Paulo: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Eorum, qui cum Apoſtolo ingemiſcunt habitationem ſuam, quæ de cœlo eſt: ſuperindui cupientes vita æterna, & abſorberi, quod mortale eſt, quamdiu in hoc corpore peregrinantur a Domino.

Pſ. 141. *Rom.* 7. 2. *Cor.* 5.

II. Sed quid eſt, quod ait: *Venient dies*, & deſiderabiles dies? Ecce dies noſtri multi ſunt, & labuntur, & advenientibus tenebris nocturnis multiplicantur. Sed dies filii hominis unus dies. Non erit ibi nox, non erit ibi occaſus, quoniam *lucerna ejus* erit *Agnus:* Ille Sol ſemper lucens, ſemper irradians animas; non erit ibi obnubilatio, non viciſſitudo, non alternitas lucis ad tenebras. Ecce, ab iis diebus factus eſt *veſpere & mane dies unus.* Sed, in Sabbato quietis æternæ non eſt veſpera, non adveſperaſcit, ſemper dies, ſemper meridies. Ecce, quia Sol movetur, fit nox. Ille *Sol juſtitiæ* non movetur; nam apud ipſum *Non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio:* ſemper in gaudio, ſemper in lætitia, ſemper in jucunditate plena. Sed etiam unus erit dies in cœlo: nam Sol ſtabit, & ſemper in eodem puncto quieſcet, & in perpetuum manebit; æternus dies in eodem puncto, ſole perpetuo quieſcente. Nunc diſcipuli mei, audito adventu & ſignis, timidi eſtis, ſed venient dies, cum eritis perfecti, & jam non ſolum non timebitis, ſed etiam deſiderabitis diem Filii hominis. Sed quam deſiderabilis ſit iſte dies omnibus rebus, audiamus Apoſtolum Paulum ad Romanos: *Exiſtimo*, inquit, *quod non ſint condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ecce, qui de aliquo judicaturus eſt, opus eſt, ut expertus ſit: quis autem magis expertus tribulationes, quam Apoſtolus ad Corinthios ait? *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, &c. In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & ſiti, in jejuniis multis, in frigore, & nuditate, &c.* Item; Quis melius expertus eſt in carne mortali gloriam? Sequitur: *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (ſive in corpore neſcio, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit) raptum hujuſmodi uſque ad tertium cœlum. Et ſcio hujuſmodi hominem (ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit) quoniam raptus eſt in Paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Id eſt: cujus non eſt homo capax, ut loquatur. Ecce, expertus eſt utrumque, labores, & gloriam: recte judicare poteſt. Dicit autem: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Lucæ 17. *Apoc.* 21. *Gen.* 1. *Ibid.* 2. *Malach.* 4. *Jacob.* 1. 2. *Cor.* 11. *Ibid.* 12. *Rom.* 8.

III. Nota: Non ſunt per ſe condignæ (*a*); facit (*a*)

(*a*) S. Ambroſius de interpellat. lib. 1. cap. 1. *Unde Apoſtolus Paulus, indignæ ſunt*, inquit, *paſſiones hujus temporis ad ſuperventuram gloriam, indignæ utique ad conſolationis comparationem, non ad fructum redemptionis.*

facit eas condignas Christi passio, & gratia ejus collata, sed non de se. Quod si vultis scire, quomodo non sunt condignæ: nam magna est gloria, quæ revelabitur in nobis. Ponder a verbum: *Revelabitur*. Nunc enim *vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra: Tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria*. Nunc, *Regnum Dei intra vos est*: sed occultum est, sed tunc revelabitur. Nunc enim magnum est, quod in vobis est, sed occultum est. *Charissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus*. O qualis, & quam glorioſa est filiatio, quæ abscondita est in istis! Modo, *Tamquam purgamenta hujus mundi facti* sunt, *omnium peripsema usque adhuc*: contemptibiles, abjecti: *Alii distenti sunt ... Alii vero ludibria & verbera experti, insuper, & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti*. Sed revelabitur. Nunc, pignus habent Spiritus, & spem vivam, sperantes, quando, *Qui resuscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora nostra*. Et *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Psalmus: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii, merces, fructus ventris*. Apparebit, quod populus, quem Dominus in hæreditatem recipit, sunt filii. Nam: *Similes ei erimus*. Ideo apparebit, quoniam ipse est pater, merces, fructus ventris. O! Tunc apparebunt mercimonia, quæ mercatus est sanguine suo mercator ille cœlestis. O! Tunc apparebit fructus sanguinis, & passionis Christi, quantus sit in Sanctis: Modo enim latet. Tunc mali, *videntes* Sanctorum gloriam, & beatitudinem, & excellentiam attoniti, & tristes stupebunt, *Turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est*. Tunc videbunt, quam sapientes erant, quos credebant stultos, nec in vanum fuisse cruciatos ad punctum. *Ad punctum, in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui: Dixit Redemptor tuus Dominus*. Ad punctum, est vita præsens: nam, quod in præsenti est, *Momentaneum* est, & *leve*, ut ait Apostolus. Ad punctum ergo, & in *Modico*, non in magno: brevis est tribulatio, & in re levi. In *Modico* patitur Deus suos tribulari. *Modicum* est honor, *Modicum* sunt dignitates: similiter, *Modicum* sunt divitiæ, & hæreditates. *Modicum* est salus filiorum, & salus corporalis. Denique quidquid corpus attinet, *Modicum* est. *In modico ergo derelinquet te*, id est in corpore, non in anima; nam anima multum est. Audite hujus exemplum: Ait Dominus ad Satan: De S. Job: *Ecce, universa quæ habet in manu tua sunt: ecce in manu tua est, verumtamen, animam illius serva*. Ecce in *Modico* derelictus est, in maximo custoditus est: Id est anima. O Bone Jesu, ad te convertatur sermo: Clamans in Cruce: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* O fili! In puncto, in *Modico*, dereliqui te, ait Pater. In *Modico* temporis vitæ hujus momento; nam in die æternitatis, & in perpetuum, *Tu mecum es*. Sed in modico, in humanitate, in anxietate, in illo *Modico*, de quo ait: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis*: in illo *Modico*, de quo ait: *Ego autem mendicus sum & pauper*; in illo *Modico*, de quo ait Propheta: *Vidimus eum & non erat aspectus, & desideravimus eum: despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem; & quasi absconditus vultus ejus, & despectus, unde nec reputavimus eum: Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos reputavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum; Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, atque attritus est propter scelera nostra*; In illo Modico derelinquam te, inquit Pater. Nam in Deitate, quid ait ad Philippum? *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?* In illa ait: *Ego & Pater unum sumus*.

IV. Sed redeamus ad nos: In puncto, & puncto angustiæ dereliqui te, sed in miserationibus magnis congregabo te: congregabuntur cineres dispersi, consolidabuntur, cutis superaddetur lucida. O quanta miseratio! Cum putridus pulvis, & cinis dispersus, congregabuntur in tantam gloriam, in tantum splendorem, in tantam lucem! *Fulgebunt justi, sicut sol, in perpetuas æternitates*. Nunc Fratres mei, nunc judicate, si est æquum expectare nos tantam gloriam, nos levare caput, & per mortem & ignem ad tantam beatitudinem anhelare; hanc gloriam nostram expectat totus mundus: expectat Deus, expectant Angeli, expectant Sancti, expectamus & nos. Apostolus ad Romanos: *Expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat ... Quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes: Et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri*. Omnis ergo creatura, Angeli, & homines, quin & Deus ipse expectant resurrectionem nostram, redemptionem nostram. Unde & Martyres, cum Judicii diem postularent, non tamquam vin-

Coloss. 3. Luc. 17. 1. Joann. 3. 1. Cor. 4. Heb. 11. 2. Cor. 1. Ibid. 5. Rom. 8. Philipp. 3. Ps. 126. 1. Joann. 3. Sap. 5. Isaiæ 54. 2. Cor. 4. Isaiæ 54. Ibid. 10. Isaiæ 54. Sap. 3. Eccli. 17. Dan. 12. Rom. 8. Job 1. Ibid. 2. Mat. 27. Psal. 22. Psal. 21. Psal. 39. Isaiæ 53. Jo. 14.

vindictæ cupidi, sed perfectionem desiderantes beatitudinis, quam tunc habituri sunt, acceperunt divinum responsum: Sustinete
Apoc. 6. modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum. Acceperunt ergo jam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos. Vadimonia tenemus & obsides ipsa eorum corpora, sine quibus consummari non possunt, nec ea recipient sine nobis. Unde, de Patriarchis & Prophetis ait Apostolus: *Deo pro nobis me-*
Heb. 11. *lius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*. O, si cognosceremus & nos, quomodo expectant, & quantum desiderant B aspectum nostrum! Quam sollicite quærunt, quam libenter audiunt bona de nobis! Quid vero, de hominibus loquor? Sanctis Martyribus, qui didicerunt ex his, quæ passi sunt compassionem: Quandoquidem & nos, ipsi Angeli sancti, concives nos sanctos avide secum desiderent. Nonne de pulvere hoc humano restaurandi sunt muri civitatis cœlestis Jerusalem? O quantum putatis, desiderant cives cœlestes restaurari civitatis suæ ruinas! Quomodo solliciti sunt, ut veniant lapides vivi, qui coædificentur eis? Quomodo discurrunt medii inter nos & Deum? fidelissime portantes ad eum gemitus nostros, & ipsius gratiam devotissime nobis reportantes. Plane non dedignantur, ut simus eorum socii, quorum facti sunt jam ministri.
Ibid. 1. *Nonne*, enim, *omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* Festinemus ergo Charissimi, properemus: tota nos multitudo
Lucæ 15. curiæ cœlestis expectat. Exultare Angelos fecimus, quando conversi sumus ad pœnitentiam: proficiamus, & properemus complere de nobis eorum lætitiam.

Ibid. 9. V. Væ tibi quicumque es, qui respiciens D retro, exoptas redire ad lutum! Putasne placatos habebis in judicio, quos tanto, & tam sperato privare vis gaudio? Exultaverunt, cum nos ad pœnitentiam properamus, tamquam super his, quos ab ipsa inferi porta cernerent evocari: Quid nunc erit, si ab ipsa paradisi porta redire conspexerint, & abire retrorsum eos, qui jam pedem alterum in paradiso posuerunt? Nam, etsi corpora inferius, sed corda sursum: Currite
Heb. 4. fratres, festinate, properate ingredi in Sanctam illam civitatem Jerusalem. Nec solum Angeli, sed & ipse Angelorum vos Creator E
Mat. 22. expectat. Nuptiæ paratæ sunt, sed nondum plena domus, adhuc expectantur, de quibus nuptiæ adimpleantur. Expectat vos Pater, & desiderat, *non solum propter nimiam cha-*
Ephes. 2. *ritatem suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, & consedere* faciet *in cœlestibus*; Sed propter semetipsum, sicut loquitur per Prophetam:

A Propter memetipsum ego faciam, non propter vos. Quis enim implendum dubitet, *Ezech. 36.*
quod promisit filio, dicens: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam?* Et ali- *Psal. 2.*
bi: *Sede a dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Sed, & de *Ps. 109.*
Filio, quis nesciat, quantum desideret fructum nativitatis, ac passionis, ac mortis suæ? Nonne traditurus est regnum Deo & Patri, quod acquisivit? Nonne ei restauraturus est *1. Cor. 15.*
creaturas suas, pro quibus Pater eum misit in mundum? Expectat nos & Spiritus sanctus: est enim charitas, & benignitas in B qua prædestinati sumus ab æterno: nec dubium, quin prædestinationem suam velit impleri. Ergo, quia paratæ sunt nuptiæ, & omnis nos curiæ cœlestis multitudo præstolatur, ac invitat, curramus, non quasi in incertum: curramus desideriis, & profectu. *Ibid. 9.*
Sed dices: nonne Christus pro nobis mortuus est? nonne jam in cruce redempti sumus? quomodo ergo appropinquat redemptio nostra? id est, effectus redemptionis, & fructus qui latebat? Responsio: Anima gratiam adepta est, sed corpus mortale est: ideo appropinquat redemptio, Glossa (*a*): Expe- (*a*)
C ctantes adoptionem corporis nostri, ut scilicet sentiat immortalitatem, & lucem, & liberetur a corruptione, & ponderositate, quam nunc habet. In quo sensu ait Apostolus: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humi-* *Philipp. 3.*
litatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Quomodo jam nos non salvabit, qui vivificabit in innocentia corpora nostra? Ecce quam redemptionem expectamus. Bernardus (*b*): Cadente homine quem constituerat Dominus *dominum domus suæ, & (b)*
principem omnis possessionis suæ, tota simul *Ps. 104.*
D hæreditas corrupta est. Inde distemperatus aer, terra in operibus Adæ maledicta est, *Gen. 3.*
& omnia subdita vanitati. Nec sane reparabitur hæreditas, donec reparentur hæredes.

VI. Nota: Quod dies iste Judicii ostensus est Abrahæ, ubi locutus est Dominus ad Abram dicens: *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium,* *Ibid. 15.*
turturem quoque & columbam. Qui tollens universa hæc, divisit ea per medium, & utrasque partes contra se altrinsecus posuit, aves autem non divisit . . . Cumque occumberet sol, E *sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus invasit eum . . . Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas*. Quid ista significant, Fratres, nisi comparitionem omnium gentium, earumque divisionem a Deo Abrahæ futuram in die judicii? Vacca enim, ut ait P. Augustinus (*c*), triennis, & aries an- (*c*)

(*a*) In Epist. ad Rom. cap. 8.
(*b*) Serm. 2. in Vigil. Nativ. Dom. num. 4. in fine, & 5. init. Ejus sunt verba usque ad ea: *reparentur Hæredes*. Huc spectant quoque præcedentia.
(*c*) S. P. Augustinus de mystico Abraham sacrificio differens Enarrat. in Psal. 103. Serm. 3. num. 5. ita

norum trium, & capra, & turtur & columba, figuram omnium gentium prætulerunt. Dicta ſunt autem trium annorum, quia omnes gentes in Trinitatis erant myſterium credituræ. Et quia tota Eccleſia Catholica non ſolum habet ſpiritales, ſed habet etiam carnales, ideo turtur & columba, mixtim cum vacca, capra, & ariete ponuntur. Verum diligenter attendite, quod tria illa animalia diviſiſſe in duas partes dicatur Abraham, & contra ſe invicem poſuiſſe, aves vero non diviſiſſe Scriptura commemoret. Quare hoc Fratres? niſi quia in Eccleſia Catholica carnales dividuntur, ſpiritales omnino non dividuntur. Et vel ideo utraſque animalium diviſas partes contra ſe altrinſecus poſuit, quia omnes luxurioſi & mundi amatores contra ſe invicem diviſiones & ſcandala habere non deſinunt. Aves autem non dividuntur, quia eſt ſpiritualibus unum velle & nolle, & *Cor unum, & anima una in Deum.* Et, *Act. 4.* quando carnales diviſi gravibus vitiorum compedibus premuntur in mundo, ſpiritales diverſarum virtutum pennis elevantur in altum, & duabus velut alis, duobus ſcilicet præceptis, diligendo Deum, & proximum eriguntur in cœlum. Et quoties Sacerdos dixerit: *Surſum corda*, ſecuri & fideliter dicunt: *Habemus ad Dominum.* Sed quid eſt, Fratres, quod cum ſol occubuiſſet horror magnus irruat ſuper Abram, & tenebroſus nimis, & appareat clibanus ardens, & fumans, & lampas ignis tranſiens? Veſpera illa finem mundi ſignificat: Animalia illa, ſicut jam diximus, typum omnium gentium in Chriſto credentium præferunt; quæ tamen gentes, uti etiam memoratum eſt, quia in ſe carnales, & ſpiritales, boni & mali ſunt, ideo animalibus illis diviſis, ignis tranſibit per ea, ſecundum illud quod ait Apoſtolus: *Dies enim Domini, declarabit, quia* 1. Cor. 3. *in igne revelabitur.*

VII. Clibanus ille ardens & fumans, & (a) lampas ignis diem judicii figuravit (a): Et ideo ſuper beatum Abram, timor & horror tenebroſus incubuit. Unde intelligimus: quod *ſi* in die judicii *juſtus vix ſalvabitur, impius* 1. Petr. 4. *& peccator ubi parebunt?* Clibanus ergo ardens & fumigans ſignificavit diem judicii: diem, inquam, terroris, in quo *Erit fletus* Mat. 8. *& ſtridor dentium*, in quo erit ululatus & lamentatio, quando movebuntur fundamenta montium, & ardebit terra uſque ad inferos deorſum. Quando, ſicut dicit beatus Petrus: *Cœli ardentes ſolventur, & elementa* 2. Petr. 3. *ignis ardore tabeſcent:* quando, ſicut Domi- Marc. 13. nus ipſe in Euangelio dicit: etiam virtutes cœlorum commovebuntur, quando ſol obſcurabitur, quando & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo. Cum ad clangorem tubæ totus ſimul cœperit mugire mundus, cum venerit Dominus ponere orbem terræ deſertum: & peccatores, per animalia illa ſignificatos, dividere, & ſeparare a juſtis in æternum perdendos. Quando ſcilicet, ſicut dicit Scriptura: peccatores & impii mittentur in ſtagnum ignis, *Et fumus tormentorum illorum aſcendet in ſæcula ſæculorum, nec* habebunt *requiem die ac nocte.* Verum, ut quid Domine nos in tanta tribulatione mittis ad ficulneam? dicens: *Ab* Mat. 24. *arbore autem fici diſcite parabolam?* Quis Domine, quis fructus ficulneæ? O Peccatores, videte ficulneam, arborem vobis notam: nam inde pater veſter Adam fecit perizomata, ad cooperiendam nuditatem ſuam ex Gen. 3. peccato. Ite & vos ad ficulneam, ut ſi forte reperiatis ſimiliter perizomata, quibus tegatis fœditatem peccatorum. Videte ficulneam: quam, obſecro, niſi illam, de qua in Euangelio dicitur: quod cum expectata Lucæ 13. eſt, ut faceret fructus, juſſa eſt abſcindi, & aliam arborem plantari, ne illa occuparet terram? Quam ficulneam niſi illam, quæ cum Marc. 11. non ferret fructus, maledicta eſt, & arefacta? Quam ficulneam, niſi de qua ſcriptum eſt: *Afferte maſſam ficorum: Quam cum attuliſſent, & poſuiſſent ſuper ulcus* Ezechiæ 4. Reg. 20. *curatus eſt?* Quid ſignificat maſſa illa ficorum, niſi peccatorum memoriam ſimul collectam, quæ ſanat vulnus cordis, & aperit apoſthema animæ, ut exeat putredo cordis? Aperit os, ut confiteatur, aperit cor, ut miſereatur, aperit manus, ut faciat bona, aperit burſam ad eleemoſynam.

VIII. Diſcite ergo, Fratres, & exemplum ſumite a ficulnea, & experimentum: ne fiat in veſtra anima, quod factum eſt in ficulnea: ne ficus fatua non faciens fructum Lucæ 3. excidatur, & in ignem mittatur. Multi etiam hodie ſunt, Fratres, qui habent gratias & dona Dei, & tamen dum non ferunt fructum in ſocios, dum non impartiuntur donum, ſive legendo, prædicando, docendo, arefiunt. Juſto enim Dei judicio hebetatur ſenſus illius, qui dum vigeret lumine, ſegnitie & torpore noluit luminis fructum animabus ſuorum fratrum communicare. Exſiccatus eſt fons, quia aqua non manavit in rivulos ad terræ fœcunditatem. Videte ergo ficulneam, & timete. Ubi tunc ficulnea infructuoſa, ubi tunc ſe impii videbunt? Ubi adulteri, ubi ebrioſi, ubi maledici ſe recognoſcent? Ubi amatores luxuriæ, ubi raptores, ubi ſuperbi & invidi apparebunt? Quantus terror & tremor invadet corda impio-

ita eorum animalium figuras exprimit: *In Ariete intelliguntur Præpoſiti, ducunt enim greges. In Vacca plebs intelligitur Judæorum, habuit enim jugum legis ſub quo laborabat. In Capra intelligitur Eccleſia de gentibus, quibuſdam enim liberis ſaltibus inſultabat, & amaro paſcebatur oleaſtro.* Quæ paulo infra de eorum animalium diviſione exponit S. Orator, cohærent cum iis, quæ a S. Patre hoc eodem in loco traduntur, tum etiam lib. 16. de Civit. Dei cap. 24.

(a) Non aliter S. P. Auguſtinus in Pſalm. 103. Serm. 3. num. 5. *Veniet & Caminus: nam conſedit ibi Abraham uſque ad Veſperam, & venit magnus terror diei judicii. Veſpera enim illa finis eſt ſæculi, & Caminus ille veniens dies judicii.* Idem habet lib. 16. de Civit. Dei cap. 24.

piorum? Et tamen oportet eos ſtare ante tribunal Chriſti. Adam in primo peccato abſcondit ſe ſub ficu: fragile tutamen & cooperimentum coram Deo. Ita qui modo foliis, id eſt palliationibus & excuſationibus cooperiunt peccatum, tunc nudi coram Deo, & toto mundo apparebunt. Quid infelices pro ſua defenſione dicturi ſunt, quos toties admonitos, & tamen imparatos dies ille repererit? Qui tunc tremor, quæ caligo, quæ tenebræ criminoſos quoſque, negligentes, ac tepidos occupabunt? Ergo Fratres, expergiſcimini dum tempus eſt, & voluntatem Domini noſtri, tamquam boni ſervi & utiles, requiramus. O Fratres: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra!* Cum clamat, pœnitentiam agite; & cum ait: *Niſi pœnitentiam habueritis omnes ſimul peribitis*, nolite dicere: *Durus eſt hic ſermo*. Durior erit ſermo, Ite maledicti in ignem æternum. Igitur amaritudo præſentis pœnitentiæ extinguat ſupplicia ſequentis iræ: pœna namque præſens a ſupplicio futuro liberat, & quos pœnitentia plectit, illos ſententia æterna non percutit. Tribunal Judicis æterni ſecurus aſpiciet, quiſquis reatus ſui conſcius digna eum modo pœnitentia placare contendit. Ergo pœnitendum, mala perpetrata plangenda, neque ulla amplius perpetranda: nam, qui ſic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere, aut diſſimulat, aut ignorat. Quid enim prodeſt, ſi peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc avaritiæ æſtibus anhelat? Aut quid prodeſt, ſi iræ culpas jam lugeat, & tamen adhuc invidiæ facibus tabeſcat? Pœnitendum igitur, Fratres, & perfecte, ac omnimode pœnitendum: Ne, cum dies ille tremendus, & nimium etiam bonis formidoloſus advenerit, ſecundum impœnitens cor noſtrum theſaurizemus nobis iram in die illa iræ, & revelationis juſti judicii Dei, quando reddet unicuique ſecundum opera ejus; Sed contriti corde, ſtolam primam induti introeamus in cœleſtem gloriam; præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor & gloria cum Patre, & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

2. Cor. 5. Gen. 3. Pſal. 94. Ezech. 18. Lucæ 13. Joann. 6. Mat. 25. Rom. 2. Lucæ 15.

IN DOMINICAM I. ADVENTUS

CONCIO QUINTA. (a)

DE ADVENTU DOMINI IN CARNE.

Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Matth. 21. v. 5.

I. DE Adventu Domini in carne, de quo hoc tempore ſancta agit Eccleſia: Hoc indubia tenendum eſt fide, potiſſimam atque præcipuam illius cauſam fuiſſe generis humani Redemptionem. Videlicet: ad pacificandum hominem cum Deo, ad regni cœleſtis januam aperiendam, ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis; ad quærendam centeſimam ovem quæ perierat in deſerto; hoc enim non ſolum Euangelium, ſed tota Scriptura divina teſtatur. Ex hoc quoque Salvatoris nomen accepit, dicente Angelo: *Quoniam Ipſe ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*. Unde Apoſtolus: *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus: Quod Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum ego primus ſum*. Et Dominus in Euangelio: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*. Quamvis enim ex mirabili illa Dei & carnis unione, grandis ſupra modum honor & exaltatio humanæ naturæ provenerit, tamen præcipua cauſa dominicæ incarnationis non fuit naturæ humanæ exaltatio, ſed curatio. Unde P. Auguſtinus (b): Magnus inquit de cœlo venit Medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus. Tolle ægritudinem, & non erit opus medico: Peccatum itaque Adæ & filiorum ejus Deum traxit ad terram. Felix culpa quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem. Jam ergo ex hoc profunda nimis inſurgit quæſtio, licet communis & trita, videlicet: Cum pluribus aliis modis Deus genus humanum poſſet redimere, cur elegerit mori pro peccato? Quod enim alia media non defuerint, notiſſimum eſt. Poterat namque gratis culpam Adæ remittere ex pura miſericordia: Poterat & ejuſdem Adæ qualemcumque ſatisfactionem acceptare pro ſuo peccato: & oratione, vel ſacrificio placari poterat; & ſoli peccatum ejus imputare, & non

CONCIO V.

Lucæ 15. Mat. 1. 1. Tim. 4. Jo. 10. (b)

(a) Concio hæc in editione Brixienſi aliiſque ab ea emanatis inſcribitur *Tractatus*, cui hoc præfigitur Exordiolum. *De adventu Domini in Carne, de quo hoc tempore Sancta agit Eccleſia quatuor dicemus auxiliante Domino. Primo cauſas, propter quas venit: ſecundo fructum quem in mundo fecit ejus adventus: tertio gratitudinem, quam tanto debemus beneficio: quarto præparationem, quam oportet habere ad eum ſuſcipiendum; de quibus ſigillatim in quatuor Dominicis tractabimus favente Divina gratia, quam per Virginem implorevemus.* Conſultius in editione Bruxellenſi immutatus eſt titulus, neque enim tractatus, ſed Concio ad populum habenda manifeſte deprehenditur. Cum vero argumenta ſubſequentium Concionum, argumentis in exordio enuntiatis minime reſpondeant, quod mutato conſilio, alio diverterit S. Præſul, hinc recte exordium ipſum prætermiſit Bruxellenſis editor.

(b) Hæc ſunt S. Parentis verba Serm. 175. de verb. Ap. 1. ad Tim. 1. *Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſalvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla cauſa eſt medicinæ. Si venit de Cœlo magnus Medicus, magnus per totum orbem terræ jacebat ægrotus. Ipſe ægrotus genus humanum eſt.* Alibi quoque eadem utitur allegoria S. Doctor, ac præſertim Enarr. in Pſal. 35. n. 17., & Serm. 87. de verb. Euang. Matth. 20. cap. 11. alias Serm. 59. de Verb. Domini,

non transfundere ad posteros. Imo, si mortis sententiam in eis exequi libuisset, quid obstabat, ut non illi quasi transgressores morerentur, & alii de novo ab ipso Deo crearentur homines, qui totius humani generis essent parentes & origo, prioribus, Adam scilicet, & Eva propter suam transgressionem hoc honore privatis? Quam justum, quam pium, quam facile videretur hoc! Et tot igitur remediis, & pluribus aliis, non solum possibilibus, sed etiam, ut videtur, convenientibus, quæ divina Sapientia invenire posset; Quare Deus elegit medium, tam rigidum, tam asperum, tam difficile, ut pro peccato hominis exularet in terra, & non solum labores & dolores, sed & mortem crudeliſſimam pateretur?

II. Quis te compulit Domine ad patiendum pro homine? Quis te coegit, ut a temetipso tam crudelem, & asperam satisfactionem exigeres pro peccato? Si hoc prævideras, cur creasti hominem, pro quo talia passurus eras? Cur ei præceptum dedisti, in quo te offensurus erat, & periturus? Cujus transgressio morte tua punienda erat? Aut certe, cur non eum verbo tuo prævenisti, cum tentaretur a satana? Cur eum non monuisti? Vide miser, attende tibi, serpens est, venenum habet, ne credideris. Quis morte luit, quod solo verbo potuit evitare? Quod si genus humanum mortuum fuerat ex peccato, moriatur, & pereat. Nonne melius, ut pereat creatura, quam ut Creator ejus benedictus, vel exiguum in semetipso detrimenti patiatur? *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Quis abyssum hanc poterit penetrare? Vere, *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Hoc opus, si ratione mensuretur, exuperat omnem sensum, transcendit omnem intellectum. Unde stultitia magna videtur, sicut Apostolus ait: *Prædicamus Jesum crucifixum; Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Stultitia quippe non parva videbatur, Deum pro sua creatura pati, & mori. Sed tamen, sicut idem Apostolus ait: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Ad nos autem, Fratres charissimi, non attinet scrutari, quare factum est hoc, sufficit scire, quia proculdubio sic factum est, & summo Dei consilio sic factum est. Hoc ad æternam salutem scire cuilibet nostrum necessarium est, ut dicitur in Symbolo. Causam, quare sic factum est, Domino relinquamus; cum apparuerit, cum eum viderimus sicuti est, tunc cognoscemus, quam miro divinæ sapientiæ consilio, quam summo Dei judicio sic voluerit, & sic fecerit. Nunc cautius faciemus, si Sapientem audiamus admonentem: *Altiora te ne quæsieris, & majora te ne scrutatus fueris*: Nam *Scrutator majestatis opprimetur a gloria*. Verumtamen, ne putent pagani, quod ideo fidem nostram obtegimus, & excusamus, dum dicimus, quod mysterium hoc inscrutabile est, & omnem superat intellectum. Maxime, quia secundum Petri Apostoli sententiam, debemus esse *parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in* nobis *est*, fide, & *spe*. Propter hoc, quantum humana fragilitas attingit, & quantum ex revelatione, & sacris litteris possumus intelligere. Quatuor præcipue rationes poterunt assignari, cur factum sit tam admirabile mysterium: Omissis pluribus aliis, quæ a Doctoribus (*a*) circa hoc in suis scriptis redduntur. Sic namque expediebat ex parte culpæ, ex parte transgressoris, ex parte Dei, cui facta est offensa, ex parte remedii; undique ergo expediens fuit ita fieri.

III. Fuit primo convenientissimum hoc ex parte culpæ; quæ, cum esset quodam modo infinita, propter infinitatem ejus in quem commissa est, infinita quoque indiguit satisfactione, si ex æquo compensari debebat: infinita vero satisfactio non invenitur sine infinito merito, quod non potest esse in puro homine. Propter quod Deus factus est Homo, ut pateretur homo, & satisfaceret Deus in homine pro homine. Minimus namque laborum Christi, & minima ejus in carne fatigatio, sufficiens erat ex se ad mundi remedium, & omnium peccatorum pleniſſimam satisfactionem, propter infinitatem personæ patientis, & ex consequenti propter infinitatem meriti. Quia omne opus ejus, & quodcunque servitium Deo Patri pro homine exhibitum infinite dignum erat acceptari & recipi, propter infinitam authoritatem Personæ offerentis, & infinitum Patris ad ipsum amorem. Unde, sicut Apostolus ait: *Exauditus est pro sua reverentia*. Erat quoque alia in culpa redimenda infinitas, quæ ejus adventum exigeret: Quia non solum pro peccatis & flagitiis totius mundi perpetratis, sed & perpetrandis, & quæ perpetrari possent, reddenda erat Patri pleniſſima satisfactio: Quæ cum infinita sint debuit infinite gratum esse opus Redemptionis, quo omnia solverentur, & magis illud Deo placeret, quam omnia mundi facinora facta, & quæ fieri possent, displiceant. Hujusmodi autem opus a pura creatura fieri non potest: expedientissimum ergo fuit, ad plenam peccatorum redemptionem, ut ipse Redemptor hominum Deus esset.

IV. Secundo fuit conveniens ex parte hominis reparandi; Ut videlicet per ipsum prototypum reformaretur, quo fuerat ante formatus. *Creavit* enim *Deus hominem ad imaginem*, & similitudinem *suam: Ad imaginem*,

Rom. 11. Ps. 138. 1. Cor. 1. Ibidem. Eccli. 3. Prov. 25. Petr. 3. Hebr. 5.

(*a*) Decem enumerat causas Angelicus Doctor, ob quas conveniens fuit Deum incarnari, easque ex duplici capite deducit, nimirum ex promotione hominis in bonum, & ex remotione mali. Vide laudati Doctoris Summam p. 3. q. 1. art. 2.

ginem, inquit, *Dei creavit eum*. Repetit verbum, ut commendet hominis dignitatem. O mira celsitudo, o mira pulchritudo, mira excellentia hominis suum referre Creatorem, ac ad ejus formam & imaginem fuisse plasmatum! Sed homo tantæ dignitatis & gloriæ, *Cum in honore esset, non intellexit: Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Mutavit*, enim, *gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*. Peccato quippe deformatus, & deturpatus, totus obbrutuit: Et qui factus fuerat ut Deiculus, peccando factus est ut Bruticulus, ut sic loqui liceat. Unde hominem velut deridendo Deus illi exprobrans post peccatum: *Ecce*, inquit, *Adam quasi unus ex nobis factus est*. Ac si dicat: Qui ut Deus esse voluit: ecce ad quid redactus est. Decebat itaque hominem sic deturpatum primo illo, quo conditus fuerat Prototypo, & Exemplari, reformari. Sic enim calceum, vel pileum deformatum reformamus; sic imaginem æneam, vel plumbeam confractam, deformatam, aut comminutam in pristinam formam conflantes reducimus. Quæ est autem imago hæc consimilis Patri, nisi Verbum Dei? De quo Apostolus: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ: Verbum* ergo *Caro factum est:* Ut dum conflatur in Verbo Caro, reformaretur Caro. Nihil aliud enim est Christus Jesus, nisi Deus, Hominem singulari modo indutus, vel Homo Deo mirabiliter conjunctus, sicut calceus suo pede reformatus; sic enim ipse vocat Corpus suum (*a*) in Psalm. cum ait. *In Idumæam extendam calceamentum meum*. Id est: Corpus meum in Sacramento gentili populo conversо tradam; cujus calceamenti corrigiam Joannes solvere se indignum judicat, quia, quo nexu Verbum Carni unitum sit, comprehendere non valet: Non enim poterat Homo, Angelo, vel Archangelo, aut alio cœlestis exercitus spiritu reformari. Quoniam, non ad Angeli, vel Archangeli, sed ad Dei imaginem conditus fuerat.

Psal. 48. *Ps.* 105. *Gen.* 3. *Heb.* 1. *Jo.* 1. (*a*) *Ps.* 107.

V. Ille itaque debuit esse Reformator, qui Conditor: ut qui fecerat, reficeret, & qui plasmaverat, reformaret. Hujusmodi enim obligatione non debuit homo, alteri quam Deo teneri: cum non minus fuerit hominem redimere, quam creare; imo multo plus redimendo laboratum sit; qui enim solo dictu creavit, morte redemit. Sed objiciet forsitan aliquis, ex quo Deus pro homine reformando incarnari, & pati dignatus est, cur hujusmodi reformatio non apparet? Cur hominem in pristinum illum splendorem & nativum innocentiæ decorem non statim restituit, ut omnibus Angelis, & Hominibus innotesceret tantæ dignationis, & misericordiæ fructus? Namque: ecce morimur, laboramus, tentamur, vexamur, delinquimus sicut prius; & quales nos invenit, tales nos Verbum incarnatum reliquit, peccatores, passibiles, & mortales. Ubi est ergo illa tanto Reparatore digna reparatio? Ubi est illa reformatio tanto Dei labore, & sudore parta? Quis fructus adventus Dei in terris? Apostolum audio ad Romanos dicentem: Quia *lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati & mortis*. Sed quomodo liberavit, non video: cum adhuc sentiat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivantem eum in lege peccati; adeo, ut coactus sit exclamare; *Infelix ego homo; Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Qui sic de peccato & morte queritur, quomodo a lege mortis & peccati liber est? Ex parte quidem, non in totum: non, ut peccatum non sentiatur, sed ne regnet: non, ut mors non sit, sed ne perpetuo dominetur. Legem peccati quidem sentit in membris suis, sed, quid ait? *Nihil damnationis est his qui sunt in Christo, qui non secundum carnem ambulant*, etiamsi carnem sentiant: non enim sentire peccatum, sed consentire damnabile est. Veniet aliquando merito Christi, plena libertas. Sed quando? Utique, sicut ipse ibidem dicit: Cum *Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum ejus in vobis. Tunc fiet sermo, qui scriptus est: Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus?*

A B C

Rom. 8. *Ibid.* 7. *Ibidem.* *Ibid.* 8. 1. *Cor.* 15.

VI. Tunc reparatio hominis a Christo facta omnibus innotescet, quando fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum, siquidem: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii*, ecce *merces, fructus ventris* benedicti: ecce fructus adventus Domini in carnem; nam: *Omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc*, quia revelationem filiorum Dei expectat. Et quidem, *nunc Filii Dei sumus* in merito filii Dei, sed *cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Facta est ergo jam reparatio, sed nondum propalata: inchoata est, sed nondum perfecta: imo perfecta quidem jam merito, sed nondum effectu. Siquidem: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. Venit Salvator animarum, veniet iterum

D E

Sap. 3. *Ps.* 126. *Rom.* 8. *Ibid.* 1. *Jo.* 3. *Philipp.* 3.

(*a*) Eadem tradit S. Gregorius in Euang. lib. 1. Homil. 7. *Per Idumæam quippe Gentilitas, per calceamentum vero assumpta mortalitas designatur. In Idumæam ergo Dominus calceamentum suum se extendere asserit; quia dum per carnem gentibus innotuit, quasi calceata ad nos Divinitas venit ... Corrigia ergo calceamenti est ligatura Mysterii. Joannes itaque solvere corrigiam calceamenti ejus non valet; quia Incarnationis ejus mysterium nec ipse investigare sufficit, qui hanc per prophetiæ spiritum agnovit.* Gregorio præivit S. Ambrosius de Institut. Virg. cap. 14. non absimilem amplexus Joannis sententiæ interpretationem. *In hoc*, inquit, *calceamento speciose processit Maria, quæ sine ulla commixtione corporeæ consuetudinis, Auctorem salutis Virgo generavit. Unde egregie Joannes ait, non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus, idest non sum dignus Incarnationis mysterium comprehendere angustiis mentis humanæ, atque inopis vilitate sermonis absolvere.*

iterum Salvator corporum: jam viva eſt radix, ſed nondum rami vivificati: Sed quare non ſtatim vivificati cum radice? Ad quid facta eſt iſta dilatio? Moriendo quippe mortem occidit, ſed, nondum manifeſtata eſt mortis victoria. Propter quid? Utique, ut fides locum habeat, & bonorum operum meritum non diſpereat. Unde ad milites templi devotus Bernardus quæſtionem iſtam tangit, & ſolvit dicens: Si ergo lex ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati, & mortis, ut quid adhuc morimur, & non ſtatim immortalitate veſtimur? Sane, inquit, ut Dei veritas impleatur. *Quia* enim *miſericordiam, & veritatem diligit Deus*, neceſſe eſt mori quidem hominem, quippe quod prædixerat Deus, ſed a morte tamen reſurgere, *Ne obliviſcatur miſereri Deus*. Ita ergo mors, etſi non perpetuo dominatur, manet tamen propter veritatem Dei; hæc Bernardus (*a*).

Pſal. 83.

Pſal. 76.

(*a*)

VII. P. Aug. in libro de Baptiſmo parvulorum (*b*) alia via ſolvit quæſtionem; ait enim: Sic a Deo fuiſſe diſpoſitum, ne fidei meritum caſſaretur. Si enim poſt Chriſti adventum baptizati fideles ſtatim impeccabiles fierent, & immortales, quis fidei locus relinqueretur? Nonne omnis paganiſmus ad baptiſmum curreret, ſi non propter charitatem, ſaltem propter immortalitatem? Sed nec ſola fides, ſed & meritorum magna pars evacuaretur. Et quidem Chriſto Domino perfacile fuit humanum genus ad innocentiæ ſtatum ſtatim reducere, ſi hoc hominibus expediret: ſed propter nos utique facta eſt iſta dilatio. Quantum enim honoris, meriti, gratiæ, & gloriæ electis Dei omnibus deperiſſet, ſi homo illico ad innocentiam priſtinam rediiſſet? Quid Petro pro Deo crucifixo, Paulo decapitato, Stephano lapidato, Laurentio aſſato, Bartholomæo excoriato, cæteriſque martyribus, confeſſoribus, & virginibus, qui venerunt ad coronam ex magna tribulatione, decoris, excellentiæ, & gloriæ non tolleretur? Quanto glorioſius illis fuit pro Deo vitam exponere, quam fieri a Deo immortales? Quanto honorificentius, cum tanto victoriæ triumpho gloriam promeruiſſe, quam, ſicut infantes baptizatos, ſine labore, ſine ſudore, ſine diſcrimine, Dei dono gloriam ſuſcepiſſe? Ubi eſſet illa vox, *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala*. Et illa: *Tranſivimus per ignem, & aquam, &*

(*b*)

induxiſti nos in refrigerium. Tolle militiam, non erit victoria: Tolle victoriam, non erit corona. Quomodo gloriaretur Paulus? dicens: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi; de reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi juſtus judex*. Fuiſſent, fateor, ſicut Angeli Dei, Beati ſine labore: ſed non modica eſt hæc ſanctorum prærogativa, non levis honor, quod gloriam quam habent non pure gratis, ſed ſibi eam meritis, & laboribus, ſanguine, & morte acquiſierunt. Unde: neque ad tantum gloriæ faſtigium ſola innocentiæ puritate perventuros fuiſſe, exiſtimandum eſt. O magna Dei charitas, ingens divinæ providentiæ conſilium erga electos ſuos! Sic nos redemit, ſic nos reformavit ſanguine ſuo, ut nullum afferret nobis detrimentum, ſed maximum, & ingentiſſimum meritorum, honoris, & gloriæ cumulum, ipſa Redemptio. Labores, fatigationes, tentationes, dolores, tormenta, mortem facile ſubito ſuo adventu auferre poterat: Non abſtulit, ſed reliquit, ut hæc ipſa nobis pœnarum exercitia fierent meritorum inſtrumenta, & arma virtutum. Scrupuloſam quæſtionem non noſtro ſenſu, ſed Apoſtoli, & ſanctorum verbis, longius forſan quam ſermonis anguſtia patitur, enodavimus. Nunc ad propoſitum redeamus. Decuit itaque ex parte hominis, ut eadem qua fuerat formatus imagine reformaretur: & ille fieret Dei, & hominis Mediator, qui Deus eſſet, & Homo, in ſe uniens & pacificans, quod peccatum fecerat ante diviſum.

Tim. 4.

VIII. Decuit hoc etiam tertio, ex parte Dei: Ut videlicet in hoc opere divitias miſericordiæ, & bonitatis ſuæ oſtenderet, & inæſtimabilis charitatis ſuæ pondus manifeſtaret. Siquidem, qui in primi Angeli peccato juſtitiæ ſuæ ſeveritatem oſtenderat, in peccato hominis protoplaſti debuit miſericordiæ & pietatis ſuæ magnitudinem declarare. Ut in uno, Judicis ſeveritas, in altero, Conditoris pietas omnibus innoteſceret. Parum fuiſſet, Deum peccatum hominis gratis ſine ſatisfactione dimittere: Sed hoc grande erat pietatis indicium, ſi ipſe pro eo non debitor ſatisfaceret. Ut, qui in totius orbis creatione potentiam, ſapientiam, magnificentiam, bonitatemque monſtraverat; pietatem, & charitatem ſuam in hominis Redemptione, ſuper omnem ſenſum, & intellectum aperiret. Siquidem,

pro

(*a*) Scilicet cap. 11. num. 18. Exhort. ad milit. Templi, ſupplenda tamen videntur uſque ad finem periodi S. Bernardi verba, prout in editione Mabillonii. *Manet tamen propter veritatem Dei vel ad tempus in nobis: quemadmodum peccatum, & ſi jam non regnat in noſtro mortali corpore, non tamen deeſt penitus nobis.*

(*b*) Non ad verba, ſed ad ſententiam reſpicit hoc loco S. Orator, eam in compendium redigens. Quæſtionem proponit S. Parens Auguſtinus lib. 2. cap. 30. de peccatorum meritis, & remiſſione, & de Baptiſmo parvulorum. Quæ quidem quæſtio, altera ex Pelagianorum objectionibus erat; nimirum, *ſi primi hominis peccato factum eſt, ut moreremur, Chriſti adventu fieret, ut credentes in eum non moreremur*. Cui Auguſtinus ſequenti capite 31. ita reſpondet. *Poterat autem etiam hoc donare credentibus, ut nec iſtius experirentur corporis mortem: Sed ſi hoc feciſſet, carni quidem felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo. Sic enim homines mortem iſtam timent, ut non ob aliud felices dicerent eſſe Chriſtianos, niſi quod mori omnino non poſſent*. Idem deinde ad finem uſque capitis proſequitur intentum. Quæſtionem ipſam haud aliter ſolvit S. Parens Epiſt. 157. ad Hilarium num. 19., & Serm. 299. num. 10., & lib. 13. de Civit. Dei cap. 4.

pro opere ſuo ex compaſſione & pietate innocenter pati & mori, ſolius Dei amor, ſolius Dei clementia eſt. Talis amor decet Deum, talis amor non eſt niſi Dei, qui orbem creavit ut Deus, Hominem amavit ut Deus. Unde Apoſtolus: *Commendat*, inquit, *charitatem ſuam Deus in nobis*. Qui, ſcilicet, in cœlis, & Angelis potentiam, magnitudinemque monſtraverat. Stupet cœlum, & terra ſuper immenſum pondus tam eximiæ charitatis: Expaveſcit orbis ſuper nimiam iſtam & inæſtimabilem dignationem. Sic Propheta ait. Conſideravi opera tua, & expavi, in medio duorum animalium notum facies. O inenarrabilem charitatis ardorem! Deus immenſus, omnipotens, infinitus, æternus; ille, qui ipſa ſapientia eſt, ſumme beatus, & felix, in ſinu Patris inenarrabilibus gaudiis, & delitiis fruens, ſuæ creaturæ amore ſuccenſus, ad ima pauper & inops deſcendens, in ſtabulo inter animalia naſci, in patibulo inter ſceleratos mori dignatus eſt, ne paradiſi delitiis homo, quem creaverat, privaretur. Quid dicam de te Domine? Plantaſti vineam quaſi Noe, & bibiſti ex ea, & inebriatus es, & nudatus ex vini fervore. Et ſicut de te olim Propheta prædixerat: *Excitatus eſt, tamquam potens crapulatus a vino*. O vinum dilectionis fortiſſimum! O triumphum potentiſſimum charitatis! Ecce Deus captivus tuus factus eſt. Si contra Deum potuiſti, quanto magis contra hominem prævalebis? O glorioſum triumphum! O ſpolia ampliſſima! O victoriam ineffabilem, ubi vincitur invincibilis, omnipotens ſuperatur, altiſſimus dejicitur, vita occiditur, & judex omnium condemnatur, ſolo amoris fervore devictus, ſola charitatis potentia ſuperatus. Unde Dominus in Euangelio: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*. Et Apoſtolus. *Propter nimiam charitatem qua dilexit nos Deus*.

IX. Vere nimia, vere exceſſiva charitas, Filium dare pro ſervo, Unigenitum pro vermiculo. Hæc Dei charitas mundum ſuperavit: hæc univerſum devictum pedibus Dominus ſubjecit atque proſtravit. Siquidem, ut ait Bernardus (*a*): Hominem a ſe peccatis longiſſime ſeparatum, Deus pluribus modis tentavit ad ſe reducere. Primo timore, propter quod terribiles & horribiles fecit ab initio flagitiorum vindictas. Subvertit mundum diluvio: Civitates profanas aduſſit incendio: Currus Pharaonis demerſit pelago: Dathan & Abiron vivos deglutivit hiatu: Et plures alias atroces pœnas in flagitioſos exercuit, ut pœnarum timor homines deterreret a peccatis. Sed, ſicut ſcriptum eſt: *Populus non eſt reverſus ad percutientem ſe*. Tentavit ſecundo alia via hominem ad ſe reducere favoribus, & promiſſis. Elegit Populum illum Hebræorum: Fecit pro eo miracula magna: Occidit primogenitos: Aperuit mare: Deduxit in columna ignis per deſertum: Pavit manna de cœlo: Siccavit Jordanem: Introduxit eos in terram optimam: Fovit eos ſicut gallina pullos ſuos. Si forte videns mundus tot tantoſque favores, diceret: Revertamur, & ſerviamus illi Deo pio & optimo, qui ſic benigne & magnifice tractat cultores ſuos. Sed, nec ſic mundus idololatria relicta reſipuit. Quid ergo faciam, inquit? Ecce, neque minis, neque promiſſis proficio: mundus in ſua duritia, & pertinacia perſtat, flagella contemnit, beneficia deſpicit: *Sed vivo ego, dicit Dominus, quia mihi curvabitur omne genu*. Ego eos ſicut paleas triturabo, & ego comminuam, ſicut plauſtrum novum habens roſtra ferrantia. Ecce opus ego facio, quod qui audierit, tinnient ambæ aures ejus. Venit in mundum, incarnatus eſt, humiliatus eſt, in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, flagellatus, ſputus, illuſus, occiſus eſt. Nunciatum eſt mundo tantum & tam ineffabile ſacramentum; audivit, credidit, intellexit, cognovit: tantamque Dei erga ſe charitatem, benignitatem, clementiam, pietatem expertus, & tam immenſo beneficii pondere ſuperatus, ad pedes ejus procidit, & adoravit. Et quem non vicerat timor neque favor, vicit amor: non enim valuit tantæ dignationis & bonitatis onus ſufferre. Viciſti me Domine, & victus ſum: *Fortior me fuiſti, & invaluiſti:* ſuperaſti Domine duritiam cordis mei, & quaſi ceram igne potentiſſimo charitatis me liquefeciſti. Gratias tibi Deus, gratias tibi Deus, gratias tibi. Unde, Ambroſius (*b*) exponens illud Apoſtoli. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*. Multa, inquit, Domine feceras pro me, & non genuflexi: Feciſti me, feciſti mundum pro me: dominum orbis me conſtituiſti, & non genuflectens adoravi te. At, poſtquam te vidi pro me humiliatum, plagatum, & crucifixum, ſtare non potui, ſed tanto amoris pondere victus in terram proſtratus adoravi te.

X. Ita ſe Deus geſſit cum mundo, ſicut quidam Pater bonus & dives cum adoleſcente filio inſolente, fugitivo, quem diligit, quem prius miſſis nuntiis, minis & terroribus nititur revocare, jurans & obteſtans, quod niſi redierit non eum amplius recipiet, & bonis omnibus, & divitiis, & hæreditate privabit. Sed non curat hoc adoleſcens inſanus; ſed perſiſtit in propoſito. Unde pater videns quia hæc via non profuit, mittit alios nuncios ſeniores domus ſuæ rogans, ut redeat: promittenſque ſe illi omnia, quæcunque voluerit, præſtiturum. Sed neque minis, neque blanditiis molliri poteſt, ut redeat. Unde tactus dolore cordis intrinſecus pater, & filii deſiderium ſuſtinere non præ-

valens,

Rom. 5. *Habacuc* 3. *ex verſione* 70. *Gen.* 9. *Pſ.* 77. *Gen.* 32. *Jo.* 3. *Gen.* 7. *Ibid.* 19. *Exodi* 14. *Deut.* 11. *Iſaiæ* 9. *Exodi* 12. *Ibid.* 14. *Ibid.* 13. *Ibid.* 16. *Joſue* 3. *Ibid.* 24. *Mat.* 23. *Iſaiæ* 49. *Ibid.* 45. *Ibid.* 25. *Ibid.* 41. 1. *Reg.* 3. 4. *Reg.* 21. *Jer.* 20. *Philipp.* 2.

(*a*) Vide Serm. 29. de diverſ. num. 2. & ſeq.

(*b*) S. Ambroſius in Pſal. 118. Serm. 14. num. 20. *Quanta fecit Dominus audeo dicere, & non flexi ei genu: ſed flexi ei poſtquam ſe humiliavit. Sic enim, hoc eſt, per humilitatem, per Crucem ſibi Eccleſiam congregavit.*

valens, præ amore, videns animi ejus obſtinationem, dilectione victus, & patris gravitatem, & authoritatem oblitus, ipſe vadit, & lachrymis ora perfuſus, ad filii genua provolutus, obnixe obſecrat, ut redeat. Qua benignitate, dilectione, & humilitate adoleſcens devictus, in terram proſtratus, veniam pro diſceſſu poſtulans, cum patre in domum redit, & pio parenti tota animi voluntate, de cætero obſequitur & deſervit. Sic omnino, ſic nobiſcum egit piiſſimus Deus. Sed hanc mundi inſolentiam, atque duritiem, non ſine debita ultione reliquit Deus: Sed, ſicut decet ſummum & optimum judicem, ſic ultus eſt eam. Sicut ipſe in Pſalm. repetens dicit: *Omnes gentes circuierunt me, & in nomine Domini quia ultus ſum in eos: Circumdantes circumdederunt me, & in nomine Domini quia ultus ſum in eos. Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, & in nomine Domini quia ultus ſum in eos.* Siquidem, poſtquam anima Dei bonitate & charitate devicta, mundum reliquit, & ad verum Deum, & Creatorem ſuum converſa eſt, tanto charitatis ardore erga Deum exarſit, ut ludibria, tormenta, proſcriptionem, pœnas, cruces, mortes, pro ipſo non ſolum patienter, ſed & libenter ſuſtineret. Bone Deus! Quantus fuit ardor illorum, qui ad fidem primo converſi ſunt? Quomodo undequaque concurrebant ad Jeſum, ſicut apes ad favum? Quomodo exarſerunt in ejus amorem ſicut ignis in ſpinis? Propter quid? *Quia ultus ſum*, inquit, *in eos*.

Pſ. 117.

XI. Sic, ſic, o rebelles, o contumaces, perfidi idolorum cultores, ſic ultus ſum in vos, qui me relicto, dæmonia colebatis. Vocavi, & renuiſtis, perterrui, & indurati perſtitiſtis, donec me de cœlo pro veſtra ſalute venire, & crucis ignominiam ſubire feciſtis. Juſtam ergo de vobis vindictam ſumam. Ego faciam, ut qui in mei contumeliam idolis oves, & boves incendebatis, ipſi pro me ſicut ſacrificia incendamini, jugulemini, laniemini, trucidemini, & non brevi tempore, ſed trecentis annis continuis hunc truculentum perſecutionis ardorem pro meo nomine patiamini. Et vobis parum hoc eſſe videtur pro debito & amore. O inſignem vindictam! O admirandam ultionem! Ulciſcere nos, obſecro, Deus, ſicut & mundum tunc ultus es. Facillimum erat Deo ſtatim poſt ſuam reſurrectionem, & aſcenſionem, mundum ad ſe convertere ſine ulla violentia & reſiſtentia, ſed tanto tempore diſtulit, ut dignam de mundo exerceret vindictam. Vindictam, inquam, amabilem, vindictam deſiderabilem, ut recompenſaret pœnis, tormentis, & martyriis pro Deo ſuſceptis, rebellionem, contumaciam, perfidiam, quam erga Deum tot retro ſæculis habuerat, & mercedem, quam oportuit erroris ſui in ſemetiſpo reciperet: mortem amore ſubiens pro illo, quem tamdiu errore contempſerat. Sic itaque mundum vicit, ſic de mundo amore triumphavit. Vides, quam non modo opportunus & congruus, ſed expedientiſſimus, & quodammodo neceſſarius fuerit Dei in mundum adventus, non ſolum, ut divitias bonitatis, & miſericordiæ ſuæ in hoc opere demonſtraret, ſed, & ut tanto beneficii pondere mundi algorem & duritiem ſuperaret, & hoc charitatis glutino ſibi mundum conglutinaret.

XII. Reſtat nunc, ut oſtendamus quarto: Quomodo hoc, & ex parte remedii congruerit; peccatum namque commiſſum tali remedio curandum erat, quo homines maxime a peccando deterrerentur, & ſi peccare contingeret, citius ſublevarentur. Hoc ſuper omnia quæ fieri, aut excogitari poſſunt, facit mors Chriſti: Quid enim magis homini peccati horrorem incutere poteſt, quam videre Filium Dei pro peccato in crucis patibulo morientem, & terribilem paſſionis pro reatu hominis ſatisfactionem reddentem? O grande malum peccatum, pro quo talis ultio fit! Non mihi inundantem mundum, flagrantes civitates, abſorptos homines, non infernum, & omnes ejus pœnas objicias. Nam, ſi mille proponas gehennas, non ſic expaveſco, & contremiſco, ſicut videre Deum pro peccato morientem, & peccati reatum morte ſolventem. Qualis eſt macula, quæ Dei ſanguine diluitur? Qualis eſt culpa, quæ Dei morte vindicatur? Unde Bernardus (*a*). Ex qualitate remedii morbi æſtimo quantitatem. Filius Dei jubetur occidi, ut pretioſo ſanguinis ſui balſamo mederetur. O atrociſſima vulnera, quæ hujuſmodi medicamento curantur! De cætero, Quis, obſecro, audeat peccare? Quis vel leviſſimam culpam non expaveſcat? Origenes (*b*), Filius Dei, inquit, pro peccato mortuus eſt, & te peccare delectat? Si quis namque Princeps, vel Imperator, adeo eſſet latronum inimicus & ultor, ut pro furto Filium unigenitum regni hæredem furca ſuſpenderet, in regno ejus de cætero furari quis auderet? Et audes tu in regno Dei peccare, poſtquam unigenitus Deus crucifixus eſt pro peccato?

(*a*)

(*b*)

XIII. Sed & e contrario: Hæc ipſa mors Chriſti præ omnibus, & maxime lapſum peccatorem ſublevat a peccato. Quid times peccator? Quid trepidas? Quid diffidis? Convertere ad Dominum, quia pius eſt & benignus, & præſtabilis eſt ſuper malitia. Non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Non credis? Hujus rei teſtimonia credibilia facta ſunt nimis. Ecce propter hoc crucifixus eſt, propter hoc pendet in cruce, propter hoc inter ſceleratos moritur. Quomodo te damnabit pœnitentem, qui propter hoc moritur ne damneris? Quomodo te abji-

Joel. 2.

Ezec. 18.

Pſ. 92.

(*a*) Vide Serm. 3. in Nativit. Domini num. 4. ſub fin.

(*b*) Homil. 2. ſuper Levitic. poſt medium. *Pro te Dei Filius jugulatus eſt, & iterum te peccare delectat?*

abjiciet redeuntem, qui de cœlo venit quærere te? Unde Apoſtolus. *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat, quis*
Rom. 8. *eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus qui mortuus eſt, & interpellat pro nobis.* Dices, forſan: Agnoſco Domini viſcera, inæſtimabilem dignationem intelligo, ſed magna ſunt peccata mea nimis, & horrenda, & inveterata flagitia mea, pœnitentia vero modica aut nulla. Quomodo poſſum ſalvus fieri? O ſtulte! Non attendis, qualem pro tuis peccatis ſatisfactionem Filius Dei in cruce Patri reddiderit? Exaggera crimina, accumula peccata, aggrava quantum potes, major eſt illa pœnitentia, potior eſt illa hoſtia. Quid miraris, ſi pro una lachryma, vel ſuſpirio, innumera peccata remittit Deus, cui in cruce
Pſ. 137. talis eſt reddita ſatisfactio pro peccatis? *Dominus*, inquit Propheta, *retribuet pro me.* Jam non exquiritur a me condigna pro peccatis ſatisfactio: Sufficit mihi ad omnem juſtitiam Crux Chriſti, non ſola fide, ſed vera Dei dilectione, & peccatorum diſplicentia apprehenſa. Quam aperte hæc omnia quæ diximus Euangeliſta Joannes intonuit in epiſtola: *Filioli mei, hæc*, inquit, *ſcribo vobis, ut non peccetis.* Scilicet, quod Filius
1. Jo. 2. Dei venit in mundum: quod paſſus & mortuus eſt pro peccato. *Sed ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Ac ſi dicat: Si ſtatis, hoc vos deterreat a peccato: Si corruitis, hoc vos ſublevet a peccato, quod Chriſtus Jeſus pro peccatis mortuus eſt.

IN DOMINICAM SECUNDAM ADVENTUS

CONCIO PRIMA.

DE CONGRUENTIA ADVENTUS DOMINI.

Tu es qui venturus es? Matth. 11. v. 3.

CONCIO VI.

I. GRANDEM Baptiſta Domino quæſtionem e carcere per diſcipulos ſuos propoſuit, dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Non quia ipſe neſciret (*a*), ſed ut populum (*b*), & diſcipulos ex reſponſione Domini in fide firmaret. Super qua quidem quæſtione diu nobis cum ſynagoga cæca diſceptatum eſt, Eccleſia fideliter profitente: Quia *Tu es qui venturus es:* Et ſynagoga e contrario perfide renuente; Non: *Sed alium expectamus.* Opportune ſatis nunc eam multiplici Legis, & Prophetarum teſtimonio convinceremus, quoniam Jeſus, quem colimus, ipſe eſt verus Meſſias in lege promiſſus, ſicut ipſemet illis quondam prædixerat. *Scrutamini ſcripturas .... illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Sed omittamus hoc: Cum quia Judæi non adſunt, & vobis hoc neceſſarium non eſt, qui veram & catholicam fidem toto corde & animo profitemini: Tum quia, ut Sanctus Maximus (*c*) ait: Jam non ſine magno diſcrimine de religionis veritate diſputamus, (*c*) quam tantorum Martyrum ſanguine confirmatam videmus. Magni enim periculi res eſt, ſi poſt Prophetarum oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt Martyrum vulnera, veterem fidem quaſi recentem adhuc diſcutere præſumas, & poſt morientium ſudores otioſa diſputatione contendas. Alia igitur via nobis procedendum eſt, qui coram fideli populo profeſſam fidem, & certiſſimam prædicamus. Satius eſt oſtendere, quam conſentaneum, quam expediens, quam utile generi hominum fuerit, ut ad ejus Redemptionem Unigenitus Dei Filius adveniret, ſicut in prothemate aſſeritur. *Tu es qui ven-* Ibid.

(*a*) Alludit proculdubio ad Tertulliani opinionem, qui non uno in loco docuit, dubitaſſe Joannem, an Jeſus, ipſe eſſet Meſſias, atque ob eam cauſam Diſcipulos miſiſſe, ceſſante nimirum in Joanne tunc temporis prophetiæ ſpiritu. Ita libro de Baptiſmo cap. 10. *Cum ipſum quod cœleſte in Joanne fuerat ſpiritus prophetiæ; poſt totius ſpiritus in Dominum translationem, uſque adeo defecerit, ut quem prædicaverat, quem advenientem deſignaverat, poſtmodum an ipſe eſſet, miſerit ſciſcitatum*, & lib. 4. contra Marcion. cap. 18. *Atque hoc erat Joannis ſcandalum, quod dubitabat ipſum veniſſe, quem expectabant.* Et lib. de Præſcr. cap. 8. *Cum etiam Joannes de illo certus eſſe deſiiſſet.*

(*b*) Ita plane S. Joannes Chryſoſt. in cap. 11. Matth. Homil. 37. quæ tota ferme huc ſpectat. *Quia* (Chriſtus) *ergo ſicut Deus qua mente miſiſſet Joannes non erat neſcius: Cæcos, claudos, aliiſque morbis plurimis laborantes illico curavit. Non ut Joannes hæc diſceret: non indigebat enim his ille qui credebat: ſed ut Diſcipulos ejus ambigentes attraheret.* Paucis idipſum S. Hilarius in Matth. cap. 11. *Tali igitur Joannes exemplo, non ſuæ, ſed Diſcipulorum ignorantiæ conſulit.*

(*c*) Leguntur hæc in append. Op. S. Ambroſii Serm. 55. num. 3. in natali SS. MM. Nazarii, & Celſi: Licet non ad litteram prorſus. *Magni periculi res eſt, ſi poſt Prophetarum oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt Martyrum vulnera, veterem fidem quaſi novellam diſcutere præſumas, & poſt tam manifeſtos duces in errore permaneas, & poſt morientium ſudores otioſa diſputatione contendas.*

turus es. Ac ſi dicat: Non Angelus, non Archangelus, non Patriarcha pius, aut Propheta egregius, non denique alius e cœlo, ne quidem Pater, aut Spiritus ſanctus, ſed Tu O Verbum Dei, O gloriæ Princeps, Tu, inquam, Ipſe, *Tu es qui venturus es*.

II. Sed, ut hoc ipſum plenius oſtendamus, a principio nobis exordiendum eſt. Egregius (*a*) Doctor P. N. Aurelius Auguſtinus (*a*) in libro de Civitate Dei teſtatur: Quemadmodum magna Dei miſericordia fuit, quod per peccatum humano generi propagandorum filiorum virtus ablata non fuit, & in primis illis parentibus prævaricatoribus, ſicut promeruerant, penitus evulſum, & eradicatum hominum genus non fuit. Neque enim erat Deo difficile, cum propter peccatum Evæ *Gen. 3.* malediceret, dicens: *In dolore paries*. Non ſic dicere, ſed dicere: Nunquam, inquam, paries; periiſſetque cum eis ſimul omne genus humanum. Quod, quamvis ex nimia (*b*) paſſione (*b*), & acerbiſſimo dolore, ut videtur, Job in ſterquilinio optabile fuerit: cum humanis infirmitatibus, & miſeriis conſideratis, diei ſuæ malediceret, dicens: *Job 3.* *Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo.... Quia non concluſit oſtia ventris qui portavit me: Nec abſtulit mala ab oculis meis; Quare non in vulva mortuus ſum, egreſſus ex utero non ſtatim perii? Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus?* Grande tamen fuit humano generi beneficium, ut conſervaretur in pluribus, quod in uno individuo jam propter peccatum diutius conſervari non poterat. *Ex tunc* igitur Do- *Pſ. 75.* mine in nos *ira tua:* Sed ex tunc etiam miſericordia tua. Quia, *cum iratus fueris, mi-* *Habac. 3.* *ſericordiæ recordaberis:* Ipſa enim tua Domine increpatio benedictio erat, cum velut iratus prævaricatrici mulieri ſententiam protuliſti, dicens: *In dolore paries*. Cui tunc fle- *Gen. 3.* xis in terra genibus cum omni devotione reſpondendum fuerat: Gratias tibi Domine, gratias tibi, quia utcumque tamen paritura ſum. Dolorem libenter accepto, poſtquam prolem ex meo crimine non amitto. Sed & hoc ipſum majoris clementiæ ſignum fuit: Jam enim ex illo tunc hominibus inſinuaſti, quia cogitares ſuper nos cogitationes pacis, & non afflictionis. Neque enim piiſſimus & miſericors Deus hominum genus multiplicari permitteret, niſi ei providere de remedio cogitaret. Ut quid enim naſcerentur homines futuri torres inferni perpetuo, & cibus ignis? Unde Pſalm. *Secundum altitudinem* *Pſ. 11.* *tuam multiplicaſti filios hominum*. Altitudinem, inquam, illius æterni conſilii, quod pectore volvebas tuo, de mittendo Filium, ut redimeres ſervum.

III. Neque tamen innotuit hominibus ſtatim Redemptionis modus, ſed tempore procedente cœpit clarius aperiri. Jam enim Legis tempore, in populo illo notum fuerat & publicum, quod Meſſias quidam magnus venturus eſſet, qui populum a miſeria liberaret; Sed neque Perſona ipſa Meſſiæ, neque liberandi modus omnibus innotuerat, exceptis pauciſſimis Amicis tuis Patriarchis, & Prophetis, quibus grandi tuo munere revelatum eſt, quod Meſſias hic a populo expectatus, Deus eſſet futurus, & per mortem, & ſanguinem, non ab inimicis gentibus, ſed a peccatis, Dei populum per totum orbem liberaturus eſſet. Quanta illos admiratio, quantus ſtupor eorum mentes invaſit, cum hoc illis primo innotuit. Sane ſupra quam dici, vel credi poteſt, ſuper tanta dignatione tua Domine lætati ſunt. Inde illis omnis agonia illa videndi Chriſtum, inde clamores, inde deſideria, inde lachrymæ, & petitiones aſſiduæ acclamantium. *Emitte agnum Domi-* *Iſaiæ 16.* *ne dominatorem terræ. Utinam dirumperes cœ-* *Ibid. 64.* *los, & deſcenderes. Rorate cœli deſuper, &* *Ibid. 45.* *nubes pluant juſtum: Aperiatur terra & germinet Salvatorem*. Neque enim viri perfecti & docti, aviditate tanta videndi Meſſiam promiſſum æſtuarent, niſi illius majeſtatem, divinitatemque in ſpiritu cognoviſſent: miro enim videndi ejus deſiderio tenebantur. Unde, quidam eorum: *Et ſtatim*, inquit, *ve-* *Malach.* *niet ad templum* ſanctum *ſuum Dominator, quem* *3.* *vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus? Et quis ſtabit ad videndum eum?* Et alius: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium.* *Iſaiæ 7.* De quo etiam in Euangelio ipſe Dominus: *Beati*, inquit, *oculi qui vident, quæ vos vi-* *detis. Dico enim vobis, quia multi Prophetæ,* *Lucæ 10.* *& Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt*. Mira populi illius cæcitas: qui eum qui de cœlo venturus eſſet, ut vaticinia clamabant, plus quam hominem futurum non agnovit, idipſum etiam Prophetarum ardentiſſimo deſiderio proteſtante.

IV. Sed jam, obſecro Pater pie, ediſſere nobis, obſecro, quænam hæc fuerit apud te conſilii ratio, quis ſapientiæ modus, ut pro vili vermiculo Unigenitum tuum dilectiſſimum tibi coæternum & coæqualem in crucem & mortem traderes? Quis etiam te compulit o Verbum Dei, ut a te ipſo pro alieno peccato talem vindictam exigeres, talem requireres pœnam? Nunquid non tua ſunt omnia? An tibi innumera media non ſuppetebant noſtram redimendi naturam? Poteras utique gratis relaxare peccatum, poteras etiam poſteris parentis Adæ non imputare pecca-

(*a*) De Civit. Dei lib. 22. cap. 24. num. 1. & 2.

(*b*) Jobi maledictiones eodem modo explicat S. Thomas Aquin. in cap. 3. Job. lect. 1. *Et ideo Job ſecundum inferiorem partem animæ, cujus paſſionem nunc exprimere intendebat, & Nativitatem, & Conceptionem ſuam, ex quibus in hanc vitam devenerat odio habebat*. Non ſecus ex Latinis plerique. Ex Grecis Patribus non deſunt idem ſentientes, quos inter Juſtinus Martyr quæſt. 15. ad Orthodox. *Itaque propter excellentem ærumnæ ſuæ acerbitatem, ex animo dolenti hæc prolocutus eſt verba: qua ab ipſo translata, videlicet, non eandem de ea die retinuit ſententiam.*

peccatum: potuisti vel ipsam Adæ confusionem, vel quodlibet aliud sacrificium, pro suo acceptare delicto: poteras rursus alium ex eodem limo formare hominem, genus innoxium, ac si periisset Adam cum posteritate sua. Nonne hoc facilius, quam omnipotentem Deum, vel modicum in persona sua sustinere detrimentum? Quis non stupeat? Quis non miretur, quod in tanta remediorum sylva difficiliorem, & tibi acerbiorem modum elegeris? O magnum divinæ sapientiæ secretum! O profundum mysterium! Sed, *Quis* Rom. 11. *cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit?* Quis pectoris ejus poterit arcana sapientiæ penetrare? Non simus, Fratres, in hoc indagando secreto curiosiores quam oportet. Sufficiat nobis scire, quia ita est; sufficiat agnoscere & credere, quia ita divinæ placuit Majestati: & pro tantæ dignationis eximio beneficio diebus ac noctibus gratias agere largitori. Noli amplius quærere o Chrisstiane: noli esse scrutator Majestatis, Prov. 25. ne opprimaris a gloria. Sed, quia Apostolico præcepto Ecclesiarum prælatis, & verbi Dei prædicatoribus reddere rationem de ea, Petr. 3. quæ in nobis est fide, hæreticis maxime, & infidelibus incumbit: ideo cum omni humilitate hujus tanti sacramenti congruentias quasdam, prout humana facultas Deo revelante suggesserit, placuit assignare. Non quibus infidelis & hæreticus convincantur, sed quibus ab eorum latratibus vera fides a fidelibus defendatur. Omitto nunc altiores ratio- (a) nes, quas P. Augustinus (a) & Anselmus in (b) libello (b), *Cur Deus homo*, accuratissime tradunt; quibus Beatus Anselmus hoc fere se existimat demonstrasse. Planiores tantum, & populo intelligibiliores mihi nunc mens est assignare. Cur igitur Deus Homo factus est? Utique, ut per hoc homo exaltaretur, dæmon confunderetur, peccatum destrueretur, homo repararetur, & ad Creatorem suum alienatus homo reduceretur, ac in Dei reciprocum amorem velut cogeretur. Innumeræ aliæ congruentiæ sunt, sed has sufficiat indagasse.

V. Primo igitur, ad hominum exaltationem factum est hoc. Poterat equidem aliis plurimis mediis homo redimi, sed non cum tanto favore & honore suo. Quanta gloria nostra, Fratres, quod Deus noster est Frater noster, quod Homo Deus sedet a dextris Dei, adoratur ab Angelis, supereminet astris, dominatur cunctis! Quod humana natura super Angelorum vertices collocata cum Deo disponit omnia, gubernat universa! Ignoscat Angelus; nam in hoc major, & superior est gloria nostra. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Heb. 2. Quantum ex hoc munere obligasti nos Deus! Nam, etiamsi Adam non peccasset, & homo remedio non indigeret, inæstimabile decus hominum erat ad divini honoris fastigium exaltari. Felix culpa, quæ homini tanti decoris & honoris causa fuit. Et, ut Gregorius (c) ait: Quæ talem, ac (c) tantum meruit habere Redemptorem. Quantum ex hoc confunditur zabulus! Quanta invidia cruciatur! Si enim ex peccato suo hominem ad tantæ dignitatis honorem perventurum cognovisset, nunquam, ut existimo, hominem de peccato tentasset. Neque enim tantum de innumerabilium hominum perditione sibi gratulatur, quantum de hac hominis exaltatione torquetur. Denique hominem, quem dejicere peccato, & sibi subjicere procuravit, super astra sublimatum videt imperare sibi & dominari, & ad ejus nominis sonitum, cunctas dæmonum phalanges præ nimio timore prosterni. Turbatur autem amplius, & confunditur, quia hoc totum non alio medio factum est, quam, quo ipse hominem dejicere procuravit: & quoniam suo se laqueo captum videt, neque semel tantum, sed sæpius & frequentius consilio suo deceptum; subjicere enim peccato voluit hominem, & usque ad Deum sublimatus est: sublimatum vero interficere curavit, & morte sua captivos omnes redemit. Hæc omnia videns, ut Psalmista ait; Ps. 111. nimis in seipsum irascitur, dentibus suis fremit & contabescit, & præ invidia, aduritur & marcescit. Illusisti ei Domine sapienter: nam, sicut scriptum est: *Formasti* eum, Ps. 103. *ad illudendum ei*, videlicet: Ut in nimia sua astutia, dum capitur, sapientiæ tuæ abyssum liquido demonstrares. Siquidem: *Serpens* Gen. 3. *erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus.* Neque erat potestas super terram, quæ ei valeret comparari; sed tu Luc. 10. Domine illusisti astuto, & prævaluisti forti, rapiens de manu ejus spolia, & animas, quas injuste possidebat, potenter ab eo diripiens.

VI. Est etiam aliud, propter quod maxime Deus venit in mundum: Ut, sicut Joannes testatur, opera diaboli, id est, pec- 1. Jo. 3. cata dissolveret; non solum satisfaciendo pro culpa, & chirographum decreti e medio auferendo, & Cruci illud affigendo, sicut in Col. 2. passione fecit, de peccato damnans peccatum Rom. 8. in carne, id est, assumens pœnam, ut destrueret culpam; sed etiam a peccandi audacia morte sua homines deterrendo. Si enim ullus in nobis esset sensus, aut ratio, quis

(a) Ejus in hanc rem testimonia colligit Angelicus Doctor part. 3. q. 1. art. 2.

(b) Extant inter opera S. Anselmi edit. Colon. an. 1573. tom. 3. libri duo hoc titulo ab eodem Auctore donati *Cur Deus homo*. Opus sunt adversus Gentiles in dialogi formam elaboratum, quod totum in ea versatur quæstione, quam ita S. Anselmus lib. 1. cap. 1. proponit. *Qua scilicet ratione, vel necessitate Deus homo factus sit, & morte sua, sicut nos credimus, & confitemur, mundo vitam reddiderit.*

(c) Extant verba hæc in solemni benedictione Cerei, qua universa Ecclesia utitur: quæ tamen benedictionis forma non habetur in lib. Sacramentorum S. Gregorii. Non absimilia leguntur apud S. Ambrosium in Psal. 39. num. 20. *Felix ruina, quæ reparatur in melius;* & in lib. 2. de instit. Virg. cap. 17. *Amplius nobis profuit culpa, quam nocuit: in quo redemptio quidem nostra divinum munus invenit.*

poſt talem, ac tantam delictorum punitionem, novam auderet incurrere culpam? Unde Origenes (*a*): Filius Dei pro peccatis mortuus eſt Chriſtiane, & te peccare delectat? Deum homo pro peccato conſputum, flagellatum, laniatum, crucifixum vides, & peccas? Satis Domine, & pluſquam ſatis: ad omnem culpam vitandam Paſſio tua ſufficeret, ſi mens non læva fuiſſet. A principio ſiquidem, ut oſtenderes quantum odiſſes omne peccatum, vindicta terribili liquido demonſtraveras. Nam propter peccatum, gratiſſimus tibi, & pulcherrimus Angelus cœlo dejectus eſt; propter peccatum homo cum ſua poſteritate paradiſo privatus: propter peccatum totus aquis ſubmerſus eſt mundus: propter peccatum exarſit ſulphureo igne adusta Pentapolis: propter peccatum terra dehiſcens veritatis æmulos deglutivit: Ægyptus ponto ſubmerſa eſt, & innumeri populi vaſtati ſunt. Numquid non ad peccati deteſtationem ſatis generi humano talia exempla ſufficerent. Sed nihil me Domine ita deterret, nihil me ſic a peccato detinet, ſicut videre Filium tuum dilectiſſimum Unigenitum propter peccatum clavis affixum, latronibus aſſociatum, & crudeliſſima morte mulctatum. O infinitam audaciam peccatoris, qui poſt tale ſpectaculum peccare non formidat! Dicite, obſecro: Si quis Rex latronibus adeo foret infenſus, ut Filium ſuum unicum regni ſui hæredem, pro levi quodam furto furca ſuſpenderet; in ejus regno de cætero quis committere furtum auderet? Et Filius Dei pro unius pomi furto crucifixus eſt: & hoc ſcientes offendimus omnes: Quo reatu, quo ſupplicio, quo inferno? Unde Bernardus (*b*): Ex conſideratione remedii, peccati æſtimo quantitatem. Ecce Filius Dei jubetur occidi, ut meis vulneribus pretioſo ſuo ſanguinis balſamo mederetur. Agnoſce o homo, quia gravia ſunt vulnera, pro quibus neceſſe eſt Dominum Chriſtum vulnerari. Et P. Auguſtinus (*c*): Satis aperte conſtat graviſſimas eſſe cauſas peccatorum, pro quibus Deo talis rependitur ſatisfactio. Heu! Heu! Quanta oblivio mortalium occupat ſenſus! Quanta agitantur inſania mentis! Videas plurimos joco & ludo lethalia committere crimina, imo, ſicut ſcriptum eſt: Lætari cum male fecerint, & in rebus peſſimis exultare. Quibus profecto, quia hic non licuit agnoſcere culpam, licebit quandoque experiri pœnam. Ludite nunc o ſtolidi juvenes, agitate capita, ſpernite minas, mandata contemnite: Vivit Deus, *& juravit Dominus in ſancto ſuo: quia ecce dies venient ſuper vos, & levabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis ferventibus, & per aperturas exibitis altera contra alteram: & projiciemini in Armon, dicit Dominus. Venite*, ergo, *ad Bethel, & impie agite ad Galgalam, & multiplicate prævaricationem*. Plorabitis vero gemitibus ſempiternis, & ſtridebitis contra vos dentibus veſtris, & non erit ultra ſpes ulla ſolatii. Tunc vobis innoteſcet, tunc aperte ſcietis quanti piaculi hoc ſit, quod nunc jocando committitis, & committendo contemnitis.

VII. Sed etiam: Si conſideremus, quia homo non ſolum Dei creatura eſt, ſed etiam Plaſma, (*Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo*) innoteſcet amplius, quia deformatum opus per ſuum prototypum decuit reformari. *Homo* enim *cum in* tanto *honore* conditus *eſſet, non intellexit: Comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Mutavitque *gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*. Conditus fuerat ſimilis Deo, & factus eſt ſimilis bruto. O miſerandam mutationem! O miſerabilem caſum! Miſſa eſt ergo de cœlo Imago Dei, quæ peccato deformatum hominem in priſtinam reduceret dignitatem, & ampliorem gloriam quam perdiderat: Indutaque natura hominis perditam ei reſtitueret formam, amiſſumque decorem. Quid enim aliud eſt Jeſus, niſi Deus Homine ineffabiliter indutus, & Homo Deo inſertus? Pileus ſuo capite, & calceus ſuo pede formatus eſt: Sic enim ipſe Corpus ſuum nominat in Pſalmo dicens: *In Idumæam extendam calceamentum meum*. Id eſt: gentilitati Corpus meum in cibum ſalutis donabo. Deformis calceus per ſuam formam in decorem priſtinum reformatus eſt. Non enim poterat homo per aliam reformari naturam, niſi per Imaginem Dei ſolam, ad cujus ſimilitudinem conditus fuerat. Tu igitur o Verbum Dei, *Tu es qui venturus es:* non Angelus, non Archangelus, aut alia quælibet creatura, ſed Tu o Fili Dei, forma mea, & exemplar meum. Tu meus futurus es Reformator, qui in initio fuiſti & Conditor: alienam formam non recipio, alterius opere non reficior. An minus eſt reformare, quam condere? Imo, ut Ambroſius ait (*d*): Plus debeo Domine vulneribus tuis, quia redemptus ſum, quam operibus tuis, quia creatus ſum. Hujuſmodi honor non decet Angelum, non Archangelum, non Seraphim, aut aliam quamlibet creaturam: Neque decuit inſignem creaturam hominem, alteri quam Deo, hujuſmodi debito ſubjici, obligarique. Quid enim profuiſſet condi, niſi redimi contigiſſet? An non melius eſſet non eſſe, quam miſerum ſemper eſſe? Omnino

Iſaiæ 14. *Gen.* 3. *Ibid.* 7. *Ibid.* 19. *Deut.* 11. *Exod.* 14. *Prov.* 2. *Amos* 4. *Pſ.* 48. *Pſ.* 105. *Pſ.* 59. (*d*)

(*a*) Vide allegationem in Concione præced.

(*b*) Serm. 3. in Nativ. Dom. num. 4., licet non iiſdem prorſus verbis.

(*c*) Serm. 136. num. 3. append. alias de tempore 29. *Et ille quidem pretioſum ſibi eſſe hominem pretii ipſius dignitate perdocuit, ut hinc quoque intelligamus, quam grandes apud ſe æſtimet Deus noſter humanorum criminum cauſas, propter quas non Angelum, non Archangelum, ſed Deum miſit ad terras, quam gravis ſit peccati, & quam dura conditio, prodit remedii magnitudo.*

(*d*) In Euang. Luc. cap. 2. lib. 2. num. 41. *Plus igitur Domine Jeſu injuriis tuis debeo quod redemptus ſum, quam operibus, quod creatus ſum, non prodeſſet naſci, niſi redimi profuiſſet.*

nino non decuit, ut alteri plus deberet homo, quam Deo.

VIII. Sed esto fieret Redemptio, per aliam quamlibet creaturam, & alicujus, vel Angeli, vel hominis oblationem pro toto humano genere Deus acceptaret: Quis, obsecro, posset hominem sic elongatum a Deo & abstractum in Dei culturam & obsequium revocare? Quid prodesset aperire cœlorum januam, si nullus ingrederetur per eam? *Ecce totus mundus in maligno positus erat:* Idololatra, carnalis, cupidus, superbus, elatus, innumeris vitiis immersus, inextricabilibus tenebris involutus; Ex hujusmodi carnali bestialique mundo spiritualem & angelicum facere quis poterat, nisi Deus? Denique, ut agnoscas, quia alia via homo in Deum reduci non poterat, per quinquies mille annos & eo amplius dilatum est remedium, quoadusque constaret, quod aliud quippiam non sufficeret. Quot Patriarchæ, quot Prophetæ sanctissimi viri isto tempore missi sunt: sed non audivit eos orbis, neque eorum doctrina in bonis operibus reformatus est. Quem enim oves audirent, nisi pastorem suum? Denique: Quid in tam longo tempore non tentatum est, ut homo in Dei culturam, & vitæ sanctimoniam reduceretur? Sed incassum, sed frustra: Quasi humano more Deo omnia tentante, si posset forsitan filii sui dilectissimi exinanitio, & labor, & dira mors, quodlibet alio excusari medio: aut verius hoc Deo insinuante; quia aliud humano generi salutis remedium non pateret. A principio ergo minis & terroribus mundum ad se reducere tentavit: dira supplicia in prævaricatoribus exercens, si forte talibus exemplis mundus a peccatis abstineat, & conversus ad Dominum resipiscat. Inde illa, quæ supra diximus, ultricis justitiæ terribilia monumenta prodierunt. Mundus aquis submersus, Pentapolis adusta, Ægyptus vastata, & populus in deserto prostratus; & innumera alia quæ enumerare longum esset, & legentibus scripturas notissima sunt. Sed in his omnibus nihil profectum est: nam, ut Propheta commemorat. *Populus non est reversus ad percutientem se.* Alia igitur hominem aggreditur via, beneficio allicit, quem timore non pungit. Vocat ad se Abraham, & ex eo peculiarem sibi populum familiaremque delegit, quem ut filium foveat, instruat, protegat, viamque veritatis & sanctimoniæ doceat, si forte expleatur in illa portione, quod non implebatur in orbe. Bone Deus, quibus eum favoribus, quibus gratiis, quibus muneribus extulisti! Potenter in manu valida ex Ægypto eum transtulisti, rubrum mare rupisti, Jordani flumen siccasti, manna pavisti, aqua de petra potasti, in columna ignis, & nube illum duxisti, dissipasti Regna, destruxisti gentes, & plantasti eum, innumerisque favoribus supra modum illum auxisti. Hæc tam innumera & præclara beneficia illi populo collata sunt, propter hoc maxime, si forte audiens mundus tanti Dei munera, eximiosque favores conversus ad cor diceret intra se: Revertamur ad tam benignum & pium Deum, qui talia præstat dona cultoribus suis, & sic tractat servos. Sed e contrario evenit; non solum enim idololatra gentilitas hujusmodi exemplis in veri Dei cultum provocata non est, sed & populus ille electus hujusmodi favoribus in dies deterior factus est, sicut de illo Moyses prædixerat olim: *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum: & recessit a Deo salutari suo. Provocaverunt eum in diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.*

IX. Quid jam ageret Deus? Aut quem ultra quæreret modum? Misit nuncios suos & occiderunt eos: Iterum misit alios, & irriserunt eos. Multiplicavit Prophetas, & non crediderunt eis: Minis territi non sunt, neque blanditiis allecti, neque muneribus provocati. Quid ultra restabat, nisi ut mitteret Unigenitum Filium, si forte revereantur eum? Sicut in Euangelica Parabola Dominus exposuit. Unde per Prophetam, quasi de hac mundi pervicacia admirans ait: *Quid faciam tibi Ephraim. Quid faciam tibi Juda?* Scio, inquit, quid faciam: amore devincam eos. Invenit salubre consilium divina sapientia; noverat enim quia nihil amore potentius ad trahendum. Quid enim ad amandum sic allicit, sicut amor? Unde Seneca (*a*). *Frustra*, inquit, *quæritis maleficas ad amorem; Ostendam ego tibi maleficium potens. Ama: & amaberis.* Venit ergo in mundum, familiarem se exhibet & socium: obsequitur, obtemperat, servit, agit pro homine grandia, & patitur pro illo indigna, expandit viscera, ostendit amorem. Vidit mundus, & audivit, consideravit & attendit, obstupuit, obriguit, expavit, & tantæ dignationis & charitatis munere devictus, tantique beneficii pondere superatus, antè Domini sui pedes prostratus occubuit. Quis enim aut ferreus, aut saxeus, posset tantæ dignationi resistere? Aut, quem non emolliret, & non liquefaceret vel adamantinam duritiem tam eximiæ charitatis potentissimus ardor? Saxa durissima sub pedibus ejus in morte confracta sunt: quanto magis humana corda? Resonante ergo per totum orbem apostolica tuba, & clara voce hoc mortalibus personante; quoniam Deus pro homine Homo factus est, crucifixus, & mortuus, & hoc ipsum multiplici miraculorum testimonio comprobante, ad hanc vocem attonitus orbis, charitate devictus, quod tot sæculis ante non fecerat, procidit & adoravit.

1. Jo. 5.
Jo. 10.
Gen. 6.
Ibid. 19.
Exodi 14.
Ibid. 32.
Isaiæ 9.
Gen. 12.
Ibid. 14.
Psal. 79.
Exodi 14.
Josue 3.
Exodi 16.
Num. 20.
Exodi 13.
Psal. 43.
Deut. 32.
Mat. 21.
Osee 6.
Mat. 27.

(*a*) Epist. 9. in edit. Venet. an. 1658. *Hecaton*, ait, *ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine. Si vis amari, ama.*

X. Vicisti Domine, sicut par erat; fortior mundo fuisti, & invaluisti: superasti amore duritiam cordis nostri, & sicut cinerem emollisti nos. Denique anima nostra liquefacta
Cant. 5. est, postquam Dilectus locutus est. Sagittasti nos charitatis tuæ sagittis, & procidimus coram te, sicut Propheta prædixerat: *Sagit-*
Psal. 44. *tæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* Videres tunc populos sitibundos undequaque ad veram Dei fidem, & cultum acervatim confluere, sicut scriptum est: *Circumdederunt*
Ps. 117. *me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: Et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.* O insignem ultionem, o præclaram vindictam! Exarserunt spiritu Dei spinosa prius corda, & veluti apes ad favum, sic agglomerantur ad Christum. Videas alios in plateis crucifixos, alios exustos, alios lapidatos, alios laniatos, alios excoriatos, dira tormenta, non solum patienter, sed etiam libenter tolerantes pro illo, in quem fuerant ante blasphemi. Sic, sic o rebelles, indurati, pertinaces, sic oportet vos esse, talia pro
Prov. 1. Nomine meo decet vos pati! *Vocavi, & renuistis: Ostendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret.* Ego duritiam cordis vestri emolliam: Ego faciam, ut amore meo ardeatis, & æstuetis, & pro nomine meo, cum atroces crudelesque passiones, & mortes sustinueritis, parum vos præ amore egisse putetis. Ita Domine, obsecro, ita vindica te etiam nunc de hac nostra duritia, ut emollias eam, & tui amoris igne succendas nos. Da nobis nosse mysterium, sentire beneficium, & pro tantæ dignationis munere in tui amore penitus inflammari. Quid enim proderit dedisse beneficium, nisi dederis & sensum? *Hæc est*, ergo, *victoria quæ* vicit
1. Jo. 5. *mundum*, quia audierunt homines: Quoniam,
Jo. 1. *Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis.* Hoc insigne pietatis, & amoris opus indurata corda confregit, & in Domini obsequium emollivit. Unde Ambrosius, exponens illud Apostoli: *Humiliavit semetipsum,*
Philipp. 2. *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen: Ut in Nomine Jesu omne genu flectatur, Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum.* Sic ait: Quanta fecit Dominus audeo dicere, & non flexi ei genu: Sed flexi ei postquam se humiliavit. Fecit pro homine
Gen. 1. cœlos, fecit terram cum germinibus suis, fecit maria cum piscibus suis, fecit corporalia omnia, & ea homini tradidit possidenda: sed non pro his omnibus genua flexit. At vero cum Filium Dei pro se humiliatum vidit, stare non potuit, sed tantæ charitatis pondere superatus pavimento prostratus, adoravit. Quicquid Deus faceret ad remedium, quemcumque mundo mitteret ad salutem, non ei prosterneretur homo, nisi humiliaretur Deus. Quid profuit virgam mittere cum
4. Reg. 4. puero? Non suscitatur ad baculum mortuus, nisi e cœlo veniat propheta magnus, & puero commensuretur, ejusque calore frigida pueri carne confota septies oscitet, respiret, aperiatque oculos, & de cætero vita vivat. Audistis, Fratres, ut nostra potuit investigare fragilitas, qua ratione, qua causa Deus Homo factus est, & quam altissimo & profundissimo sapientiæ Dei consilio hoc mysterium pro homine patratum est. Visa hæc est
1. Cor. 1. gentibus stultitia, sed in rei veritate admirabilis sapientia erat, sicut ipse Dominus in Psalmo ad Patrem ait: *Mirabilis facta est*
Ps. 138. *scientia tua ex me.*

XI. Sed si adhuc præcipuam & omnimodam sacramenti hujus causam nosse desideratis, uno verbo dicam, non ego, sed Apostolus, *Dilexit me*, inquit, *& tradidit semet-*
Gal. 2. *ipsum pro me.* Amor fecit, amor impulit, amor traxit, amor vicit, amor Dei Filium a Patris gremio in Virginis uterum avolare fecit. Denique *salvum me fecit*, non alia
Psal. 7. quidem causa, non alia ratione, non alio merito meo vel servitio, sed, *quoniam voluit me:* quia dilexit me. *Sic enim Deus di-*
Jo. 3. *lexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*, & in acerbissimam mortem traderet. O potentissimam vim amoris! O insignem charitatis triumphum! O amor fortissime quam glorioſa spolia reportas? Omnipotentem superasti, Deum vicisti, Altissimum potentiæ tuæ vinculis alligasti, contra Omnipotentiam triumphasti. Agnosco spectabilem luctam, mirabile certamen: Homo cum Deo
Gen. 32. luctatur tota nocte, & percutitur Homo, sed vincitur Deus, femur hominis emarcuit in certamine: sed licet claudus, gloriatur tamen, quia in lucta victor evasit. Unde dictum est ei: *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* Sed unde victor? Quibus armis? Quo telo? Utique non alio, quam amore. Hic hominis amor violentus cœlum invasit, paradisi atrium potenter irrupit, Omnipotentem Dominum carneis vinculis alligavit, universa ejus ab-
Lucæ 11. stulit arma, & spolia ejus distribuit, divitias ejus immensas hominibus dedit, & ipsum majestatis Dominum triginta tribus annis ligatum hominis obsequio mancipavit, servire eum fecit duro servitio, & tandem morte crudeli damnavit eum. O amorem crudelem & sævum! O amorem rigidum & severum! Cur Majestatem laceras? Cur bonitatem damnas? Cur in Deum piissimum & optimum tam crudeliter sævis? Vere fortis es ut mors
Cant. 8. dilectio, & durior inferno æmulatio; quæ pro vermiculo Deum tradis, pro vernaculo Deum morti exponis: & cum pium te omnibus exhibeas, piissimo Deo soli factus est sævus. Parce, obsecro, Majestati, parce Bonitati: Sed, si dimittitur Deus, damnabitur mundus? Quid ergo eligam? Quid petam? In angusto positus sum. Gratias tibi Domine, gratias tibi, quia victus vicisti, & superatus charitate meam miseriam superasti. Dilexisti me Domine supra modum, dilexisti me sine modo, & qui omnia in numero,
Sap. 11. pon-

pondere, & menſura feciſti, in diligendo me modum, pondus, atque menſuram exceſſiſti. Unde Paulus Apoſtolus: *Propter nimiam*, *Eph. 2.* inquit, *charitatem ſuam, qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto*. Vere nimiam, vere exceſſivam, vere immoderatam & immenſam! De (*a*) hac P. Auguſtinus (*a*). Dilexiſti me, inquit, Domine pluſquam te, quia mori voluiſti pro me: tam caro pretio redemiſti me, de ſupplicio revocaſti me, de ſervitio retraxiſti me. Pudeat non redamare te pro tanto amore tuo: pudeat, & vehementer pudeat. Sed, unde te amabo, niſi tu Domine dederis amorem tuum? Specioſa hæc margarita eſt, & non facile eſt reperire eam. De cœlo ergo *Thren. 1.* mitte ignem in oſſibus meis, & liqueſcant amoris tui calore medullæ oſſium meorum intra me, & anima mea ut cera in tui deſiderio liquefiat: Ut ſciam, ut intelligam, ut ſentiam, quæ a te donata ſunt mihi; & hoc tibi amoris glutino ſic adjungar, ut unus tecum in æternum ſpiritus fiam: Te præſtante, Te donante Domino meo, Redemptore meo, cui cum Patre & Spiritu ſancto eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN DOMINICAM II.

ADVENTUS

CONCIO SECUNDA.

De Fructibus Adventus Domini.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus?
Matth. 11. v. 3.

* Concio VII. I. HUc uſque, uti initio præcedentis ſermonis dictum eſt, nobis cum ſynagoga ſuper hac quæſtione Joannis lis eſt. *Mat. 11.* Eccleſia dicit: *Tu es qui venturus es*; ſynagoga, non: *Sed alium expectamus*. Circa quod ſciendum; quod Libri Canonici veteris Teſtamenti ſint a Judæis recepti tamquam, Deo inſpirante, conſcripti. Conſiderandum etiam, quod iſti libri ſint apud eos multipliciter conſcripti. Uno modo pure hebraice, alio modo non pure hebraice: videlicet; ſermone chaldaico, ſed litteris hebraicis, quia hebraicum, & chaldaicum ſunt idiomata propinqua eundem numerum litterarum habentia (*b*). Propter quod (*b*) in libris notabilibus judæorum ponitur hebraicum purum in una columna, & chaldaicum in altera, & utuntur judæi iſto chaldaico quaſi pro expoſitione (*c*): & ideo iſta (*c*) translatio neceſſaria eſt ad diſputandum cum judæis, in paſſibus multis. Similiter tranſlatio ſeptuaginta interpretum, apud eos habetur, tamquam peritiſſimorum in lingua hebraica, & ideo de illa poſſumus nos juvare ad probandum aliquid ipſis judæis. Item, præter Scripturas canonicas, ſunt aliæ ſcripturæ a judæis receptæ tamquam authenticæ. Scilicet: Thalmud; quia apud eos ſcriptura iſta non differt a Scripturis canonicis, niſi ſicut lex data verbo a lege data ſcripto. Quia iſta fuit revelata Moyſi a Deo, ſicut illa, quæ ſunt ſcripta in libris Moyſi; licet Moyſes non ſcripſerit ea, quæ continentur in Thalmud, tamen tradidit ea Joſue, & aliis ſenioribus verbo, ſicut habuerat a Domino, & alii aliis poſterioribus, quoaduſque ſcripta ſunt per poſteriores Doctores, ne cederent in oblivionem. Similiter: Dicta doctorum hebraicorum, qui gloſſaverunt vetus Teſtamentum, ſunt authentica apud eos, multo magis quam apud nos dicta Hieronymi, & P. Auguſtini, & aliorum Doctorum Catholicorum. Et hoc potiſſime propter id quod ſcriptum eſt: Non declinabis a verbis eorum *Deut. 17.* ad dextram, ſive ad ſiniſtram: Ubi loquitur Scriptura de Sacerdotibus ac Doctoribus, ad quos præcipit in dubiis recurrere, & eorum ſententiam indiſcuſſe tenere. Licet autem hujuſmodi Scripturæ in magna parte ſunt falſæ, ſcilicet Thalmud (*d*), & Gloſſæ do- (*d*) ctorum hebraicorum; tamen per eos poſſumus contra eos efficaciter arguere, ex quo ſunt ab eis prædicto modo receptæ. Sicut e contrario argumentum quod facerent contra nos ex Euangelio & Scripturis Apoſtolorum: hujuſmodi eſſet efficax contra nos, licet reputent hujuſmodi Scripturas falſum continere. His itaque prænotatis, ſi coram illis eſſet ſermo, ſatis abunde plurimis Scripturæ teſtimoniis probaremus Jeſum Dominum eſſe Meſſiam in lege promiſſum: Sicut optime probat Nicolaus de Lyra in quodam tractatu (*e*): Et late Euſebius Cæſarienſis in lib. (*e*) *De Præparatione Euangelica* (*f*). Sed, quia (*f*) ad fideles loquimur, quorum fides ſuper hoc firmiſ-

(*a*) Vide Soliloq. cap. 13. append. tom. 6. noviſs. edit.

(*b*) Immo quos nunc temporis Hebraicos vocamus characteres, non alios plane, quam Chaldaicos eſſe autumant peritiores Critici, eamque opinionem egregie propugnat Auguſtinus Calmet differt. ult. in lib. 4. Eſdræ. Poſt Babylonicam enim captivitatem Judæi, veteri ſepoſito charactere, alium adoptarunt, Eſdra in primis auctore; idque pro certo habet S. Hieronymus Præf. in lib. Regum. Non ita Samaritani, apud quos antiqua hebraice ſcribendi forma illæſa remanſit, quæ in Samaritico Pentateucho etiamnum conſpicitur in Bibliis Polyglottis Valtonii, & Le Jay.

(*c*) Quæ expoſitio, Targum, ſeu Paraphraſis Chaldaica vocatur, & Bibliis Polyglottis inſeri conſuevit. De hac paſſim Scriptores Biblici.

(*d*) Innumeris fabellis, atque hiſtoriolis ſcatet præſertim Thalmud, ut vocant Babylonicum Amſtelodami 12. vol. in fol. excuſum. Quas quidem nænias mira credulitate Judæi deglutire non dubitant. Multo contractius eſt Thalmud Jeroſolymitanum Babylonico antiquius. Unico enim licet ampliori vol. in fol. conſtat.

(*e*) Scilicet libello contra Judæos, quem legimus impreſſum ad calcem part. 6. Bibliæ cum Gloſſa ordin. & Lyrani Poſtilla Lugduni 1529. hoc titulo: *Incipit libellus ejuſdem venerabilis Magiſtri Nicolai de Lyra continens pulcherrimas quæſtiones Judaicam perfidiam in Catholica fide improbantes.*

(*f*) Omnino Amanuenſis vitio irrepſit *de Præpara-*

firmiſſimo fundamento, ut ſuper firmiſſimam petram ſtabilita eſt, non opus eſt ſuper hoc immorari. Hac ergo veritate præſuppoſita, quod, *Tu es, qui venturus es:* Duo quæri poſſunt: Aut de cauſis adventus, aut de fructibus adventus: &, quoniam anno præterito de cauſis fuſe tractavimus, hodie de fructibus fiet ſermo. Sunt autem in plurimis quatuor potiſſimi. Scilicet: Pax, Lux, Charitas, Libertas.

II. Prima ergo utilitas fuit Pax. Hoc Angeli ſignificaverunt in die Natalis cantantes: Gloria Deo, Pax hominibus. Hoc tempus Pacis, in quo natus eſt. Unde & ipſe ſpiritualiter Salomon, id eſt, Pacificus nominatur. Apoſtolus: *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum.* Et iterum: *Pacificans per Sanguinem crucis ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt.* Unde, Adventu ſuo fecit Pacem inter Deum & hominem, & Angelum & hominem, & hominem & hominem: erat enim magna diſcordia inter Deum & hominem. Nam, ex quo primus parens peccavit, Deus totaliter a ſe abjecit hominem graviſſime indignatus. Non ſolum morte condemnans, ſed etiam mundum in manu & poteſtate Dæmonis relinquens: qui per quinquies mille annos graviſſimo jugo genus humanum premebat; & de homine, Deo non erat cura. In quibus nullus quantumvis Sanctus, nec Abraham, nec Moyſes, nec Iſaias, nec Jeremias, nec David vidit faciem Dei, nec ingreſſus eſt in domum ejus cœleſtem. Pſalmus: *Quis novit poteſtatem iræ tuæ?* Dic, ut in ſermone ſuperiore (*a*). Hæc diſcordia ſublata eſt illo matrimonio Filii Dei cum noſtra natura in thalamo Virginis; & homo in gratiam Dei redactus: ſed non ſine grandi & condigna injuriæ ſatisfactione. *Interficiens inimicitias in ſemetipſo*, ut ait Apoſtolus. Hæc Pax perfecta & perpetua. Quando jam obliviſcetur noſtri Frater noſter? Os de oſſibus noſtris, caro de carne noſtra? Quomodo deſpiciet nos Germanus noſter Filius Matris noſtræ? Quid tantum poteſt diſplicere mundus, ut non ei magis placeat portio illa ſacra, quam de noſtro aſſumpſit? Unde per Prophetam ait: Numquid obliviſci poteſt mulier filii uteri ſui? Quod ſi illa oblita fuerit, ego non obliviſcar tui: In manibus meis deſcripſi te. Quod in manibus habemus, ſemper aſpicimus; ideo ſemper præſens illa ſacratiſſima Humanitas: quæ magis ponderat apud ipſum, quam totus mundus. Joannes: *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum: Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; Non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Secundo: Fecit Pacem cum Angelis. Nam uſque ad ejus Incarnationem, Angeli homines quaſi extraneos tractabant cum dominio & ſeveritate. Unde quando apparuerunt Abrahæ, Loth, Jacob, Moyſi, Ezechieli, & Danieli, homines procidentes adorabant eos ut Dominos, & non erat cum illis converſatio. Sed, ex die hujus matrimonii Regis ſui, tota cœleſtis curia facta eſt nobis benevola & familiaris: jam nos quaſi ſocios amiciſſime tractant, quia vident Dominum ſuum veſtitum noſtra natura. Unde, cum Joannes vellet adorare Angelum, ille non permiſit, dicens: Cave ne feceris, conſervus tuus ſum. Quando hoc aliquis Angelus prohibuerat ante? Unde; videntes quoniam Deus æſtimavit hominem, & ipſi propter eum honorant nos. Tertio: pacificavit hominem cum homine; nam inter gentilitatem & ſynagogam erat grandis diſcordia. Semper namque ſynagoga gentiles quaſi profanos & idololatras contemnebat, nec cum illis converſari fas erat eis. Gentiles gentem Judaicam ut extraneam, ſuperſtitioſam, & levem, viventem contra ritus totius mundi odio habebant, & perſequebantur, & ſæpius delere voluerunt de mundo, ut patet in lib. Eſther, & tempore Adriani Imperatoris (*b*). Dominus autem eos pacificavit ſuo adventu, ſicut lapis angularis unius parietis, ex adverſo, & ex duobus populis faciens unam Eccleſiam. Solvens maceriam mediam idololatriæ, & Legis.

III. Secunda utilitas fuit lux. Erat enim tunc totus mundus involutus caligine ignorantiæ. Adorabant beſtias & lapides. Qui ſapientes videbantur, & philoſophi pleni erroribus erant. Denique: Ambulantibus in tenebris & umbra mortis, lux orta eſt eis. Vere umbra mortis, Typus inferni. Erat quidem lux, & philoſophia in mundo, ſed, ut ait Petrus: Quaſi lucerna lucens in caliginoſo loco; ſolos propinquos, & parvo lumine illuminabat, donec ortus eſt ſol juſtitiæ, qui tenebras a toto mundo expulit, & omnibus illuxit. *Erat* enim *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Ideo quippe, ut ait Bernardus (*c*): Unigenitus Dei, Sol juſtitiæ tanquam immenſi, & præclari luminis cereus in hujus mundi carcerem illuminatus eſt & accenſus, ut omnes, qui illuminari voluerint, ad illum accedant, illique jungantur; ut nihil medium inter illos ſit & ipſum. Peccata tantum noſtra ſeparant inter nos & Deum;

Mat. 16. Ibid. 11. Luc. 2. 1. Paral. 22. Epheſ. 2. Coloſſ. 1. Pſal. 89. (*a*) Epheſ. 2. Gen. 2. Iſaiæ 49. 1. Jo. 2. Gen. 18. Ibid. 19. Ibid. 32. Act. 7. Apoc. 22. Eſther 8. (*b*) Epheſ. 2. Iſaiæ 9. 2. Petr. 1. Jo. 1. (*c*)

ſatione Euangelica. Verius legendum *de Demonſtratione Euangelica*. Euſebius quippe priori illo opere *Præparationis Euangelicæ* Gentilium Græcorum errores, ac ſuperbiam inſectatus eſt; Libris vero *Demonſtrationis Euangelicæ* Chriſtianæ Religionis veritatem adverſus Judæos aſſerere contendit.

(*a*) Nimirum ubi de alienatione hominis a Deo.

(*b*) Quæ fuerit ſub Adriano Imperatore, ſecundo æræ Chriſtianæ ſæculo Judæorum calamitas, cum ab eo deficientes, poſt triennale bellum devicti proſtratique ſunt, ſatis clamant hiſtoriæ. Xiphilinus Epitom. Dion. Caſſ. in Adriano, eam referens, *Cæſa*, inquit, *ſunt in excurſionibus prælii ſque hominum quingenta octoginta millia: eorum autem qui fame, morbo, & igni interierunt infinita fuit multitudo, itaut omnis pene Judæa deſerta relicta fuerit*. Propterea S. Hieronymus horrendo huic Judaici populi infortunio illud Zachariæ 11. 7. accommodat *Paſcam pecus occiſionis*.

(*c*) Serm. 3. in Vigil. Nativ. Dom. num. 2. uſque ad ea verba *ſine aliquo medio conjungitur*.

Deum; quibus ſublatis vero lumini illuminandi, & quaſi concorporandi connectimur in idipſum: Sicut lumen extinctum lumini lucenti & ardenti ſine aliquo medio conjungitur. Magnum profecto beneficium lux illa, lumen dico doctrinæ Euangelicæ: quod, quamvis omnibus illuxerit, non tamen omnium lux iſta ſcientiæ eſt, Fratres mei, & nec multorum, ſed paucorum eſt. Putaſne quia illi, qui cum male fecerint, lætantur, *Prov. 2.* & exultant in rebus peſſimis, lumen iſtud receperint? Vel ſciant, vel recogitent, quia lux illa Dominus venit? Si dixerint ipſi, tu noli credere. Neque enim ſe ita omni impuritate polluerent, ſed vigilarent utique, & non ſinerent tam graviter perfodi conſcientias ſuas. Scientia autem iſta in primo gradu operatur pœnitudinem, & dolorem: Ut hac illuminatus, riſum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mœrorem peccator convertat, & incipiant illi diſplicere, quæ vehementer ante placuerant. Ut illa ſpecialiter horreat, quæ ſpecialiter appe- *Eccleſ. 1.* tebat. Sic enim ſcriptum eſt: *Qui addit ſcientiam, addit & dolorem.* Ut veracis & ſanctæ ſcientiæ ſit dolor ſubſequens argumentum. In ſecundo vero gradu operatur correctionem, ut jam non exhibeat membra ſua arma iniquitatis peccato, ſed coerceat gulam, jugulet luxuriam, ſuperbiam deprimat; & faciat ſervire corpus ſanctitati, quod iniquitati ante ſervierat. Sed, quia hæc diutius haberi non poſſunt, niſi circa ſe multa circumſpectione mens indefeſſa vigilet, & attendat; in tertio gradu operatur ſolicitudinem: Ut hac Euangelicæ doctrinæ luce illuminatus, ſolicitus incipiat ambulare cum Deo ſuo, & ex omni parte ſcrutetur, ne vel in leviſſima re tremendæ illius majeſtatis offendat aſpectum. In pœnitudine accenditur, in correctione ardet, in ſolicitudine lucet, ut interius & exterius renovetur.

IV. Tertia utilitas fuit charitatis, ſive (*a*) amoris: Quod P. Auguſtinus (*a*) vocat auxilium. Dicens: Chriſtus adveniens mundo duo attulit magiſterium & auxilium; magiſterium doctrinæ, & auxilium gratiæ, ſive charitatis, quod idem eſt. Hic eſt ignis, de quo ait Dominus: *Ignem veni mittere in ter-* *Luc. 12.* *ram, & quid volo, niſi ut accendatur?* Et hoc volo, hoc moneo, hoc impero: Hæc Fratres, noſtra ſit cura, ſive legamus, ſive audiamus, ſive doceamus, ſive oremus, excitare hunc ignem in nobis, quem Dominus miſit de cœlo in die Pentecoſtes. Hoc noſtrum principale intentum: non ſapere, ſed amare. O quomodo arſit iſte ignis tunc in principio! Quomodo inflammavit corda hominum! Teſtis eſt illa multitudo Martyrum, Anachoritarum implentium deſerta; quaſi multitudo Angelorum omnia pro Deo deſerentium: in carne, quaſi vitam Angelicam degentium. Votum tunc erat Chriſtianis, ait Heronymus (*b*): pro Chriſto Domino (*b*) mori, & ſanguinem ſuum fundere: hæc erat Chriſtianitas illius temporis. Qui creabatur Epiſcopus, non ad honorem, ſed ad martyrium. Hunc ignem Dominus ſuo adventu non ſolum de cœlo dedit, ſicut ſcriptum eſt: De cœlo miſit ignem in oſſibus meis, & eru- *Thren. 1.* divit me; ſed etiam beneficio, & præſentia ſua mirabili fovit. Beneficio, quod eſt Incarnationis ſuæ, quo nimis obligati homines eum ex tanto amore provocati amaverunt. Præſertim quoque, quia, cum Deus ſit natura inviſibilis, mundus non attingebat ejus amorem; ſed poſtquam factus eſt viſibilis, & mundus ſacratiſſimam humanitatem vidit, vehementer eum in humilitate dilexit. Nunc etiam maxima pars devotionis populi in conſideratione Nativitatis, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſioniſque verſatur; & non eſt, qui neſciat Deum diligere in natura noſtra, quantumcumque ſit idiota: &, qui Deum in ſua natura diligere neſcimus, diligimus in noſtra. Et hoc magnum ſalutis emolumentum paucis conceſſum eſt; illud, quod ait Apoſtolus: *Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non noſcimus:* Quia, *2. Cor. 5.* qui prius in carne eum ſolebat diligere, & conſiderare, jam potius delectatur eum in divinitate diligere: & alius ſpiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus; nobis autem ſatis eſt Deum Hominem diligere. Hanc cauſam tangit Bernardus (*c*) in Sermone 20. (*c*) ſuper Cantica dicens: Ego hanc arbitror præcipuam inviſibili Deo fuiſſe cauſam, quod voluit in carne videri, & cum hominibus Homo converſari; ut carnalium videlicet, qui niſi carnalia diligere non poterant, cunctos primo ad ſuæ carnis ſalutarem amorem, affectione retraheret, atque ita gradatim ad amorem deduceret ſpiritualem.

V. Quarta utilitas fuit libertas: Et hæc triplex. Scilicet a dæmonio, a peccato, & miſeria. Erat valde miſera illa humana ſervitus ſub dæmonio. Nam, ſicut nigerrima mancipia homines tractabant crudeliſſimo dominio. Unde filios ſuos combuſtos per ignem offerebant, & ad auſpicia captanda, mulieres prægnantes vivas ſcindebant, & mille alias crudelitates exercebant, beſtiæ, feræ, ſanguinem humanum ſitientes. Unde legi- (*d*) tur (*d*): Quod aliquando fingentes ſe indignatos,

(*a*) S. P. Auguſtinus Epiſt. 137. alias 3. ad Voluſian. cap. 3. ita hac de re. *In quo Chriſto eo tempore, quod opportuniſſimum ipſe noverat, & ante ſæcula diſpoſuerat, venit hominibus Magiſterium, & adjutorium ad capeſſendam ſempiternam ſalutem. Magiſterium quidem, &c.* Utrumque deinde explicat S. Doctor.

(*b*) In vita S. Pauli Eremitæ tom. 4. part. 2. pag. 69. *Voti tunc Chriſtianis erat pro Chriſti nomine gladio percuti.*

(*c*) Paulo aliter in editione Mabillonii leguntur hæc S. Bernardi verba, & quidem non Serm. 2. in Cant. ut allegat Bruxellenſis editor, ſed vigeſimo. Ita porro Mabillonii editio. *Ut carnalium videlicet, qui niſi carnaliter amare non poterant, cunctas primo ad ſuæ carnis ſalutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret ſpiritualem.*

(*d*) Vide Polydorum Virgil. de invent. rer. lib. 5. cap.

gnatos, oraculis jusserint omnem fere multitudinem juvenum nobilium Romanorum ad eos placandos ibi offerri: & occisi sunt trecenti juvenes ex nobilibus, & reliqui fugerunt. Quæ crudelitas! Quis terrenus inimicus amplius desæviret? Ab hac nos liberavit Dominus sua morte. *Nunc*, inquit, *judicium est mundi: Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*. Si historias legeris, obstupesces, & senties beneficium. Secunda libertas est a servitute peccatorum: quæ etiam magna est & dura: Quomodo premit avaros avaritia! Quomodo cruciat odium & rancor iracundos! Quomodo desiccat invidia! Apostolus: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum*. Tertia libertas est a miseria: Hæc dabitur in fine; tamen jam hic promerita per passionem. Quando absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, tunc apparebit gloria, & libertas filiorum Dei, tunc apparebit fructus redemptionis. Psalmus: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, ecce merces fructus ventris* benedicti. Gaudium, libertas, & gloria sempiterna. Ad quam nos perducat Jesus Christus Dominus noster. Amen.

Jo. 12.

Rom. 7.

Apoc. 7. Ibid. 21.

Ps. 126.

IN DOMINICAM II. ADVENTUS CONCIO TERTIA.

De possibilitate Adventus Domini, et Legatione Præcursoris.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Matth. 11. v. 3.

Concio VIII.

I. INter alia Fidei nostræ Mysteria, unum præ cæteris ad credendum mundo difficilius fuit Incarnatio Verbi Dei: hoc enim sicut totius Fidei basis & fundamentum est, ita ad persuadendum gravius fuit. Videbatur enim mundi sapientibus & philosophis auditu indignum dicere, quod Deus esset homo: Propter Tria. Primo: Quia judicabant impossibile, quod duæ naturæ tam distantes, Dei & hominis tam intime unirentur in uno eodemque supposito, & unus & idem esset verus Deus, & verus homo: Non denominatione aliqua, sed natura. Nam, si hoc in Angelo, & homine creaturis finitis admodum videretur difficile ad credendum, quod unus scilicet, esset Angelus & homo; quanto magis in duabus naturis, quarum una infinita, & altera finita est? Secundo: Quia indecens videbatur eis, Divinæ Majestati, ut pueri infunderetur corpusculo, puellæ clauderetur utero, & vagitus, inediam, sitim, frigus, lassitudinem, mortem, & alias hominum passiones experiretur; grandemque supra modum blasphemiam judicabant, hæc & similia Deo tribuere. Ac propterea Christianos hoc asserentes, ignaros, idiotas, stultos, profanos & blasphemos nuncupabant. Tertio: Quia mirabilis quædam stultitia videbatur, quod Creator omnipotens pro sua creatura, quam ipse sponte condiderat, moreretur: Et quod nullo cogente, ipse gratis a se talem pro delicto alieno satisfactionem exigeret. Quis creare compulit hominem? Quis peccato lapsum sic eum restituere coegit? Cur tanto dispendio subvenitur crimini, quod facile poterat indulgentia dilui? Hæc & similia Porphyrius (*a*) in lib. de regressu animæ, quem contra Religionem Christianam edidit, stultissime delatrat. Sed O *Quam magnificata sunt opera tua Domine! Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc*.

A

B

C

D

E

(*a*)

Ps. 91.

II. Audi barbare, intellige pagane, ait P. Augustinus (*b*): Quid tibi tam indignum, & tam indecens videtur, quod Deus fiat homo? Imo dico tibi, nullum fuit opus in orbe, in quo Deus magis suam potentiam, suamque sapientiam, suam benignitatem, clementiam, misericordiam, pietatem, charitatem, magnitudinem, cæterasque omnes virtutes suas eximias, & in quo magis se Deum esse monstraret, quam in hoc. Quid miraris, si piissimus ac clementissimus Deus, ut divitias bonitatis ac clementiæ suæ ostenderet, pro redimenda sua creatura talia pati dignatus est? Aut in quo hominem a se conditum ad se magis allicere, atque ad amandum, colendum, reverendum Creatorem suum amplius obligare potuit? Non est hæc blasphemia, ut ipse blasphemas. Propter hoc maxime in cœlo, & in terra, ab Angelis, & hominibus Deus laudatur in sæcula. Est alienum, inquit, a Deo, pati, & mori, & extraneum. Non negamus: Sed, *Ut faciat opus suum, alienum* est *opus ejus* ab eo: *Ut operaretur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo*. Opus Dei, salvare, redimere, liberare, subvenire. *Dominus* enim *solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit elisos*. Et, Deus miserendi Dominus: *Deus noster Deus salvos faciendi, & Domini, Domini exitus mortis*. Ut faceret hoc, quod suum erat, extranea & aliena nimis se pati digna-

(*b*)

Isaiæ 28.

Ps. 145.

Ps. 67.

---

cap. 8. ubi plurima hujus crudelitatis exempla afferuntur. Quamquam hoc a S. Oratore indicatum ibi non legitur, sed simile ex Diodoro de Carthaginensibus, qui cum ab Agathocle Siculorum Rege victi essent, iratum sibi Saturnum putantes, ducentos Nobilium filios eidem immolarunt.

(*a*) Philosophus Tyrius, Christianus primum, ut innuit S. P. August. de Civit. Dei lib. 10. cap. 28. tum nominis hujus infensissimus hostis. Contra Christianos scripsit libros 15., qui Theodosii Imp. jussu combusti fuere, ut patet ex ipsius lege, quam in actis Concil. Ephes. habemus tom. 3. Concil. edit. Veneto-Labbæanæ pag. 1734.

(*b*) Plura hic complectitur S. Orator a S. P. Augustino diversis in locis disputata, præsertim vero lib. 10. de Civit. Dei contra Platonicos, & Porphyrium, necnon Epist. 137. alias 3. ad Volusianum.

dignatus est. Neque in alio quopiam opere summa illa Dei bonitas, & clementia magis potuit innotescere, quam quod, immortalis cum sit, moriatur, ut benefaciat; & cum sit impassibilis, patiatur & liberet. Talis est Deus, talis est ejus pietas & charitas. Neque quippiam tam excessivum, & arduum excogitari potest, quod ardorem illum divini amoris adæquet, & ejus superet pietatem. Hoc opus super omnia mihi declarat, quis sit ille Deus, quem super omnia colimus & veneramur. Quam bonus, quam pius, quam benevolus, quam magnificus, quam potens, quam sapiens; qui non solum omnia ex nihilo, sed etiam hominem ex se ipso facere novit, & potuit. Et quid, obsecro, indignum Divinæ Majestati, ut sibi uniat hominem quem creavit? Nonne Spiritibus illis beatis tam Angelicis quam humanis sic illabitur, ut eos sua intima unione, & infusione deificet penitus, & transformet? Multo intimius & veracius quam ferrum igniatur ab igne, & plus de Deo quam de se ipsis habere videantur, sicut carbo ignitus, plus de igne quam de carbone? Quid ergo mirum, si unam ex illis animabus super omnes benedictissimam sibique charissimam, speciali quodam & ineffabili modo, intimiori & sublimiori, & illa mediante, carnem in unitatem suppositi, ad gloriam suam mundo manifestandam, & ad generis humani vitam peccato perditam recuperandam, dignatus est sibi adjungere?

III. Ad hæc infinitati Dei non repugnat, ut sic uniatur creaturæ finitæ; imo, ex hoc super omnia magis resplendet. Quia enim infinitus & immensus est Deus, ideo magis unibilis est creaturæ, quam Angelus, vel quæcunque creatura creata. Cum enim omnem perfectionem creaturæ virtualiter, & eminenter contineat, nulli perfectioni creaturæ repugnat; atque ideo solus potest illabi & inhabitare mentes hominum. Unus autem gradus alteri gradui disparate & distincte non sic connectitur. Sed stultum est, inquis, hoc & ridiculum. Sic utique nescientibus mysterium videtur: Sed hæc stultitia omni sapientia major est: Et *Quia quod stultum* 1. Cor. 1. *est Dei, sapientius est hominibus*, superat omnem intellectum, excedit omnem rationem divinum consilium, & sapientiæ ejus arcanum. Et propterea, si rationem metiaris, quia metas rationis excedit, stultitia videbitur: sed revera summa sapientia est. Hæc tua vera & indubitata stultitia; velle quæ supra rationem sunt, ratione comprehendere, & infinitum divini pectoris pelagus, impenetrabilem, inquam, sapientiæ ejus abyssum intellectus tui vasculo concludere. O hominum stultissime! Si Deus a nobis comprehendi posset, non esset admirabilis. Si de operibus ejus a nobis integra ratio reddi posset, non esset ineffabilis. Quæ ante oculos habes Dei opera non intelligis, quomodo Dei sapientiam comprehendes? Humilia ergo, & captiva intellectum tuum in obsequium fidei. Audi & inclina aurem tuam, ut credas his, quæ placuit Deo nobis revelare de seipso. Noli scrutari majestatem, ne opprimaris a gloria. Audi, ut videas, crede, ut intelligas; quia nisi credideris non intelliges, non per intellectum ad fidem, sed per fidem ad intellectum perveni. Ne innitaris tuæ prudentiæ, ne fidas tuæ sapientiæ, quia scriptum est: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo: Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum.* His & similibus rationibus facile dejici, ac dissolvi possunt argumenta paganorum, & gentilium contra Incarnationem: & confundi illius morbidi canis rabies (*a*) adversus Fidem Catholicam delatrantis. Sed non mirum, si mundus in re tam ardua & sublimi aliquantulum hæsitaverit, quia vere omnes vires humanæ facultatis exuperat tanti, & tam immensi beneficii magnitudo. Unde hoc ipsum prævidens Deus, per Prophetam ait: Opus ego facio, quod nemo credet, cum narrabitur. Opus super quo mundus stupeat, & omnis hæreat intellectus: Neque quisquam, nisi per me adjutus, sufficiat ad credendum. Gratias tibi Deus, gratias tibi, qui talia pro nobis fecisti, quod, neque ea credere sufficimus. Tu potuisti facere, & nos, non dico intelligere, sed nec credere valemus: quia in hoc tuæ majestatis omnipotentia, & virtutis celsitudo, & gloria demonstratur.

2. Cor. 10. — *Prov.* 25. — 1. Cor. 1. — *Ibid.* 3. — (*a*) — *Habacuc* 1.

IV. Prævidens itaque Deus hujus incredulitatis incommodum multo ante prævenit mundum, præmonendo, & prænuntiando, quæ facturus erat, non solum per notissimas Prophetias, sed etiam per figuras, per sacrificia, per ritus, & alia opera legalia, hoc ipsum varie & multipliciter præfigurantia; Ut, cum fieret, crederetur. Quid enim fuit universa lex Mosaica, nisi Christi venturi præfiguratio, & prænuntiatio? Unde Apostolus: *Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti.* Attende, & vide, si non universus vitæ Christi cursus aperte per Prophetas fuerit præmonstratus. Prophetata Mater: *Ecce Virgo concipiet.* Prophetatus Locus: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Prophetatum Tempus: In hebdomadibus Danielis. Prophetata temporis Conditio: *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis.* Prophetati Principes: *Non auferetur sceptrum de Juda.* Et prophetata Opera: *Tunc aperientur oculi cæcorum.* Prænuntiati Mores: *Non erit tristis, neque*

Rom. 10. — *Isaiæ* 7. *Michææ* 5. — *Dan.* 9. — *Psal.* 71. — *Gen.* 49. — *Isaiæ* 35. — *Ibid.* 42.

(*a*) Rabidus adversus Christum canis a S. Hieronymo dicitur Porphyrius una cum Celso, & Juliano in Prolog. ad Catal. de Scriptor. Eccles. Eum tamen in extrema senectute palinodiam recantasse, misso hac de causa ad Constantinum Imper. insigni volumine, sicque ab exilio, cui pridem damnatus fuerat, liberatum, scribit Annalium Ecclesiasticorum Parens ad an. 325.

neque turbulentus. Prænuntiata Doctrina: *Aperiam os meum in parabolis*. Prænuntiata Passio: *Sicut ovis ad occisionem ducetur*. Prænuntiata Resurrectio: *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis*. Et quid moror? Dies non sufficient, ut singula commemorem. Decuit namque sic aperte & expresse omnia Christi opera, actus, & vitam prænuntiari, ut ad rei incredibilis fidem, mundus disponeretur, & præpararetur. Et ne quid omnino deesset, & ne populus ille incredulus & durus prætendere ignorantiam posset, missus est Joannes Propheta homo gravissimus & sanctissimus, qui eum non nutibus, & signis insinuaret, sed intuentium oculis digito demonstraret, dicens: *Ecce Agnus Dei: Ecce qui tollit peccatum mundi*. Quis in tanta testimoniorum claritate cæcutire poterat, nisi penitus esset cæcus? Unde Dominus invidos suos ad Scripturas remittebat, dicens: *Scrutamini scripturas, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me:* Sed, O lamentabilem illius populi cæcitatem! Tam expectatus, tam desideratus, tam præfiguratus, & prænuntiatus cum fuerit, non est agnitus ab eis. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt:* sed dicunt: *Dæmonium habet:* &, *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*. Evenit eis, ut ait Gregorius (*a*): quod & eorum patri Isaac, qui de filio suo Jacob multa prædixerat in futurum, quem coram se positum non agnovit.

Psal. 77. *Isaiæ* 53. *Psal.* 40. *Jo.* 1. *Ibid.* 5. *Ibid.* 1. *Ibid.* 10. *Lucæ* 11. (*a*) *Gen.* 27.

V. Videns itaque Joannes illius populi duritiam, & cæcitatem, & quomodo neque Prophetarum oracula, neque ipsius de Christo testimonium suscepisset, tactus dolore cordis intrinsecus, & nimia illius populi compassione commotus, morti proximus excogitavit modum, quo Christus illis se proderet admirabilem. Mittit duos ex Discipulis suis ad Christum, qui eum publice coram omni populo interrogarent: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Ac si dicat: Ego de te testimonium perhibui, neque creditur mihi: Tu de teipso testimonium perhibe, si forte credatur tibi. Sapienter excogitans, Domini responsionem magnum de se lumen humanis mentibus allaturam. Ut, sicut in Jordane aperte a Spiritu sancto de Christo testimonium acceperat, ita & nunc a Filio de seipso, ad perpetuam fidei firmitatem & integrum robur, testimonium acciperet, & populus a Christo de seipso hac occasione instructus, in ejus cognitionem, audita hujus interrogationis responsione deveniret.

Mat. 11. *Ibid.* 3.

VI. Hæc hujus legationis potissima ratio, & causa fuit, ut existimo. Quamvis multi gravissimi Doctores (*b*) hanc legationem ad discipulorum suorum plenam de Christo intelligentiam & cognitionem excogitatam potius existiment: Ut moriens, eos in Christi tutelam, & patrocinium relinqueret. Per hoc nobis præbens exemplum, ut nostrorum famulorum salutem zelemus, & nostra familia curam habeamus. Noli dicere: Ego cibum & potum eis præbeo, debita eis stipendia solvo, de animabus suis ipsi viderint: non sum Episcopus, non sum Prælatus; nam pro eis Domino tuo & illorum communi in die judicii magnam redditurus es rationem; & si mihi non credis, Apostolum audi: *Qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*. Dices forsitan: Quomodo fidem nego? Quomodo infideli deterior sum? Nunquid, quia familiam negligo Christianus non sum? Aut hæresim profiteor? Aut fidem nego? Utique negas non dictis, sed factis. Sicut illi, de quibus idem Apostolus ait: *Fatentur se nosse Deum, factis autem negant*. Nam qui futuram bonorum & malorum retributionem, id est, gloriam & infernum diffitetur, quomodo Christianus est? Nunquid non est hic hæreticus, & infideli deterior? Et tu hæc agis, dum familiæ tuæ peccata negligis. Quomodo enim gloriam, & infernum credis, si pereuntibus filiis, & famulis tuis non subvenis? Si in tanto discrimine constitutis, cum possis, non succurris? Utique si crederes subvenires: Peccant in oculis tuis, & taces; offendunt, & rides; adulterantur, & pro nihilo ducis; quomodo igitur futuras pœnas de peccatis credis? Certe, si credis hoc, operibus non ostendis. Exemplo id notum fiet: Si domo tua corruente, clamaret quispiam, egredimini, quia labitur domus, & tu ad mensam sederes lætus, & quietus, neque surgeres, neque exires: Dic mihi. Nunquid notum non esset, atque perspicuum, quod clamanti non credis, qui exire negligis, & contemnis? Nam, si crederes periculum utique vitares. Sic in proposito, mortem æternam operibus diffiteris, qui pereunti familiæ succurrere negligis: & in hoc, infideli deterior in judicio reputaberis: quia non tam acriter punietur qui futuram retributionem ignoravit, sicut qui contempsit. Quisquis ergo paterfamilias a Deo familiam regendam accipit, de cætero curam de suis habeat; qualiter vivant non ignoret, si confitentur, si jejunant, si audiunt Missam diebus, quibus audire tenentur, si ludunt, si jurant, si fornicantur, si nequiter vivunt, diligenter discutiat: & si quem deprehenderit in peccato, pro virili arguat, ac

(*b*) *1. Tim.* 5. *Tit.* 1.

(*a*) S. Gregorius Magnus lib. 1. in Euang. Hom. 10. de Judæorum cæcitate verba faciens hæc habet: *Quos profecto bene Isaac, cum Jacob filium suum benediceret, designavit; qui & caligans oculis, & prophetans, in præsenti filium non vidit, cui tam multa in posterum prævidit; quia nimirum Judaicus populus prophetiæ spiritu plenus, & cæcus, eum de quo multa in futurum prædixit, in præsenti positum non agnovit.*

(*b*) Videlicet S. Hilarius, S. Jo. Chrysostomus, S. Cyrillus, Theophilactus, Eutymius, Rupertus, aliique, quorum testimonia proferre nimis prolixum foret.

ac corripiat: & ſi incorrigibilis apparuerit, a domo ſua pellat ſtatim, ne alienis peccatis involvatur. Sicut faciebat Rex ille ſapientiſſimus David: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam: Qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum.* Pſ. 100. O præclarum Baptiſtam! Qui inſtante mortis ſuæ tempore pro ſuis diſcipulis amplius quam pro ſe ſolicitus erat: non, ut temporalibus bonis affluerent, ſed ut eos Chriſto Domino commendaret. Hunc omnes Eccleſiarum Antiſtites, omnes Epiſcopi, omnes Principes imitentur, & ſequantur: ſic animarum ſibi creditarum ſalutem procurent.

VII. Videns ergo Dominus Joannis zelum, & fervorem, & pium deſiderium, hac ejus pietate commotus, propter ipſum populo indurato & immerito de ſeipſo dignatus eſt dare teſtimonium clariſſimum. Neque palam dixit, Ego ſum: Ne diceretur ei: *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes: Teſtimonium tuum non eſt verum*; Jo. 8. ſed factis melius reſpondit; non ſolum verbo afferens, ſed opere potius comprobans eſſe verum Meſſiam in lege promiſſum. Fecit namque in illa hora plurima miracula, & non qualiacunque, ſed qualia facturum eſſe Meſſiam Prophetica oracula prænuntiaverant, eaque oracula citans, & commemorans reſpondit: *Euntes renuntiate Joanni, quæ audiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes Euangelizantur.* Mat. 11. Ac ſi dicat: Hæc opera ego facio; ex his quiſque cogitare poterit, an ipſe ſim de quo quæritis. Ex duobus ſufficienter probavit ſe eſſe Meſſiam, ſcilicet ex operibus, & ex Scripturis: Ex operibus quidem, non ſolum quia fecit miracula; nam, & hoc alii Viri ſancti fecerunt, ſed ex multitudine miraculorum (*a*). Ex modo quo faciebat, quia imperando ut Deus: Ex cauſa; quia faciebat illa in teſtimonium hujus veritatis: Ego ſum verus Chriſtus in lege promiſſus. Unde, cum ſolus Deus poſſit vera miracula facere, & non poſſit eſſe teſtis falſitatis, conſequens eſt, verum eſſe quod afferitur, cum id aliquo miraculo corroboratur. Probavit etiam hoc ex Scripturis compendioſe allegans duas Prophetias ex Iſaia; Unam, qua dicitur: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, & ſaliet claudus ſicut cervus:* Iſaiæ 35. Et aliam, qua dicitur: *Spiritus Domini ſuper me: Eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum manſuetis miſit me.* Ibid. 61. In quibus prænuntiatum fuerat Meſſiam facturum eſſe illa opera, quæ tunc coram eis ipſe faciebat; innuens ſe illum eſſe, de quo quærebatur. Unde adjungit: *Et beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Luc. 7. Propter paſſionem ſcilicet, & paupertatem meam: nam & lapis offenſionis, & petra ſcandali. Iſaias dicit: *Erit vobis in ſanctificationem: In lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael, & in laqueum & in ruinam habitantibus Jeruſalem.* Iſaiæ 8. O populi obſtinati duritiam! O nimiam cæcitatem eorum, qui tot inſpectis miraculis & teſtimoniis non crediderunt, & ſolo proſtrati non adoraverunt! Quam merito propter incredulitatem expulſi ſunt. Bene de eis cecinerat Iſaias: *Excæca* Domine *cor populi hujus, & aures ejus aggrava: & oculos ejus claude: Ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum.* Ibid. 6.

VIII. Sed dicent forſitan: Et quale ſignum erat Meſſiæ, quod pauperes euangelizarentur? Nonne & Prophetæ pauperibus euangelizabant? Sed, ſi active legatur, ut quidam exponunt (*b*), facile ſolvitur: Non enim id animi modicum ſignum erat, quod rudes piſcatores, totius orbis fierent Prædicatores & Doctores; ſed, & paſſive aliquale ſignum eſt: Nam alii Prophetæ ad Reges & Principes mittebantur, ſed Chriſtus Dominus non ad Reges, ſed pauperes inſtruendos deſtinandus erat. Euangelizare, inquit, pauperibus miſit me: Non Regum, & Imperatorum, ſed pauperum & egenorum Magiſtrum & Doctorem. Sic namque & toto vitæ ſuæ tempore cum pauperibus & non cum divitibus converſatus eſt, cum eis loquebatur, cum eis edebat, cum eis ambulabat, inter eos nutritus & educatus eſt. Ex quo enim Deus pro hominibus pauper, & egenus fieri dignatus eſt, cœpit paupertas in pretio haberi in cœlo & in terra; ſuo namque exemplo nimis honoravit paupertatem. Ex paupere Matre genitus, in tugurio paupere natus, pannis pauperculis involutus, præſepio pauperi reclinatus, pauperibus prænuntiatus, inter pauperes enutritus, inter pauperes verſatus, pauperibus Apoſtolis aſſociatus, pauperum ſocius & amicus, pauperes ad Apoſtolatum, pauperes ad fidem, pauperes ad ſocietatem elegit. Unde Apoſtolus: *Videte vocationem veſtram, Fratres: Quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret.* 1. Cor. 1. Lætamini pauperes, exultate egeni, quia etſi mundus vos deſpicit, ſic tamen reputamini a Domino Deo veſtro & Angelis ejus. Gaudete & exultate, quia talem magiſtrum, talem principem, talem patronum ſortiti eſtis. Dominus Jeſus pauper & mendicus, pauperum, & egenorum hominum pauperrimus, cœli & terræ Dominus a Deo conſtitutus, ad dexteram

(*a*) S. Cyrillus lib. 2. Theſaur. cap. 4. *Chriſtus*, inquit, *miraculorum magnitudine ſimul, & multitudine oſtendit ſe Meſſiam eſſe.*

(*b*) Hanc admittunt interpretationem Theophilactus, & Eutymius. Obſtare tamen eidem videtur verbum Ευαγγελιζον, quod paſſivum eſt. Hinc Syriaca verſio habet: *pauperibus Euangelizatur.*

ram Dei ſedet pauperum omnium patronus & fautor. Caveant divites & potentes, ne ſupprimant vos: *Eſt*, enim, *qui quærat, & judicet*. Noverint, quia patronum potentiſſimum habetis in cœlis, qui pro vobis reſpondeat, & judicem ſeverum, qui injurias vindicet hujus mundi. Timeant offendere defenſorem, qui ait: *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus*. Unde Propheta, *Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum*. O quot judicia occulta & ſecreta quotidie fiunt in terra propter hoc in pauperum ſpoliatores & vexatores! Utinam cognoſcerent & horrerent, qui eos tam inique, & ſine timore quotidie vexant, & ſpoliant.

Jo. 8.

Pſal. 11.

Pſ. 139.

IX. Habito itaque hoc reſponſo, Diſcipuli redeunt ad Joannem; quibus abeuntibus, cœpit Dominus mirifice laudare, & commendare Baptiſtam. Noluit hoc facere in diſcipulorum præſentia, ne adulari, & aſſentari videretur; nam Magiſtri honor in diſcipulos ſuos redundat; per hoc nobis præbens exemplum, ne quempiam in præſentia commendemus, ne adulatores & aſſentatores ſimus. O noſtri ſæculi perditionem! O mundi peſſimam corruptelam! O mundum mendaciis & adulationibus pleniſſimum! Non eſt veritas in mundo, non eſt qui loquatur verum cum proximo ſuo, quicquid hodie vulgus loquitur, fraus & adulatio eſt; docuerunt enim linguas ſuas loqui mendacium: In hac ſchola exercitati ſunt, in hac edocti; ut diſcerent fallere, mentiri, adulari, exaltare parva, exigua attollere: Ex tumulis montes facere, ex culicibus elephantes; hæc civilitas, hæc affabilitas; & inurbanus eſt, quiſquis fallere, & mentiri non novit. Si quis verax, ſi quis fidelis & probus, ruſticus & ſtupidus reputatur. Vere *diminutæ ſunt* hodie *veritates a filiis hominum; Vana locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum, labia doloſa in corde & corde locuti ſunt*. Et hi blandi adulatores, ſi vertas caput, fiunt ſtatim acerrimi detractores, præſentem laudant, & exaltant, abſentem vero rodunt, & lacerant. Horum typum inſpice in Ammonitis illis, qui Legatis David dimidiam barbam raſerunt, & veſtes uſque ad nates præciderunt, & ſic contumeliis affectos dimiſerunt: Ita & iſti in præſentia barbam radunt, in abſentia veſtes rodunt, ut appareat turpitudo; coram blandiuntur & adulantur, poſt tergum omnes defectus, & vitia produnt; ſicque non integram barbam, ſed dimidiam radunt. Nam, & cum laudant, ſi ſui ſimiles ad manum habent, innuunt oculis, & terunt pede, ſimul laudant, & laudando ſubſannant; verbis applaudunt, & oculis irrident; ſermonibus blandiuntur, & nutibus vilipendunt. Denique, ut ait Pſalm. *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula*. Fugiamus hoc vitium, Fratres: ab hac peſte caveamus, non ſolum, quia peccatum coram Deo eſt, ſed etiam quia levium & vilium perſonarum eſt vitium. Unde, ſi diligenter verba laudis attendas, aperte invenies, quod, dum Præcurſoris Chriſtus perſonam laudat, ejus de ſeipſo teſtimonium roborat.

2. *Reg.* 10.

Prov. 6.

Pſal. 54.

X. Propter quatuor enim alicujus teſtimonium ſolet eſſe ſuſpectum. Primo: ſi perſona levis eſt, vilis, atque mutabilis. Secundo: ſi ex laude commodum aliquod quæſiviſſe creditur. Tertio: ſi forte amicitia, vel amore aliquo ad id motus fuiſſe putatur. Quarto: ſi forte is qui approbat ſeu teſtificatur, veriſimilitudine aliqua decipi, aut falli poſſe probabiliter exiſtimatur. Ubi hæc deſunt, teſtimonium validum eſt. Hæc quatuor impedimenta Dominus in hac ſua commendatione miro artificio removet a Joanne. De primo ait: *Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam?* Id eſt: Hominem leviſſimum, qui facile vento elationis ad aſſenſionem movetur, ut digito protenſo diceret: *Ecce Agnus Dei?* Non certe: Non erat talis Baptiſta. Nam a principio mundi non eſt natus homo tantæ authoritatis, & gravitatis ſicut Joannes. Quippe totius populi judicio, homo reverendiſſimus, honoratiſſimus, graviſſimus, conſtantiſſimus, ſanctiſſimus, optimus, maximus credebatur, & reverentia digniſſimus: unde in re tanta nulla poterat de eo levitatis ſuſpicio ſuborири. Tanta erat Joannis apud omnes Judæos authoritas, ut omnis Hieroſolyma, & Judæa exiret in deſertum ad audiendum illum. Magni, parvi, divites, pauperes, ſacerdotes, ſæculares, etiam ipſe Rex Herodes interfector libenter eum audiebat, & ad eum, veluti ad quoddam mundi miraculum, & ſanctitatis prodigium cuncti properabant. Unde facta legatione ſolemni eum pro Meſſia recipere voluerunt, beatos fore reputantes, ſi talem eos contingeret habere Meſſiam; & ſi dixiſſet, Ego ſum: ſine ulteriori teſtimonio eum pro ſuo Meſſia libentiſſime recepiſſent. Quæ major authoritas excogitari poteſt in homine? Sed, commodo aliquo forte moveri poterat ad dicendum, quod neſciebat. Ita certe: Ad domum & familiam ſuſtentandam, ad faſtum & pompam ampliandam, ad cibos & veſtes pretioſas perquirendas. Sed quis, obſecro, tale ſuſpicari poterat de homine cilicio & pellibus camelorum induto, & ſolis agreſtibus locuſtis cum melle ſilveſtri paſto? Quid, inquam, hujuſmodi vir ab aliquo expectare, aut deſiderare potuit, ut illum falſo commendaret? Hoc eſt, quod ait: *Quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum?* Qui ſcilicet ad tales veſtes parandas pecuniarum copiam, aut commoda ſua perquireret? Sed neque de amicitia ſuſpicio major; a ſua enim infantia ſeptennis in deſerto nutritus, inter beſtias & feras nulla hominum familiaritate uſus fuerat, donec venit in Jordanem. Neque Chriſtum viderat, aut ex facie noverat,

Mat. 11.

Jo. 1.

Mat. 11.

Marci 6.

Jo. 1.

rat, ſicut ipſe teſtatur, niſi eum Spiritus Domini demonſtraſſet. Sed forte deceptus eſt? Sed quomodo, obſecro, decipi poterat in re tanta Propheta, & pluſquam Propheta? Ad hæc a Deo miſſus eſt & natus, ut Chriſtum Dominum præiret, & populis demonſtraret: ſicut de illo tot retro ſæculis fuerat prophetatum. Qui ergo nuncius Dei erat, in hoc ante Chriſtum deſtinatus & natus; Quomodo in hoc fallere aut falli poterat? Vides quam artificioſe omnem ſcrupulum a Joannis teſtimonio removet, ut eundem ſe eſſe, de quo quærebatur efficacius comprobaret. In cujus rei fidem illud quoque Malachiæ vaticinium allegavit: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Si enim Joannes ille Angelus Præcurſor erat, conſequens erat Meſſiæ tempus adveniſſe, & ſe illum eſſe de quo quærebatur.

Mat. 11. *Malach.* 3.

XI. Grandis excellentia Joannis talem ſuæ virtutis habere præconem, & tali ore, non breviter, & in tranſitu, ſed ex propoſito & fixo ſermone commendari. Plures enim Dominus laudavit in hac vita mortali. Laudavit Nathanaelem dicens: *Ecce verus Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Laudavit Petrum, dicens: *Beatus es Simon Bar-jona.* Et laudavit Magdalenam, dicens: *Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me*: ſinite illam. Laudavit Centurionem, dicens: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael.* Laudavit Chananæam, dicens: *O mulier! Magna eſt fides tua: Fiat tibi ſicut vis.* Sed non ſic Joannem; ſed longam in ejus laudem orationem compoſuit: non unam, aut duas, ſed multiplices ejus virtutes commendans. Conſtantiam laudat, cum ait: *Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam?* Vitæ aſperitatem, dum inquit: *Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum?* Quæ, ut ait (*a*) Gregorius (*a*): Non afferendo, ſed negando intulit. Prophetiam, cum ait: *Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam Prophetam.* Angelicam puritatem, cum ait: *Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum.* Præcurſoris officium, cum ait: *Qui præparabit viam tuam ante te.* Et, ne quidquam deeſſet ad plenam & perfectam laudem, adjunxit: *Amen dico vobis: Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta.* Potuitne amplius addi? Si vel leviter a Chriſto commendari grandis eſt honor, ſic ab eo exaltari & ſublimari, quantæ excellentiæ eſt?

Jo. 1. *Mat.* 16. *Ibid.* 26. *Ibid.* 8. *Ibid.* 15. *Ibid.* 11.

XII. Sed hæc omnia, ut dixi, merito & non ſine propoſito: Ut ſic ejus de ſe teſtimonium, ad mundi fidem & utilitatem confirmaret, & ſtabiliret. Non, quod tu Domine a Joanne commendari indigeres; Non enim tu ab illo, ſed ille a te clarificari, &, ut ita dicam, authorizari debebat. Unde ait:

A *Claritatem ab hominibus non accipio.* Id eſt: Nullius egeo teſtimonio, ſed omnis homo potius indiget meo. Nam, etſi de Joanne ſcriptum ſit: Quia, *Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine;* Non, quia Lux demonſtrari debeat ab alio; ſed, quia *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt:* Ideo fuit homo miſſus a Deo, qui tenebris teſtimonium perhiberet de lumine. Non propter lucem, quæ de ſe ſatis clara erat, ſed propter tenebras, quæ lucem ipſam comprehendere non valebant. Non poterant, inquam, homines tenebris B aſſueti, limpidis oculis, & irreverberato viſu, cernere ſolem. Præmiſſa eſt lucerna, quam inſpicerent, ut per eam ad videndum ſolis radios invaleſcerent: Erat enim Joannes, *Lucerna ardens & lucens.* Propter homines ergo teſtimonium Joannis, non propter Chriſtum. Unde cum dixiſſet. *Ego non ab homine teſtimonium accipio:* Protinus adjunxit: *Ego habeo teſtimonium majus Joanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea: Ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me: Et qui miſit me, Pater ipſe teſtimonium perhibuit* C *de me.* Et horum utrumque Joannis teſtimonio majus eſt. Ita Domine Jeſu, plurima & fortia de te habes teſtimonia: Et *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus .... Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, & Aqua, & Sanguis.* Valida, & graviſſima teſtimonia: Neque ſola hæc: Cœlum, terra, mare, aſtra, elementa, arbores, piſces, & duriſſimi lapides, & omnia quæ in mundo ſunt, de te teſtimonia perhibuerunt; Sola Judæorum duritia ignoravit. Omnes creaturæ teſtantur Creatorem D ſuum veniſſe: Angeli, homines, dæmones, ſcripturæ, miracula, vaticinia, martyria, apparitiones, revelationes, inſpirationes, omnia de te perhibent teſtimonium. Et illud omnium maximum eſt, quod ipſe cordi fideli, in ſecreto cubili perhibes de te ipſo. De quo Joannes: *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe.* Vere: Cœlum & terra ſolvi poſſunt potius, quam hæc tua teſtimonia fallant. Obruis nos Domine teſtimoniis & convincis, & niſi te fidei noſtræ meritum detineret, omnino nos im- E pelleres ad credendum. Imo fidem ipſam rei aperta notitia evacuares. Noſtra te detinet utilitas, quia nobis fides quam ſcientia de te pro nunc utilior eſt. Sed, qui culmen attigerunt, te donante, nonnunquam per fidem ad intellectum perveniunt; Sicut Propheta ait: *Niſi credideritis, non intelligetis.*

Jo. 5. *Ibid.* 1. *Ibid.* 5. *Ibidem.* *Pſal.* 92. 1. *Jo.* 5. *Ibidem.* *Iſaiæ* 7. *ex verſione* 70.

Aliqua hic deſiderari, monet Editio Romana.

(*a*) S. Gregorius Magnus in Euang. lib. 1. Hom. 6. *Quod videlicet non afferendo, ſed negando intulit.*

IN DOMINICAM II. ADVENTUS

CONCIO QUARTA.

DE CIRCUMSTANTIIS ADVENTUS DOMINI.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus?
Matt. II. v. 3.

CONCIO IX.

I. LIttera Euangelii narrat interrogationem quandam, quam Joannes Baptiſta e carcere quæſivit a Domino per Diſcipulos ſuos; Scilicet: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Non quod ipſe dubitaret de hoc, cum ex utero Matris hoc agnoviſſet, & in Jordane de hoc teſtificatus fuiſſet; ſed fecit hoc duplici ratione. Primo: Ad informationem diſcipulorum ſuorum; cum enim videret imminere ſibi mortem, ſicut bonus Dominus & Magiſter ſuis Diſcipulis providit de Magiſtro & Aſylo, dimittere eos volens ſecuros ſub umbra ac tutela Chriſti. Dans in hoc nobis exemplum de cura domeſticorum: ſunt enim aliqui, qui ſolum quærunt a ſua familia ſervitium, de moribus autem non eſt cura, ſive ſint boni, ſive ſint mali: Contra quos Apoſtolus. *Si quis ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Non negat fidem verbis, ſed negat operibus: Non enim credit animarum periculum, & futuram gloriam, & infernum, qui videns domeſticos ſuos immerſos peccatis, non curat eos reprehendere. Et, ſi credit corde, certe opere negat. *Et eſt infideli deterior.* Quia cum ſciat periculum, quod neſcit infidelis, non providet. Secundo fecit hoc Joannes, & maxime ad Chriſti oſtenſionem. Sciebat ſe ad hoc miſſum, ut teſtimonium perhiberet de Chriſto, & teſtimonium, quod dederat de illo in Jordane, a paucis fuiſſe acceptatum. Videbat ſibi imminere mortem, & ideo cogitavit ſalubre & prudentiſſimum conſilium, quærere hoc ab eo publice, & in lucem prodere. Ut ſatisfaciendo quæſtioni, ipſe de ſeipſo teſtimonium daret, & occaſione hac ſe populo proderet: Sciens non ſine magno fructu Dominum reſponſurum. Et ita factum eſt. Accedunt Diſcipuli; & publice interrogant coram omni populo quæſtionem illam, quam ipſi Judæi ab ipſo Joanne quæſierant. Expectant omnes reſponſionem: Nam de hoc jam murmur erat in populo, quod ipſe eſſet Chriſtus. Dominus autem non ſtatim reſpondit eis, ſed detinuit aliquantulum, & fecit coram eis mira & potentiſſima miracula, & poſtea dixit eis: *Euntes: Renuntiate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis. Quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes Euangelizantur.*

Mat. 11.
Lucæ 1.
Mat. 3.
1. Tim. 5.
Jo. 1.
Lucæ 7.
Ibidem.
Jo. 1.
Lucæ 7.

Non reſpondit eis verbis, ſed operibus. Quaſi diceret: *Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.* Hæc opera ego facio: tu judica, ſi ſum ego Chriſtus. O mira reſponſio! Non ſolum operibus aſſeruit, ſed etiam probavit ſe eſſe Chriſtum. Jo. 5.

II. Tria de Chriſto prædixerat Iſaias. Primum: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, & ſaliet ſicut cervus claudus.* Secundum: Spiritus Domini ſuper me, Euangelizare pauperibus miſit me. Tertium: Erit lapis offenſionis & petra ſcandali duabus domibus Iſrael. Has tres prophetias implevit Dominus coram eis, & in reſponſione ſua latenter citavit. Primam, cum ait: *Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt.* Secundam, dum ait: *Pauperes Euangelizantur.* Tertiam, cum ait: *Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me.* O ſapientiſſimam reſponſionem! Si dixiſſet, Ego ſum: Dixiſſent illi cavilloſi, quod ſolebant: *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes: Teſtimonium tuum non eſt verum*, non eſt validum. Ideo remiſit ad Prophetiam. O cæci ſcribæ! Quomodo non advertiſtis eum hac reſponſione? Abierunt Diſcipuli. Illis autem abeuntibus, cœpit Jeſus dicere de Joanne ad turbas: *Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtimentis indutum? Ecce qui in veſte pretioſa ſunt, & deliciis, in domibus regum ſunt. Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Utique dico vobis, & pluſquam Prophetam. Hic eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Quatuor laudat in Joanne: ſeveritatem, pœnitentiæ rigorem, Prophetiam, vitam Angelicam. Sed, quorſum laus iſta Joannis? Videlicet; ut ſatisfaciat quæſtioni, & ſe verum eſſe Meſſiam oſtendat; Ac ſi diceret: Audiſtis a Joanne de me teſtimonium quod perhibuit, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* An forte deceptus eſt Propheta maximus in tali teſtimonio? Aut deciperet populum Homo Angelicus? Ecce, quomodo ex nulla parte poſſit eſſe ſuſpicio falſitatis in ejus teſtimonio. Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Aperte monſtrat ſe eſſe Chriſtum, & Joannem Præcurſorem hac Prophetia? O quam evidens & aperta veritas! Sed miſeri cæci erant. Oculos habebant, & non videbant. Sicut de illis dixerat Iſaias: *Excæca, Domine, cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude: Ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum.* Non, quod Dominus nollet eorum ſalutem, quam ſic procurabat, ſed quod eorum duritia, & pertinacia promerebatur cæcitatem. Hæc de Euangelio.

Iſaiæ 35.
Ibid. 61.
Ibid. 8.
Lucæ 7.
Jo. 8.
Lucæ 7.
Jo. 1.
Lucæ 7.
Pſ. 113.
Iſaiæ 6.

III. Sancta Mater Eccleſia a Spiritu Sancto directa, non ſine magna cauſa & ratione

ne proponit nobis hos dies Adventus. Considerans enim magnitudinem mysteriorum, & beneficiorum, quæ recepit, voluit non uno die vel duobus, sed per mensem fere, populum Christianum in his mysteriis contemplandis, venerandis, celebrandis occupari. Et si bene advertimus, ut ait Bernardus (*a*): Totum tempus vitæ nostræ debet esse Adventus: quia in hoc opere, tota vita nostra deberet expendi. Ad hoc totum Officium Ecclesiæ his diebus ordinatur. Ad hoc etiam debent ordinari sermones hujus temporis aperire vobis materiam hanc Adventus, ut intelligatis Dei ingentia beneficia & mysteria; Ne tamquam ingrati fructibus tantæ misericordiæ defraudemini, & gratias pro iisdem referatis. Volo ergo in præsenti sermone proponere vobis septem, quæ ponit Bernardus (*b*); quæ debetis in hoc Adventu considerare. Scilicet: Quis est, qui venit; Propter Quid venit; Ad Quid venit; Quando venit; Unde venit; Quo venit; & Qua venit. Id est: personam, causam, utilitatem, tempus, principium, viam, terminum. Joannes Baptista de sola Persona quæsivit: Nos de his omnibus breviter tractabimus in sermone.

IV. Primo ergo consideranda est Persona, quæ venit. Hanc satis expressit Angelus Gabriel Virgini dicens: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*. Est ergo Altissimus ipse. Quam magnus, & altissimus, noli scrutari, quia non sufficies. Modo quo potuit, alius Euangelista conatus est dicere: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Hic est, qui venit. Propter quid venit? Dicam breviter: Propter nostram salutem descendit de cœlis. Et Apostolus: *Fidelis sermo, & omni acceptione major: Quod Christus Jesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Unde *Jesus:* Id est, *Salvator*, dictus est. Considera, qualis sit ista gloria, quam expectamus, quam, ne amitteremus, Filius Dei talia dignatus est pati. Quanta nobis Deus contulit gratis! Cœlum, terram, & omnia, quæ videntur; & pro illa gloria tantum pretium requisivit: ex pretio ejus valorem, magnitudinem, & excellentiam recognosce. Vide etiam quanta sit illa damnatio: quam, ut non sustineres, Filius Dei tanta dignatus est pati. Sed, Ad quid venit, ipse in Euangelio testatur: Quia venit quærere centesimam ovem, quæ perierat. Et, quomodo ipse testatur: *Venit Filius hominis dare animam suam redemptionem pro multis*. Dare vitam, sanguinem suum, & pati crucem in redemptionem peccatorum. Sicut Angelus ait ad Joseph: *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Considera pondus peccati quantum sit, quod Filium Dei traxit ad terram. Quantus erat morbus, quanta miseria, quæ tali medicina indiguit. P. Augustinus, in sermone Epiphaniæ (*c*): Quam gravis sit peccati, & dura conditio, prodit remedii magnitudo. Emplastrum, vulnus, infirmitatem medicina detegit. Ecce: Quis venit, propter quid venit, & ad quid venit. Hæc audis, & dissimulas? Hæc audis, & non tinniunt ambæ aures tuæ? Et non procidis, & non trepidas, & non expavescis, & non totus præ gaudio & lætitia dissolveris? O pelagus mysteriorum! O profunditatem intransvadabilem Sapientiæ Dei! Et quis non submergitur in ea? Et quid primum dicam, Fratres? Unde incipiam? Deficit sensus, hæret lingua, stupet intellectus. O charitatem eximiam, & amorem excessivum! O pietatem! O clementiam! O benignitatem! O dignationem! O bonitatem! O sapientiam! O potentiam! O inæstimabilem bonorum omnium infinitatem! Ut servum redimeres, Filium tradidisti, propter vermiculum, propter formicam de terra. Et *quid est homo*, Domine, *quia* sic *magnificas eum? Aut filius hominis*, quia sic reputas *eum?* Qua, obsecro, sapientia, quo consilio, qua ratione, qua causa Filium unigenitum tradis dilectissimum, charissimum, in crucem & mortem, ut hominem ingratum, prævaricatorem, tui contemptorem recuperes & salves? Quid magis admirabimur, Fratres, Patrem donantem, an Filium acceptantem?

V. O homo, quanti te facit, qui te fecit! Quam pretiosus es coram Deo, pro quo, Pater Filium, & Filius vitam suam dedit! Unde Apostolus: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit. Sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donavit?* Dic Apostole, dic rationem, dic causam. Apostolus: Causam nescio, consilium ignoro. Hoc solum scio: Quia *dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Quod exponens P. Augustinus (*d*), ait: Dilexisti me, Domine, plus quam te, quia mori voluisti pro me. Pudeat non redamare te. Dilectio causa est: Hæc illum traxit de cœlo, hæc illum crucifixit. Hæc omnia, Fratres, ab initio vitæ cognovimus, in hoc nati sunt nobis dentes,

Luc. 1. Jo. 1. 1. Tim. 1. Mat. 1. Luc. 15. Mat. 20. Ibid. 1. Jer. 19. Job 7. Psal. 8. Rom. 8. Ibidem. Gal. 2.

(*a*) Serm. 3. de Advent. Dom. num. 2. *Hujus ergo adventus tantæ majestatis, tantæ humilitatis, tantæ charitatis, tantæ etiam glorificationis nostræ, ab universa Ecclesia semel in anno solemnis memoria celebratur, sed utinam ita semel ageretur ut semper! id quippe dignius.*

(*b*) Serm. 1. de Adventu Domini. Diligenter pensate rationem *Adventus hujus, quærentes nimirum quis sit, qui veniat, unde, quo, ad quid, quando, & qua.*

(*c*) Primus est hujus argumenti apud Lovanienses, & legitur tom. 10. inter Sermones de tempore, ordine 29., verum a PP. Congreg. S. Mauri in Appendicem tom. 5. novissimæ editionis, rejicitur hic Sermo tanquam suppositititius cum Verlino, & Vindingo. Sextus est hujus argumenti in præfata Appendice, ordine autem 136. Ita vero leguntur citata verba: *Quam gravis sit peccati, & quam dura conditio, prodit remedii magnitudo.*

(*d*) Soliloq. cap. 13. Append. tom. 6. novis. editionis.

in hoc ablactavit nos Mater noſtra: & ideo non ſentimus; ab aſſuetudine enim non fit paſſio. Incaluerunt jam aures audiendo hæc omnia. Sed quando primo mundo inſonuerunt, quando Apoſtolica tuba hæc in mundo reſonavit. O quomodo obſtupuit mundus, quomodo obriguit, & expavit, & terra tota contremuit, quando firmiſſimis teſtimoniis hæc ita eſſe cognoverunt! O quomodo exarſerint in amorem ejus, oſtendit multitudo Martyrum, & Anachoretarum! Pſalmus: *Pſ.* 117. *Exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, & in nomine Domini, quia ultus ſum in eos.* Denique, Fratres, hoc eſt, quod totum mundum in brevi ad Deum convertit. Non potuit mun- *Pſal.*96. dus ſuſtinere pondus tanti beneficii: *Montes ſicut cera fluxerunt a facie Domini, a facie* (*a*) *Domini omnis terra.* Bernardus (*a*): Super omnia, Domine Jeſu, te mihi amabilem fecit opus Redemptionis, calix, quem bibiſti pro me. Hoc proponitur nobis his diebus: in hoc myſterio, Fratres, tota noſtra ſapientia eſt: in hoc latet omnis Chriſtiana philoſophia. Apo- 1. *Cor.*2. ſtolus ille ſapientiſſimus nihil aliud ſe ſcire fatebatur, *niſi Jeſum Chriſtum & hunc crucifixum?* In hoc diſcitur, quidquid pertinet ad ſalutem, in hoc magnas & utiles conſiderationes invenies, quibus hoc ſacrum tempus impendas. Si attendis, quis venit: conſidera amorem, miſericordiam, pietatem, & benignitatem; etiam ſapientiam, & potentiam admirandam, & in conſideratione deficies, ſi aliquid intelligis. Plus enim in hac Redemptione innotuit Deus, quam in opere Creationis. Si attendis, propter quid venit, videbis obligationem, qua teneris Deo pro tanto beneficio. Quid ſi totus inardeſcas in amore ejus, ſi tota vita ſervias? Si diebus ac noctibus laudes? Si denique teipſum tormentis & ignibus tradas ad tantum beneficium promerendum? Cum feceris om- *Pſ.* 115. nia, nihil feceris. Hoc conſiderans Pſalmiſta ajebat: *Ego dixi in exceſſu meo: omnis homo mendax.* Et quidem in omni mea conſideratione, & ſenſu, cum videbam, quid pro Deo Martyres, quid Anachoretæ, & alii Sancti fecerunt, magna videbantur; ſed in *exceſſu meo:* quando raptus in lumine tuo, cognovi miſericordiam, & charitatem, & donum tuum, dixi: *Omnis homo mendax;* omnis defectuoſus. Si homo faciat quidquid poteſt, nihil eſt, ad id quod debet. Unde tanti beneficii conſideratio, magnum calcar eſt ad ſerviendum Deo. Si attendis ad quid venit, agnoſces teipſum. De quo, ſermone ſubſequenti. Hæc & ſimilia in hoc ſacro tempore vobis, tamquam animalibus *Levit.*11. mundis, ruminanda Eccleſia proponit. Animal enim, quod non ruminat, immundum eſt. Hæc recogitate, in his exerceamini. *Cogitabat* Maria, Angelo incarnandi Verbi Myſterium nunciante, *qualis eſſet iſta ſalutatio;* Narrantibus Paſtoribus, quæ de Chriſto nato ſibi fuerant per Angelos euangeli- *Ibid.* 2. zata, *Maria conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Valet enim ad multa, illa multiplex, & varia conſideratio; nam impinguat animam, inflammat cor, excitat ſpiritum, elicit devotionem, excutit amorem; Si- *Pſal.*38. cut ſcriptum eſt: *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Facit hominem alacrem, & promptum ad ſerviendum Deo, ſicut rotam unctam oleo; facit horrere peccatum, &c. & plures alios fructus, & pro Deo omnia ſuſtinere. Dices: *Ezech.*1. de Rotis Ezechielis. Hieronymus (*b*): Rota (*b*) volubilis anima ſancta uncta oleo devotionis.

VI. Inſuper conſiderandum eſt tempus Adventus: Et valde notandum, quia non poſt decem, aut centum annos prævaricationis Adæ, ſed poſt quinque millia annorum (*c*) (*c*) venit magnum ſecretum. O piiſſime Deus! Ex hoc ſi ſtatueras genus humanum redimere, quare tam diu diſtuliſti? Cur tot millia animarum damnari permiſiſti? Numquid non melius, non clementius factum eſſet, ſi ſtatim miſiſſes Redemptorem? O Fratres mei, horreſco quoties hoc cogito! O iram Dei maximam! O graviſſimam indignationem! O quam *horrendum eſt incidere in ma-* *Hebr.*10. *nus Dei viventis!* Ecce propter illam tranſgreſſionem indignatus Deus, non ſolum *Gen.*3. Adam, & omnes filios ejus morti addixit, & in pulverem redegit, quod videtur ſatis ad omnem vindictam; Sed, quaſi omnino oblitus hominum, eos in poteſtate dæmonum tam longo tempore reliquit: Et dæmon dominabatur orbi, & quaſi non erat Deo cura de hoc. Quaſi diceret: illi obediſtis, illi ſervite. Et abjecto a facie ſua homine, per totum illud tempus omnes peccatores, & Sancti deſcendebant in infernum. Nullus faciem Dei videre potuit: Neque Abraham, neque Moyſes, licet hoc pe- *Exodi*33. tivit: nec Iſaias pro ipſo ſerratus, neque Jeremias pro ipſo lapidatus; neque Zacha- *Mat.*23. rias pro ipſo occiſus inter templum & altare. Sed ſicut ſtatutum erat hominibus ſe- *Hebr.* 9. mel mori, ita etiam deſcendere in abyſſum; Sicut dolens David refert: *Quis eſt homo,* *Pſal.*88. *qui non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inferi?* O quanta ira & indignatio! *Pſal.*89. *Quis novit*, Domine, *poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Quam bene canit Pſalmus: *Miſericordiam, & ju-* *Pſ.* 100. *dicium cantabo tibi Domine.* Si miſericordiam in modo Redemptionis exhibes, non oblivi-

ſceris

(*a*) Serm. 20. in Cant. *Sed eſt, quod me plus movet, plus urget, plus accendit. Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi Jeſu bone, Calix quem bibiſti opus noſtræ redemptionis. Hoc omnino amorem noſtrum facile vindicat totum ſibi.*

(*b*) Vide ejuſdem Breviar. in Pſalt. Pſal. 76. tom. 2. pag. 313. edition. P. Martianæi.

(*c*) Et duas ferme centurias, ut habet ſeptuaginta Interpretum ſupputatio, quam in tabulis ſequitur Eccleſiaſtica conſuetudo. Quatuor tantum annorum millia numerant, qui Hebraicæ adhærent veritati. Quamquam, ut recte advertit Baronius in notis ad Martyrol. ad diem 25. Decemb., nec in unam plene conſpirant ſententiam, tam qui ſeptuaginta Interpretes, quam qui Hebræos codices ſectati ſunt, ut jure in hoc dici poſſit, quot capita, tot ſententiæ.

ſceris Judicii in temporis dilatione. Conſideraſti bonitatem in Redemptione per talem Redemptorem? Conſidera ſeveritatem in tempore. *Vide*, o homo, ait Apoſtolus: *bonitatem & ſeveritatem Dei;* Ut exultes ei cum tremore, ut ait Pſalmus. Jeremias: *Quis non timebit te o Rex gentium?* Opus autem fuit hac dilatione propter quatuor. Primo: Ut ita diuturno damno homo agnoſceret atrocitatem culpæ. Secundo: Ut magis innoteſceret neceſſitas Redemptoris, dum tot Sancti pertranſierunt, & nullus humano generi potuit ſubvenire. Tertio: Ut mundus longo tempore per Prophetas & figuras diſponeretur ad fidem Redemptoris. Si enim poſt tantas præmonitiones, & pronoſticationes pauci ex illo populo crediderunt. Quid ſi non eſſet prænuntiatus? Lex enim quaſi quidam Pædagogus fuit illius populi, ipſum ad Chriſtum inſtituens. Quarto: Ut homines fierent capaces Doctrinæ Chriſti. Nam, priores illi homines erant rudes, ad Doctrinam Chriſti capeſſendam. Expectatum eſt, donec veniret plenitudo temporis, in quo erant homines maxime ingenioſi, & acres, propter multam philoſophiam, & oratoriam; Et ſic melius altiſſimam Doctrinam intelligerent. Et, quando major erat neceſſitas: Quando nullus Sanctus, nullus Prophe-
(a) ta (a); Tunc ait: *Ecce ego venio, & habitabo in medio tui*. Ecce de tempore Adventus.

Rom. 11. *Pſal.* 2. *Jer.* 10.

Zach. 2.

VII. Sed jam dicamus: Unde, & quo venit. A Sinu Patris in Uterum Matris; a Divinitate ad carnem; *a ſummo cœlo egreſſio ejus*. Ab illa gloria infinita, quam habuit apud Patrem, priuſquam mundus fieret, in qua adoratur ab Angelis, & dominatur Poteſtatibus, ad tenebras, ad carcerem, ad latronem, ad crucem. O quantus ſaltus! Vere attigit a fine uſque ad finem fortiter, & diſpoſuit omnia ſuaviter. Unus finis Deus cum Deo. Alius: *Cum ſceleratis reputatus eſt*. Aſcende: Nihil altius. Deſcende: Nihil profundius. Quid amplius deſcenderet? Unde Pſalmus: *Inclinavit cœlos, & deſcendit*. Uſque ad quid? *Caligo ſub pedibus ejus*. Caligo peccati, caligo inferni. Apoſtolus: *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo: Sed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Vidit Sponſa venientem, & ait: *Ecce iſte venit, ſaliens in montibus, tranſiliens colles*. Bernardus: Cum eſſet Deus,
(b) non ſolum montes, id eſt (b) ſuperiores Angelos, ſed etiam colles, id eſt inferiores uno ſaltu tranſilivit. Minoratus ab Angelis.

Pſal. 18. *Pſal.* 89. *Jo.* 17. *Hebr.* 1.

Sap. 8.

Iſaiæ 53.

Pſal. 17.

Philipp. 2.

Cant. 2.

Pſal. 8.

A Satis magna deſcenſio hæc, nimia humiliatio, ex Deo fieri ſervum ſuis Angelis minoratum. Dico vobis, Fratres: Ad mille mundos redimendos hæc ſatis fuiſſet humiliatio, etiamſi Chriſtus fuiſſet natus Rex potentiſſimus, ditiſſimus, omnibus bonis ſæculi abundans, ab omnibus adoratus. Sed, o ſponſa! Parum eſt hoc; Non ſolum omnes Angelos, ſed etiam omnes homines tranſilivit: Sic vidit eum Iſaias, *noviſſimum virorum*. Sic ipſe per Prophetam ait: *Ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis*. Figura de Sole redeunte per decem
B lineas; ſcilicet, per novem choros Angelorum & naturam humanam. Diſce homo humilitatem, diſce obedientiam, diſce miſerationem, diſce patientiam, diſce manſuetudinem, & omnem virtutem. Nam hic eſt ſchola omnium virtutum. Filius Dei, cum eſſet in tanta gloria & ſublimitate, miſeratus tui, talem ſubiit ſervitutem, talem humiliationem propter te, ex Patris obedientia, ut tu diſcas compati, diſcas miſereri afflictorum & miſerorum; Non quæras, quæ tua ſunt, ſed quæ multorum. Unde Apoſtolus:
C *Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi, & ambulate in dilectione ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis*. Mementote illius crudelis ſervi, qui quoniam non exercuit in conſervum miſericordiam, quam ipſe a ſuo Domino ſuſceperat, in carcerem perpetuum juſte detruſus eſt.

Iſaiæ 53. *Pſal.* 21. 4. *Reg.* 20.

Epheſ. 5.

Mat. 18.

VIII. Videamus jam Viam, per quam venit. *Egredietur*, inquit, *virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*. Et clarius: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*. Hæc eſt Via, hæc eſt Porta, per quam Filius Dei ingreſſus eſt mundum. Via pulchra, Via pura, immaculata. *Viæ ejus*,
D *viæ pulchræ*. Hæc eum de cœlo traxit, hæc eum ſua pulchritudine & virtutibus, veluti Dalila Samſonem, carnis nexibus irretivit, & potentiæ ſuæ ſeptem crinibus, non quidem eradicatis, ſed raſis, invalidum & infirmum fecit, & inimicis crucifigendum tradidit. Non enim crucifigeretur, niſi homo. *Vulneraſti*, inquit, *cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui*. Fide placuit, humilitate concepit. Hæc eſt Via, Fratres, per quam Deus venit ad Hominem, & per quam Homo vadit ad Deum.
E Non declinetis ab ea; Hanc obſecremus: ut, quæ eum nobis præbuit viſibilem in carne, præſtet videre in gloria. Ad quam nos perducat Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Amen.

Iſaiæ 11. *Ibid.* 7. *Prov.* 3. *Judic.* 16. *Cant.* 4.

IN

(a) S. Bernardus Serm. 1. de Adv. Domini num. 9. *Jam non apparebat Angelus, nam loquebatur Propheta; ceſſabant velut deſperatione victi præ nimia utique duritia hominum, & obſtinatione; & ego, ait Filius, tunc dixi: Ecce venio*. Poſt Aggæum, Zachariam, & Malachiam, nullum extitiſſe Prophetam apud Judæorum gentem uſque ad Joannem, innuit S. Hieronymus in Iſaiam lib. 13. cap. 50.

(b) Aliter hoc ipſum explicat S. Bernardus Serm. 1. de Adventu Domini ſub fin. *Ecce venit hic ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Montes, & colles Patriarchas, & Prophetas accipe; & quemadmodum venerit ſaliens, & tranſiliens in libro generationis lege, Abraham genuit Iſaac, Iſaac genuit Jacob, &c.*

IN DOMINICAM TERTIAM ADVENTUS

CONCIO PRIMA.

DE COGNITIONE SUI IPSIUS.

Tu quis es? Joann. 1. v. 19.

CONCIO X. *Jo.* 1.

I. BREVE thema, sed magnum pelagus: Utinam intelligeres: *Tu quis es*. Plus tibi prodesset, quam scire omnes scientias mundi, & omnes Bibliothecas. Quid enim prodest tibi scire motus cœlorum, & influentias astrorum, virtutes herbarum, proprietates animalium, & ut totam naturam scias, & nescire teipsum? (*a*) Bernardus (*a*) ad Eugenium: A te ipso tua incipiat consideratio, in te finiatur: Tu tibi primus, tu ultimus. Non es sapiens, si tibi non es. Ecce curam habes de domo, de hæreditate, de negotio, de familia, de mula, quam habes in stabulo, & te ipsum solum negligis? Omnibus tuis das partem aliquam diei & curæ, & tibi nullam? Teipsum tam vilem æstimas, & sic parvipendis, ut non digneris de te curam habere? O anima misera! Quid curiosa extra te vagaris, effusa, divisa per mundum, a te alienata & exul? Recollige te, redi ad te, habita tecum. Non sis sicut oculus, qui cum omnia videat, seipsum non videt. In quo enim melius potest intellectus tuus, & tua consideratio expendi, quam in teipso? Aut, quid melius potes contemplari quam teipsum? Dico tibi, nulla pejor ignorantia quam tui. Si ignoraveris logicam, philosophiam, & omnes artes liberales, mechanicas, & omnia jura, & leges, & medicinam, salvari potes: sed si te ignoras, non salvaberis. Quomodo, obsecro, salvaberis sine pœnitentia? Quomodo pœnitebis, si teipsum, tua desideria, actus, cogitationes malas, & peccata nescieris? Itaque, ut habeas humilitatem & pœnitentiam, opus est nosse teipsum, ut habeas charitatem, opus est nosse Deum, & ejus misericordias, & beneficia, quæ præstitit tibi. Unde P. Augustinus (*b*): Noverim te, noverim me: in his duobus perfecta & vera sapientia est. De te autem tria oportet cognoscere, scilicet: Quis sis natura: Quis professione: Quis officio. Natura, homo: Professione, Christianus: Officio, Prælatus, vel Princeps, vel Judex, vel Sacerdos, &c.

II. Quis sis natura quoad corpus? Interroga mortuos, & dicent tibi: Vade ad sepulchra & cœmeteria, & aperte videbis. Non opus est alia schola. O quam vilis & abjectus: *Homo putredo, & filius hominis vermis!* Væ tibi homo a tua superbia, qui tali fine concluderis! Intumesce, elevare quantum vis: Velis, nolis; in hoc finies quicumque sis, sive Rex, sive Pontifex, sive miles. Quid miseri homines avertitis oculos, ne videatis? Quid dissimulatis? Quid curatis non videre, ut gaudiis, & voluptatibus perfruamini, & sæculi deliciis ingurgitemini? Quanto prudentius & sapientius faceretis, si hoc quotidie, imo semper præ oculis haberetis. Unde in Isaia legitur: *Vox dicentis: clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri:* Hoc clama, hoc vociferare vocibus acutis & fortibus, quia obturatas habent aures. Non prædices aliud, hoc sæpius repete, hoc frequenta. Ipsi avertunt oculos ne videant: Tu sæpius eis objice hoc ob oculos, ut vel inviti videant, & agnoscant, qui sunt; si forte redeant ad se ipsos, & videant dolum maximum & phrenesim, in qua sunt: si forte refrigescat ardor ille pestilens & libido possidendi: si forte tepescat rabies illa famelica, & fames rabida avaritiæ, & temporalium voluptatum, qua vexantur, quasi semper sint victuri, & in hoc sæculo permansuri. O cæcitas lamentanda! *Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos:* Et quam velociter, & quam cito! *Homo*, inquit Job, *natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur.* Marcescit post modicum, ut flos. Videas puellam pulcherrimam formosissimam quasi nascen-

Job 25.

Isaiæ 40.

Ibidem.

Job 14.

(*a*) S. Bernardi hæc sunt verba de Consid. lib. 2. cap. 3. *A te proinde incipiat tua consideratio; non solum autem, sed & in te finiatur. Quocumque evagetur, ad te revocaveris eam cum salutis fructu. Tu primus tibi, tu ultimus.* Præcedentia quoque S. Oratoris verba ad hoc ipsum S. Bernardi caput facile referuntur, ut conferenti patet. Similia habet S. P. August. Proœm. lib. 4. de Trinit.

(*b*) S. P. Augustinus Soliloq. lib. 2. cap. 1. *Deus semper idem noverim me, noverim te.* Sui cognitionem in tria quoque partitur capita S. Bernardus de Consid. lib. 2. cap. 4. *Et hæc tui*, inquit, *consideratio in tria quædam dividitur, si consideres, quid, quis, & qualis sis. Quid in natura, quis in persona, qualis in moribus.*

ſcentem roſam, expecta modicum, & videbis eam vetulam, rugis aratam, deformem, turpem, abominabilem. O puella! Dic mihi: Ubi eſt illa tua pulchritudo, venuſtas, decor & lepos? Ubi illa rubedo faciei, ille color albus, illi nitores vivi? Ubi illa jucunditas, lætitia, gaudium, illa ſenſuum vivacitas & loquendi ſales? *Exſiccatum* Iſaiæ 40. *eſt fœnum, & cecidit flos.* Roſa illa pulcherrima cito emarcuit. Væ miſeris mulierculis, quæ in hoc fœno poliendo, adornando, fucando, decorando vitam expendunt, veſtes pretioſas, & jocalia, & murænulas, & alia puerilia, & vana curioſius perquirendo: Factæ velut laquei dæmonis ad capiendos ſtultos paſſeres, & veluti araneæ tela ad capiendas muſcas. Quaſi non ſufficeret corruptio ipſa naturæ quam deploramus; ſed alia perquirunt libidinis irritamenta ad decipiendos oculos. O quam deceptas ſe invenient in morte, quando viderint ſe vitam & operam perdidiſſe! Itaque, Fratres mei, quod ſumus, hoc ſapere, hoc conſiderare ſumma ſapientia eſt. O ſi quis haberet plenam lucem, & apertos oculos, & intellectu comprehenderet temporis brevitatem! Quæ humilitas, quis contemptus omnium temporalium, quæ oblivio omnium honorum, quæ animi ſerenitas, quæ pax, quæ tranquillitas eſſet in eo? Quomodo, quaſi ex alta ſpecula, hominum cæcorum labores, anxietates vanas, & ſtultos ſudores conſpiceret? Quomodo vel ploraret eorum miſeriam, vel rideret ſtultitiam? ſicut illuminati a Deo viderunt Sancti, & Anachoretæ, & ideo omnia contempſerunt; Ex hac quippe ignorantia, omnis hominum cupiditas & fatigatio vana procedit. Unde Pla- (a) to (a): Summa, inquit, philoſophia eſt, continua, vel ſaltem aſſidua mortis meditatio.

III. Neque minor ſapientia, ſi te agnoveris quoad animam. Eſt quippe ingenua & nobilis creatura, perpetua, & immortalis: Gen. 9. Angelo ſimillima, ad imaginem Dei facta, Dei capax futura quandoque, civis cœlorum 2. Cor. 4. & Angelorum ſocia. *Habemus* quippe *theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*, ut ait Apoſtolus. O anima, ſi cognoſceres excellentiam, & dignitatem tuam, tam perpetuam, & ineffabilem gloriam, & ſublimitatem, quam expectas! Quomodo dedignareris dejicere te ad amorem & cupiditatem horum terrenorum lucrorum! Quomodo horreres fœdare tuam pulchritudinem fœdo iſto luto libidinum! Quomodo fumum iſtum, & ventum inanem honorum ſæcularium parvipenderes! Væ tibi a tua cæcitate quam in peccato primi hominis incurriſti! Nam, ſi lumen oculorum tuorum, quo te ipſam cernebas, non amiſiſſes, nunquam in tantam miſeriam deveniſſes. Omnis quippe noſter labor, & afflictio iſta terrenæ cupiditatis, & affectus & deſiderium terrenorum, & vilitas, & abjectio ex hac ignorantia venit. Teſte Pſalmiſta: *Homo*, inquit, *cum in honore eſſet, non intellexit*, ſcilicet, excellentiam & dignitatem ſuam; *Comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſo recipiens, & ignorantiæ ſuæ dignam pœnam perſolvens. Unde Sponſæ in Canticis terribiliter minatur Sponſus: *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres:* Id eſt, tuam pulchritudinem; *Egredere:* Scilicet: de ſanctuario meo, corde tuo: *Et abi poſt veſtigia gregum tuorum*, brutorum animalium, *& paſce hædos tuos*, ſenſus inquietos & petulantes, *juxta tabernacula paſtorum.* Id eſt: in his corporeis voluptatibus. Vides, quod in pœnam ignorantiæ, brutalitatem comminatur. Quanta ſit iſta pœna, & quam terribilis comminatio ſpirituali animæ, in belluam ſicut Nabuchodonoſor converti, & ejectam ab interiori cordis tabernaculo, in quo cum Domino oblectabatur, more ſæcularium in exterioribus delectari; Bernardus (b) teſtis eſt: (b) Qui ad tempus infernum experiri tolerabilius; & excludi a corde quaſi a Paradiſo reputat. Vides quantum malum in ignorantia ſui ſit? O Homo, agnoſce quis es! Intellige tantam dignitatem, ut talis ſit vita, qualis eſt natura. Homo es, vitam age humanam, ne degeneres ad vitam brutalem; vive ut homo. Rationalis es natura, & ratio tibi a natura data eſt, quaſi regula tuorum operum; vive vitam rationalem: vive ſecundum tuam regulam naturalem. Et quid eſt vita rationalis, niſi vita virtuti dedita? Virtus enim non eſt niſi habitus, vel actus ratione regulatus. Vides, quod ipſa tua natura te obligat ad virtutem? Unde Ambroſius (c) in Exameron, exponens illud (c) Geneſis: *Germinet terra herbam virentem, &* Gen. 1. *lignum*

Pſal. 48.

Cant. 1.

Dan. 4.

(a) Plato in Phæd. pag. 378. edit. Lugd. an. 1590. *Quicumque Philoſophiam recte tractant, videntur latuiſſe cæteros homines, quod nihil aliud ipſi commentarentur, quam mori, atque eſſe ſe mortuos.*

(b) Serm. 35. in Cantica hæc habet: *Quæ enim anima ſemel a Domino didicit, & accepit intrare ad ſeipſam, & in intimis ſuis Dei præſentiam ſuſpirare, & quærere faciem ejus ſemper (Spiritus enim eſt Deus, & qui quærunt eum, oportet eos in ſpiritu ambulare, & non in carne, ut ſecundum carnem vivant) talis, inquam, anima neſcio an vel ipſam gehennam ad tempus experiri horribilius pœnaliuſque ducat, quam poſt ſpiritualis ſtudii hujus guſtatam ſemel ſuavitatem exire denuo ad illecebras, vel potius ad moleſtias carnis, ſenſuumque inexplebilem repetere curioſitatem.* Sequitur apud S. Bernardum interpret. v. 7. Cant. 1. Eandem, ſed contractioribus verbis paulo ſupra tradidit S. Orator noſter.

(c) Non tam verba, quam ſententias S. Ambroſii adducit. Ita porro apud S. Doctorem leguntur Exam. lib. 3. cap. 7. *Atque utinam imitaremur hanc herbam, de qua ait Dominus: Germinet terra herbam fœni ſeminans ſemen ſecundum genus, & ſecundum ſimilitudinem. Seminemus igitur ſemen ſecundum genus. Quod ſit genus, audi dicentem, oportere nos quærere illud divinum, ſi quomodo illud tractare poſſimus, aut invenire. Quamvis non longe ſit ab unoquoque noſtrum. In ipſo enim vivimus, & ſumus, & movemur; ſicut quidam veſtrum, inquit, dixerunt, cujus & genus ſumus; ſecundum hoc genus*

lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum. Et tu, inquit, homo juxta genus tuum vive: non adulteres genus tuum. Vis illud noſſe? Attende Apoſtolum in Actibus dicentem: *Genus cum ſimus Dei;* Ad quæ *Act. 17.* Bernardus: Lignum generi reſpondet ſuo, & tu non reſpondes generi tuo? Tritici granum ſparſum terræ, generis ſui granum reddit, & tu a te degeneras? Fruges non adulterant ſui ſinceritatem ſeminis, & tu adulteras puritatem animæ, vigorem mentis, corporis caſtitatem? Hæc Bernardus: Non, inquam, pudet te, homo cum ſis, vitam agere belluinam? Comedere, bibere, dormire, luxuriari, ut brutum? Ad quid, obſecro, recepiſti animam rationalem? Profecto? *Pſal. 23.* In vano eam accepiſti, ut ait Pſal. In te otioſa & vacua eſt: homo in te mortuus eſt, ſolum brutum vivit: ſolam hominis effigiem habes; nam in reliquo bellua es. Quanta vilitas, quanta dejectio, quanta miſeria! Denique, ſi non eſſent homines brutales, non diceret Dominus in Euangelio: *Lucæ 13.* *Dicite vulpi illi*. Et iterum: *Nolite dare ſanctum* *Mat. 7.* *canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos*. Et Pſal. *Nolite fieri ſicut equus &* *Pſal. 31.* *mulus*. Et iterum: *Computruerunt jumenta in* *Joel. 1.* *ſtercore ſuo*. Ecce hominem vulpem, hominem porcum, hominem canem, hominem equum, hominem mulum, & ſic de aliis: Et totum hoc ex ignorantia ſui; quia, ut diximus, non agnoſcunt homines dignitatem ſuam, & finem ad quem conditi ſunt. Et hoc Ethnici etiam in lumine naturali intel-
(a) lexere: Hoc volebat Diogenes (a), quando foro hominibus referto in meridie lucerna accenſa clamabat: *Hominem quæro;* cæteros, quaſi beſtias reputans. Vides, quam neceſſaria, & utilis ſit cognitio ſui ſecundum naturam.

IV. Secundo: Oportet, ut cognoſcas, quis es conditione, ſive profeſſione, nempe Chriſtianus: Et quid eſt eſſe Chriſtianum, niſi eſſe diſcipulum Chriſti, de ſchola Chriſti, militem Chriſti, imitatorem Chriſti? Hanc quippe regulam profeſſus es, ſcilicet Chriſtianiſmum: Unde oportet te vitam agere Chriſtianam. Ad hoc autem tria debes conſiderare: Profeſſionem tuam, regulam quam profeſſus es, & exemplar regulæ, cui te debeas conformare. Profeſſio tua altiſſima eſt: Si eam bene conſideres, ut credo, totus contremiſces. Ecce in Baptiſmo, quando profeſſus es hanc regulam, & Patrini tui, quaſi fidejuſſores tui, tuo nomine tecum aſtiterunt coram Domino in Eccleſia; Primo, interrogatus es: Abrenuncias Satanæ, & omnibus pompis ejus? Ex ore illorum reſpondiſti, abrenuncio: Non enim poteras Deo ſervire & Dæmoni. Et ideo annumerandus familiæ Chriſti, oportuit primo te abjurare contrarium. Deinde immerſus es in aquam, & Domino conſepultus; Ut ſoli illi vivas, qui ſuam vitam dedit pro te mortuus mundo. Deinde tertio: Unctus Chriſmate, & Oleo ſancto, & ſanctificatus es Domino in tabernaculum, domicilium, & ſanctuarium ſempiternum. Quarto: Indutus es veſte candida, & dictum eſt tibi: Accipe veſtem candidam, immaculatam, quam præferas ante tribunal Chriſti: Per quam deſignatur innocentia baptiſmalis, quæ tibi data eſt, mundato originali peccato. Quinto: Data eſt tibi lucerna ardens, quæ deſignat fidem charitate formatam, quam pollicitus es incenſam conſervare uſque ad mortem. Ecce tuam profeſſionem! An ſervaveris eam, tu videris. Certe nihil horum, quæ promiſiſti Deo, cuſtodiſti. Nam non minus quam judæus, vel paganus, ſæculi pompas & divitias perquiris; mundo, non Chriſto vivis; & in mundialibus negotiis & gaudiis quaſi totam tuam vitam expendis. Corporis ſanctuarium millies profanaſti, & polluiſti, & Spiritu ſancto expulſo, dæmoniorum hara & ſtabulum factus es: Innocentiam baptiſmalem, ingreſſus annos diſcretionis, ſtatim perdidiſti; & veſtem illam ſæpius ſordidaſti; polluiſti cœno, & ſanguine, conculcaſti, & conſcidiſti; fide mortua & ſine charitatis lumine. Quid dicam tibi? Sic vivis, quaſi oppoſitum ſpopondiſſes; neque voti tui & ſponſionis Deo factæ memor fuiſti. Quid ergo dicturus es in Judicio, ſolo nomine & profeſſione Chriſtianus, vita & moribus pluſquam paganus? Auſus es o profane Chriſto mentiri? Mentiri Spiritui ſancto? Non attendis, quam fecerit Deus ultionem in Ananiam & Saphiram propter hoc men- *Act. 5.* dacium? Sed, & Regulam, quam profeſſus es, in paucis, aut in nullo ſervaſti.

V. Regula tua Euangelium eſt. Hæc eſt Regula Chriſtianorum perfectiſſima, puriſſima, & ſtrictiſſima: Videtur tibi ampla, ſed non eſt. Nam teſte P. Auguſtino (b): (b)

Tota

genus ſeminemus ſemen non in carne, ſed in ſpiritu. Non enim carnalia, ſed ſpiritualia ſeminare debemus, qui ad vitam pervenire volumus æternam. Quæ ſit autem ſimilitudo non ignoras, qui ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt. Herba generi reſpondet ſuo, tu non reſpondes tuo generi. Tritici granum ſparſum terræ, generis ſui gratiam reddit, & tu degeneras. Fruges non adulterant ſui ſinceritatem ſeminis, tu adulteras puritatem animæ, vigorem mentis, corporis caſtitatem. Abs re autem Brixienſis, & Romana editio, nomen S. Bernardi ſemel, Bruxellenſis editio bis, huic inſerunt ſententiæ, cum certo certius ſit, non ad S. Bernardum, ſed Ambroſium eam in integrum pertinere.

(a) Refertur hoc a Diogene Laertio lib. 6. de vitis Philoſophorum in Diogene. *Lucernam*, inquit, *interdiu accendens: Hominem, ajebat, quæro.*

(b) De hoc argumento ita S. Parens Serm. 205. in Quadr. 1. alias de diverſis 68. *In hac quidem cruce per totam iſtam vitam, quæ in mediis tentationibus ducitur, perpetuo debet pendere Chriſtianus. Non enim eſt in hac vita tempus evellendi clavos, de quibus in Pſalmo dicitur: Confige clavis a timore tuo carnes meas ... Crux, inquam, iſta non quadraginta dierum eſt, ſed totius hujus vitæ, quæ myſtico numero quadraginta iſtorum ſignificatur dierum.* Verba hic allegata a S. Oratore hauſta ſunt a Serm. 207. Append. tom. 5., nimirum Serm. 2. in Natal. S. Laurentii in fin. *Tota igitur vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundum Euangelium vivat, crux eſt, atque martyrium.* Extant etiam apud S. Maximum Homil. 7. de SS. Martyribus.

Tota vita Christiani, si secundum Euangelium vivit, Crux est. Et Paulus ait: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* *Galat.5.* Denique quid dicatur in Regula, attende: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* *Mat. 16.* *Ibid. 10.* Et iterum: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Ecce asperitatem. Attende puritatem: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo.* *Ibid. 5.* Hieronymus (*a*): Væ nobis! Qui toties fornicamur, quoties concupiscimus. Si attendas ad cupiditatem: *Non concupisces*, non tantum, *uxorem proximi tui;* sed, *non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa quæ illius sunt.* *Deut. 5.* Si ad patientiam: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* *Mat. 5.* Si ad mansuetudinem: Non solum, *Non occides;* sed, *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* *Ibidem.* Si ad damnum famæ: Non solum, *Non falsum testimonium dices;* sed, *Nolite judicare.* *Ibid. 19.* Si ad silentium: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* *Ibid. 7.* *Ibid. 12.* Et alia hujusmodi præcepta, leges in regula tua. Quid, quæso, amplius Carthusia habet? Quantum attinet ad mores, & sanctitatem, & puritatem, exceptis cæremoniis & votis; dic mihi, o Christiane: hanc formam vitæ servasti? O quam longe ab illa! Quid, obsecro, mihi diceres: si me videres in habitu sæculari, in platea saltantem cum puellis & ludentem? O profane! O irregularis! Ubi est regula tua? Et ego ad te: O Christiane! Et tu serva tuam. Sed heu! Non curatur hoc, quia majori ex parte sic vivitur: Multitudo peccantium pudorem peccandi adimit; quia rarissimus est perfectus Christianus, qui Euangelium custodiat. Audi quid dicat Picus Mirandulanus (*b*): Et quidem, inquit, Euangelio tam confirmato & probato tot testimoniis, non credere, grandis induratio & pertinacia est; sed credere & profiteri, & oppositio modo vivere, major insania est. De Tertio vero: Quomodo sequaris exemplar regulæ tuæ, id est, Christum; non opus est quærere. Non solum non imitaris, sed omnino contrarie vivis. Christus in paupertate, tu in divitiis: Christus in humilitate, tu honores sitis: Christus in laboribus, tu quæris delicias: Christus in doloribus, tu voluptatibus implicaris: totus adversus, totus Antichristus: Et vis cum Christo regnare? Quod si ad alia exempla Sanctorum attendas; Quid es ad illos comparatus, nisi velut formica ad elephantem? In libro Numeri legimus, missos exploratores ad terram promissionis rediisse, dicentes: *Vidimus monstra de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* *Numer. 13.* Sic omnino exploratores, & contemplatores cœlestis patriæ, quoties Gigantum, id est, Sanctorum, qui ibi sunt, vitam moresque considerant; Si viventes modo Christianos cum illis conferant, quasi locustæ videbuntur, qui per hoc tempus excellunt maxime. Ecce, quis es professione, & quam longe a tua professione! O Hypocrita! Non attendis quod scriptum est: *Quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur?* *Rom. 2.* Tua professio, si non te corrigis, non erit tibi ad salutem, sed ad judicium. Magnum est esse Christianum: Sed difficile & arduum est esse perfectum & bonum Christianum. Unde Hieronymus (*c*): Nil felicius Christiano, cui regnum cœlorum promittitur: Sed nihil difficilius, de cujus salute continuo certatur.

VI. Sed restat adhuc scire: Quis es officio, sive statu. Et quidem, non parum feceris, si naturæ satisfeceris, ut sis integer & perfectus homo; &, si professioni, ut sis verus Catholicus & Christianus; sed adhuc deest tibi aliquid, si habes officium, ut officio satisfacias. Quam multi enim boni viri, & boni Christiani in humili statu salvarentur, qui in alto dignitatis gradu positi perierunt, aut propter inhabilitatem, aut propter negligentiam! Unde P. Augustinus (*d*): In quo loco, inquit, sciebam non esse Episcopum, ne illo accederem cavebam, ut in humili salvarer, ne in alto periclitarer. Felices qui solum de seipsis in die judicii reddituri sunt rationem. Nam altitudo dignitatis & officii, quasi præcipitium timenda est. *Tu Quis es?* Sum Imperator, Rex, Princeps. *Jo. 1.* Magnus status, sed majus pondus; magna dignitas, sed laboriosa & periculosa. *Noli altum sapere, sed time.* *Rom. 11.* Psalmus: *Ab altitudine diei timebo.* *Psal. 55.* Oportet te tantum cæteros homines præcedere virtute, quantum præcedis dignitate. Sed, quia alibi (*e*) per occasionem de boni principis officio latius dixisse me, commemini,

(*a*) Epist. 95., alias 4. ad Rusticum Monachum. *Væ nobis, qui quoties concupiscimus, toties fornicamur.*

(*b*) Joannes Picus Mirandulanus Epist. ad Joannem Franciscum ex fratre nepotem pag. 342. edit. Basilens. an. 1557. *Magna enim*, inquit, *profecto insania Euangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, mundus testatur, elementa loquuntur, Dæmones confitentur. Sed longe major insania, si de Euangelii veritate non dubitas, vivere tamen, quasi de ejus falsitate non dubitares.*

(*c*) Epistola 95., alias 4. ad Rusticum Monachum tom. 2. part. 2. pag. 769. *Nihil Christiano felicius, cui promittitur regnum Cœlorum. Nihil laboriosius, qui quotidie de vita periclitatur.*

(*d*) Narrat hoc S. Parens Serm. 355. cap. 1. num. 2., alias de Divers. 49. *Usque adeo autem*, inquit, *timebam Episcopatum, ut quoniam cœperat esse jam alicujus momenti inter Dei Servos fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, non illo accederem. Cavebam hoc, & agebam quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer.*

(*e*) De hoc argumento agit S. Orator Concion. 2. in Dom. 19. post Pentecost., quæ coram Carolo V. pronuntiata est.

mini, in hoc loco non immoror ea in re. *Tu Quis es?* Sum Prælatus. Et quid eſt eſſe Prælatum? Eſſe Paſtorem, non dominum, non principem: *Neque dominantes in Cleris*, ait Petrus, *ſed forma facti gregis*, exemplum ſanctitatis in populo. Sed cujus gregis? Utique illius, pro quo Filius Dei vitam poſuit, quem non auro & argento, ſed ſanguine ſuo pretioſiſſimo emit. Et quantus grex? Quadraginta millia: Centum millia ovium: Difficilis cura. Unus Angelus unam ſibi ex illis omnibus ſufficere putat, & tu tantas? Et quæ conventio cum Domino gregis? *Cuſtodi*, inquit, *virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima ejus. Sanguinem ejus de manu tua requiram.* Non oſtenſa pelle ſatisfacies mihi, ſed perpetuo inferno damnaberis. O terribilis obligatio! Et eſt qui velit ad hoc obligare ſeipſum? Sunt multi, qui non ſolum volunt, ſed cupiunt, & exambiunt. O cæcitas filiorum Adam! Bernardus (*a*): Accedit ad cumulum ſolicitudinis, & pondus timoris, quod cum meam, & proximi conſcientiam ſervare neceſſe ſit, neutra mihi ſatis eſt nota, utraque abyſſus eſt, utraque mihi nox eſt: Et nihilominus exigitur a me utriuſque cuſtodia; & clamatur: *Cuſtos quid de nocte?* Et non eſt mihi dicere cum Cain: *Numquid cuſtos Fratris mei ſum ego?* Hæc Bernardus, qui paucas & bonas oves habebat in cuſtodia, & clauſas in clauſtro. Revereamur, Fratres, Prælatos, & honoremus, & obediamus illis, qui ad tantum periculum animas ſuas pro nobis expoſuerunt. *Obedite*, inquit Apoſtolus, *præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Commiſeremini illorum: *Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.*

Jo. 1. *Ibid.* 1. 3. *Reg.* 20. *Ezech.* 3. (*a*) *Isaiæ* 21. *Gen.* 4. *Heb.* 13.

VII. *Tu Quis es?* Ego Dominus temporalis, Comes, Dux. Et quid eſt eſſe Dominum temporalem? Nunquid habere multam familiam, equos phaleratos, domos & palatia, opulentam menſam, magnificas & pretioſiſſimas veſtes, argenteis, aureis vaſis fulgentem abacum, & pulcherrima aulæa periſtromata; inſuper, & canum, & accipitrum omne genus? Non utique ad hoc ſunt in populo; ſed, ut ſint Patres & Patroni ſubditorum, quibus præſunt; ut eos in pace, & juſtitia regant, & defendant eos a moleſtantibus, & ſubveniant eis in neceſſitatibus ſuis. Formam Dominorum, audi in beato Job ſcriptam: Qui utique fuit magnus Dominus temporalis. *Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & cauſam quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Cumque ſederem quaſi Rex, circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator. Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea: Si deſpexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem: Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus eſt: Si levavi ſuper pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta ſuperiorem: Si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea. Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit. Si adverſum me terra mea clamat, & cum ipſa ſulci ejus deflent: Si fructus ejus comedi abſque pecunia, & animam agricolarum ejus afflixi: Quia ab infantia mea crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Videant magnates noſtri temporis ſi tales ſunt: Videant qui menſas opulentas ex laboribus, & ſudoribus pauperum replent, & mille calumniis & exactionibus crudeliter ſubditos premunt; non Patroni, ſed prædones. Audiant, quid Dominus per Prophetam comminetur hujuſmodi: *Væ qui opulenti eſtis in Sion ... Optimates, Capita populorum, ingredientes pompatice domum Iſrael ... Qui ſeparati eſtis in diem malum, & approquinquatis ſolio iniquitatis; Qui dormitis in lectis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris: Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti ... Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti: Et nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph ... Juravit Dominus Deus in anima ſua, dicit Dominus Deus exercituum: Deteſtor ego ſuperbiam Jacob, & Domos ejus odi. Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes ... Juravit Dominus Deus in ſancto ſuo: Quia ecce dies venient ſuper vos, & levabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis ferventibus; Et per aperturas exibitis altera contra alteram, & projiciemini in Armon, dicit Dominus. Tu Quis es?* Ego ſum Judex, Prætor, Decurio, Præfectus, Magiſtratus, Cenſor. Et nunquid ſervas rectam virgam? Non poſſum omnino; ſed neceſſe eſt aliquando aliquantulum flectere precibus & rogatu aliquorum procerum, & præcipue eorum, qui apud Regem gratia & favore præſtant. Intercedit amicus, cui ſi nego, cum vituperio rejiciar ab officio. Et nunquid accipis munera? Aliquando, inquis, nam non poſſum ſuſtentare domum meam; ſalarium eſt modicum, ſumptus immodicus; non equidem agros fodere, aut arare queo, ex meo officio alendus ſum. Et utinam agros ararem, vel foderes! Melius enim fuiſſet eſſe aratorem, quam judicem. Audi quid de te Dominus dicat: *Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis, plena judicii? Juſtitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.* Defectu, ſcilicet, juſtitiæ, & cauſam addit: *Principes*, id eſt, Judices *tui infide-*

Jo. 1. *Ibid.* 31. *Job* 29. *Amos* 6. *Ibid.* 4. *Jo.* 1. *Luc.* 16. *Isaiæ* 1.

(*a*) Serm. 3. de Advent. Dom. prope finem, ubi plura, & graviſſima profert S. Bernardus. Verba hic recitata, cum editione Mabillonii cohærent, paucis exceptis.

fideles, ſocii furum: Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc, ait Dominus Deus exercituum fortis Iſraël: Heu! conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Longum eſſet modo proſequi per ſingula officia; De Prædicatoribus, de Sacerdotibus, & Religioſis dicere ad quid teneantur ex officio: Sufficit tetigiſſe de majoribus ſtatibus, ut videant, ad quid tenentur.

VIII. Hæc ſunt, quæ oportet te cognoſcere, o Homo, ut videas, ſi reſpondes naturæ, profeſſioni, & officio; hæc oportet diligenter conſiderare, & ſæpius ponere te coram te, & examinare te ipſum: Nec vivere more bruti pecoris, nulla vitæ ratione habita. Pſalmus: *Sicut oves in inferno poſiti ſunt.* Pſal. 48. Quod ſi tu te ipſum in tergum rejeceris tuum, implebit Dominus quod promiſit: *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Pſal. 49. Proh quantum tibi dolorem propriæ fœditatis aſpectus afferet! Sed fac, ut dicit Habacuc: *Super cuſtodiam meam ſtabo.* Sic faciamus Fratres: Diſcutiamus nos nunc, ne judicet nos Deus. Ut cum venerit, mercedem accipiamus æternam. O ſi hanc rationem ſæpius tecum faceres, & teipſum tibi ſæpe præſentares, & hiſtoriam vitæ tuæ plene recenſeres! O quot fructus ex hac conſideratione eliceres! Utique humiliares te, tuos defectus agnoſceres, deplorares, corrigeres, vulnera animæ tuæ ſanares, judicatum, & non judicandum teipſum Chriſto præberes; damnationem evaderes. Sed tu velut beſtia degis vitam ſine conſideratione, ſicut ſcriptum eſt: *Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Pſal. 48. Non erunt tunc, inquit Bernardus (a), o anima, feneſtræ ſenſus per quas exeas, & exules a teipſa, & obliviſcaris tuorum vulnerum, ſed perpetuo videbis te, & abominaberis teipſam, & fremes contra te. Unde propter hoc damnatorum vermis non morietur in æternum, quia nunquam ei deerit iſte paſtus, quo alatur. Quanto ſapientius facies, ſi modo, cum vales, animam tuam coram teipſo poſueris; Sicut ſcriptum eſt: *Anima mea in manibus meis ſemper;* Pſ. 118. & maculas vulneraque ipſius ſolicite inſpexeris, & diligenter diluere, atque ſanare curaveris. Neque ſolum hoc, ſed etiam bonis operibus, & virtutibus ornare, ut ſpecioſa appareat coram Domino. Facit hoc muliercula, ut placeat viro, & non magis tu, ut placeas Deo? Et non ſolum utilis, ſed valde delectabilis eſt, Fratres, iſta conſideratio ſui. Dico vobis in veritate: Nulla hiſtoria ſic delectat animam juſti, quam hiſtoria propria. O quando recenſet ſingula Dei beneficia, quæ recepit, & conſiderat mala, quæ evaſit, & miſericordias Domini, quas expertus eſt, & quando ſe videt liberum a priori cæcitate, & ſervitute vitiorum, & tranſacta nebula obſcura, in ſereno die luminis conſtitutum: Quomodo exultat, quomodo lætatur, quas gratias Deo agit! Quomodo invitat ex corde omnes creaturas ad laudandum Deum pro tanta bonitate, quia ipſe non ſufficit! Quomodo accenditur in amorem benefactoris ſui! Quomodo delectatur videndo, quia ſic amatur a Deo, & quomodo ſperat futuram gloriam ex teſtimonio amoris Dei! Quomodo properat recuperare tempus amiſſum, & ſervire benefactori ſuo totis viribus! Quomodo compatitur his, quos videt ſimili morbo laborare! Et, ſi deplorat præteritam ſervitutem, non ſunt lacrymæ illæ amaræ, ſed dulciſſimæ. Sunt & plures alii fructus in hac conſideratione, quos longum eſſet enarrare; melius ſentiuntur quam dicuntur. Unde, credite mihi: Inter omnes conſiderationes hæc tui conſideratio utiliſſima, & potiſſima eſt. Propter quod, cum Sponſa ex amore peteret: *Indica mihi quem diligit anima mea;* Reſponſum eſt: *Si ignoras te;* ac ſi diceretur ei: Quid modo Sponſi viſionem expoſcis? Potius cura agnoſcere temetipſam; quia per hanc tui conſiderationem, ſi eam frequentaveris, ad viſionem quam expoſcis pervenies. *Beatus* enim eſt, qui *aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit:* Ut *de virtute in virtutem* procedat, donec videatur *Deus Deorum in Sion* in ſua gloria; Ad quam nos perducat Jeſus Mariæ filius. Amen.

Cant. 1. Pſal. 83. Ibidem.

(a)

Iſaiæ 66.

IN DOMINICAM III. ADVENTUS CONCIO SECUNDA.

DE PERSONA PRÆCURSORIS, ET MANIFESTATIONE CHRISTI.

Tu quis es? Joann. 1. v. 19.

CONCIO XI.

I. STupenda Legatio Judæorum: Notus erat Joannes, inter ipſos natus, filius Pontificis Zachariæ, omnibus notus, nativitas omnibus manifeſta, & genus. Si-

(a) S. Bernardi ſententiam ita legimus expreſſam lib. 5. de Conſid. cap. 12. *Non eſt ſane jam tunc, quod aut veritatem diſſimulet ratio, aut rationis intuitum anima declinet membris avulſa corporeis, & in ſe ſe collecta. Quo enim id valeat ſopitis concluſiſque in morte ſenſibus, per quos utique curioſius exire, & a ſe ire ſolebat in eam, quæ præterit mundi iſtius figuram.* Et paulo ante. *Hic eſt vermis, qui non moritur, memoria præteritorum. Semel injectus, vel potius innatus per peccatum, hæſit firmiter, nequaquam deinceps avellendus. Nec ceſſat rodere conſcientiam, eaque paſtus eſca utique inconſumptibili, perpetuat vitam.* Iterum de hoc argumento S. Bernardus Opuſc., ſeu libro de Converſione ad Clericos cap. 4. *Erit autem hic reditus ſine dubio vel poſt mortem: cum univerſa quibus ad vagandum foras, & inutiliter ſe ſe occupandum, in eam, quæ præterit hujus mundi figuram, egredi conſueverat, oſtia corporis clauſa erunt, ut neceſſario maneat in ſe ipſa, cui nullus jam pateat exitus a ſe ipſa.*

Lucæ 1. quidem: *Super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc.* Et tamen quæritur ab eo: *Tu quis es?* Quasi de ignoto, Jo. 1. quasi de extraneo. *Tu quis es?* Quid est hoc Pharisæi? Quid interrogatis? Nostis me: filius Pontificis sum; per Angelum nuntiatus, in utero sanctificatus antequam natus. Poterat hoc respondere Joannes, sed nihil simile Ibidem. respondit. Nec ex patre personam, sed ex officio demonstrat. *Ego*, inquit, *vox clamantis*. Habebat Præcursor jam plura præclara Lucæ 1. nomina. Joannes. Angelus: *Ne timeas Zacharia: Quoniam exaudita est deprecatio tua. Et uxor tua Elisabeth pariet tibi Filium*, & *vocabis nomen ejus Joannem*. Et mutus Pa- Ibidem. ter, *postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus*. Homo: Missus a Deo: Jo. 1. Euangelista: *Fuit Homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes*. Baptista: Propheta: Do- Lucæ 7. mino Jesu attestante: *Major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptista nemo est. Quid existis videre? Prophetam? Utique dico vobis*, & *plusquam Prophetam*. Angelus: *Hic est de quo scriptum est: Ecce* ego *mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te*. Verum, inter plurima, quæ sibi usurpanda habebat nomina, solo Præcursoris titulo gloriatur: *Ego vox clamantis*. Præ- Jo. 1. cursor prius in loco ante adventum domini parat omnia, rigat domum, verrit, ornat eam tapetibus: Ita Joannes: Prius venit in mundum; rigavit doctrina, verrit pœnitentia, ornavit etiam domum virtutibus. *Ego vox clamantis in deserto:* Scilicet Ibidem. per me. Non sum ego Verbum æternum, sed Vox sum: Sed clamantis illius sum, qui vocem clamat. Vox Verbum præcedit, & tamen: Verbum intonat, & per vocem clamat; quoniam, *Qui post me venturus est, Ibidem. ante me factus est, quia prior me erat*. Quid sum, quæritis? Hoc sum, quod illius sum. Galat. 2. *Vivo* enim *ego, jam non ego. An experi-* 2. Cor. *mentum quæritis ejus, qui per me loquitur* 13. *Christus?*

II. Talis erat vita Joannis, ut aliquid supra hominem putaretur. Et cognito natali ejus & cognatione, non putaretur esse agnitus; sed magnum quemdam esse supra homines, Jo. 1. idest: Messiam, Eliam, aut Prophe- Mat. 16. tam: Sicut etiam de Christo: Alii dicebant Eliam, alii Jeremiam. Nam vitæ austeritas commendabat Joannem, magnitudo virtutum Christum. Tanta erat Joannis auctoritas, ut a populo Judæorum, si vellet, Messias, aut Elias crederetur: Erat enim prodigiosa nativitas, & admirabilis vita, quod puer trium annorum penset desertum, victitet locustis, vestiatur pellibus camelorum: Et ideo potuit credi Messias. Sed potuit ille respondere: O stulti, quid putatis me Messiam? Nonne habetis in Scripturis signa Messiæ? Quid ait Isaias? *Tunc aperientur* Isaiæ 35. *oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum*. Numquid aliquid tale vidistis in me? Numquid ego aliquem cæcum illuminavi? Numquid surdo aures aperui, aut claudo gressum, aut loquelam muto ego præbui? *Joannes quidem signum fecit* Jo. 10. *nullum*; ne daretur occasio deceptionis. Ideo Dominus ad Discipulos Joannis ait: *Euntes,* Mat. 11. *renuntiate Joanni quæ audistis & vidistis*. Dicite, quæ audistis ex Prophetis, & quæ vidistis in me; quem audistis, cum operibus, quæ vidistis. Et habetis testimonium: Conferte Prophetiam. Adultera synagoga Joannem recipit pro sponso, delectata decore gloriæ suæ, & plenitudine vitæ ejus. Sed quid ait fidelis amicus? Non sum ego sponsus: Noli facere rem hanc; *Non sum ego Chri-* Jo. 1. *stus. Qui habet Sponsam, Sponsus est*. Maritare voluit cum vigili. Sed Præcursor, Ibid. 3. eam compellit transire ad Dilectum, dicens: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fu-* Lucæ 3. *gere a ventura ira?* Adultera aggreditur Jo- Gen. 39. seph, idest, synagoga Joannem. At ille, non recusat tantummodo, sed & relinquet ei pallium corporis in manu, decapitandus aliquando, nolens consentire in adulterio, ut esset sponsus synagogæ. Sed, o gens stulta Judæorum! Quomodo acceptas personas! Quomodo invida es ad Christum! Quid dictum est Joanni? *Tu*, inquiunt, *quid dicis* Jo. 1. *de te ipso?* Et ad Christum: *Tu de te ipso* Ibid. 8. *testimonium perhibes: Testimonium tuum non est verum*. Si dicitis Joanni: *Quid dicis de te ipso?* Quare me improbatis, dicentes: *Tu de te ipso testimonium perhibes?* Quod, si proprium testimonium nullum est: Cur Joannis de se ipso petitur testimonium? Et compellere vultis Prophetam veritatis, ut se faciat Messiam falsitatis? Me autem clamantem, quia ego sum, excluditis? Dicentes: *Tu de te ipso testimonium perhibes*. Quod si sic affecti estis ad Joannem, quare de se testificantem admittitis, de me non recipitis? Ipse ait: *Non sum ego Christus*; Sed, *Ecce* Ibid. 1. *Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. O gens stulta! Si testimonium Joannis verum est, majus est, cum de alio, quam, cum de se testificatur. Cur ergo de se testificantem recipitis, & de alio non recipitis? Si se faceret lucem, crederetis ei: Et ostendenti lucem, non creditis ei?

III. *Hic est enim de quo scriptum est: Ecce* Malach. ego *mitto Angelum meum ante faciem tuam,* 3. *qui præparabit viam tuam ante te*. Angelus, Mat. 11. secundum P. Augustinum (*a*) non est nomen (*a*) naturæ, sed officii: scilicet: *Missus*. Secundum illud: *Omnes sunt administratorii Spiri-* Heb. 1. *tus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis*. *Spiritus* est nomen naturæ.

(*a*) In Psalm. 103. Serm. 1. num. 15. *Spiritus autem Angeli sunt, & cum Spiritus sunt, non sunt Angeli; cum mittuntur fiunt Angeli: Angelus enim officii nomen est, non naturæ. Quæris nomen hujus naturæ, Spiritus est, quæris officium, Angelus est: ex eo quod est, Spiritus est, ex eo quod agit, Angelus est*. Eadem ferme tradit S. Gregorius Homil. 34. in Euang. num. 8.

naturæ. Bene ergo Joannes, Angelus, licet homo, quia *missus*. Quomodo ergo alius Euangelista ait: *Fuit Homo missus a Deo?* *Jo. 1.* Ecce homo est natura, Angelus officio, Homo conditione, Angelus vita & puritate, Angelicus homo, humanus Angelus. Sed nota mysterium. Fuit homo missus, ut præpararet viam, non Angelus; nam homo iste venturus erat. Hominem misit præcursorem, non vult habere Spiritum præcursorem, qui in carne veniebat. Fuit homo missus ante hominem Christum. In humilitate veniebat, humanum præcursorem præmisit, non Angelum qui terreret, sicut cum data est lex *Exodi 19.* in Sina. Sed pondera verbum: *Fuit Homo.* *Ibid. 12.* Nemo sibi blandiatur de pluribus cibis & *Jo. 1.* potibus, dicens; homo sum, fragilis sum; *Mat. 3.* Joannes locustis vescitur solis, & fuit ho- *Marc. 1.* mo; camelorum habitum portat, & fuit ho- *Jo. 1.* mo, sed missus a Deo: Angelus extitit, quia missus. Sed ad quid missus? Sequitur: *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Et, quoniam qui reddere debet testimonium, debet esse magni crediti & authoritatis, ideo Dominus, quos misit ad aliquid nuntiandum, prius commendabiles, & idoneos facit ministerio. Ideo *Jer. 1.* Jeremiam, quoniam parvulus erat, tetigit *Isaiæ 6.* manu os ejus. Isaiam pollutum labiis cal- *Ezech. 2.* culo altaris mundavit. Ezechiam fecit vorare librum. Sic Joannem, qui ad majus testimonium mittitur, ex utero fecit commen- *Lucæ 1.* dabilem; nam pater mutus factus est, mater ejus mulier antiqua, & nova mater, sterilis erat. Angelus ipsum nuntiat, nomen imponit. *Cui nomen erat Joannes.* Nomen a Deo positum cum re ipsa consonat: Abraham, *Gen. 17.* Israel, Joannes, cum personis conveniebat. *Ibid. 32.* Gratia plenus est, firmum reddit testimo- *Lucæ 1.* nium; & ob id forte mater spiritu plena, & pater petens pugillarem tale nomen oraculo quodammodo imponit. Commendatus ergo fuit Joannes ex parentibus, ex Angelo nuntiante, ex ortu, ex vita; nam ipse, ut firmius esset testimonium petentibus, vitam stupendam & admirabilem elegit.

IV. Sicut ardebat, sic affectabat introducere Christum in mundum, ut cognosceretur. *Hic venit in testimonium:* *Jo. 1.* ad hoc natus est. O quantus ardor! Quantum desiderium! Quomodo anhelabat ut Christum mundo manifestaret! Siquidem ad hoc missus a Deo. Maximum desiderium! Officium recipit a Deo: totus ejus conatus erat mani- *Lucæ 1.* festare latentem Christum. Propter hoc re- *Mat. 3.* cessit ad eremum; propter hoc tam asperam vitam agit, ut sic ex vita commendaret sermonem, & efficacius efficeretur testimonium *Marc. 1.* apud gentes. O Joannes! Cum agnoscas Chri-

A stum, ut quid in deserto es, & non potius cum eo, ut amicus sponsi gaudeat propter *Jo. 3.* vocem sponsi? Ideo facit (*a*), ut non ex *(a)* amicitia vel familiaritate ejus crederetur de eo reddere testimonium, quia venit in testimonium. Caret Christo propter Christum, ut firmius sit ejus testimonium. Et, ne quis putet a seipso reddere testimonium, fugit, antequam ipsum viderit, in desertum, & ait: *Ego nesciebam eum;* ego autem non *Ibid. 1.* agnoscebam eum, scilicet præsentia, & conversatione modo humano. Sed Spiritus dixit: *Super quem videris Spiritum descendentem* *Ibidem.*
B *& manentem super eum, hic est. Et ego vidi, & testimonium perhibui.* *Ibidem.* Quem in utero ostenderat Spiritus, eumdem iterum mihi manifestavit ad aquas. O quale gaudium putas fuisse Joanni, quando, qui missus fuerat in testimonium, vidit eum, de quo testimonium reddere debebat! Siquidem alii Prophetæ testificati sunt de Christo, sed non viderunt eum. *Ut testimonium perhiberet de lumine.* Quis, obsecro, tale audivit? Quis *Jo. 1.* lucem manifestat? Omnia in luce clarescunt. *Ibid. 3.* Omnia, quæ manifestantur, manifestantur a lumine: Venit Joannes, & ait Euangeli-
C sta: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine,* ut lumen manifestaret; *Ibid. 1.* & non erat ille lux. O mira res! Quid manifestius lumine? Quomodo lumen per illum qui non est lumen, manifestatur? Quoniam homo reddit de Deo testimonium; quoniam jam Christus incipit ab humilitate. Ecce Apostolus ait: *Non enim qui seipsum* *2. Cor. 10.* *commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Et tamen commendatur jam Deus ab homine, & ab eo recipit testimonium. Quomodo autem lux manifestatur, attende: nam ait Euangelista: *Et lux in* *Jo. 1.*
D *tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ideo *Fuit homo missus a Deo;* & *non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Oculis ægris, & infirmis temperatur lux magna, ut videantur populi *Isaiæ 9.* Judæorum tenebræ. Non comprehendebant lucem magnam; venit umbra Joannes temperans lucem, ut tenebræ comprehenderent lucem per umbram. Ita ergo tenebris, non lux dat testimonium, sed umbra dat testimonium de luce. Quid mirum, si opus fuerit umbra ista tenebris Judæorum, cum etiam Mariæ dictum sit: *Spiritus Sanctus superve-* *Lucæ 1.*
E *niet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi?* Ut, scilicet, concipias Lumen, & aliquando attingas. Aquila est Maria: tamen talis est splendor, ut egeat umbra. Ecce ergo quomodo non erat ille lux, sed tamen ut testimonium perhiberet de lumine.

V. Sed quid ait Joannes? *Qui habet sponsam, sponsus est.* Ego non sum sponsus Ec- *Jo. 3.* clesiæ; ego autem amicus sponsi ipsum

(*a*) Haud secus S. Joannes Chrysostomus in cap. 1. Joann. Homil. 16. in ea verba: Et ego nesciebam eum: *Aufert*, inquit, *omnem testimonio suspicionem, cum non humanæ familiaritatis gratia, sed divina revelatione id perhibere ostendat.*

ostendo sponsæ. Et deinde, ut ait Chrysostomus (*a*): Ego foris manebo, & sponsus erit cum sponsa. Sicut Joannes, cum prædicaret, & videret Jesum, relictis mirabilibus ait: Ecce sponsa, ecce anima: *Ecce Agnus Dei*, ecce sponsus: Deinde ait: *Illum oportet crescere, me autem minui*. Ecce, jam incipit agnosci a sponsa Christus, jam incipit habere Discipulos, jam incipit gustare sponsa de ejus pulchritudine, & obliviscetur mei, jam non erit opus meo testimonio, quia quæretur propter se, & amabitur. Ego jam superfluus ero in mundo, cum ipse cœperit agnosci. Nam & sic factum est; cum mulier illa Samaritana diceret populo, vidi Messiam: posteaquam populus audivit, & vidit Christum, ait: *Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est vere Salvator mundi*. Sic Joannes, Christo incipiente agnosci ab sponsa, jam se excludi cognoscit, quoniam agnitus ipse amabitur, licet per ipsum fuerit prius demonstratus. Et jam dicet sponsa: Non propter tuam loquelam credo, vel amo. Ideo dicebat: Amicus sponsi stat, & gaudio gaudet propter vocem sponsi. Ecce gaudium meum plenum est. Amicus sponsi stat. Quis non commoveretur, vel saltem pulsaretur vana gloria, cum dicitur Joanni: *Quid dicis de teipso?* Ecce, si vis, dic, quoniam sponsus es, quoniam Messias es: parati sumus credere tibi. Ecce non movetur, non usurpat sponsam. Amicus sponsi stat. Non flectitur a Judæis, ut arroget sibi Regis diadema. Non etiam movetur a discipulis suis invidentibus, quod Christus plures habeat discipulos. Non movetur zelo invidiæ, sed stat, & insuper gaudio gaudet, propter vocem sponsi receptam ab sponsa. O Discipuli mei, quid me vultis ad invidiam provocare? Hoc meum gaudium est, hæc mea corona est, hæc mea gloria, ut ille agnoscatur, ut ametur, ut quæratur. Ad hoc natus sum, ad hoc veni in mundum. Non solum gaudeo, sed gaudio magno gaudeo de hoc. Magis eum sentiebat Joannes, & gravius, & durius, quam cibum silvestrem, quam vestem camelorum, quam eremi solitudinem, Judæorum duritiam non credentium sibi, non adhærentium Deo. Cum autem vidit, quoniam occultus Christus jam incipiebat agnosci, jam habere discipulos, o quanta lætitia, o quantum gaudium! Quoniam jam aperti sunt oculi sponsæ, & incipit sponsus agnosci; ideo gaudet maxime, quia ejus discipuli ad Christum migrant, & fiunt discipuli Christi.

(*a*) Joan. 1. Ibid. 3. Ibid. 4. Ibid. 3. Ibid. 1. Ibid. 3.

VI. *Ego Vox clamantis in deserto*. Totus erat Vox. Vox erat vestitus, Vox solitudo, Vox cibus, Vox ejus vita, Vox ejus Baptismus, totus Joannes Vox est, Fratres, ut imitemini eum. *Parate viam Domini. Iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi*. Propter quid? Quia ascendit super occasum. Apostolus: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen*. Ecce *Dominus nomen illi*, quia *ascendit super occasum*. Quis utique dum cadit ascendit, nisi qui mortem morte destruxit? Quis super occasum, nisi qui vixit postquam mortuus est, & jam non moritur? *Ego Vox. Parate viam Domini*. Eodem Spiritu Pater & Filius prophetant. Ecce mutus erat Pater, & cum Pater aperuit os, cœpit quasi optimus Astrologus ferre judicium: judicare de parvulo non ex astris, sed ex Spiritu Sancto. Cum ergo primum dixisset de verbo testimonium, dicens: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ*. Dans intelligere, quoniam jam venerat Messias; conversus ad Filium ait: *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis*. Quid dicit Filius? *Parate viam Domini*. Quid prædixerat Pater? *Parare vias ejus*. Ecce concordiam. Sed hoc mirum est. O bone senex! Quid hoc est, quod loqueris de parvulo? Etiam loqueris cum parvulo. Ecce ad ubera matris est modo natus, quid ad eum sermonem dirigis, dicens: *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis?* Origenes (*b*). Utique, qui antequam nasceretur, ex utero Christum agnoscit, in utero intellexit; bene agnoscit, quæ loquor, puer. Parvulus est ætate, sed sensu Propheta magnus, Domini nimirum. Si cum puero loquor: *Quia tu puer Propheta*. Forte parvulus relictis uberibus, auditum patri accommodabit, gaudens de patris Prophetia, & parans se ad officium sibi injunctum. Sed bene dicitur: *Et tu puer Propheta*. Eris enim puer Propheta, quia ante Propheta quam natus. Imo semper puer, numquam senex in astutia, semper puer in innocentia, semper puer in puritate. Sed, o diligentissime cursor! Quam festinanter ardes, & ardenter festinas prædicare Christum! Quam inflammato appetitu eum demonstrare! Expecta modicum, Joannes expecta, ut ablacteris; & postea dices: *Ecce Agnus Dei*. O! nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Non potest ardor Spiritus, corporis longam tarditatem expectare. Si corpus tardat, Spiritus non expectabit ipsum, sed etiam sine lingua loquetur, &

(*b*) Joan. 1. Luc. 3. Psal. 67. Philipp. 2. Luc. 3. Ibid. 1. Ibid. 3. Ibid. 1. Joan. 1.

vox

(*a*) Plura hac de re habemus apud S. Joann. Chrysost. in cap. 3. Joann. Homil. 28.

(*b*) Homil. 10. in Lucam. *Quod si dubitas statim de utero Matris effusum posse verba Patris audire, & scire quid sit hoc, quod ad se dicitur: & tu puer Propheta Altissimi vocaberis; considera multo fuisse mirabilius quod præcessit. Ecce ut facta est vox salutationis tuæ in aures meas, exultavit infans in gaudio in utero meo. Si enim adhuc in ventre Matris conclusus audit Jesum: & audiens exilivit, atque lætatus est: quare non credas eum jam genitum prophetiam Patris audire, & intelligere potuisse dicentem ad se: & tu puer, &c.* Concinit S. Ambrosius lib. 2. in Luc. *Verum si teneamus intelligimus profecto, quod potuit vocem Patris natus audire, qui Mariæ salutationem antequam nasceretur audivit.*

vox linguam præveniet, & officium anticipabit. Prævenit ergo ſeipſum, non ſolum ante Propheta, quam ablactatus, ſed & antequam natus, prævenit ſeipſum eremi cultor: & priuſquam ſciat puer patrem aut matrem vocare, avertit ſe ab iniquitate. P. Auguſtinus (*a*): Quid dicam de Joanne? Non ſolum Chriſtum, ſed etiam ſeipſum præceſſit. Miſſus eſt enim Præcurſor; ſed prævenit tempus, & ex utero in utero officium exercet, nec expectat nativitatem: prius exercet officium, quam naſceretur.

Iſaiæ 8.

(*a*)

VII. *Illum oportet creſcere, me autem minui*. O Joannes! Unde cognoſcis, quod te oporteat minui, niſi quia miſſus es in teſtimonium, ut quaſi paranymphus Chriſtum introduceres cum ſponſa? Cum autem jam Chriſtus introductus eſt, jam ipſe excluditur, jam non eſt opus in mundo. Et inde eſt, quod ſtatim conſummatus eſt per martyrium, quaſi jam expleto ſuo officio. Et quid ait? O bonum nuntium adfers mihi ſpiculator de capite meo abſcindendo. Fac quod vis, nam gaudium meum in hoc mundo eſt plenum, nam ecce multa turba etiam per deſertum ſequitur Chriſtum, jam totus mundus currit poſt eum. Bonum certamen certavi ... & fidem ſponſo ſervavi, non me faciens ſponſum. Gaudeo, quia meum teſtimonium ſic profuit mundo. Opus eſt me ante ire, etiam Præcurſor Patribus in Lymbo; ut, ſicut tenebris Judæorum teſtimonium reddidi de lumine, ita etiam habitantibus in regione umbræ mortis fiam Præcurſor; &, qui ante ipſum natus ſum, morte præveniam, quem nativitate præveni. *Juſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos*. Juſtitiam Joannes faciebat, qui ſanctus & innocens ſeipſum tamen jejuniis affligebat. Juſtitiam fecit; quia quod ſuum erat, Chriſto non abſtulit, nolens ſe facere Meſſiam. Sed Prædicatores notent, quod ſequitur: *Et ponet in via greſſus ſuos*. Quid dicebat Joannes? *Dirigite viam Domini*. Et nunquid ipſe dormiebat? Imo poſuit in via greſſus ſuos. Prædicabat abſtinentiam? Ipſe mel ſilveſtre edebat. Si contemptum ſæculi: ipſe in eremo. Si humilitatem: *cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus*. Si paupertatem: veſte camelorum ipſe indutus. Et ideo verbum ejus erat ſicut facula ardens; erat enim, ut ait Euangeliſta: Lucerna ardens intra ſe per amorem, & fervorem ſpiritus, & lucens. Plures lucent hodie, qui non ardent, ideo non bene lucent.

Jo. 3.

2. *Tim.* 4.

Pſal. 84.

Jo. 1.

Marc. 1.

Ibidem.

Ibidem.

Eccl. 48.

Jo. 5.

IN DOMINICAM III. ADVENTUS

CONCIO TERTIA.

De Euangelio Dominicæ, et Sancto Isidoro.

Vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini. Joann. 1. v. 23.

I. QUando aliquis perditus eſt in deſerto, remedium unicum eſt aſcendere in montem altum, & alta voce clamare, & vocare, ſi forte vocem ejus quis audiat. Homo perditus eſt per peccatum. Pſalmus: *Erravi ſicut ovis, quæ periit: quære ſervum tuum*. Sed quomodo? Aſcende ſuper montem, & inde voca ad te. Sed quis altior mons, quam Virgo ſacrata? Hæc ſupra verticem montium, id eſt Angelorum exaltata eſt. Dicente Propheta: *Et erit in noviſſimis diebus præparatus Mons Domus Domini in vertice montium*. Hic mons, de quo dicitur per Prophetam: *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ, de petra deſerti*, id eſt, de Sinu Paterno, *ad montem filiæ Sion*, id eſt Virginem. *Mons* certe *coagulatus* multiplici gratia, *mons pinguis, mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo*. Quid ergo Virgo ſacrata? Salve Regina, Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve. Ad te clamamus exules filii Evæ, ad te ſuſpiramus, gementes & flentes; non de monte, ſed in hac lacrymarum valle ad te, o montem Dei. Eja ergo Advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. Memento, quoniam ſcriptum eſt: *Et erit in die illa: ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes rivos Juda ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.* De te igitur monte pinguiſſimo ſtillet afflictis dulcedo miſericordiæ. Poſtulantibus lac gratiæ peccatorum oculis decurrant rivorum lacrymarum aquæ. De domo Domini per te o Mater Dei egrediatur nobis fons ſalientis aquæ in vitam æternam, ut irrigentur aridæ, & bibant ſitientes animæ noſtræ: quod, ut fiat, aſſuetum tibi offerimus ſervitium.

* Concio XII.

Pſ. 118.

Iſaiæ 2.

Ibid. 16.

Pſal. 67.

Joel. 3.

Jo. 4.

AVE MARIA.

Duo dicenda ſunt. Primo: De Euangelio, juxta Dominicam. Secundo: De Beato Iſidoro, juxta Feſtivitatem.

II. In Euangelio hodierno, Fratres, nobis legatio quædam proponitur Judæorum ad Bapti-

(*a*) Sermone olim de Sanctis 22., ſed a Lovanienſibus in Appendicem ſub num. 77., & a PP. Congreg. S. Mauri ſub num. 199. rejecto; non enim S. P. Auguſtini Sermo eſt, ſed Homilia S. P. Chryſologi. Sententia, quam hic adducit S. noſter, ita legitur: *Fervens nuntius, qui ante geſtivit nuntiare, quam vivere ... Ipſe enim ſine viſceribus viſcera Matris exſuſcitat; & quia tardabat Corpus, ſolo Spiritu implet euangelizantis officium. Quid dicam, Fratres? Joannes antequam Chriſtum præcederet, ſe ipſum præceſſit.*

Baptiſtam. Siquidem videbant inſtare tempus Meſſiæ ſecundum Prophetas. Non enim erat Sceptrum in Juda, nec dux de femore ejus. *Gen. 49.* Videntes ergo vitæ ſanctitatem Joannis, ſuſpicabantur, ſi forte eſſet ipſe Meſſias: & longo concilio habito, Sapientes legatos ad ipſum mittunt, qui eum interrogent: *Tu quis es?* *Jo. 1.* Videmus enim vitæ tuæ aſperitatem, modum tuum vivendi ſuper mundanum, aſperitatem inauditam a ſæculo, ambulas veſtitus veſte camelorum, comedis mel ſilveſtre, dormis in nuda humo, habitas in ſpelunca, ſociaris animalibus ſilveſtribus, die nocteque in oratione pervigilas, ſeptennis vitam iſtam aggreſſus es, longo cilicio, continua abſtinentia, frequentibus lacrymis, aſſiduis jejuniis vitam agis. Tenet nos attonitos vita tua; homo miraculoſus, prodigium magnum appares. *Ibidem.* *Tu quis es?* A tuo ore petimus de te teſtimonium. Meſſias es tu? *Ibidem.* *Elias es tu? Prophetas es tu?* An forte aliquis Angelus de cœlo carne veſtitus? Vita enim tua angelica eſt, non humana. Scimus enim quia verax es, nec te vana gloria ſæculi poteſt movere, qui ſic ſub pedibus calcaſti ſæculum. Dic ergo nobis, obſecro, dic aperte: *Tu quis es?* Quid? Non me cognoſcitis? Nonne ego ſum Joannes filius Zachariæ Sacerdotis notiſſimi omnibus, & Eliſabeth? Nonne generatio mea omnis apud vos eſt omnibus nota? Inter vos natus, inter vos nutritus? Quid ergo me interrogatis, quem noſtis: *Tu quis es?* Attendite, Fratres. Tanta erat Joannis excellentia & ſanctitas, ut non aliquid humanum putaretur, ſed notus credebatur ignotus, & magnus in humili latere credebatur; & vere ſic erat. O quanta eſt bonæ vitæ auctoritas! Quantum defertur bonitati, & ſanctitati! Ecce Meſſias tam diu deſideratus, tam diu lacrymis petitus ore Prophetarum, ab exordio mundi promiſſus, qui ut Salvator & Dominus mundi expectabatur: Quid ſublimius, quid grandius hoc expectari potuit? Quæ perſona excellentior aut potentior? Et tamen Joanni defertur, ut ſi libeat, ſeipſum dicat eſſe Meſſiam, ſibi hunc aſſumat honorem, nullo alio teſtimonio de ſeipſo miſſo, ſolo ſuo dicto ſubmittentes & credentes: quoniam ab ore ſacrato non niſi verum poterat depromi eloquium. Quis Princeps, quis Imperator, quis Regum terræ, tantæ auctoritatis eſt, ſicut iſte pauper pellicea zona, & camelina veſte veſtitus? Sed, o mundi favor, quam vanus, quam inconſtans es & mutabilis! Quis audeat ſeipſum tibi confidere?

III. Videtis, Fratres, hunc Baptiſtam, quem populus totus recipit in Meſſiam? Ad quem tam ſolemnis legatio mittitur? Cui totum de ſeipſo creditur? Hic ipſe eſt, qui, ſaltante puella, ad petitionem ſacrilegæ adulteræ, quaſi per ludum trucidatur, & caput ejus inter ebrios convivas pro ludibrio in diſco puellæ irridenti largitur. Quid ſublimius, quid humilius? A legatione quam deformis mors? Quantum intereſt inter hæc: pro Salvatore Meſſia recipi, & per jocum jugulari? Sed glorioſus Joannes in utroque fuit. In vero de ſe teſtimonio, in forti pro veritate martyrio. Nos autem, Fratres, ex hoc ipſo facto mundi fallacis favores diſcamus virili animo contemnere, falſis imaginibus honoris vani non illudi; vera enim laus a Deo eſt, cujus teſtimonio quiſquam bonus eſt, aut malus. Audite, quid Paulus dicat ad Corinthios: *Mihi autem pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die.* *1. Cor. 4.* Nec bona opinio populi me facit meliorem, nec mala de me opinio me facit pejorem. Cogitet de me quiſque quod libeat. Sum qui ſum; non enim ex aliena opinione, ſed ex proprio opere ſum qui ſum. In me ipſo eſt, unde habeo judicari. O quam ſtultum eſt, ab ignorante & cæco petere ſententiam de colore! Comparatio. Si eſſet hic unus habens viſum perſpicacem, & acrem, & ab allucinantibus peteret: Quid eſt hoc, aut quale, quod manu teneo? Nonne ſtultus crederetur, qui relicto proprio judicio clari oculi ſui, alienum oculum cæcum conſuleret? Sic eſt, Fratres. Non a fama cæca, ſed a videnti conſcientia petamus de nobis judicium: neſcit enim quid ſit in homine, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt. *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?* *1. Cor. 2.*

IV. Sed ad Legatos noſtros redeamus: & quanta fuerit in ipſis invidia contra Chriſtum, quanta malitia, ex hac ipſa legatione oſtendamus. P. Auguſtinus (*a*): Vos, inquam, convenio o Judæi: & vos provoco. Exite mecum in diſputationem, & injuſtos & pravos vos eſſe convincam. Eandem interrogationem quam feciſtis Joanni, feciſtis etiam Chriſto, dicentes: *Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam.* *Jo. 10.* Ipſe vero vos ad opera remiſit, dicens: *Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.* *Ibid. 5.* Et aliquando de ſeipſo clarum reddidit teſtimonium: ſicut ad Caipham dixit: *Ego ſum;* & ſæpe ad vos clare idem dixit. Quid ei reſpondiſtis? *Blaſphemavit.* *Marc. 14.* Et rurſus: *Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum.* *Jo. 8.* Multa certe de ſeipſo poterat adducere teſtimonia ex Prophetis veſtris, ſicut P. Auguſtinus adducit (*b*). Sed nunc omiſſis omnibus teſtimoniis, dicite, obſecro. Numquid teſtimonium Chriſti minus eſt, quam teſtimonium Joannis? Non ſuſcitat mortuos Joannes, non curat leproſos, non illuminat cæcos, non impe-

(*a*) In antecedente Concione idem dicitur, ſed non allegatur Auguſtinus. Vide Sermonem de Symbolo contra Judæos, Paganos, & Arianos cap. 11. & 12. Append. tom. 8. noviſs. edit., in edit. autem Lovan. tom. 6.

(*b*) Sermone nuper allegato cap. 13.

imperat elementis, non pellit dæmones ſicut ego: Joannes quidem nullum ſignum fecit, *Jo.* 10. ait Euangeliſta: non facit opera, quæ ego facio, qualia nullus facere potuit, ut ego: & tamen dicitis mihi, *Tu de teipſo teſtimonium dicis: teſtimonium tuum non eſt verum.* *Ibid.* 8. Et ad Joannem dicitis, *Quid dicis de teipſo?* *Ibid.* 1. Da de te teſtimonium. O acceptores perſonarum! Illius ſine miraculo teſtimonium gratis recipitis, meum cum tot ſignis & portentis teſtimonium excluditis? Cæci & ignari, ſi teſtimonium hominum recipitis, teſtimonium Dei majus eſt. Nunquid Deus miraculis exhibet de meipſo teſtimonium? Sed forte dicitis: Non tu ſic veſtitus ut Joannes, non tua vita ſic aſpera, non ſic comedis, intra nos vivis, Joannes in eremo. Stulti! Vitæ perfectio in charitate magis quam in aſperitate conſiſtit. Nam magna diſpenſatio, & conſilium Dei fuit, ut vitam mediam Chriſtus ageret in aſperitate, licet ſupremam in perfectione: ne ſcilicet ægrotus, infirmus peccator, viſa aſperitate vitæ medici ſui, cui oporteat ſe conformare, diffideret, & deſperaret de ſalute. Ut ait ſanctus Thomas (*a*). Sed eſto, ita ſit: plus aſperitatibus quam miraculis adſcribatur: plus credetis Joanni in eremo, quia vobis mirabilior apparet? Quid reſpondebitis ad hoc? Ecce de alio quam de ſeipſo fortius eſt teſtimonium: Cur ergo Joanni de ſeipſo crederetur, de alio non creditur? Quid ait Joannes? *Ibidem.* Non ſum ego Chriſtus, ſed medius veſtrum eſt, quem vos neſcitis. Verus ergo eſt Joannes, vel non? Si non eſt verus, cur creditur de ſeipſo? Si eſt verus, cur non creditur teſtificanti de me? Alienum enim teſtimonium quam proprium, ipſi dicitis, quia fortius eſt: nulla hic reſponſio: apparet clare malitia veſtra, & invidia contra me, quia odio habuiſtis me gratis. *Ibid.* 15. Non eſt meum hoc argumentum, ſed Domini: Nam omnino ſimile eſt, quod ad illos factum eſt ore Dominico, quando dixit eis: *Mat.* 21. *Baptiſmus Joannis unde erat? E cœlo, an ex hominibus?* Eſtne Dei revelatio, vel hominis inventio? Ac ſi diceret: Joannes Propheta eſt, an illuſor populi? Non audebant reſpondere: nam ſi illuſorem dicerent, timebant plebem, quoniam Propheta ab omnibus credebatur. Prophetam non audebant dicere, ne illis diceretur: Quare non credidiſtis ei de me? Reſponderunt neſcimus. Ita eſt, neſcitis, ignorantes, cæci eſtis, & duces cæcorum. *Ibid.* 15.

V. Redeamus ad Joannem, & videamus, *Jo.* 1. quid eis reſponderit. *Quia non ſum*, inquit, *ego Chriſtus, non Propheta.* Sed quid? *Ego*, ait, *Vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini.* Non dixit: Vox clamans, ſed, *Vox clamantis.* Ita eſt, Fratres: cum prædicatorem auditis, Deum ad vos clamantem auditis. Nolite conſiderare qualis ſit tuba, ſed pulſationem ipſam, & buccinantem Deum agnoſcite per ipſum. Multa hic dici poterant de voce & verbo (*b*); ſed, quoniam inſtat hora, moralia, & nobis magis utilia aſſumamus. Deſertum iſtud cor peccatoris eſt propter duo: Nam deſertum incultum eſt, non aratum, non ſeminatum: Omnia ubi ſponte naſcuntur, & creſcunt, ſpina, tribuli, cardi, & urticæ, & paliurus (*c*). *Iſaiæ* 34. Item habitatio eſt leonum, ſerpentum, colubrorum, lacertarum, & viperarum, hæc omnia ſunt in corde peccatoris: Non aratum aratro pœnitentiæ, eradicante vitia ab imo, non ſeminatum ſemine virtutum; omnia ad libitum carnalia vitia naſcuntur, non eſt ibi manus extirpans ea. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* *Pſal.* 72. Ibi ſpina, tribulus, carduus curarum, anxietatum, deſideriorum, concupiſcentiarum. O quanta abyſſus! Etiamſi non eſſet gloria, nec infernus pro tormento malitiæ, mala conſcientia fugienda eſſet. Sed illi, ut ait Job: *Eſſe ſub ſentibus delicias computant.* *Job* 30. Item eſt habitatio dæmonum. Iſaias: *Erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum. Et occurrent dæmonia onocentauris; & piloſus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, & invenit ſibi requiem. Ibi habuit foveam ericius, & enutrivit catulos, & circumfodit, & fovit in umbra ejus: illic congregati ſunt milvi alter ad alterum.* *Iſaiæ* 34. Quid namque per dracones (*d*), niſi malitia, quid vero ſtruthionum nomine, niſi hypocriſis deſignatur? Struthio quippe volandi ſpeciem habet, ſed uſum volandi non habet: ita & hypocrita, cœleſtem ſe inſinuat, & tenere viam ſanctitatis ignorat. In perverſa igitur mente draco cubat, & ſtruthio paſcitur: quia & latens malitia callide tegitur, & intuentium oculis ſimulatio bonitatis aufertur. Quid vero onocentaurorum nomine, niſi lubrici figurantur & elati? Grece enim *Onos* idem quod, *Aſinus*, dicitur, & appellatione Aſini, luxuria deſignatur, Propheta atteſtante, qui ait: Ut carnes aſinorum carnes eorum. *Ezech.* 23. Tauri autem vocabulo cervix ſuperbiæ demonſtratur, ſicut voce Dominica, de Judæis ſuperbientibus, per Pſalmiſtam dicitur: *Tauri pingues obſederunt me.* *Pſal.* 21. Onocentauri ergo ſunt, qui ſubjecti luxuriæ vitiis, inde cervicem erigunt, unde humi-

(*a*) Integrum de hoc argumento habet articulum Angelicus Doctor, nimirum ſecundum quæſtionis 40. part. 3., ubi probat conveniens fuiſſe, ut Chriſtus in cibo, & potu communi vitæ ſe conformaret, nec extraordinariam ſequeretur aſperitatem.

(*b*) Late *de voce*, & *verbo* differit S. P. Auguſtinus Serm. 288., in Natali S. Joannis Baptiſtæ 2., alias Serm. 23. ex Sirmondianis. Sed hic Sermo longe poſt obitum S. Oratoris editus eſt, nempe anno 1631. Hinc ad Sermonem reſpicit olim de Sanctis 20., & poſt in Append. 76., in noviſſima autem editione in Append. 196. Vid. num. 4., ubi de diſcrimine inter vocem, & verbum, ad quod forte alludit S. Orator hoc loco.

(*c*) Spinæ, & rubi genus, juxta Plinium lib. 24. cap. 13., Virgilius Eclog. 5. *Carduus*, & *ſpinis ſurgit paliurus acutis*. Theophraſtus lib. 3. cap. 17. hujus meminit.

(*d*) Interpretatio hujus Iſaiæ loci totidem fere verbis expreſſa legitur apud S. Gregorium, partim lib. 7. cap. 28., partim lib. 33. cap. 30. Moral. in Job.

humiliari debuerant. Onocentauris autem dæmonia occurrunt, quia maligni Spiritus valde similibus ad votum deserviunt. *Et pilosus clamabit alter ad alterum*. Pilosos, Græci *Panas*, Latini *Incubos* vocant. Horum forma ab humana effigie incipit, sed bestiali extremitate terminatur. Pilosi ergo nomine, cujuslibet peccati asperitas designatur, eo quod homo quasi in bestiam desinit, dum culpa per rationis imaginem inchoans, usque ad irrationabilem effectum trahit. Pilosus autem alter ad alterum clamat; dum perpetrata malitia, ad aliam perpetrandam nequitiam provocat, & quando sub aliqua ratiocinandi specie perversam mentem culpa subsequens, ex occasione culpæ præcedentis illaqueat. *Ibi cubavit lamia*. Lamia humanam habere dicitur faciem, sed corpus bestiale. *Isaiæ 34.* Sic omnis peccator apparet quidem specie homo, revera autem brutum est. Ericii nomine malitiosarum mentium defensio designatur: quia videlicet ericius cum apprehenditur, ejus & caput cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conspicitur, sed mox, ut apprehensus fuerit, semetipsum in sphæram colligit, pedes introrsus subtrahit, caput abscondit, & intra tenentis manum totum simul amittitur, quod totum simul ante videbatur. Sic nimirum, sic malitiosæ mentes sunt, cum in suis excessibus comprehenduntur; caput enim ericii cernitur; quia, quo initio peccator ad culpam accesserat, videtur; pedes ericii conspiciuntur; quia, quibus vestigiis nequitia sit perpetrata, cognoscitur. Et tamen adductis repente excusationibus, malitiosa mens introrsus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis suæ vestigia abscondit. Caput subtrahit, quia miris defensionibus, nec inchoasse se pravum aliquid ostendit, & quasi sphæra in manu tenentis remanet, quia is, qui corripit, cuncta, quæ jam cognoverat, subito amittens, involutum intra conscientiam peccatorem tenet; &, qui totum jam deprehendendo viderat, tergiversatione pravæ defensionis illusus, totum pariter ignorat. Foveam ergo ericius in reprobis habet; quia malitiosa mens, sese intra se colligens, in tenebris defensionis abscondit. Ecce quam magnum desertum est cor peccatoris, in quo Deus non habitat: & tamen, ut fuse sermone sequenti: clamat Deus in hoc deserto multimode; per beneficia, per prædicationem, per flagella, per vocem sanctæ inspirationis, (a) qui est maximus clamor. Bernardus (a): Verbum quippe est non sonans, sed penetrans. Job: *Porro ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus*. *Job 4.* Gregorius (b): Per verbum absconditum allocutio intimæ aspirationis intelligi potest, quæ nimirum aspiratio, humanam mentem contingendo, sublevat, & temporales cogitationes deprimens, æternis hanc desideriis inflammat. Ut nihil ei jam, nisi quæ superna sunt libeat, & cuncta, quæ inferius de humana perstrepunt corruptione, contemnat. Absconditum ergo verbum audire, est locutionem sancti Spiritus corde concipere. *Et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus*. Venas superni susurri auris cordis furtive suscipit, quia locutionis intimæ afflata Deo mens, & raptim & occulte cognoscit. Venas itaque divini susurri furtive audire, est occultos divinæ aspirationis modos tenuiter & latenter agnoscere. Isaias: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum. Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi Magistrum*. *Isaiæ 50.* Dilata: Quare homines nolunt conversari cum Deo? Cur nolunt audire talem Magistrum? Quare non præparant ei cathedram in corde? Psalmus: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum*. *Ps. 118. Psal. 93.*

VI. Ab hoc Magistro didicit Magnus Isidorus talibus lectionibus frequenter assuetus: ideo talis evasit discipulus. Dic primo: Magnos fuisse ex Hispania Martyres, & Confessores; sed ingenio & sapientia omnium ab initio Isidorus clarior. Litteras sæculares, & divinas, ut unus quatuor Doctorum scivit; & insuper donum Prophetiæ super cæteros Doctores habuit. Sicut Italia gloriatur Ambrosio & Gregorio, Africa P. Augustino, Gallia Bernardo; sic Hispania Magno Isidoro. Isidorus gloria est, & corona gentis nostræ, & nostræ nationis. Nescio, quare non ubique Templum ejus sit in Hispania. O quantum ei debemus! Primo: quia expulit virus sectæ Mahometanæ ab Hispania. Vide historiam. Secundo: quia Toletum ereptum est a Saracenis propter ipsum. Secundus ipse post sanctum Jacobum Patronus Hispaniæ est. Nam, cum Rex Alphonsus per septem annos urbem circumdedisset, & jam desperasset, levaretque castra, apparuit Isidorus Episcopo Leonensi, nomine Cypriano, ut mitteret ad Regem Nuntium, quod non levaret castra. Vigesima quinta die daretur ei civitas; & ita factum est.

IN

(a) In Cant. Serm. 31. num. 6. *Verbum nempe est non sonans, sed penetrans, non loquax, sed efficax, non obstrepens auribus, sed affectibus blandiens.*

(b) Hæc habet S. Gregorius lib. 5. cap. 28. & 29. Moral. in Job. Concionis hujus reliqua vix delineata sunt, ut legenti patet.

IN DOMINICAM QUARTAM ADVENTUS

CONCIO PRIMA.

DE QUADRUPLICI VOCE, QUA DEUS CLAMAT AD PECCATOREM.

Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini.
Lucæ 3. v. 4.

CONCIO XIII.

I. LITTERA Euangelica narrat tempus in quo cœpit prædicatio, & prophetia Baptiſtæ: ſub quibus principibus, & ſacerdotibus, more antiquorum Prophetarum. Deinde narrat, quid prædicabat: *Ego vox clamantis in deſerto*, *Iſaiæ 40.* ex auctoritate Iſaiæ. Et quoniam non intendimus immorari in littera, hæc ſufficiant. Circa thema duo dicemus. Primo loquemur de Voce iſta, quæ clamat in deſerto. Secundo, de Præparatione ad quam invitat. Deſertum hoc eſt peccator; habet enim deſerti conditiones, quia horridus eſt & incultus, nulla fruge commoda ſeminatus, generat ſpinas, & tribulos, ſentibus & vepribus denſis pravarum cogitationum & deſideriorum eſt obſitus undique, & fit habitatio beſtiarum ſilveſtrium, & ferarum, & ſerpentium, *Ibid. 34.* & ſcorpionum, ſicut ait Iſaias: *Erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum.* Denique nullus fructus in eo, niſi glandes porcorum; ſed ſolitudo, ſiccitas, ſterilitas, horror, & pavor. Quanta ſolitudo ubi Deus non eſt! Quanta ſiccitas ubi pluvia cœleſtis non cadit! Quanta ſterilitas ubi deeſt calor ſolis, & cultus ſpiritus! Huic deſerto non ceſſat Dominus loqui, ut convertatur & redeat. A die, qua incipit uti ratione, uſque ad ſepulturam non ceſſat clamare magna clementia. Ipſe offenſus, ipſe rogat, ipſe invitat. *Jer. 38.* Jeremias: *Interrogo ego te.* Et in Apocalypſi: *Prov. 1.* *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo.* Et in Proverbiis: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam. In capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba ſua, dicens: Uſquequo parvuli diligitis infantiam, & ſtulti, ea quæ ſibi ſunt noxia cupient?* Quærentes ſcilicet præcipitia ubi pereant. Sed quatuor voces ſunt principales, quibus Dominus loquitur huic deſerto; ſcilicet vox gratuitæ Donationis, vox exterioris Prædicationis, vox acerrimæ Correptionis, vox interioris Inſpirationis.

II. Prima vox eſt Beneficii, qua Deus tractat peccatorem primo benigne, & benevole. Dat ei ſalutem & bonos ſucceſſus temporalium, honores, divitias; & facit, ut ei omnia ad libitum ſuccedant, ſi forte convertatur, & dicat: Anima mea, ſerviamus tam bono & pio Domino, qui tam benigne nos tractat; qui pro tormentis tot largitur beneficia, & pro inferno quod meremur, dat nobis rerum temporalium abundantiam: ſed, ſicut ſcriptum eſt in Jeremia: *Non dixerunt in corde ſuo: Metuamus Dominum Deum noſtrum, qui nobis dat pluviam temporaneam & ſerotinam in tempore ſuo, plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis.* Et quidem, ſi boni eſſemus ad eum modum beneficiis acceptis reſipiſceremus; ſed quia mali ſumus, & perverſi, oppoſitum evenit: nam beneficiis & donis deteriores fimus, & amplius inſoleſcimus ſicut vilia mancipia; & ſuccedentibus proſperis obliviſcimur Donatoris, & ſuperbimus. *Proſperitas ſtultorum perdet illos.* Bene ſtultorum, nam ſi ſapientes eſſemus & cordati, magis nobis proficeret. O ingratitudo! O ferocitas filiorum Adæ! Et quibus verbis te exprimam? Omnes feræ ſentiunt beneficium, & beneficiis cicurantur, & manſueſcunt: videas leonem ferociſſimum ſuo magiſtro colludentem, & urſum indomitum jam cicurem & ludentem cum eo a quo paſcitur; & elephantem monſtruoſum obedientem ſeſſori Indo ut ovem manſuetam. Omnes beſtiæ benefactorem agnoſcunt, & beneficiorum gratiam reddunt. Tu ſolus homo rationalis, ut fera truculenta, ut vipera venenata, & baſiliſcus, paſcentem mordes, benefactori tuo adverſaris, non recognoſcis benefactorem tuum, blaſphemas & offendis. O ferocitatem ſupplicio ultimo dignam! Hanc vocem, quocumque te vertas, audis. Omnes creaturæ, ut ait P. Auguſtinus (*a*), quid ſunt niſi voces Dei? Clamat cœlum, o homo, ego tuis commodis, & utilitatibus volvor. Clamat ſol, o homo, ego te foveo, & illumino, ego terram tibi tempore veris velut paradiſum reddo, ad tuam recrea-

Prov. 1.

(*a*)

(*a*) In Pſal. 26. Enarrat. 2. num. 12. *Ipſæ ſpecies creaturarum voces ſunt quædam Creatorem laudantium.* Et Serm. 27. in Pſal. 118. num. 1. *Cœlum, & terra, viſibilia, & inviſibilia opera ejus dicunt quodam modo teſtimonium bonitatis, & magnitudinis ejus.*

recreationem, & consolationem. Clamat terra; ego tibi, homo, fructus, segetes, herbas, legumina, & cibaria præbeo. Et mare; ego tibi tot piscium genera profero. Agnosce Datorem, esto gratus Largitori: sed sumus sicut porci, edentes glandes capite demisso. Vox totius naturæ: Accipe, redde, cave. Si non esset aliud peccatum, sola ingratitudo sufficiebat ad infernum. Conqueritur Dominus: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Isaiæ 1.

III. Sed quia hæc vox obscura est, & non ab omnibus intelligitur; utitur Deus ad peccatorem secunda voce, scilicet, Doctrinæ, & Prædicationis, qua ipsum hortatur, ut redeat ad seipsum; vox enim prædicationis, non prædicatorum, sed Dei æstimanda est. Unde Joannes: *Ego vox clamantis*, scilicet, per me non clamans. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et iterum: *Qui vos audit, me audit.* Et Apostolus ad Thessalonicenses: *Gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei.* Hac voce non cessat vocare Deus frequentissime peccatores. Non itaque de nostro loquimur; sed tuba Dei sumus. Hac tuba vos excitat & vocat; sicut scriptum est in Psalmo: *Abyssus abyssum (a) invocat, in voce cataractarum tuarum.* Abyssus bonitatis, & misericordiæ Dei, abyssum iniquitatis, & malitiæ peccatorem invocat. *In voce cataractarum tuarum*, id est, nubium; nam prædicatores nubes sunt, qui totam terram animarum fidelium irrigant imbre, & pluvia doctrinæ Euangelicæ, ut fructificent fructus bonorum operum. Et licet multa in prædicatione dicantur, hæc tamen principalis intentio est: reducere ad Deum abyssum profundissimam peccatorum. Unde ad Prophetam dicit Dominus: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Ad hoc propositum facit: *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Et, *Si converteris, convertam te*, dicit Dominus ad peccatorem; ut sic invitatus animosius id peragat. *Misit Dominus ad vos omnes servos suos Prophetas, consurgens diluculo.* O misericordia divina! Quid tua interest? Meum est commodum, mea res agitur. Quantæ virtutis fuerit ista vox olim, omnes nostris. Hac enim voce prædicationis Deus ad se totum mundum convertit. Modo autem invalida est, rarus est peccator, qui hac voce resipiscat.

Jo. 1. Mat. 10. Lucæ 10. 1. Thess. 2. (a) Psal. 41. Isaiæ 58. Jer. 15. Ibid. 25.

IV. Propter quod Dominus nostris temporibus magis utitur tertia voce, scilicet, Castigationis. Excitat igitur Dominus peccatorem voce castigationis; quia enim non auditur vox beneficiorum, vox doctrinæ; ideo Dominus multiplicat plagas & adversitates, dat ægritudines, infortunia, afflictiones peccatoribus, ut redeant. Sic enim sopitos gravissimo somno, quando non audiunt voces, manu pulsantes excitare solemus. Sic facit Deus: si forte vexatio det intellectum. Sicut vulgariter dicitur: Malo suo edoctus stultus sapit. Sic olim Fratres Joseph in angustia positi cognoverunt peccatum suum, dicentes: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio.* Unde ista voce quidam excitantur, & convertuntur ad Dominum timore adducti. Sicut scriptum est: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*, scilicet, doloris & ægritudinis. Alii autem aperiunt oculos, dicentes: Heu! Peccavimus, male egimus, sed statim redeunt ad somnum suum. Alii excitantur, & surgunt proponentes relinquere peccata, concubinas, usuras, & confitentur: sed quotidie proponunt, & nunquam faciunt. Dicentes: Modo, ecce modo: expecta paululum & modo; & modo non habet modum. Et paululum in longum procedit, donec venit mors, & rapiuntur ad infernum. De quibus Isaias: *Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.* Alii autem tam lethargico somno tenentur, ut nec sic excitentur: & est miserabile, videre manum Domini aggravatam super eos, percutientem eos terribiliter, & ipsos somno peccati deceptos non corrigi, sed effrænatius peccare. Videas hominem leprosum, infamem, perditis facultatibus, multis plagis affectum, ut Pharaonem: & amplius induratur. *Percussisti*, inquit, *eos, & non doluerunt.* Et iterum: *Frustra conflavit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ.* Et Psalmus: *Dissipati sunt, nec compuncti.* Et Isaias: *Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem?* Væ nobis, Fratres, tales sumus hodie! O Domine! Quomodo aggravasti manum tuam super nos? Quot bella, quot flagella, quot infortunia! Et non est qui redeat, non est qui pœniteat; insensibiles facti sumus: & quo amplius percutimur, eo amplius desipimus. Propheta: *Non est qui consurgat, & teneat te.* Isaiæ 28. Isaiæ 28. Exodi 8. Jer. 5. Ibid. 6. Ps. 34. Isaiæ 1. Ibid. 64.

V. Quid

(a) Simili utitur interpretatione S. P. Augustinus Enarr. in Psal. 41. num. 15. *Abyssum invocant sancti Prædicatores verbi Dei;* & post pauca: *Ergo omnis homo, licet sanctus, licet justus, licet in multis proficiens, abyssus est, & abyssum invocat, quando homini aliquid fidei, aliquid veritatis propter vitam æternam prædicat. Sed tunc est utilis abyssus abysso invocatæ, quando fit in voce cataractarum tuarum. Abyssus abyssum invocat homo hominem lucratur; non tamen in voce sua, sed in voce cataractarum tuarum.* Non aliter S. Bernardus Serm. 4. de Assumpt. Virg. num. 3. *Abyssus abyssum invocat. Abyssus luminis, & misericordiæ, abyssum miseriæ, & tenebrarum.*

V. Quid reſtat huic peccatori tam proterVo, & indurato, niſi quarta vox potentiſſima Inſpirationis? de qua Pſalmiſta: *Vox tonitrui tui in rota*, id eſt, peccatore. Peccator enim rota, qua volvitur & involvitur. Itaque vox in rota, ut ceſſet rotari in peccatis. Bene dicitur tonitruum: quia fortiſſima eſt, & quæ ſufficiat penetrare aures quantumvis ſurdas. Apoſtolus: *Vivus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum*. Bernardus (*a*): Vox eſt non ſonans, ſed penetrans: non loquax, ſed efficax: non auribus obſtrepens, ſed affectibus blandiens. Huic voci non eſt duritia, quæ poſſit reſiſtere; quia ſcriptum eſt: *Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram?* Et Pſalmiſta: *Intonuit de cœlo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam, grando, & carbones ignis*. Jeremias: *Factus eſt mihi ſermo Domini, in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſuſque in oſſibus meis: Et defeci, ferre non ſuſtinens*. Et Sponſa: *Vox Dilecti mei*. Hæc vox convertit Paulum, Matthæum, Magdalenam, & Publicanum. Sed valde notandum eſt, quod ait: Ignis, & malleus, grando, & carbones. Quia dupliciter loquitur Deus ad animam. Nam quædam eſt vox interioris amoris & inflammationis, qualis fuit illa Magdalenæ; cum Deus intus mittit ſcintillam amoris, & devotionis, & inflammat animam in ſuum amorem, ut redeat: de qua Pſalmiſta ait: *Ignitum eloquium tuum vehementer*. Sicut Diſcipuli dixerunt: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* Et Sponſa: *Anima mea liquefacta eſt, ut* Dilectus *locutus eſt* mihi. Et hæc deſignatur per ignem, & carbones ignis. Alia vox eſt interior acris & fortis, terribilis increpationis, & redargutionis, qua Deus peccatorem redarguit, & redarguendo convertit. Sicut fuit forſitan illa Pauli: *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*. Et iterum: *Ego oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati*. Et hæc deſignatur per grandinem, & malleum. Hæc, Fratres, dico vobis fortiſſima eſt. Et quis poterit eam ſuſtinere? Arguit enim ut Deus. Dico vobis, facilius eſt ſuſtinere omnem mundi redargutionem; alligatum ſtare columnæ publice in medio foro coram toto mundo, nihil eſt ad hanc redargutionem. Unde Pſalmiſta: *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus; propter iniquitatem corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus*. Hæc increpatio oſſa hominis comminuit, ſicut ait Job: *Increpat quoque per dolorem in nocte, & omnia oſſa ejus marceſcere facit*. Intolerabilis eſt, Fratres, ſi experti eſtis: ſed amabilis, & deſiderabilis. Unde Pſalmiſta: *Ad te Domine clamabo, Deus meus ne ſileas a me: ne taceas a me*. Volo affligas, volo arguas. Hoc enim magni amoris ſignum eſt, ſicut ipſe ait: *Ego quos amo, arguo, & caſtigo*. Unde pater filium legitimum hæredem delinquentem arguit, increpat; ſed ſpurium abire ſinit. Magni amoris, & electionis æternæ ſignum eſt, quando hominem redarguit, increpat, neque ſinit quieſcere, donec exeat a peccato. Sicut prima vox intime ſentitur, & cum adeſt, inurit, ac depingit in anima ſubito memoriam beneficiorum divinorum, ſtimulando ad amorem, & pudefaciendo nos ob non amatum Deum; ſic hæc ſecunda imprimit terrorem timoris incomparabilis Domini. Si vani alicujus terriculamenti metus horrorem incutit, quia eſt ſuperior a natura: quid illa viſio increpationis Dei, ut nos tremore contrahat? Nunquam ne ad judicium vos vocari ſomniaſtis? Sunt enim hæc ſomnia velut veſtigia religioſi ſermonis interdiu habiti. Hac voce attrahit Deus animam citra coactionem ullam, arreptam tamen. Væ miſeris, qui in peccatis gelati ſunt. Sicut ſcriptum eſt: *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum*. Hanc vocem, Fratres, petamus, hanc poſtulemus in hoc Paſchate pro Principibus noſtris, ut loquatur Dominus pacem in plebem ſuam, & inſpiret eis concordiam, & Paſtoribus noſtris, ut intendant Eccleſiæ reformationi. Nam, ut videtis, totum periit (*b*). Et, ſi non fuerit ſecuta Eccleſiæ aliqua reformatio, non eſt ſpes melioris ſtatus.

VI. Ecce voces, Fratres, quibus Deus loquitur ad deſertum. Nos audivimus Apoſtolum admonentem: *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, ſicut fecerunt illi, quibus juravit in ira ſua, *ſi introibunt in requiem meam*. Propter ſolam duritiam: nam cor durum male habebit in noviſſimo. Sed quid dicit omnibus iſtis vocibus, audiamus: *Parate viam Domini*. Non petit grandia, non difficilia; non, ut ditemus nos donis, & gratiis: nam ſuum eſt ditare cor, ut nos præparemus, ut nos diſponamus. Nam & hominis eſt, Deo prævenienti parare cor, ſed Dei eſt perficere, ut non reſiſtamus ei, volenti ingredi in habitaculum cordis noſtri. *Parate*, inquit, *viam Domini*. Hoc ſufficit, ne reſiſtatis. Vide, quia dicit: Quia *Sto ad oſtium & pulſo*. Rogat majeſtas, ut accipias, ut aperias. *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea*. Quanta perverſitas! Quanta cæcitas! Nolle aperire, nolle hoſpitio recipere! Hoc ſufficit, ne reſiſtatis. Tollite petras, & ſcopulos, & ſpinas viarum veſtrarum: tollite peccata horrenda, rixas, diſſenſiones, odia, inimi-

(*a*) Serm. 31. in Cantica. Quæ verba ſermone quoque præcedenti allegata ſunt.

(*b*) Indicat S. Orator infelicem ſuorum temporum conditionem; nondum enim promulgata fuerant ſalubberrima Concilii Tridentini decreta, quibus optima ſubinde reformatio inſtaurata eſt. Obiit ſiquidem Sanctus noſter anno 1555.; Concilium vero Tridentinum nonniſi anno 1563. abſolutum fuit.

inimicitias, uſuras, ſimonias, adulteria, furta, invidias, ſuperbias: nam peccata diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum. Mundate conſcientiam ſcopis Confeſſionis: rigate, & purgate lacrymis, & bonis deſideriis & contemplationibus ornate, & orationum fragrantia ceu ſuffitu fumigate: & in ſatisfactionem peccatorum veſtrorum aliqua jejunia, vel vigilias offerte, & eleemoſynas non habentibus date. Hæc enim præparatio ſedis Dei, ut ait Pſalmus: *Juſtitia & judicium præparatio ſedis tuæ*. Hæc ſi feceritis, ipſa Majeſtas dignabitur venire & inhabitare corda veſtra, & implebit omnibus bonis, & gaudio, & lætitia in præſenti animas veſtras. Ego quidem meam libenter aſtringo vobis fidem, quod feliciter hæc paſchalia ſolemnia Deo authore ſuccedent illi, qui Deum ipſum cordis hoſpitio ſuſceperit. Inibit in gratiam, & poſtmodum intrabit in gloriam; ad quam nos perducat Dominus Deus noſter, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

Iſaiæ 59.

Pſal. 88.

IN DOMINICAM IV.

ADVENTUS

CONCIO SECUNDA.

DE POSSIBILITATE PRÆPARATIONIS VIÆ DOMINI, ET QUOMODO.

Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini. Lucæ 3. v. 4.

CONCIO XIV.

I. CUm Rex aliquis primo ingreſſurus eſt civitatem, ſolent cives, ſi difficilis eſt via, eam ſternere. Joannes Legatus clamat. Ecce advenit Dominus. Ite, parate viam, implete foſſas, alta ſternite, dirigite diſtorta, aſpera & petroſa planate. Nobis ſervis hoc dicitur. Ad Virginem: Adorna thalamum tuum Sion, *Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende. Ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clavos tuos conſolida.... Semen tuum gentes hæreditabit, & civitates deſertas inhabitabit.... Quia dominabitur tui, qui fecit te.*

Lucæ 3.

Iſaiæ 54.

AVE MARIA.

II. *Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode: Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abiliniæ tetrarcha. Sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha: Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem, Zachariæ filium, in deſerto. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Diligenter Euangeliſta initium prædicationis Joannis deſcribit. Quo tempore, quo Imperatore, quo Præſide, quo Pontifice. Ut ſolitum fieri, etiam in aliis Prophetis. In Iſaia: *Viſio Iſaiæ filii Amos, quam vidit ſuper Judam & Jeruſalem, in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, & Ezechiæ Regum Juda.* Jeremia: *Verba Jeremiæ filii Helciæ de ſacerdotibus qui fuerunt in Anathoth, in terra Beniamin. Quod factum eſt verbum Domini ad eum in diebus Joſiæ filii Amon Regis Juda, in tertiodecimo anno regni ejus. Et factum eſt in diebus Joachim filii Joſiæ Regis Juda, uſque ad conſummationem undecimi anni Sedeciæ, &c.* Baruch: *Verba libri, quæ ſcripſit Baruch filius Neriæ, filii Maaſiæ.... In anno quinto, in ſeptimo die menſis, in tempore quo cœperunt Chaldæi Jeruſalem, & ſuccenderunt eam igni.* In Ezechiele: *Et factum eſt in trigeſimo anno, in quarto, in quinta menſis, cum eſſem in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti ſunt cœli, & vidi viſiones Dei. In quinta menſis, ipſe eſt annus quintus tranſmigrationis Regis Joachim, &c.* In Oſea: *Verbum Domini quod factum eſt ad Oſee filium Beeri, in diebus Oſiæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ Regum Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas Regis Iſrael.* Quod idem in aliis promiſcue Prophetis reperire eſt. At, quorſum ſeorſim ſingula in Prophetis enumerantur? Gregorius (*a*): Uſus propheticæ locutionis eſt, ut prius perſona, tempus, locuſque deſcribatur, & poſtmodum dicere myſteria prophetiæ inchoentur. Quatenus ad veritatem ſolidius oſtendendam, ante hiſtoriæ radicem figant, & poſt fructus ſpiritus, per ſigna & allegorias proferant.

Lucæ 3.

Baruch 1.

Ezechielis 1.

Oſee 1.

(*a*)

III. Ut igitur Joannis prædicationem confirmet, aliorum Prophetarum veſtigiis inhæret. *Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam, &c.* Diviſum erat jam Regnum Judæorum, & ita jam prope finem. Dic de bono concordiæ, & de malo diſcordiæ. Hieronymus (*b*): Concordia parvæ res creſcunt, diſcordia etiam maximæ collabuntur. Roma propter civiles diſcordias periit. Propheta: Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt. Empedocles (*c*): Concordia bonorum eſt principium, gravioris

Lucæ 3.

(*b*)

Oſee 10.

(*c*)

(*a*) Nonnihil differunt S. Gregorii verba in Ezechiel. lib. 1. Homil. 1. initio: *Uſus*, inquit, *propheticæ locutionis eſt, ut prius perſonam, tempus, locumque deſcribat, & poſtmodum dicere myſteria prophetiæ incipiat; quatenus ad veritatem ſolidius oſtendendam, ante hiſtoriæ radicem figat, & poſt fructus ſpiritus, per ſigna, & allegorias proferat.*

(*b*) In Matth. lib. 2. cap. 2. *Non poteſt regnum, & civitas contra ſe diviſa perſtare; ſed quomodo concordia parvæ res creſcunt, ita diſcordia maximæ dilabuntur.* Ipſa ſunt Micipſæ verba apud Saluſtium Bell. Jugurth. *Equidem ego regnum vobis trado firmum, ſi boni eritis, ſi mali, imbecillum. Nam concordia parvæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur.*

(*c*) Ad Empedoclis philoſophicum ſyſtema reſpicit, qui, teſte Plutarcho de placit. Philoſ. lib. 2. cap. 3., *elementa quidem quatuor eſſe dixit, duas vero principales potentias, amicitiam, & diſſidium: harum illam eſſe conjunctivam, hoc diſſociativum.* Et lib. de Homero: *Empedocles univerſa conſtare dixit, vinculo amicitiæ coaleſcant cum modo cuncta, diſſidii in diverſa alias cum pondere vergant, ſingula.*

ris discordia principium corruptionis posuit. Dominus: *Regnum divisum desolabitur*. Ad Jerusalem: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ.* Erat tunc Joannes triginta annorum. Totum illud tempus in cilicio, & contemplatione, & vita cœlesti expleverat. Implens quod Propheta ait: *Sedebit solitarius, & tacebit: quia levavit super se*, recogitando in spiritu, & sapientia. Qualis vox, qualis sapientia, quam viva: nos vero priusquam incipiamus cognoscere, statim populorum magistri efficimur, & prius refundimus, quam infundimur. Psalmus: *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt*, scilicet populis, *& justitia tua exultabunt*, id est vita perfecta. Hæc duo in prædicatore debent esse, gustus, & bonitas; alias quomodo tepidus & frigidus inflammabit? Job incusat ambitionem hypocritarum similitudine junci, quæ simul nascitur & germinat, dicens: *In ortu suo germen ejus egredietur*. Quid autem clamet, audiamus: *Parate viam Domini*, in corde: *Rectas facite semitas ejus*, in opere: *Iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi*. Si infirmi, si peccatores, nolite diffidere: *Iter facite ei*. Ipse super occasum ascendit, ipse clementia vicit peccatum. Ecce jam adveniet e cœlo, & totus mundus evertetur, dejecti in profundum levabuntur, exaltati humiliabuntur, cæci illuminabuntur, videntes cæcabuntur, qui longe, approximabunt, qui prope, elongabuntur, cultores idolorum sapientia & lumine repleti, efficientur cultores Dei vivi, & qui cultores, efficientur blasphemi. Distracti gentium mores, & depravatæ consuetudines Euangelica regula reformabuntur, & aspera via cæremoniarum tolletur, & via alia levis & suavis in libertate statuetur. Siquidem, ut Virgo illa Prophetarum Regina cecinit: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*. Sic olim promissum fuerat: *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet Desideratus cunctis gentibus*. Siquidem Sapientia Dei quærens drachmam everrit totam domum. Fundimus hic semina labore, & videbit omnis caro per fidem Salutare Dei in terris.

Luc. 11. Mat. 23. — Luc. 3. — Thren. 3. — Ps. 144. — Job 8. — Luc. 3. Ps. 76. — Luc. 1. — Aggæi 2. — Luc. 15. Isaiæ 52.

IV. Sed quæritur, an sit nostrum præparare viam Domino? S. Thomas Quodlibeto primo, articulo septimo quærit: An homo absque gratia, per solam naturalem arbitrii libertatem possit se ad gratiam disponere? Primo recitetur error Pelagii, qui dicebat, favens arbitrio, quod sufficit homini arbitrium ad surgendum a peccato. Secundo, ad justificationem. Tertio, ad gloriam promerendam; contra quem est auctoritas. De Primo: *Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit elisos*. De Secundo: *Justificati gratis per gratiam ipsius*. Et Job: *Vere scio, quod ita sit, & quod non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille*. De Tertio: *Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Et alibi: *Gratia autem Dei vita æterna*, non ex merito nostro. Non ergo possumus vitam æternam sine gratia mereri. Sed, an homo possit se ad gratiam disponere sine speciali auxilio Dei; Durandus (*a*) in secundo dicit quod sic. Nam duplex est bonum, morale, & meritorium. Ad meritum non sufficit arbitrium, tamen ad virtutem sufficit: quælibet enim potentia, vel virtus potest in propriam operationem ex se, ut ignis calefacere, & aqua infrigidare, & arbor germinare. Cur ergo voluntas in bonos actus suos non erit sufficiens cum sola Dei influentia generali? Optima ratio physica. Sed tamen oppositum tenent SS. Thomas (*b*), P. Augustinus, & Bernardus: quod ad nullum actum bonum sufficit arbitrium, nisi motum a Deo. Imo, sicut cultellus quantumcumque acutus non scindet, si manus eum non moveat; ita voluntas, si non moveatur, non aget bonum. Apostolus: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis*. Item: *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*. P. Augustinus: Si de nostro loquimur, mendacium loquimur. *Omnis homo mendax*. Bernardus: Sciant inimici gratiæ, absque gratia nec ad cogitandum bonum sufficere cor humanum; *sed sufficientia nostra ex Deo est*. Ut quid igitur dices: Hortamur parare cor, si non sufficimus? Solutio. Plura sunt in nostra potestate, quæ soli non possumus agere sine adjumento. Exemplum. Oculus sine lumine non videbit parietem, tamen in potestate ejus est videre, & non videre; sic auxilium suum Deus in nostra posuit potestate, paratus semper concurrere nobis volentibus uti auxilio suo.

Ps. 145. — Rom. 3. — Job 9. — Rom. 8. — Ibid. 6. — (a) — 2. Cor. 3. — 1. Cor. 12. — Ps. 115. — 2. Cor. 3.

V. Quomodo ergo parabitur? Quatuor modis. Primo: *Omnis vallis implebitur*. Impleantur fossæ, ideſt desideria carnalia. Claudantur hæ fossæ a dæmonum inspiratione. *Effodiant eam corvi de torrentibus*, ideſt dæmonibus.

Luc. 3. — Prov. 30.

(*a*) Durandi opinionem, ejusque fundamenta, quæ obiter, & ex parte tantum attingit S. Orator, integre exponit, & confutat Suarez lib. 2. de caus. Prædest. cap. 7. part. 3. de Grat., ubi aliorum etiam hac in re sententias expendit.

(*b*) Ejus in hac parte testimonia repeti solent ex 2. 2. quæst. 136. art. 3., & quæst. 24. de Verit. art. 14. Quæ vero paulo infra adducuntur, S. P. August., & S. Bernardi sententiæ habentur, illius quidem Serm. 254., alias de tempore 151.; hujus autem Serm. 32. in Cant. De his passim Scholastici, a quibus diversimode explicantur pro opinionum diversitate. Plures enim tuentur hominem in statu naturæ lapsæ cum solo concursu Dei generali ordinis naturalis, posse aliqua opera moralia, & honesta efficere, quæ bona sint honestate, & bonitate naturali, quamvis aliunde ad gratiæ præparationem nullatenus pertinere fateantur.

nibus. Et Psalmus: *Incensa igni, & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt.* Vitia spiritualia, secundum S. Thomam (*a*), majoris sunt culpæ & malitiæ, quam carnalia in se sumpta; sed tamen nullum vitium est, quoad sequentia & effectus, quæ sic noceat animæ, sicut vitium carnis. Anima efficitur bestialis, nullus spiritus, nulla devotio, nec timor Dei. Avarus, & superbus, & iracundus timent Deum, orant; luxuriosus omnino corruptus est sensu, & judicio. Quis audeat invitare Infantem, mundissimum Filium Virginis, ad cloacam conscientiæ suæ? In Canticis dicitur: *Ecce tu pulcher es Dilecte mi, & decorus. Lectulus noster floridus.* Bernardus (*b*): Quam pulcher es, o bone Jesu, Angelis tuis, in forma Dei, in die æternitatis tuæ! Secundo: *Omnis mons & collis humiliabitur.* Oportet montes sublimes, idest ambitiones, & elationes superborum humiliari. Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem corde? Tertio: *Erunt prava in directa.* Distorta rectificanda sunt: intentiones dirigendæ. Multum refert, Fratres. Duo genera peccatorum: quorundam intentio & desiderium rectum, sed opus distortum ex fragilitate & pusillanimitate. Isti facile rectificantur; sana sunt ossa, & non est putrefacta medulla: alii vero & opere & intentione torti sunt. *Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est Omnipotens, ut serviamus ei? Et quid nobis prodest, si oraverimus illum? Vanus est qui servit Deo. Et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum?* Qui inierunt fœdus cum morte, & cum inferno fecerunt pactum. De quibus Psalmus: *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Et iterum: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Perversi & pravi, & quos solus Deus potest rectificare, quia omnino corrupti sunt. Multi credunt se habere cor rectum ad Deum, & non habent; sed ficti ambulant in hypocrisi, & mendacio: ore laudantes, & corde mortui, de quibus Psalmus: *Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus*; scilicet in die, quando *illuminabit* Deus *abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, ut dicitur in Epistola. O quot torti reperientur in illo stricto examine, qui de rectitudine modo gloriantur! Fratres, intremus cor nostrum, & interrogemus nosmetipsos, & probemus, & judicemus, quærentes a corde: quid amamus, quid quærimus, qua intentione agimus bona, propter quid fugimus mala? An recta via ferantur desideria nostra, an torta sit? Ad hoc dantur aliquæ regulæ.

VI. Prima Regula: Qui timore pœnæ temporalis, vel verecundia, & propter suam famam se abstinet a malo, hic non est rectus corde. O quot sunt tales! Si esset plena libertas, non esset punitio; quam pauci boni Christiani! Multi solo timore & verecundia, recta habent exteriora: & licet via operum recta in oculis hominum, cor autem tortum est.

Secunda Regula: Qui solum timore pœnæ infernalis abstinet a peccato, non est rectus. P. Augustinus (*c*): Hic non timet peccare, sed ardere. Non erit tibi grata uxor, quæ solo timore mortis non adulteratur.

Tertia Regula: Qui sola cupiditate boni temporalis, & spiritualis vivit Deo, non est rectus corde. Mercenarius enim est: se diligit, non Deum. Exemplum de amico ingrato fundato in interesse.

Quarta Regula: Qui timore offensæ Dei servat præcepta, quæ tamen non diligit, (debet enim non sic fecisse præcepta) non est rectus omnino.

Quinta Regula: Qui amore solo, & ne displiceat Deo servat præcepta, & ipsa diligit, hic rectus est corde. Psalmus: *Ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion.* Cassianus (*d*): Non est castus, qui non plus diligit munditiam, quam carnis voluptatem. Quarto: *Aspera in vias planas.* Oportet dura mollire, id est inveterata vitia. *Cor durum habebit male in novissimo.* Si hic inspiratione & flagello non lenitur, ibi mallei infernales conterent eum. Psalmus: *Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti.* Imo, ibi magis obstinabuntur percussione, ut incus. Job: *Cor ejus indurabitur tamquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.* Ad scindendas rupes ad faciendum iter, tria: Ignis, Acetum, Securis, & Ascia. Ita cor durum, ut paret viam Domini, ad conterendas asperitates criminum, tria: Ignis devotionis. *In meditatione mea*, idest recordatione peccatorum, *exardescet ignis* devotionis. Acetum lacrymosi doloris. *Potasti nos vino compunctionis.* O quam fortis lacryma compunctionis! Bernardus (*e*): Culpam, quam

Psal. 79. (*a*) *Cant.* 1. (*b*) *Lucæ* 3. *Ibidem.* *Job* 21. *Malach.* 3. *Isaiæ* 28. *Psal.* 16. *Ps.* 113. *Psal.* 77. 1. *Cor.* 4. *Ps.* 118. (*d*) *Lucæ* 3. *Eccli.* 3. *Psal.* 17. *Job* 41. *Psal.* 38. *Psal.* 59. (*c*) (*e*)

(*a*) 1. 2. quæst. 73. art. 5. ad 3. *Unde quodammodo per ista peccata homo brutalis redditur.*

(*b*) In Cant. Serm. 45. num. 9. *Quam pulcher es Angelis tuis, Domine Jesu, in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus Sanctorum ante Luciferum genuitus, &c.*

(*c*) Variis in locis de servili timore agit S. P. Augustinus, sed uberius tract. 43. in Joann. & tract. 9. in Epist. Joann., necnon Epist. 140., alias 120. ad Honorat., quibus in locis Mulieris adulteræ exemplum ponit. Citata Epist. *Nam & conjux*, inquit, *quæ adulterinum animum gerit, etiamsi timore viri non adulterium perpetrat, tamen quod deest operi, inest voluntati.* Plura de timore servili, & filiali congerit Magist. 3. sent. dist. 34. quæst. 2. ubi præcitata S. P. testimonia adducit.

(*d*) Nullam esse corporis castitatem absque puritate cordis, qua plus diligatur munditia, quam voluptas, tradit Cassianus lib. 6. instit. cap. 12. & 20., ubi celebrem S. Basilii sententiam memorat: *Et quidem flagitium vitavi fornicationis; at munditiæ virginalis florem arcana cordis cogitatione fœdavi.* Vide collat. 12. cap. 2. post medium.

(*e*) Serm. 28. de divers. *Utinam magis nunc daret quis capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum: forte enim non reperiret ignis exurens, quod interim fluens lacryma diluisset.*

quam hic non laverit lacryma, aduret flamma. Securis & aſcia. Gemitus, ſcilicet, & ſuſpiria profunda & acuta. Pſalmus: *In ſecuri & aſcia dejecerunt eam*. Sic Annibal (*a*) in Apenninis fecit illud iter.

Pſal. 73. (*a*)

IN DOMINICAM IV. ADVENTUS CONCIO TERTIA.

DE VERBO, ET VIA DOMINI, EAQUE PLANANDA.

Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem. Lucæ 3. v. 2.

Erunt prava in directa, & aſpera in vias planas. Ibid. v. 5.

CONCIO XV.

I. IN Euangelio ſuo Lucas, de Joanne, de quo alii Euangeliſtæ tam multa dixerunt, ſolum dixit: *Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem*, & hoc uno verbo omnia comprehendit. Utique factum eſt verbum in Joanne, qui illius Verbi vox erat: ut intus formaret vocem, & exterius ſonaret, exterius mirabiliter tonaret. Factum erat verbum in Joanne antequam naſceretur, cum Verbum in utero agnovit, ſicut ſcriptum eſt: *Priuſquam te formarem in utero, novi te*. Sed *anno quintodecimo, factum eſt verbum* ad hominem per Joannem, & *ſuper Joannem*. Non vacat myſterio, quod dicitur; *verbum ſuper Joannem*. Nam omnia ejus facta, & opera, & veſtis ipſa, verbum erant: verbum erat cibus, verbum veſtis, verbum zona: omnia myſtica & prophetica. Pœnitentiam loquitur verbo, pœnitentiam loquitur facto. Myſtice autem, veſtis camelorum hirſuta, ſignificat peccata noſtra, quæ Verbum ſuper ſe poſuit. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*. Zona ſignificat corpus mortalitatis deponendum in Cruce. Mel ſilveſtre ſignificat ſpiritum, qui clauſus in lege tenebatur diffundendum in campis, & ſilvis gentilitatis: *Invenimus eam in campis ſilvæ*. Quod autem mel ſpiritus ſit, patet; nam dicitur: *Spiritus enim meus, ſuper mel dulcis*.

Lucæ 3. Iſaiæ 53. Pſ. 131. Eccli. 24.

II. *Parate viam Domini*. Quæ ſit iſta via oſtenditur, cum ait: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum*. P. Auguſtinus (*b*), in libro de Civitate Dei, ait: Miſericordia Dei pœna tranſit in arma virtutum. O magna miſericordia! Factum eſt præmium peccati ſupplicium. Quis audivit tale? Punitur reus pro peccato ſuo, & ipſum ſupplicium, acceptatur in ſervitium. Via ergo facta eſt pœnitentia, quæ ducit ad vitam. Sed in fine ampliſſimos habet fructuum campos, & lætitiæ, & gaudii ſempiterni. Dominus noſter tranſivit per iſtam viam, & reliquit ſigna, ut non perdamus, vel deviemus a via. Quod ſi non poſſumus nos ex imbecillitate noſtra ire per viam, faciamus ſicut hedera; quæ, ſecundum Iſidorum (*c*) in Ethymologiis, ideo dicitur hedera, quaſi ab inhærendo arboribus. Nam per ſe non valet creſcere, ſed ſuſtentata a ramis, augetur in immenſum, & diffunditur. Via etiam mandata Dei ſunt: *In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas. Viam mandatorum tuorum cucurri. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*. Et, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Ambroſius (*d*): Eva, cum accepiſſet mandatum, & dictum eſſet: In quocumque die comederitis, morte moriemini; dixit: *Ne forte moriamur*. Ecce, quomodo non nimis cuſtodiebat! Et ideo dæmon auſus eſt eam tentare, videns eam tepidam in mandato. Qui autem vadit per viam, debet figere ſolicite aſpectum in rectitudinem, & exitum, ſive finem viæ. Figura itinerantis per viam, ſagitta, quæ recta tendit in ſcopum. Ideo Salomon dicit: *Sapientis oculi in capite ejus*. Quis eſt Sapiens, niſi Juſtus? Nam omnis peccator eſt ſtultus; pro eo quod æterna bona pro temporalibus commutat. Oculi ergo Sapientis, id eſt Juſti, in capite. Et oculi ſtultorum, nonne etiam in capite? Utique non; ſed in terra, non in Capite Criſto. Si ergo in hac vita, qua in via ſumus, qua ad patriam tendimus, non vis perdere viam, fac quod dicitur: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam a dextris eſt mihi, ne commovear*. Bernardus (*e*), ſuper illud:

Lucæ 3. Mat. 3. (*b*) (*c*) Pſ. 118. Mat. 19. (*d*) Gen. 2. Ibid. 3. Pſal. 15. (*e*)

(*a*) Quo artificio Annibal, ut Italiam invaderet, inter inacceſſas rupes commodam militibus viam paraverit, deſcribit T. Livius Dec. 1. lib. 1. *Inde ad rupem minuendam, per quam via una eſſe poterat, milites ducti: cum cædendum eſſet ſaxum, arboribus circa immanibus dejectis, detruncatiſque, ſtruem ingentem lignorum faciunt, eamque, cum & vis venti apta faciendo igni coorta eſſet, ſuccendunt, ardentiaque ſaxa infuſo aceto putrefaciunt; ita torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque anfractibus modicis clivos, ut non jumenta ſolum, ſed elephanti etiam deduci poſſent*.

(*b*) De Civit. Dei lib. 21. cap. 13. *Cæteræ omnes pœnæ ſive temporariæ, ſive ſempiternæ, ſicut unuſquiſque divina providentia tractandus eſt, inferuntur vel pro peccatis ſive præteritis, ſive in quibus adhuc vivit ille, qui plectitur, vel pro exercendis, declarandiſque virtutibus*.

(*c*) Etymolog. lib. 17. cap. 9. *Hedera dicta, quod arboribus reptando adhæreat, de qua Virgilius: Inter victrices hederam tibi ſerpere lauros*.

(*d*) Nihil tale apud S. Ambroſium hactenus inveni, immo ubi is ex profeſſo de hoc agit, nimirum lib. de Paradiſo cap. 12., verba Scripturæ adducit, juxta lectionem, in qua τὸ *forte* non habetur. *Et dixit mulier ſerpenti: ex omni ligno Paradiſi manducabimus: de fructu autem ligni, quod eſt in medio Paradiſi, dixit Deus: non manducabitis ex eo, neque tangetis ex eo, ne moriamini*. Ruperti Abbatis ea eſt adnotatio in Gen. lib. 3. cap. 5., ubi tripliciter divinum mandatum ab Eva corruptum aſſerit, ſcilicet appoſitione, diminutione, mutatione. *Diminuit vero*, inquit, *quia cum certa, & affirmativa enuntiatione dixerit Deus: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris; hæc dubium, vel frivolum volens eſſe illud, ne forte, inquit, moriamur*. Eſt etiam S. Bernardi Serm. 1. in Annunt. B. Mariæ num. 8., & Serm. 22. de diverſ. num. 3.

(*e*) Ipſa ſunt S. Bernardi verba Serm. 21. de diverſ. num. 1. uſque ad ea: *donant ſuavitatem*.

lud: *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas.* Viæ, inquit, Domini viæ rectæ, viæ pulchræ, viæ plenæ, viæ planæ. Rectæ ſine errore, quia ducunt ad vitam. Pulchræ ſine ſorde, quia docent munditiam. Plenæ multitudine, quia totus jam mundus eſt intra Chriſti ſagenam. Planæ ſine difficultate, quia donant ſuavitatem. *Sap. 10.*

III. *Et erunt prava in directa, & aſpera in vias planas.* Dices: Quomodo oporteat mundare conſcientiam per confeſſionem, & de devotione quam debent habere in iſto Feſto. Arca Domini deaurata foris & intus, in qua erant Vina, & Liba, & Virga. Multo magis tua conſcientia, in qua Rex cœleſtis habitaturus eſt, debet eſſe deaurata foris per exemplum boni operis, intus per bonarum cogitationum, & deſideriorum munditiam. Apoſtolus: *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* O mira res! Dominus habitat in corpuſculo, & in ſpiritu noſtro. Ezechiel: *Fili hominis, locus ſolii mei, & locus.... ubi habito in medio filiorum Iſrael in æternum.* Et iterum: *Habitabo in medio eorum ſemper:* & habitabo in eis, & deambulabo in eis. Ecce latitudinem conſcientiæ bonæ per Dei amorem. Dices: reprehendendo ludos vanitatum, bacchanalia, ebrietates; non enim ſic colitur Deus. Iſaias: *Væ, qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis veſtris: & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis. Propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino.* Hei! *Opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis.* Sic dilexiſti me, Domine, talia feciſti pro me; & ego obliviſcar tui? Quis de populo talia pro me feciſſet, & ego non perpetuo veſtigia pedum eorum oſcularer, non perpetuo ei me traderem? Et humiliavit ſe illa majeſtas, & nemo eſt, qui recolat, & recordetur. Væ mihi miſero! Ad omnia mihi cor ſuperabundat; ad te ſolum mihi deeſt! In diligendis vanitatibus fræno egeo, continue, & ſolicite cor meum eradicans ab eis; & te ſolum Deum meum, cui totum debeo, non diligo. Fateor, Domine, fateor; etiamſi nullum contra te peccatum commiſiſſem, dignus morte perpetua, & inferno ſum propter ingratitudinem hanc & oblivionem: *Propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino.* Nolite ergo, Fratres mei, ſicut ad hoc tempus, feſtivitatem celebrare; ſed intrate cordis intima, & conſiderate myſteria charitatis Dei erga nos: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione; ſed induimini Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum,* qui noſtram fragilitatem indutus eſt, & *carnis curam ne feceritis in deſideriis veſtris.* Alioqui: *Væ, qui conſurgitis mane ad ebrietatem.... Propterea infernus.... aperiet os ſuum abſque ullo termino.* Dic: Quomodo Angeli deſcendant ad noſtram ſolemnitatem. Et, ſicut tunc factum eſt cum paſtoribus vigilantibus, ita etiam ſe permiſcent læti, & jucundi vigilantibus in oratione; & decorant ſponſam Animam, & ornant eam, & inflammant. Sed forte tepidus es, nec ſentis intra te iſtud gaudium ſpiritale? Accipe ergo conſilium meum, imo Joannis in Apocalypſi: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum.* Quomodo emes a Deo? Da temporale gaudium, & accipe ſpiritale. Ecce menſa tua abundat dapibus, & qui juxta te habitat pauper & mendicus triſtis eſt, nec habet unde parvulis filiis porrigat, ut lætentur & ipſi. In hac fame qualis triſtitia eſt! Non eſt æquum, ut tu abundes, & ille fameſcat. Mittito illi unde lætetur, & dabit tibi Deus unde læteris, hic gratiam, & poſt hac gloriam ſempiternam. Amen.

Lucæ 3. *1. Cor. 3.* *Ezech. 43.* *Levit. 26.* *Iſaiæ 5.* *Rom. 13.* *Iſaiæ 5.* *Apoc. 3.*

IN DOMINICAM IV. ADVENTUS

CONCIO QUARTA.

DE ADVENTU SPIRITALI DOMINI.

Vox clamantis in deſerto.
Lucæ 3. v. 4.

I. PAter Auguſtinus (*a*), in principio libri de Doctrina Chriſtiana: Non eſſet, inquit, Deus mirabilis, ſi noſtro intellectu capi poſſet. Cum de Deo loquor, nihil aliud invenio, niſi voluiſſe dicere. Job: Ponis vultum tuum in nebula. Quis poterit agnoſci, qui vultum ſuum cooperit nebula? Utique ſplendorem ejus non poteſt vultus humanus ſuſtinere. Vultus ejus Verbum ejus. Sic enim etiam dicitur in Euangelio: Quod Joannes *venit, ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Et non erat ille lux: quia ſcilicet tenebræ Judæorum per nebulam lucem apprehenderunt, & nebula creaturæ tenebris dedit teſtimonium de luce Creatoris. Quoniam noverat ſtirpem illius ac progeniem. Pſalmus: *Poſuit tenebras latibulum ſuum.* Iterum: *Abyſſus amictus ejus.* Job: *Etiamſi locutus fuerit homo, devorabitur.* Gregorius (*b*): Homo, ſi loqui de Deo cœperit, illico quam ſit nihil, quod prædicat, oſtenditur; quia magnitudinis illius immenſitate devoratur, & quaſi in profundum raptus abſconditur; quia fari ineffabilem cupiens, ipſa ſuæ ignorantiæ

* CONCIO XVI.

Job 26. *Jo. 1.* *Pſal. 17.* *Pſ. 103.* *Job 37.*

(*a*) De ineffabilitate Dei agit S. P. Auguſtinus lib. 1. de Doctr. Chriſt. toto cap. 6.

(*b*) Totum fere caput 40. libri 27. S. Gregorii in Job huc transfertur iiſdem plane verbis.

rantiæ anguſtia deglutitur. Loquitur enim caro de Spiritu, circumſcriptus ſpiritus de incircumſcripto, creatura de Creatore, temporalis de Æterno, mutabilis de Immutabili, mortalis de Vivificante. Et cum in tenebris poſitus internum lumen, ſicut eſt, neſciat, homo de æternitate differere cupiens, cæcus de lumine loquitur. Si ergo locutus fuerit homo, devorabitur: quia ſi effari homo æternitatem, ſicut eſt, appetit, etiam hoc ſibi ſubtrahit, quod de illa vel tacitùs ſentit. Job: *Quis mihi tribuat, ut* Job 23. *cognoſcam & inveniam illum, & veniam uſque ad ſolium ejus? Si ad orientem iero, non apparet; Si ad occidentem, non intelligam eum. Si ad ſiniſtram, quid agam? Non apprehendam eum; Si me vertam ad dexteram, non videbo illum.*

II. Innoteſcit tamen hominibus Deus adventu ſuo ſpirituali, & quidem dupliciter: per gratiam, & per manſionem perfectam. Jo. 14. Unde Dominus: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Gregorius (*a*) in (*a*) Homilia: In quoſdam venit, ſed non manet, quia ſtatim redeunt ad peccata: in quoſdam venit, & manet. Primus adventus omnino imperceptibilis eſt. Job: *Si venerit ad me,* Job 9. *non videbo eum, ſi abierit, non intelligam.* Jo. 3. *Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis; ſed neſcis unde veniat, & quo vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu.* Exemplum in parvulo baptizato: exemplum in pœnitente attrito, & confeſſo. Quamvis ſint aliqua indicia, & conjecturæ, quibus poteſt cognoſci, an homo ſit in gratia. Vide in (*b*) Sancto Antonino de Florentia (*b*). Interim, (*c*) ut ait Bernardus (*c*): Prorſus habet Eccleſia ſpirituales ſuos, qui non modo fideliter, ſed & fiducialiter agant in eo, cum Deo quaſi Rom. 9. cum amico loquentes; teſtimonium illis perhibente conſcientia gloriæ ejus. Quinam illi ſint? Id quidem penes Deum: tu vero audi, qualem te eſſe oporteat, ſi talis vis eſſe. Quod tamen dixerim, non quaſi expertus, ſed quaſi experiri cupiens. Da mihi animam nihil amantem præter Deum, & quod propter Deum amandum eſt; cui vivere Chriſtus non tantum ſit, ſed & diu jam Pſal. 15. fuerit, cui ſtudii & otii ſit providere Deum in conſpectu ſuo ſemper, cui ſolicite ambulare cum Domino Deo ſuo, non dico magna, ſed una voluntas ſit, & facultas non deſit: da, inquam, talem animam, & ego non nego dignam Sponſi cura, Majeſtatis reſpectu, Dominantis favore, ſolicitudine Gubernantis. Et ſi voluerit gloriari, non erit 2. Cor. inſipiens: tantum, ut *qui gloriatur in Do-* 12. *mino glorietur.* Sed, quid eſt *vox clamantis* 1. Cor. 1. *in deſerto*, niſi, *ad eum veniemus?* Quid Lucæ 3. eſt venire ad animam Verbum, niſi erudire Jo. 14. in ſapientia? Quid eſt Patrem venire, niſi afficere ad amorem ſapientiæ? Ut dicere poſſit: Quia amatrix facta ſum formæ illius. Patris diligere eſt; & ideo, Patris adventus ex infuſa dilectione probatur. Quid faceret eruditio abſque dilectione? Inflaret. Quid abſque eruditione dilectio? Erraret. Non decet Sponſam Verbi eſſe ſtultam: porro elatam Pater non ſuſtinet. Pater enim diligit Filium; & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Verbi ſemper in promptu habet dejicere atque deſtruere. Si ergo Dominus dignetur venire ad me, vel potius in me, veniet in charitate, viſitabit in ſapientia. Quod, ſi ſenſero, aperiri mihi ſenſum, ut intelligam Scripturas, aut ſermonem ſapientiæ, & quaſi ebullire in intimis, aut infuſo lumine deſuper revelari myſteria, aut certe expandi mihi, quaſi quoddam largiſſimum gremium, & uberiores deſurſum influere meditationum imbres, non ambigo Sponſum adeſſe.

III. Quid ſi quis noſtrum integre & perfecte votis omnibus ſtudeat, ſecundum Iſaiam Prophetam, parare vias Domini, rectas facere ſemitas Dei ſui? Cui cum Propheta ſit Iſaiæ 4. dicere: *Oculi mei ſemper ad Dominum.* Non- Pſal. 24. ne *hic accipiet benedictionem a Domino, &* Pſal. 23. *miſericordiam a Deo ſalutari ſuo?* Viſitabitur profecto frequenter, nec unquam ignorabit tempus viſitationis ſuæ, quantumlibet is, qui ſpiritu viſitat, clandeſtinus veniat & furtivus; utpote verecundus amator. Sed, quando prope, & quando præſto jam erit, continuo ſentiet. Quin & reſpicientis ſe oculum, quaſi ſolis radium per feneſtras, & rimas parietis ſubeuntem beato oculo cernet. Si admonitus fuero, vel foris ab homine, vel intus a Spiritu de tuenda juſtitia, & ſervanda æquitate, iſtiuſmodi ſalutaris ſuaſio erit mihi profecto prænuncia imminentis adventus Sponſi, & præparatio quædam ad digne ſuſcipiendum ſupremum Viſitatorem, Propheta hæc mihi indicante, dicendo: Quia *juſtitia ante eum ambulabit.* Et idem loquitur Pſal. 84. de Deo ſic: *Juſtitia, & judicium*, inquit, *præparatio ſedis tuæ.* Pariformiter, ſi ſermo Pſal. 88. inſonuerit, de humilitate, de patientia, ſeu

(*a*) Homil. 30. lib. 2. in Euang. *In quorumdam etenim corda venit, & manſionem non facit: quia per compunctionem quidem Dei reſpectum percipiunt, ſed tentationis tempore, hoc ipſum, quod compuncti fuerant, obliviſcuntur, ſicque ad perpetranda peccata redeunt, ac ſi hæc minime planxiſſent.*

(*b*) S. Antoninus Summæ part. 4. tit. 9. cap. 4. §. 4. *Tertio modo cognoſcitur aliquid conjecturaliter, & per aliqua ſigna, & hoc modo poteſt aliquis cognoſcere ſe habere gratiam, in quantum ſcilicet percipit ſe delectari, & contemnere res mundanas, & in quantum non eſt conſcius alicujus peccati mortalis.*

(*c*) Portio tota Concionis a verbis illis: *Prorſus habet Eccleſia ſpirituales ſuos*, uſque ad ea: *ſemper habet dejicere, atque deſtruere*, deſumpta eſt ex Serm. 69. in Cantica, partim num. 1., partim 2. Quæ ſequuntur: *Si ſenſero aperiri mihi ſenſum*, uſque ad illa: *non ambigo Sponſum adeſſe*, inde pariter hauſta ſunt num. 6. Cætera uſque ad illa verba: *juxta eſt Dominus*, deſumuntur ex Serm. 57. in Cantica num. 4. 5. & 6. Reliqua uſque ad ea verba: *quam faciet verbum erudiens*, repetuntur ex præcitato Serm. 69. num. 6.

etiam de fraterna charitate, & obedientia deferenda Prælatis: maxime autem de sectanda sanctimonia, & pace, & cordis puritate quærenda. Quoniam quidem Scriptura
Psal. 92. ait: *Domum Domini decet sanctitudo;* &,
Psal. 75. *factus est in pace locus ejus;* &, *mundi corde*
Mat. 5. *Deum videbunt*. Dum itaque, sive de his, sive de aliis quibuslibet virtutibus suggestum animo fuerit, significatio, ut dixi, erit mihi visitationem Domini virtutum imminere
Ps. 140. animæ meæ. Similiter, si corripuerit me justus in misericordia & increpaverit me, idipsum sentiam: scio, quia æmulatio justi,
Psal. 67. & benevolentia iter faciunt ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi; sed nec ullus omnino sermo, qui ædificet ad pietatem, ad virtutes, ad mores optimos, ne-
Psal. 9. gligenter est audiendus; quoniam & illic iter, quo ostenditur Salutare Dei. Quod si sermo gratus venit, & placidus, quatenus, pulso fastidio, cum desiderio audiatur: jam non modo venire Sponsus, sed & accelerare credendus est. Quod si etiam ignitum eloquium sentis, atque ex eo conscientiam uri in recordatione peccati: recordare tunc, de quo
Psal. 96. Scriptura dicit: Quia *ignis ante ipsum præcedet*, & ipsum prope esse non dubites. De-
Psal. 33. nique: *Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde*. Verbi siquidem hæ copiæ sunt,
Jo. 1. & de plenitudine ejus ista accipimus. Quod si se pariter infunderit humilis quædam, sed pinguis intimæ aspersionis devotio; ut amor agnitæ veritatis, necessarium quoddam odium vanitatis in me generet & contemptum, ne forte aut scientia inflet, aut frequentia visitationum extollat me: tunc prorsus paterne sentio agi mecum, & Patrem adesse non dubito. Si autem perseveravero huic dignationi dignis semper, quoad in me est, affectibus, & actibus respondere, & gratia Dei
Ibid. 14. apud me vacua non fuerit: etiam mansionem apud me, tam Pater enutriens, quam faciet Verbum erudiens.

IV. De Secundo hoc adventu ad mansionem, sponsa: *Vox Dilecti mei: iste venit saliens*
Cant. 2. *in montibus. En ipse stat post parietem nostrum. En dilectus meus loquitur mihi. Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni*. Id est, audit: deinde videt venientem: deinde sentit appropinquantem: deinde sentit præsentem, ultimo audit vocantem. Hos gradus, hos profectus non potest sentire filia Babylonis: sed neque anima, quæ curis & negotiis sæcularibus implicita est. Sed filia Jerusalem, quæ semper se prospicit, & quid fiat in se ipsa, non ignorat. Ista ergo anima, quæ dormiebat somno peccati, aut torporis; primo excitatur a Domino voce acuta, & tremens surgit, dicens:
Ibidem. *Vox Dilecti mei*. Et licet dæmones perstrepunt, illa tamen non quiescit, sed ait: *Vox Dilecti mei*. Hæc est vox increpationis fortissimæ, qua Deus increpat animam, ut surgat a peccato: *Vox concutientis desertum, vox clamantis in deserto*. De hac Psalmus: *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus:* *Psal. 28.* *propter iniquitatem corripuisti, &c.* Secundo: *Jo. 1.* videt accelerantem ad se. Hæc acceleratio *Psal. 38.* fit in corde per desiderium serviendi Deo. Et, occupare in Deo, recupera perditos dies, corrige vitam, & operare bonum ad omnes. Sequitur tertio approximatio. Hæc est per fervorem devotionis, postquam surgit a somno per vocem increpationis, postquam bonis operibus studuit, & exercitata est, datur ei Spiritus fervens. Hoc est signum approximationis, quia scriptum est in Psalmo: *Ignis* *Psal. 96.* *ante ipsum præcedet, & inflammabit*. Nam hic ignis sanctus cœlestis omnes affectus sæculi, & vana sæculi desideria, & carnis libidines adurit, & avertit, ut paret Domino sanctuarium mundum cordis, in quo maneat; quem etiam sequitur lacrymarum unda, purificans & mundans conscientiam. Psalmus: *Flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ*. Quar- *Ps. 147.* to sequitur præsentia adventus in anima, & inhabitatio, de qua ait: *En ipse stat post pa-* *Cant. 2.* *rietem*. Felix anima, quæ sic Deum habet in se præsentem, & manentem, ut jam non interfit nisi solus paries ad perfectam visionem, & fruitionem; quem, tametsi non plene videt, tamen quodammodo per cancellos prospicit, & prospicitur. Qui sunt isti cancelli? Quæ sunt hæc foramina, nisi ardentissimi affectus, & desideria fervida, per quos Domini prospicientis radii & splendores quidam subiti fulgurant animam, & rapiunt ad se mirabiliter? Bernardus (*a*): Quanta putas, (*a*) ex hac mansione, inter animam & Verbum familiaritatis gratia oritur, quanta de familiaritate sequitur fiducia? Non est, ut opinor, quod jam talis anima dicere vereatur: *Dilectus meus mihi:* quæ, ex eo quod se diligere, & vehementer diligere sentit, etiam diligi nihilominus vehementer non ambigit.

V. Huic animæ jam nihil deest, nisi ut vocetur ad gloriam. Et dicatur ei: *Surge,* *Ibidem.* *propera, amica mea, columba mea, sponsa mea, & veni*. *Amica* in mandatorum custodia. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis*. *Columba* in gemitu desiderii pro *Jo. 15.* patria cœlesti. *Formosa* in contemplatione veritatis. *Amica* in actione. *Columba* in desiderio. *Formosa* in contemplatione; *& ve-* *Cant. 2.* *ni*. *Jam hiems transiit, imber abiit, & recessit*. *Flores apparuerunt in terra nostra*. *Jam hiems* timoris transiit. *Imber* lacrymarum contritionis receffit. *Flores* bonorum desideriorum *apparuerunt*. *In foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, ubi plena pax, & perfecta securitas; non ibi pervolat timenda accipiter. *Sonet vox tua* laudis *in auribus meis* in sæcula sæculorum. Quia *vox tua dulcis, & facies tua decora*. Ostende mihi faciem tuam, ut præsentialiter nos videamus in illa æterna beatitudine, in qua visio est

tota

(*a*) Usque ad illa verba: *vehementer non ambigit*, ex Serm. 69. in Cant. num. 7. desumuntur.

tota merces. Hujus adventus figura in Elia ad oſtium ſpeluncæ: quando, non in turbine Dominus, non in commotione Dominus, non in igne Dominus, ſed in ſibilo Dominus. Non in turbine increpationis; nondum Dominus. In pace habitat cor, non in commotione deſiderii proficiendi? Nondum Dominus. Non in igne, id eſt fervore devotionis? Nondum Dominus. Nam etſi in omnibus iſtis ſit Dominus jam in corde per gratiam, ſed nondum per tranquillam inhabitationem. Sed in ſibilo auræ tenuis, quando ſopiuntur ſenſus, & fit ſilentium in corde; tunc plenitudo gratiæ & viſitationis, & præſentia majeſtatis innoteſcit. Et ſi prius fuerit in corde, & tunc eſt in anima, & ad oſtium ſpeluncæ: quia neque plene ſoluta eſt, neque plene ligata carni, ſcilicet ſemiſoluta, ut præſentiam Domini ſentire poſſit. Non autem hæc fiunt, niſi in fervore ſpiritus, & in charitate non ficta; ita ut
Pſal. 38. dicat, qui hujuſmodi eſt: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet*
Pſal. 91. *ignis*. Quis ſapiens & intelliget hæc? Ita ut, ad quantamcumque cordis etiam profecerit puritatem in hac vita, ea omnia digne ab invicem diſtinguere, & deſignare ſingula queat, ac definire ad intelligentiam aliorum?

IN DOMINICAM IV.
ADVENTUS
CONCIO QUINTA.

DE EFFICACIA CONFESSIONIS SACRAMENTALIS.

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.
Lucæ 3. v. 3.

CONCIO XVII.

I. JOb: *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti. Durus eſt ſermo iſte, & quis poterit eum audire?* Non parcis delinquenti? Quis ergo poterit ſalvus fieri? Eſtne aliquis ſine peccato? Nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram. *Quis gloriabitur mundum ſe habere cor?* Si non parcis delinquenti, ad quid pœnitentia, ad quid gemitus, ad quid dolor? Si ſic impius ſum, quare fruſtra laboravi? Non parcis delinquenti. Ubi ergo benignitas, ubi miſericordia? Ad quid Chriſtus pro peccatoribus mortuus eſt, ſi non eſt peccatorum venia? Si non parcis delinquenti, ubi fiducia peccatorum? ubi ſpes ſalutis? Quis audito tali verbo non diffidat? Abſit a te, Domine, tanta durities, abſit tanta crudelitas: *Non eſt hoc tuum, qui judicas terram*. Ecce Petrus Apoſtolus conſtitutus a Domino arbiter peccatorum, quærit ab eo: Domine, ex quo dediſti mihi hanc poteſtatem abſolvendi peccata, volo ſcire voluntatem tuam, ne errem: *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Uſque ſepties?* Dic mihi voluntatem tuam: nolo de tuis miſericordiis eſſe prodigus. O Petre glorioſe, quid facis? Divinæ miſericordiæ ponis modum? Divinæ miſericordiæ ponis numerum? *Uſque ſepties?* Miſericordiæ *ejus non eſt numerus*. Dictum eſt tibi: *Quodcumque ſolveris*. Quid opus dicere: *Uſque ſepties?* Quid opus interrogare? An times conſumere inexhauribiles divitias bonitatis ejus, & longanimitatis? Infinitus eſt theſaurus: noli timere conſumptionem. Satis avarus eſt, qui de alienis opibus eſt tenax. Certe bonus Patronus factus es nobis. Bene nobis proſpexiſſet Sanctus Petrus, ſi datus ei eſſet ſuus numerus. Imo videtur ſibi tantum ſuccurriſſe; nam ſepties legitur reprehenſibilis. *Abſit a te, Domine: Vade poſt me, Satana. Bonum eſt nos hic eſſe: Non enim ſciebat quid diceret*. Submergitur: *Modicæ fidei, quare dubitaſti? Abſcindit auriculam: Mitte gladium tuum*. Negat: *Converſus Dominus, reſpexit Petrum*. Simulat. Paulus: *In faciem ei reſtitit, quia reprehenſibilis erat*. Fugit. Chriſtus: Vado Romam iterum crucifigi: Ideo viſus eſt dixiſſe *ſepties*. Sed, o bone Jeſu! Quantum lætificat nos tua reſponſio! *Non dico tibi uſque ſepties, ſed ſeptuagies ſepties*. Numerus determinatus pro indeterminato *toties, quoties*. Quomodo ergo Job imponit Deo tantam crudelitatem, quod non parcat delinquenti? Non ſic, Domine, dicitur de te, qui clamabas ut præco cœleſtis in plateis Jeruſalem: *Si quis ſitit, veniat ad me. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Fons enim ſum inexhauribilis pietatis. Pondera hoc.

Job 9. *Jo. 6.* *Prov. 20.* *Gen. 18.* *Ibidem.* *Marci 9.* *Mat. 14.* *Jo. 18.* *Lucæ 22.* *Galat. 2.* *Mat. 18.* *Jo. 7.* *Mat. 11.* *Mat. 18.* *Pſ. 146.* *Mat. 16.* *Heb. 6.* *Ibid. 10.* *1. Jo. 2.*

II. Videamus ergo ſenſum Job. Gregorius (*a*): Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia delictum ſine punitione non deſerit. Aut enim ipſe hoc homo in ſe punit, aut Deus vindicans percutit. Felix modicus dolor, quo liberamur a doloribus æternis. Triſtitia parva, liberans a gemitibus perpetuis. O quam modico labore redimimur a magnis illis, & æternis ſuppliciis! Sed terret nos multum authoritas Pauli ad Hebræos: *Impoſſibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati*, &c. *iterum renovari ad pœnitentiam*. Item alias: *Voluntarie peccanti, jam non relinquitur hoſtia pro peccato*. Quid ergo? Peccati, poſt fidem & Baptiſmum, præcluſa eſt via ſalutis? Abſit: quomodo enim verus eſt articulus, *Remiſſionem peccatorum?* Non ſic Joannes; ſed quid ait? *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis; ſed ſi quis peccaverit*,

(*a*)

(*a*) Lib. 9. Moral. cap. 35. *Delinquenti ergo Dominus nequaquam parcit; quia delictum ſine ultione non deſerit. Aut enim ipſe hoc homo in ſe pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus ſine vindicta laxatur.*

vit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Non sic Jacobus: sed quid ait? *Confitemini alterutrum peccata vestra, ut salvemini.* *Jacob. 5.* Non est autem in Apostolo Paulo discrepantia. Nam in prima illa (a) auctoritate, aut loquitur (a) de renovatione Baptismi, aut impossibile pro nimis difficile ponit. Non quia pœnitenti sit difficilis adeo venia, sed quia tales difficulter veniunt ad pœnitentiam. Quod autem dicitur: *Jam non relinquitur hostia:* ad hoc pertinet, quod alibi dicitur: *Christus jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quia quod mortuus est peccato, mortuus est semel.* *Rom. 6.* Sic etiam nos sepeliri semel per Baptismum, & configurari morti ejus possumus semel. Quia sicut una mors Christi, ita etiam unum Baptisma, & una mortis configuratio in Christo. Non iterum baptizaberis in Christo, nisi iterum Christus pro te moriatur: quia non repetita morte, non repetitur mortis configuratio. Origenes (b) super Leviticum cap. primo & secundo, homilia secunda. Melius ferme agebatur cum antiquis, quibus tot hostiæ, &c. Nobis autem una tantum hostia. Vide ibi. Sed, o quam differens hostia! Ibi occiditur caper, hic occiditur Christus. Ibi vitulus, hic Dei Filius.

III. Fratres, nobis una tantum hostia: quia talis fuit, ut una sola pro remissione omnium peccatorum sufficiat. Erubescat Christianus redire ad peccatum; non enim hircus, aut capra, sed Filius Dei occisus est pro peccato. Quomodo post tale lytrum non erubescis iterum redire ad peccati vincula? Ut liber esses, captus est ipse; ut tu viveres, mortuus est ipse. Tui peccati *1. Petr. 1.* pretium dedit non aurum, non argentum, sed suum pretiosum Sanguinem, ut ait Apostolus Petrus; & tu ad peccatum tam petulanter & inverecunde redis? Sed non (c) glorietur (c) in hoc synagoga: Sunt enim plures hostiæ etiam in Ecclesia: Nam & in Ecclesia offertur columba, offertur vitulus, non de campo, sed de corde. Non opus est Christiano parare retia, ire ad venationem, ut capiat sacrificia Deo suo; *In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi.* *Psal. 55.* Hæc sunt tibi accepta sacrificia. Nam de aliis, quid dicit? *Sacrificium,* *Psal. 39.* *& oblationem noluisti. In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam.* *Ibidem.*

A Ecce Deo gratum & acceptabile sacrificium, quo offertur voluntas, non capra. Quod si placet, ut numerem tibi sigillatim sacrificia cordis: cum in simplicitate cordis Deum oras, columbam cordis offers: cum pro peccatis tuis in amaritudine gemis, turturem offers: cum injuriam fratris tui pro Deo patienter sustines, agnum obtulisti: cum carnis concupiscentias domas, hircum sacrificas: cum vero in devotione & fervore cordis ad Deum mentem, & totam tuam animam levas, vitulum saginatum offers de armento non pecorum, sed affectuum; & B sic in aliis. Vides sacrificia plura. Vides etiam mundissima sacrificia; non sanguinolenta, de quibus scriptum est: *In omni loco offertur mihi oblatio munda.* *Malach. 1.*

IV. Quid dicam de Sacrificio Baptismi, ubi Christo mortificatur homo? Quid de Sacrificio Pœnitentiæ, & Martyrii? Sed etiam illud unicum Sacrificium magnum in Cruce semel oblatum, licet unum sit in re, sæpius tamen in æquivalentia iteratur, & semel oblatum in Cruce, sæpius offertur in Altari: toties enim Christus pro te iterum crucifigitur, quoties in Altari pro te, in C memoriam passionis, Sanguis ejus offertur. An non etiam in isto Pœnitentiæ Sacramento iterato Christi Passio renovatur? An non virtus illa est, quæ peccata tollit, quæ animam lavat? *Et laverunt,* inquit, animas suas in *Sanguine Agni.* *Apoc. 7.* O magnum Sacramentum, ubi peccata & scelera tam facile diluuntur! O magnum lavacrum Sanguinis! Noli timere peccator, noli diffidere de venia: quoties enim ad sanctum istud Sacramentum accedis, puta te accedere ad baptisterium cum Sanguine fervente Christi; & vide, si est macula, quæ tali lavacro non D cedat. Apostolus: *Non enim accessistis,* &c. Sequitur: *Sed ad Sanguinem innocentem, melius clamantem quam Abel.* *Heb. 12.* *Ibidem.* Quid, obsecro, clamat sanguis Abel? Vindictam. Nam Geneseos dicitur: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* *Gen. 4.* Clamat etiam ad te, Domine, vox Sanguinis Fratris nostri Filii tui de terra. Clamant fontes illi, rivuli illi, de manibus & pedibus, de latere, per vulnera decurrentes, & guttæ toto corpore decidentes. Quid clamant, nisi quod ore suo ipse pronuntiat: *Pater, dimitte illis.* Quibus? *Lucæ 23.* Utique crucifixoribus. Pro me Pater, pro me clamat. Ego, ego sum crucifixor ejus; non enim tam vere crucifixerunt manibus, quam

---

(a) Prior expositio est Chrysostomi, Theodoreti, Ambrosii, Hieronymi, S. P. Augustini, & omnium pene veterum. Secunda Anselmi, Hugonis, aliorumque recentiorum.

(b) Homil. 2. super Levit. satis post medium. *Melius fere agebatur cum antiquis, quam nobiscum, ubi, oblatis diverso ritu Sacrificiis, peccantibus venia præstabatur. Apud nos una tantummodo venia est peccatorum, quæ per lavacri gratiam in initiis datur. Nulla post hæc peccanti misericordia: nec venia ulla conceditur. Decet quidem districtioris esse disciplinæ Christianum, pro quo Christus oblatus est. Pro illis oves, hirci, boves jugulabuntur, & aves, & similia conspergebantur; pro te Dei Filius jugulatus est, & iterum te peccare delectat? Et tamen ne tibi hæc non tam erigant animos pro virtute, quam pro desperatione dejiciant. Audisti quanta sint in Lege Sacrificia pro peccatis? Audi nunc quantæ sint remissiones peccatorum. In Euangeliis est ista prima, qua baptizamur in remissionem peccatorum. Secunda,* &c. Septem deinde enumerat.

(c) Similia his, quæ sequuntur, habet Origenes Homil. præallegata.

quam ego peccatis. Nam tolle peccata, quid poterant manus lictorum? Ideo tenetur, ideo ligatur, ideo crucifigitur, ut peccato meo subveniatur, ut peccatum meum tollatur. Audisti, justissime Deus, clamorem sanguinis Abel, & descendisti ad vindictam; vox Sanguinis Fratris nostri clamat ad te, & melius clamat, quam Abel: descende ergo benignissime ad veniam.

V. Hæc sunt viscera pietatis tuæ, Domine Jesu, hæc insignia misericordiæ. O quomodo me amas, Amor meus, quomodo me amas! Ut me a peccatis ablueres, ut mihi remedium dimitteres, ut mihi esset facilis venia, quid non passus es, quid non sustinuisti? O qualis vox tua est illa Prophetæ! *Osee 6.* *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Juda?* Mortuus eras, mori dignatus sum, ut viveres. Infirmus eras, infirmus factus sum, ut fortis esses. Facilis es ad peccata, facilia etiam tibi dimisi remedia salutis parta Sanguine & dolore meo. Si clamas, audio. Si petis, tribuo. Si gemis, misereor. Si expectas, salvo. Si amas, redamo. *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Juda? Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* *Ibidem. Isaiæ 5. Mat. 21.* Plantavi eam, sepem circumdedi eam, torcular fodi in ea, ædificavi turrim in medio ejus, agricolis eam locavi, ut dicitur in Euangelio. Quid amplius debui facere, & non feci? Imo, quid debuisti bone Jesu, ut faceres? Imo, quid potuisti pati, & non passus es? Multum tibi debet, pro his quæ fecisti, Vinea tua, Ecclesia tua: sed multo amplius pro his, quæ pro ea pertulisti. O Fratres mei! Vellem mutare vocem meam, quia confundor in vobis. Ut quid tanta negligentia? Ut quid domum Dei contemnitis? Quotidie peccamus; quotidie offendimus omnes. Cur non quotidie veniam postulamus? Cur non quotidie sordes animæ abluimus? Satis putatis semel in anno? Quis deturpat vestem, & expectat ad annum? Quis lutum vestimenti sustinet ad annum? O miser! Sustines in corde, quod non sustines in calceo? Sustines in anima, quod non ferres in tunica? Turpis est anima, fœda est anima, & rides, & dissimulas: turpis est solea, & irascris, si non statim radatur a servulo; cum tamen hic nullum sit præter fœditatem periculum, ibi mortis, & incendii perpetui supplicium instet. Quis, obsecro, Fratres, tam demens est, ut carcere detentus, lata sententia, parato supplicio, si solus adventus lictoris expectetur ad executionem, jam jamque immineat, & quotidie expectetur venturus; quis, inquam, in tanto discrimine rideat, jocetur, & ludat, nisi penitus ratione & sensu carens? Numquid, si posset haberi intercessor, si posset haberi remedium, ut sententia non feratur, aut lata non ponatur in executionem; o quanta aviditate & diligentia inquireretur! Facis hoc pro vita corporis, & vitam animæ ambiguam contemnis redimere? *Ibid. 6.* Etenim anima

A plus est quam corpus, sicut corpus plus est quam vestimentum: & qui in peccato est, sententiam habet, carcere detinetur corporis; si judex adveniat, morti perpetuæ & æterno igni deputabitur. O quam imminens mors! O quam incertus judicis adventus! O quam stulta tranquillitas, & vana securitas, dormientis in peccato! Quam facile dissolvitur corporis temperies, humorum commixtio, & cætera.

VI. Sed dices forte, licet differam confessionem ad annum, si statim conteror, si statim pœniteo, & propono confiteri, non est B periculum status & salutis. Utinam vel saltem ita esset, ut qui peccat, statim conteratur de peccato, & qui differt Sacramentum, non differat gemitum: sed non est, qui doleat de peccato, usque ad pedes Confessoris: & posito, quod ita faciat; credite mihi, multum refert, si dolor Sacramento firmetur, Sacramento perficiatur. Magna differentia est habere Sacramentum in voto, aut habuisse in facto. Sic & Passio Christi, multo majora remedia contulit exhibita, quam prævisa. Experientiam consulite. Plus tranquillat animam Confessio Sacramentalis C cum mediocri contritione, quam contritio sola, quamvis interior. Et remotio conscientiæ mordicantis, non parvum est signum salutis, dicente Joanne: Si conscientia nostra non accusaverit nos, confidentiam habe- *1. Jo. 3.* mus ad Deum: est enim Sacramenti virtus, non ab homine pœnitente, sed a Christo moriente. Quanto magis lenire poterit iram Domini contritio cordis tui rubricata Sanguine Salvatoris, quam sola, & sine adjumento Passionis, aut saltem non sic applicato; ille est enim cujus nomine spero salutem, & non de proprio opere. Confido de dolore D meo, si tamen dolor meus conjunctus sit doloribus mei Redemptoris. Ipsum ergo Sacramentum ex opere operato, ex radice sola Passionis Christi, efficaciam habet, ut purget maculas & peccata deleat, ut mundificet animam. Sicut curandi virtutem medicina non recipit ab ægroto, licet virtutem naturæ in ipso requirat; sic Sacramentum, quod est verum animæ antidotum, virtutem non habet ab ægrotante peccatore, licet in eo contritionis virtutem requirat; non quæ sit dispositio virtutis sanantis, sed dispositio ægri sanandi. Joannes: *Si confiteamur peccata no-* E *stra, fidelis est & justus, ut remittat nobis* *Ibid. 1.* *peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate.* O magna Dei clementia! Pro quam modico, quam grandia debita dimittit! Psalmus: *Pro nihilo salvos facies illos.* Fidelis *Psal. 55.* est, ut promissionem suam impleat. Quid enim per ora Prophetarum clamat, nisi remissionem pœnitentibus? In quacumque ho- *Ezech.* ra ingemuerit peccator, non recordabor ini- *18.* quitatum ejus. Et Psalmus: *Cor contritum &* *Ibid. 33.* *humiliatum Deus non despicies.* Da ergo be- *Psal. 50.* nignitatem, Domine, *inquirentibus te, ut Pro-* *Eccli. 36.* *phetæ tui fideles inveniantur.* Sed quis poterit

Ezech. 33. rit digne ponderare quod sequitur? *Et justus*, inquit. Quæ justitia est, Domine, ut pro confessione parcas delinquenti? Hæc est justitia? Imo magna tua benignitas; imo magna tua clementia. Si latro furetur, si occidat, si rapiat: ut parcatur ei, si confitetur se talem esse, qualis est; quis propter hoc, justum esse ut absolvatur, judicatus est? Sic est, Domine, sic est. Apud homines in foro publico & humano ipsa peccati confessio est *Ps.* 113. damnatio Rei. Apud te non sic. *Sed facta est Judæa*, id est confessio, *sanctificatio ejus*. Apud homines confitere, & punieris; & apud Deum confitere peccatum tuum, & liberaberis. Apud homines *facta est Judæa* damnatio *ejus;* Apud Deum *facta est Judæa sanctificatio ejus*. Hic per gratiam, illic per gloriam.

IN DOMINICAM IV. ADVENTUS

CONCIO SEXTA.

QUALIS DEBEAT ESSE CONFESSIO, UT SANCTIFICET.

Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.
Lucæ 3. v. 3.

* CONCIO XVIII.

I. VOlumus nunc ad particularia descendentes practice tractare, qualis debeat esse Confessio, ut sanctificet animam. Et, licet communiter ponantur sexdecim conditiones bonæ Confessionis: nos aliquas breviter perstringemus. Quatuor igitur debent præcedere Confessionem. Primum est: Diligens recordatio peccatorum; ut scilicet secundum qualitatem officii, & personæ, & temporis in quo non est confessus, ita augeat diligentiam. In quo, nota duo. Primum est magnum periculum, si non fiat; quia peccatum oblitum per negligentiam culpabilem, non remittitur. Secundum est: (a) Quanta requiratur diligentia. Scotus (a) dicit: Sicut poneretur ad evasionem mortis. Sed hoc non credo: nam, sic nullus confiteretur, si tanta diligentia requiratur. Hic enim, non tantum debet considerari qualitas negotii; quia certum est quod plus est vita animæ, quam corporis: sed etiam debet attendi qualitas confitentis, qui pronior est in hac vita sensuali ad defensionem corporis, quam animæ. Ideo dico: Quod debeat poni tanta diligentia, quanta in gravi A negotio: ita ut non sit contemptus Sacramenti. Hæc equidem si major ponatur, tanto melius. Et nota: quod si quæratur per quantum tempus debeat cogitare de peccatis. Respondeo; secundum qualitatem personæ: si est implicatus negotiis; & secundum tempus, in quo non est confessus. Hic reprehendantur, qui ad pedes Confessoris veniunt, ut Confessor eis tradat ad memoriam peccata impræmeditata.

II. Secundum est Propositum satisfaciendi Deo per pœnitentiam, proximo per restitutionem. De prima satisfactione, nota: B quod pœnitens, ut ait P. Augustinus (b), (b) debet habere propositum obediendi Confessori, cui animam suam curandam committit, & acceptandi quamcumque pœnitentiam, quantamcumque gravem, pro peccatis suis; sicut æger corporalis acceptat ignis cauteria, & pharmaci amaritudines, & incisionem carnis, & alia tormenta, consilio medici, pro salute corporis. Tamen Confessor in imponendo pœnitentiam, non solum ad delictum, sed & ad infirmitatem pœnitentis habeat respectum, & prudenter injungat pœnitentiam. Volo autem eum C potius peccare per mansuetudinem, & misericordiam, quam per rigorem; ut sit minister magnificus, sicut & Dominus magnifice condonat. Est enim in rigore periculum, ne omittat implere pœnitentiam, quam acceptat forte ex verecundia. De secunda satisfactione, reprehende illos, qui habentes arcas plenas pecuniis, differunt de die in diem satisfactionem, credentes sufficere propositum. Item illos multum reprehende, qui usque ad mortem in testamento differunt satisfacere; & tunc ex bonis, quæ dimittunt, quia secum portare D non possunt, largissime satisfacere curant. Non est hoc tutum, non est omnino secura restitutio de alieno. Ideo bene merito filius hæres ait: nolo satisfacere; luat in inferno, quæ rapuit. Dic etiam de restitutione famæ. O quam gravis est illa restitutio! Nam ad restitutionem pecuniæ non habens, non tenetur pro tunc. Item, qui habet, debet, servato statu suo, restituere paulatim: sed a restitutione famæ nullus excluditur. O quam verecunda, & quam difficilis restitutio! Et quam facilis est deprædatio famæ. Hic agendum contra detractores. Hic dixe- E rimus plurima de detractoribus, qui per jocum, & ad fallendum tempus vitas fratrum laniant. *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ*. Bernardus (c): Et quam facile, (c) & in brevi ingentem multitudinem animarum

(a) Scotus in 4. Sent. dist. 9. quæst. 1., ubi de examine Communioni præmittendo, juxta illud Apost. 1. ad Corinth. 11.: *Probet autem se ipsum homo. Tenetur enim*, inquit, *se examinare secundum diligentiam nostræ fragilitati possibilem, antequam communicet.* Et paulo infra: *Non autem requiritur major examinatio ad communicandum, quam ad secure moriendum.*

(b) Lib. de vera, & falsa Pœnitentia num. 30. in Append. tom. 6. *Ponat se omnino in potestate Judicis, in judicio Sacerdotis, nihil sibi reservans sui, ut omnia eo jubente paratus sit facere pro recipienda vita animæ, quæcumque faceret pro vitanda corporis morte.*

(c) S. Bernardi verba sunt usque ad illud: *excusari minime potest*, excepta periodo, quæ viperæ similitudinem exhibet. Spectant ad Serm. 24. in Cant. num. 4.

rum velociter currens sermo tabe malitiæ detractoris interficere potest! Propterea dicit de talibus propheticus spiritus: *Quorum os maledictione plenum est, veloces pedes ejus ad effundendum sanguinem*. Utique tam veloces, quam velociter currit sermo. Unus est, qui loquitur, & unum tantum verbum profert, & tamen illud unum verbum, uno in momento, multitudinis audientium aures inficit, animas interficit: &, sicut vipera virus suum per ora aliorum traducit ad mentes aliorum, quas veneno intoxicat. Et sunt species pestis hujus: dum alii quidem nude atque irreverenter, uti in buccam venerit, virus evomant detractionis: alii autem, quodam simulatæ verecundiæ fuco, conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum gravitate, & tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem; & quidem tanto persuadibiliorem, quanto creditur ab his, qui audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu, quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo, quod diligo eum satis, & numquam potui de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo istud, sed per me numquam innotuisset; at, quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum: dolens dico: Revera ita est; & addit: Grande damnum: nam alias quidem in pluribus valet, cæterum in hac parte (ut verum fatear) excusari minime potest. O pessime! Alius tam diu pro bona fama laboravit, & tu tam cito, uno verbo eam perdidisti? Melius esset, si ei omnia bona temporalia raperes. Siquidem *melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ*. O insignis latro! Raptor famæ, & impunitus! Si aliquis te vocaret latronem, erubesceres, & contradiceres. O stulte! Latro es, si rapis aurum: Et non es latro, si auream famam rapis? Et cum in hominibus pretiosissima sit charitas, hanc interficit malignus detractor. Necessario enim refrigescit amor, bona opinione de proximo sublata. Sunt autem aliqui, qui libenter audiunt, tamen ipsi propter conscientiam nolunt detrahere. Bernardus (*a*): Nescio, an plus peccet qui detrahit, an qui libenter audit detractorem: responde pro fratre, & tabescet lingua detractoris.

Psal. 13. *Prov.* 22. (*a*)

III. Tertium principale est Propositum emendandi vitam, verum, & firmum. In hoc multi decipiunt semetipsos, proponentes ad modicum tempus cessare. Væ misero captivo peccatori, in quo regnat consuetudo peccati! Quam difficile potest ab ea liberari! Quam difficile est, ut sui emendationem veraciter proponat & sine fictione! Pro quo nota, quod dicitur in Euangelio. Mulier illa Samaritana aquam vitæ petit a Domino dicens: *Domine, da mihi hanc aquam*. Cui dicitur a Domino: *Vade, voca virum tuum*. Ut quid Domine? Nonne sine viro poterit recipere aquam vitæ? Quid consequentiæ habet, aut quæ est ista responsio? *Da mihi hanc Aquam. Voca virum tuum?* Nota mysterium: quoniam cætera non quadrant. Cum peccator plorat peccata, mulier venit ad puteum ablutionis: pœnitentia sanatur. Sed non sufficit mulier, id est contritio: adducat virum constantem & robustum, id est propositum firmum abstinendi de cætero a peccatis, sine quo non portabit aquam in hydria conscientiæ suæ. Sed, o quam multi sunt, qui respondere possunt, etiam dum peccata lacrymantur: *Domine, non habeo virum*. Ita enim est: nam adulterinum est illud propositum, quod habent. Vis agnoscere, quod propositum sit legitimum, & quod adulterinum? Vide, si est vir conscientiæ. Quod agnoscitur in duobus. Nam primo: vir non est alteri nuptus. Secundo: vir agit vitam conjugalem. Adulter vero stuprat, & vadit. Si propositum est legitimum, nuptum est conscientiæ; nam quietat eam. Si vero est remorsus intus, jam jurgia miscet: leno est, non est vir. Item, si post Confessionem statim mutas propositum, & redis. Crede tunc, anima, hunc, *quem habes, non est tuus vir:* nam non egit vitam longam cum uxore conscientia. Itaque venit ad pedes Confessoris concubinarius: petit ab eo, num velit de cætero abstinere? Respondet: Proposui, & propono. Ubi est mulier? Respondet: Domi est; sed proposui non tangere. O stulte, hunc, *quem habes, non est tuus vir*. Adulter est conscientiæ tale propositum. Venit avarus: ego utique rapui, & propono reddere. Quære ab eo: Habesne, unde bene possis restituere? Habeo, inquit, pecunias in arca. Quære: Et quam diu habes hoc propositum? Dicet: Alia vice confessus sum & proposui. Quare ergo non restituisti? Modo, inquit, restituam. Stulte, hunc, *quem habes, non est tuus vir*. Nota tamen in hoc: quod, si quis vere proponat, etiamsi iterum post Confessionem aliqua victus passione, vel ex infirmitate, vel alias peccet; non negamus veram fuisse pœnitentiam, ubi lacrymæ de corde puro, & propositum fuit legitimum, etsi non secuta est correctio. Alias, si peccatore recidivante ex fragilitate non fuit vera ejus pœnitentia, quis poterit salvus fieri? Aut, quomodo Dominus præcepit, *ut septuagies septies* remittatur injuria, si nunquam fuit remissa, si iteratur? Aut, quomodo verum est: *Septies in die cadet justus & resurget*, si, dum iterat casum, verum est, quod non surrexit? Quæ auctoritas, licet soleat intelligi de venialibus, tamen Hieronymus (*b*) optime eam exponit, dicens: Non amisit nomen justi, qui, licet

Jo. 4. *Ibidem.* *Ibidem.* *Mat.* 18. *Prov.* 24. *Lucæ* 17. (*b*)

(*a*) De Consid. lib. 2. cap. 13. *Porro detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.*

(*b*) Epist. 90., juxta edit. Paris. an. 1706., ad Rusticum

licet tam infirmus fuit, ut ſepties caderet, tamen tam diligens fuit, ut ſepties reſurgeret. Nec enim potuit ſepties cadere, niſi ſepties ſurrexiſſet. Rationes, propter quas Baptiſmus non eſt iterabilis, ſed Pœnitentia. Prima: quia Baptiſmus imprimit characterem, & non Pœnitentia. Secunda: quia Baptiſmus mundat ab originali, & ei correſpondet; Pœnitentia vero, peccato actuali. Et originale unum, ideo remedium unum, actuale multiplex, ideo remedium multiplex.

IV. Quartum principale, quod debet præcedere Confeſſionem, eſt Dolor & triſtitia de peccatis. Dic primo, quomodo excitandus eſt dolor. Conſidera peccator Dei bonitatem, patientiam, tolerantiam: quam diu te exſpectavit, quoties paternaliter te admonuit, quoties procuravit tibi undique occaſiones, ut fugeres a peccato; inſpirationes, remorſus, reprehenſiones, flagella pia, ut ad ipſum te converteres. Dic Deo tuo: *Jer. 20.* Viciſti me Domine, & victus ſum. *Fortior me fuiſti, & invaluiſti.* Vicit miſericordia tua malitiam meam: multiplicavi peccata, multiplicabas beneficia: adauxi crimina, auxiſti clementiam. Si fugiebam, retinebas: ſi cadebam, levabas: ſi torpebam, excitabas: ſi obcæcabam animam, tu illuminabas: ſi offendebam, dimittebas. O admiranda contentio bonitatis Dei, & malitiæ meæ! Vicit tamen, ut æquum erat, parcendo clementia tua, vicit miſerando. Quaſi ex profeſſo, & ultro, deliberate iram judicis irritabam, & dum iram concito, miſericordiam impendis. Dum magis ingratus & profanus tua præcepta contemno, tu magis tuam miſericordiam auges. Peccabam, & diſſimulabas, & non videre te fingebas, quod nolles viſum caſtigare. Hei me miſerum! Hei me viliſſimum, & abjectum mancipium peccati! Bernardus (a) (a): Quanam fronte attollo jam oculos ad vultum Patris tam boni, tam malus filius? Pudet indigna geſſiſſe genere meo; pudet Patri vixiſſe degenerem. *Pſ. 118.* *Exitus aquarum* deducite *oculi mei*. *Pſal. 68.* *Operiat confuſio faciem meam*, &c. Conſidera etiam quantæ gravitatis ſit, quanti horroris contempſiſſe Dominum, univerſorum Regem ſæculorum. *Heb. 10.* *Quam horrendum incidere in manus Dei viventis*. Quanta ſupplicia, quot genera pœnarum parata ſunt miſero vermiculo, qui auſus eſt faciem ſuam levare contra ſuum Creatorem. Et ſi durum eſt cor, ſaltem lacrymas, quas non elicit pietas, eliceat timor. O magna peccatoris audacia! Legem Dei ſervant Angeli, ſervant cœli, ſervant bruta, & plantæ, & tu ſolus audes præceptis ejus contravenire? Tu ſolus erigis cervicem contra Dominum? Et quo hoc dignum ſupplicio? Videat ſimiliter peccator quid amiſerit, quid pro levi voluptate perdiderit: æternam lætitiam, æternam gloriam, Angelorum & Animarum ſanctarum perpetuum contubernium. O miſer amittis cappam & doles! Perdis animam & rides? Miſer, Deum perdidiſti! Quid tibi reliquum eſt? Hæc omnia & ſimilia peccator tradat ad memoriam, ut excitari poſſit ad dolorem. Excitatus enim ſuo calore, ipſe magis accenditur, uſque dum viſcera quatiantur. O magna vis doloris! O pretioſus liquor lacrymarum, quo abluuntur ſcelera, quo anima renovatur, ut aquila, quo Deus recuperatur, anima gratificatur, crimen diſſolvitur, diabolus fugatur, captivitas repellitur! Quis peccatorum non libenter doleat, ſi tam modicus dolor, æternos illos cruciatus repellit, ſi tam brevi triſtitia, æterna miſeria cavetur? O Fratres mei! Si ſciretis, quantus eſt valor doloris! Non poteſt enim toto mundi hujus pretio una ſola lacryma compuncti cordis comparari. Gaudeat ergo peccator cum plorat, gaudeat, & gemat; & quo plus gemit, plus gaudeat de gemitu. O Fratres! Quam dulcis pœnitentia! Quam ſuavis eſt ipſe dolor! Quam jucunda eſt ipſa triſtitia! Non eſt utique pœnitentia, ſed gratia. Omnia, Domine, quæ pro te fiunt, bona ſunt, ſuavia ſunt; & ſi pœnalia, non eſt omnino dolor, cui admixtum eſt gaudium. Qualis dolor, ubi gaudium de dolore? Qualis rigor doloris, dum lenitate lætitiæ temperatur? Ita eſt, Domine, ita eſt. Donum eſt, gratia eſt ipſa pœnitentia, lætitia eſt ipſa triſtitia pœnitentiæ: & tamen, Domine, acceptatur a te in ſervitium, & ſolutionem, quia in novam gratiam refunditur. Ecce bonitatem Dei, ecce clementiam Dei!

V. Sed qualis debeat eſſe iſte dolor, breviter tangamus. Primo ſit dolor univerſalis omnium peccatorum. Quoniam in virtute illius, peccata etiam oblita, vel per ignorantiam commiſſa, vel aliena, quorum non habetur memoria, remittuntur. Secundo requiritur dolor particularis de quolibet peccato: *Lavabo per ſingulas noctes*, id eſt per ſingula peccata, *lectum meum*, ſcilicet conſcientiæ. *Pſal. 6.* Sed, quid ſi aliquis recordatur ſe ſæpius peccaſſe, & tamen particulariter non recordatur de illis peccatis? An teneatur toties multiplicare dolorem, quoties credit ſe offendiſſe? Probabiliter dico, quod non. Ratio eſt: quia non tenetur quis habere particula-

---

ſticum de Pœnitentia: *Septies cadit juſtus, & reſurgit. Si cadit, quomodo juſtus? Si juſtus, quomodo cadit? Sed juſti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam ſemper reſurgit. Et non ſolum ſepties, ſed ſeptuagies ſepties delinquenti, ſi convertatur ad pœnitentiam peccata donantur. Cui plus dimittitur, plus diligit.* Hæc Hieronymus relatus a Gratiano can. 23. diſt. 3. de Pœnit. Porro Proverb. textui addit S. Orator *in die*, eo quod in nonnullis Bibliis ante Sixti V. correctionem ita revera legebatur. Sublata tamen hæc verba fuere in vulgata Romana, juxta Hebræum, & Septuaginta. Hinc legitur ab omnibus: *Septies enim cadet juſtus, & reſurget.*

(a) Hæc habet S. Bernardus Serm. 16. in Cant. num. 4., atque ita proſequitur: *Vultum meum pudor ſuffundat, occupetque caligo. Deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.* Præcedentibus ſimilia leguntur Serm. 40. de diverſis num. 4. & 5., & huc ſpectant quoque nonnulla ex ſubſequentibus Concionis hujus.

culariorem dolorem de peccato, quam poſſit habere notitiam. Imo oppoſitum videtur difficile. Tenetur tamen tanto amplius dolere, quanto pluries credit ſe offendiſſe, & numerum illum a ſe creditum exprimere Confeſſori. Quod ſi poſſit habere memoriam particularem, de quolibet in particulari, tenetur dolere. Et quia hoc videtur difficile, ideo nota: quod dolor ille non oportet quod ſit ſenſitivus, quia non ſemper eſt in noſtra poteſtate, ſed intellectivus, qui eſt in poteſtate noſtra. Id eſt quædam diſplicentia de peccato. Verum eſt, quod perfecte dolere donum Dei eſt. Item: licet dolores illi particulares ſint aliquo modo remiſſi, recipiunt vim ab illo univerſali dolore intenſo. Eſſet autem bona cautela & remedium pro his, qui differunt Confeſſionem, tunc cum peccant dolere. Quia malitia peccati noviter commiſſi, multum pungit ad lacrymas: & iſte dolor præcedens cum univerſali ſufficeret. (a) Quia, ut ait S. Thomas (a): Ille univerſalis agit in virtute particularium præcedentium, & recipit vim, & valorem ab eis. Hic nota duo documenta circa dolorem. Primum: quod ſi nimis creſcat dolor, temperetur cum ſpe; & avertat oculum a peccato, & ponat in Dei bonitate: ſit ergo peccatoris unus oculus in peccato, & alius in Dei bonitate. *Cum anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum. Memor fui Dei, & delectatus ſum.* Job: *Ne protrahas noctem, ne aſcendant populi pro eis.* Vide Gregorium (b) ibi. Apoſtolus: *Ne abundantiori triſtitia abſorbeatur.* Hoc documentum reperies in Ambroſio (c) lib. de Pœnitentia. Sit ergo dolor diſtillatus, non effuſus, ut fuit unguentum Magdalenæ. Vide Bernardum (d) ſuper Cantica. Secundum documentum: ſit humilis dolor, & non furens. Sunt enim aliqui, qui præ magnitudine confuſionis, videntes ſe nimis humiliatos & viles, non poſſunt tantam vilitatem, & enormitatem ſuſtinere. Jactant verba in Deum, modo increpantes naturam, modo Dei oblivionem, dicentes &c. Pſal. *Furor illis in ſimilitudinem ſerpentis.* Job: *Incœpiſti peccare poſt miſeriam.* Eſt enim hoc deſperationis principium. Chryſoſtomus (e) de compunctione cordis. O remorſum crudelem peccati commiſſi! Qui ſi fores bene ordinatus dolor, fores utique medicina; ſed quia colericus es, ac furioſus, ideo venenum es.

VI. Nota: quod Deus dupliciter ſe habet ad juſtos; quoſdam enim fortificat, præſervando ne cadant; alios miſericorditer erigit lapſos. Confortare igitur peccator, cui ſi non tributum eſt, ut per fortitudinem ſerves innocentiam, datum eſt ſaltem per gemitum lavare culpam. Et, ut ait P. Auguſtinus (f) in libris Confeſſionum: ſi turbaris, cum vides fratrem tuum ſervare innocentiam, & te cadere; cogita, quoniam iſte non ſtat in ſua virtute, ſed eadem miſericordia Dei, quæ te levat per dolorem, illum detinet per fortitudinem: imo, major miſericordia Dei eſt evitare peccatum in anima, quam delere peccatum animæ. Beatus, cui ſi non data eſt fortitudo perſiſtendi, data eſt converſio reſurgendi. Nota ſimiliter: quod peccator accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ, debet accedere cum magna fiducia veniæ; nihil hæſitans. Eſt enim magna pars diſpoſitionis in peccatore conſequendæ miſericordiæ ipſa fiducia. Bernardus (g): *Quodcumque calcaverit pes tuus*, ſcilicet ſpei, *tuum erit*; id eſt: extende fiduciam peccator, quidquid ſperaveris impetrabis. Nota pro hoc, quod multum movet ad fiduciam, videre quod Dominus pro abluendis ſordibus reliquit iſtud Sacramentum, & ad hoc inſtitutum eſt. Quomodo ergo poterit vincere magnitudo malitiæ tuæ virtutem Sacramenti? Abſit: ſi ad mundandam animam inſtitutum eſt Sacramentum, confidenter accede, & fac quod in te eſt, & ſine dubio mundabe-

Jonæ 2. Pſal. 76. Job 36. 2. Cor. 2. Pſal. 57. Job 36. Deut. 11. Judic. 1.

(a) Suppl. p. 3. q. 2. art. 6. *Quantum ergo ad principium contritionis oportet, quod ſit de ſingulis peccatis, quæ quis in memoria habet; ſed quantum ad terminum ſufficit, quod ſit una communis de omnibus. Tunc enim ille motus agit in vi omnium diſpoſitionum præcedentium.* Idem habet S. Doctor 1. 2. q. 113. art. 5. ad 3. *Oportet, quod homo ſingula peccata, quæ commiſit, deteſtetur, quorum memoriam habet, & ex tali conſideratione præcedenti ſubſequitur in anima quidam motus deteſtantis univerſaliter omnia peccata commiſſa.*

(b) Moral. in Job lib. 36. cap. 46.

(c) Duos edidit libros Ambroſius de Pœnitentia. In his totus eſt contra Novatianos, aſſerentes omnia peccata eſſe irremiſſibilia. Horum immodicam ſeveritatem omni argumentorum genere mire perſtringit S. Doctor; hortaturque lapſos ad fletus, & pœnitentiam ſub ſpe divinæ miſericordiæ. Id præſertim agit cap. 5. 6. & 7. lib. 2. Forte etiam reſpicit S. Orator ad lib. de Pœnit. Victoris Turonenſis, olim Ambroſio adſcriptum, qui legitur in Append. Operum ejuſdem S. Doctoris.

(d) Scilicet Serm. 10. in Cant. num. 6., ubi pœnitentes conſolatur. *Gaudete*, inquit, *pœnitentes, puſillanimes confortamini. Vobis dico, quos nuper converſos de ſæculo, & a viis veſtris pravis recedentes, excepit mox amaritudo, & confuſio animi pœnitentis, ac velut recentium adhuc vulnerum, dolor nimius excruciat, ac perturbat. Securæ manus veſtræ diſtillent myrrhæ amaritudinem in ſalubrem hanc unctionem: quia cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet.*

(e) Lib. 2. de Compunctione cordis, non procul a medio. *Solet enim mœroris nimietas, ſi pertinacius incubuerit, conſumere vires animi: quod puto accidiſſe juſto huic, dum nimis incuſat ſemetipſum, & nihil ſibi promittit lætum, &c.*

(f) Hæc, puto, ſunt verba, ad quæ S. Orator alludit, nimirum Confeſs. lib. 2. cap. 7. *Qui enim vocatus a te, ſecutus eſt vocem tuam, & vitavit ea, quæ me, de me ipſo recordantem, & fatentem legit, non me derideat ab eo Medico ægrum ſanari, a quo ſibi præſtitum eſt, ut non ægrotaret, vel potius ut minus ægrotaret: & ideo te tantumdem, immo vero amplius diligat; quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum ſe videt tantis peccatorum languoribus non implicari.*

(g) In Cant. Serm. 32. num. 8. *Tales itaque magna audent, quoniam magni ſunt: & quæ audent, obtinent, juxta verbum promiſſionis ad ipſos, quod eſt iſtiuſmodi: Quemcumque locum calcaverit pes veſter, veſter erit. Magna ſiquidem fides, magna meretur: & quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenus poſſidebis.*

daberis. Nota pro hoc aliquas auctoritates ad consolandum peccatores, & erigendum ad spem. Prima auctoritas Michææ ultimo: *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi; consurgam, cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram* quoque *Domini portabo, quoniam peccavi ei*, &c. Vide totum. Verba sunt filiæ Jerusalem, id est animæ pœnitentis ad filiam Babylonis, id est dæmonem. Alia auctoritas Isaiæ: *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas*, & memor non ero. Tu autem memor esto, *& judicemur simul: Narra si quid habes, ut justificeris*. Secundum antiquam translationem (*a*) alia auctoritas Jeremiæ: *Audiens audivi Ephraim* lacrymantem, &c. Vide ibi. Alia auctoritas: *Ergo amodo*. Voca me: *Pater meus es tu*, &c. Sed non sic securus fias præ nimia confidentia, ut remittas pœnitentiam. Memento quia est scriptum: *De propitiato peccato noli esse sine metu*. Et iterum: *Sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant*. Et iterum: *Quasi gens, quæ justitiam fecerit, rogant me judicia justitiæ, appropinquare Deo volunt*. Duplex item est Dolor; scilicet naturalis & voluntarius. Primus infructuosus. Dolet latro, quia ei furca parata. Nihil prodest talis dolor de furto. Sic etiam, qui propter mortem dolet, quia paratus infernus, suspicionsus est talis dolor: quia Deum, quasi judicem & vindicem, non vinculis amoris, sed oculis timoris, quasi servus respicit: infructuosus, & inutilis solet esse talis dolor: sic etiam dolent damnati. *Turbabuntur*, inquit, *timore horribili, dicentes intra se, pœnitentiam agentes: Nonne isti sunt, quos aliquando, &c. Quid nobis profuit superbia? Divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Pondera hoc. Alius est dolor liber, & voluntarius, non a timore, sed ab amore procedens, & iste est vera pœnitentia, & maxima. Ad hunc dirigenda est intentio nostra: ut inde salutariter doleamus, quia pium Dominum, & tam bonum, qui tanta contulit nobis, qui sic diligit nos, offenderimus. Et etiam post veniam non sit nobis consolatio; quia sic eum contempsimus, tam impie, tam injuste. P. Augustinus (*b*): Oportet vere pœnitentem, non solum Deum judicem timere, sed & justum diligere.

VII. Tertium punctum. De Impedimentis Pœnitentiæ. Sunt quatuor, scilicet: Verecundia, Timor satisfaciendi, vel pœnitentiæ, Spes vitæ, & Desperatio. Primum impedimentum est Verecundia. Matronæ & mulieres solent erubescere. Stulta verecundia. Ecclesiasticus: *Est enim confusio adducens peccatum*. Bernardus (*c*): Pudet ablui, & non pudet sordidari? Quis miretur de peccatis? Sciens, quoniam *sensus & cogitatio hominis prona est in malum ab adolescentia sua?* Imo magis mirandum, quod non cadit homo in pluribus, secundum naturæ nostræ lubricam conditionem. Quod si jam pudet, si habenda verecundia est, illa æstimetur, qua in conspectu totius mundi peccata nostra, etiam cordis, manifestabuntur. Propheta: *Revelabo*, inquit, *pudenda tua in facie tua*. Coram omnibus hominibus, & Angelis. Revelemus ergo, dicendo uni, ne nota fiant omnibus. Dicamus modo nos in secreto, ne tunc dicantur in publico. Nam Confessio ideo secretum habet, quia non ibi virtutes, sed vitia dicenda sunt. Sed sunt plurima peccata graviora, quæ minus habent erubescentiæ, sicut superbia, quam luxuria. Secundum impedimentum Pœnitentiæ est Timor aggrediendæ pœnitentiæ. Non enim facile cogitat aggredi posse viam justitiæ. Iste timor est nocturnus; timentur enim umbræ nocte; sic enim timetur quod non est. Sed dices: Nonne Dominus dicit, quod ampla est via, quæ ducit ad mortem, & arcta est via, quæ ducit ad vitam? Responsio: In principio sic est: sed in processu per oppositum assuetis contingit. O quanto difficilius est servire peccato, quam Deo! Peccator enim servus est tot dæmonum, quot vitia habet. Et miserabilis servus peccati. *Qui enim facit peccatum, servus est peccati*. Justus autem modico labore se a servitute liberat in libertatem filiorum Dei. Arctissima, Frater, ergo est via peccatorum, & difficilis: *Lassati sumus, ambulavimus vias difficiles*. O quam asper, & arduus, & petrosus mons, & ascensus superbiæ! Semper sollicitari, si quis contemnit, si quis æquatur. Similiter voluptuose luxurians mancipium miserabile turpitudinis, vilem faciens personam. Similiter ira, quibus pugionibus animam fodit. Similiter invidia, tabescens præ dolore bonorum. Felix humilitas; pacifica, non curans si quis prædominetur, si quis extollitur. Felix pudicitia puritate gaudens, & excellentia societatis. Felix charitas omnibus adjumentis fovens fratres, gaudens de bonis aliorum. O quanta gloria! O quanta pax bonæ conscientiæ! Nullis agitur stimulis, non sollicitatur

Michææ 7. — Isaiæ 43. — (a) — Jer. 31. — Ibid. 3. — Eccli. 5. — Eccles. 8. — Isaiæ 58. — Sap. 5. — (b) — Eccli. 4. — (c) — Gen. 8. — Nahum 3. — Mat. 7. — Jo. 8. — Rom. 8. — Sap. 5.

(*a*) Ita enim vertunt Septuaginta: *Audiens audivi Ephraim lamentantem*, ubi Vulgata legit: *Audiens audivi Ephraim transmigrantem. Castigasti me, & eruditus sum quasi juvenculus indomitus. Converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus.*

(*b*) Verba hic allegata hausta sunt ex lib. de vera, & falsa Pœnitentia, qui tamen liber in Appendicem rejicitur a PP. Congreg. S. Mauri tom. 6., in hoc lib. num. 33. ita legere est: *Quem ergo sero pœnitet, oportet non solum timere Deum judicem, sed & justum diligere. Non timeatur pro pœna, sed ametur pro gloria.*

(*c*) De quatuor impedimentis hic enumeratis agit S. Bernardus toto Serm. 104. de diversis. *Quatuor*, inquit, *sunt, quæ impediunt Confessionem, pudor, timor, spes, desperatio*. Quod attinet ad pudoris remedium, ita expedit. *Dicatur ergo illi, quem pudor afficit. Cur te pudet peccatum tuum dicere, quem non puduit facere? Aut cur erubescis Deo confiteri, cujus oculis non potest abscondi? Quod si forte pudor est tibi uni homini, & peccatori, peccatum tuum exponere, quid facturus es in die Judicii, ubi omnibus exposita tua conscientia patebit?*

tatur de timore pœnæ, quoniam lex non ad-
1.Tim.1. versus juſtum eſt: juſto enim non eſt poſita lex. Hæc fructu juſtitiæ gaudet. Inſuper lætatur plenis velis, & vitam æternam in fine præſtolatur. Non mortem timet, non gehennam pavet, cum Deo delectatur, in gaudio & lætitia vivit, & gaudium & lætitiam ſperat. Quod ſi quid hic laboratur in via juſtitiæ, labor ille ſine labore eſt, & jugum ſine onere, & crux uncta, ut ait Ber-
(a) nardus (a) in Declamationibus. Pſalmus: *La-*
Pſ. 127. *bores manuum tuarum quia manducabis.* Non ait: fructus laborum, ſed labores. Nam ipſa vigilia ſomno delectabilior eſt, & ipſa abſtinentia omni cibo ſuavior, & ipſa paupertas omnibus divitiis pretioſior. Hoc eſt manducare labores ipſos.

VIII. Tertium impedimentum eſt Spes longioris vitæ. Ideo differtur Pœnitentia. Eccleſiaſticus: *Non tardes converti ad Domi-*
Eccli. 5. *num, & ne differas de die in diem. Ne dixe-*
Ibidem. *ris: Peccavi, & quid mihi accidit triſte?* Stulta nimis cogitatio differre pœnitentiam. Homo enim eſt ſicut ſaccus aceroſus. Et diaboli undique circumſtant cum facibus accenſis, & tu ponis dilationem? Comparatio contra differentes pœnitentiam in ſenium. Si quis mulio haberet quatuor beſtias, & una eſſet macra & aliæ pingues, & onus trium pinguium poneret ſuper macram: qualis iſta via? Sic ſunt quatuor ætates: pueritia, adoleſcentia, juventus, & ſenectus. Et onera

A peccatorum, & pœnitentiæ auſteritatem imponis ſuper quartam, cui ipſa ſenectus pœnitentia eſt? Alia comparatio, de ludente cum alio in tabula latruncularia, & permittit ſibi auferri omnes partes, cogitans in fine lucrari. Ita tu, omnes virtutes, & tempora, & temporis ætates permittis rapi, & poſtea ſperas vincere in domo mortis? Quartum impedimentum eſt Deſperatio, aliis pejus. *Impius, cum in profundum venerit peccato-* Prov. 18.
rum, contemnit. Chryſoſtomus (b): Non quia (b)
venit in profundum peccatorum; ſed quia impius. Non enim damnatus eſt homo, tam quia
B peccavit, quam quia non pœnituit. Pſalmus: *Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum.* Pſ. 118.
Sequitur: *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum: ego vero legem tuam meditatus ſum.* Legendum: Conditionem tuam (c), id eſt: remiſ- (c)
ſionem tuam, quam gregi promiſiſti, ſcilicet vere pœnitenti. Exemplum. David vir innocens & ſanctus per quinquaginta annos, & de 2. Reg.
paſtore factus Rex, & poſt tot beneficia adul- 11.
teravit, occidit virum juſtum, blaſphemare Ibid. 12.
fecit nomen Domini; & tamen, non diffidens, clamat: *Miſerere mei Deus, ſecundum* Pſal. 50.
C *magnam miſericordiam tuam.* Magna miſericordia mihi debetur, quoniam magna ſunt peccata mea. *Amplius lava me*, perfectius munda me. Adde ſuper miſericordiam veniæ donum beneficii. O magna fiducia! Quid ait Dominus? Inveni hominem ſecundum Pſal. 84.
cor meum, id eſt, qui me agnoſcat. Act. 13.

(a) Serm. 1. in Dedicat. Eccleſ. num. 5. *Vos, qui experti eſtis, ecce ipſi ſcitis, quia vere crux noſtra inuncta eſt, & per gratiam Spiritus adjuvantis, ſuavis, & delectabilis eſt pœnitentia noſtra, &, ut ita dicam, amaritudo noſtra dulciſſima.* In Declamationibus autem hic allegatis, quæ ſunt Gaufridi Abbatis excerptæ ex S. Bernardo, ita legimus ſub num. 70. *Hæc gratia devotionis, & unctio docens de omnibus, quam expertus novit, inexpertus ignorat, quoniam nemo ſcit, niſi qui accipit.* Nihil clarius hac in re extat in prælaudatis Declamationibus tom. 3. Op. S. Bernardi, juxta edit. Mabillonii.

(b) Epiſt. 5. ad Theodorum lapſum, prope initium. *Nunquam enim peccatorum, quamlibet exuberans copia, in deſperationem conjicere ſolita fuit, ſed cum illis impiam habere animam. Propterea Salomon non dixit ſimpliciter: Quiſquis venit in profundum malorum, contemnit: ſed nominatim*, inquit, *impius: quia illorum tantum eſt ille morbus, poſtquam in profundum malorum deſcenderunt.* Extat laudata Epiſtola tom. 5. edit. Pariſ. an. 1570.

(c) Quo id aſſerat fundamento, mihi plane incompertum. Nulla enim ex Pſalmorum verſionibus, quæ in Bibliis Polyglottis Le Jay leguntur, hanc exhibet variationem. Nec vero apud Auguſtinum, Hilarium, Chryſoſtomum, alioſque, quos conſulere potui, uti nec in Pſalterio Rom. a Thomaſio evulgato, ejus veſtigium reperi ullum.

IN DOMINICAM INFRA OCTAVAM NATIVITATIS

CONCIO.

DE EXINANITIONE VERBI PER INCARNATIONEM, ET EUANGELIO.

Nihil differt a ſervo, cum ſit Dominus omnium.
Galat. 4. v. 1.

* CONCIO XIX.

I. IN rebus quædam ſunt, quæ, quo magis cognoſcuntur, eo minus æſtimantur. Et quæ, dum ignota erant magna videbantur, ipſa luce cognitionis apparent exigua. Cujuſmodi ſunt omnia tranſitoria & mundana, ſæculares dignitates, honores, opes, & voluptates. Alia vero ſunt, quæ numquam pro merito valent æſtimari, nec appretiari ab intellectu, quæ, quoniam vere magna ſunt, ipſa conſideratione magnifica apparent, & non valente intellectu eorum excellentiam comprehendere, quo magis ea intelligit, eo magis ducitur in admirationem, quoniam ſuperat vires intellectionis magnitudo eorum. Tale eſt, Fratres mei, hoc, quod ſolemni & feſtivo gaudio, his diebus celebrat Eccleſia. Tale eſt, quod brevi elogio Euangeliſta perſonuit: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* *Jo. 1.* Ecce quotidie dicimus, quotidie laudamus, quotidie penſamus, quod Deus factus eſt homo, numquam hoc inveteraſcit in corde. Semper novum apparet, ſemper admiratur animus; quomodo hoc eſt, quod Deus homo eſt. Et fit quod Propheta præcinuit: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* *Pſal. 63.* Nullus intellectus valet pro merito ponderare rei iſtius magnitudinem, myſterii profunditatem, pondus amoris, gratiæ ſupererogationem, benignitatis & miſericordiæ Dei noſtri erga nos ampliſſimum ſinum, pietatis viſcera, charitatis ardorem. Superat homines, imo Angelos, Sacramenti hujus eminentia: ſolus Deus valet pietatis opus digne ponderare. Sed tamen, ſi quid in ſacra Scriptura reperiri poteſt, quod brevi ſermone iſtius beneficii magnitudinem commendet, id maximum videtur meo judicio, quod Spiritus ſanctus, Apoſtolica illa tuba, in hoc noſtri thematis abbreviato compendio perſonuit, dicens: *Galat. 4.* *Nihil differt a ſervo, cum ſit Dominus omnium.* Quid amplius dici poteſt, vel cogitari? Extrema iſta ſunt, & maxime diſtantia, Dominus omnium, & ſervus. Illud ex ſe eſt, iſtud pro te factus eſt. Potuitne amplius humiliari Dominus omnium, niſi ut fieret ſervus omnium?

II. Ecce, in omni genere, in omni ſtatu, ſervorum ſtatus, & conditio ultimus eſt. Filius enim minor eſt patre, diſcipulus minor magiſtro; ſed non ſicut ſervus minor eſt domino ſuo. Utpote, qui juri ſuo renuntiavit, & ſui ipſius poteſtatem non habet, ſed ad alterius vivit voluntatem, & alieno regitur imperio. Quis ſtatus vilior, quæ conditio abjectior eſſe poteſt, quam ſit ejus, qui ſuus non eſt, ſed alterius? Et totum quod eſt, quod habet, quod agit, alterius eſt, ad alterum ſpectat, alterius nutu regitur, alterius nutu diſponitur? Parum certe diſtat hoc a brutorum conditione, & quaſi alius equus vel bos, eſt ſervus ad dominum ſuum; quia dum voluntate & arbitrio proprio non utitur, ſed alieno, quaſi homo natura eſt, & brutum conditione. Huc uſque Creator omnium deſcendit, huc uſque pervenit; qui ore prophetico clamat ad Patrem: *Ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* *Pſal. 72.* Et iterum: *O Domine, quia ego ſervus tuus: ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.* *Pſ. 115.* O Domine! Factus es Dominus meus, qui & Pater meus. O Domine! Ego Filius tuus, ego tibi conſubſtantialis, tibi æqualis, tibi coæternus, ego, in quo omnia, per quem omnia, a quo omnia, ego, inquam, *ego ſervus tuus.* Quid ſervus tuus? Imo ſervus ſervorum tuorum. Alienis uſibus traditus, alienæ ſerviens utilitati, totus expenſus ſervitio creaturæ meæ, non ſolum alterius utilitatibus vivens, ſed alterius etiam commodis moriens. Super omnes ſervos vita & morte ſervio, &c. Quam bene ponderavit hoc Apoſtolus! *Exinanivit ſemetipſum*, inquit, *formam ſervi accipiens.* *Philipp. 2.* Pondera verbum *exinanivit.* Et non ſolum hoc, ſed *formam ſervi accipiens*, ſed formam accipiens ſervi peccatoris ſine peccato. Magnum eſt, ſi ſervus appareat, qui eſt Dominus; ſed nonne majus eſt, ſi reus appareat, qui eſt innocens, ſed fundat ſanguinem inſtar malefactoris,

& mo-

& moriatur inter malefactores? Et hoc, cum sit Dominus omnium? Dominus, non voluntate aut conditione, sed natura; siquidem ejus dominium verum est, quia essentialiter ei omnes rerum essentiæ sunt subjectæ, & in potentia obedientiali: quoniam ipse fecit eas, sustentat eas, & dominatur suorum operum. Alii enim domini sola voluntate servientium domini sunt. Deus natura Dominus est. Ideo canit Ecclesia: *Quoniam tu solus Dominus*. Et alibi: *Dominus Deus.... Hoc nomen mihi est in æternum*. Hic ergo omnium Dominus, hic, cui Angelicæ potestates subjiciuntur, &c. nihil differt a servo. Ut servus nascitur, ut servus circumciditur, ut servus in Templo redimitur, ut servus parentibus subditur, ut servus fugit reguli potentiam in Ægyptum, ut servus contemnitur, ut servus occiditur; tractatur ut servus, cum sit Dominus omnium. Apostolus: Per omnia fratribus assimilatus, in omnibus nobis similis factus: cum sit filius, nihil differt a servo.

Exodi 3. *Lucæ 2.* *Mat. 2.* *Ibid. 27.* *Lucæ 23.* *Hebr. 2.*

III. Considera, o homo, mundi istius diversitatem; tot rerum species, tot creaturarum differentias; & vide, quanta sit potentia hujus Domini, cui omnia famulantur, quam ampla domus, quam varia supellex. *O Israel, quam magna est domus Domini, & ingens locus possessionis ejus! Magnus est, & non habet finem: excelsus & immensus*. Vide, quam innumera sint ista, quæ vides: & nihil horum sine causa est; nihil quod non ordinetur in finem aliquem; nihil præter ordinem fit. Non enim casu factus est mundus, sed consilio, & æterno consilio. Vides multitudinem stellarum, multitudinem herbarum, animalium, foliorum; omnium aliquis est finis, & ad aliquid sunt. Si ergo ista, quæ a nobis non computantur, a Deo omnia ponderantur, & numerantur: istud opus supra omne opus, quod Deus factus sit Homo, quantum a Deo æstimatur, & præponderatur, qui etiam minima quæque numerat, & ponderat? Et si minima non carent fine in divina providentia, hujus tam ardui, tam magnifici, tam singularis, tam admirabilis operis, qualem putas esse finem? Et si omnia, quæ facta sunt, propter aliquid facta sunt: hoc, quod Dominus omnium factus est servus, propter aliquid factum est. Quid ergo hoc est, sic a Deo æstimatum, ut sapienter & prudenter pro illo nihil differat a servo, qui est Dominus omnium? Non enim inconsiderate, non casualiter, non irrationabiliter, non injuste factum est hoc. Propter quid ergo? Hic ergo audi Ecclesiam: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto*, natus *ex Maria Virgine, & Homo factus est*. Propter hominem, propter quem omnis facta est creatura, Creator ipse factus est creatura. Sumus nos ergo quodammodo finis omnium. Audi igitur, o homo. Deus nihil fecit frustra, sed omnia propter te. Et ipse, licet magnificus, non est superfluus; si ergo Deus non est superfluus, recte valde tu es indigus. O magna hominis indigentia, qui tot eguit fulcimentis! Angelus non eget stellis, non eget elementis, non arboribus, non plantis, non animalibus. Tu homo, omnium egenus es, & tanta est tua indigentia, quanta est rerum omnium copia. Propter te cœlum stellis, mare piscibus, terra plantis, & herbis, aer avibus seminata sunt. Et veluti domui ruinosæ plura poni solent fulcimenta, ita homini fragili omnis creatura ad vitam necessaria est. Et quantus est mundus, tanta est hominis egestas. Sed hujus singularis operis illa assignatur causa, scilicet salus hominis. *Propter nos homines*, ait. Et ut ostenderet ad quid, ait: *Et propter nostram salutem*. Æger erat homo, Medicus advenit, qui ejus vulnera alligaret, & super jumentum suum poneret Samaritanus ille piissimus. De hac igitur medicina, modicum tractatum est in præsenti sermone.

Lucæ 10.

IV. Primo. In expositione pondera: *Erat Pater ejus, & Mater mirantes*. Magis ego admiror de admiratione. O Maria numquid noveras, quoniam Deus est? Quid mirum, si ab Angelis adoretur, & a Regibus? &c. Sed mirum, quod sic publicatus esset partus, quod sic notus pastoribus, & ignotus esset legisperitis, & sapientibus populi.

Ibid. 2.

Secundo. *Et benedixit illis Simeon*. Quomodo Regi gloriæ benedicitur? Nam, ut ait Apostolus: *Quod minus est, a meliore benedicitur*. Sed benedictio illa laus Domini fuit: quia laudavit Deum in Filio suo secundum carnem. Vel dic: quod Spiritus sanctus instruxit Simeonem. Quoniam non dedignatur ab homine benedici, qui venit etiam homini servire.

Ibidem. *Hebr. 7.*

Tertio. *Ecce positus est hic in ruinam. Deus omnes homines vult salvos fieri*. Quomodo ergo in scandalum & ruinam positus est? Volentibus Discipulis mittere ignem supra civitatem, dixit Dominus: *Nescitis cujus Spiritus estis;* scilicet quam pii, quam misericordes. *Filius enim hominis*, inquit, *non venit animas perdere, sed salvare*. Quomodo Salvator *positus in ruinam?* Responsio. De se venit in resurrectionem, sed cæci offenderunt contra lucem. *Lux enim in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt*. S. Thomas: Magna est malitia eorum, qui bono efficiuntur deteriores. Ecce bonum est libertas, sed libertate plures mali fiunt. Bonum est scientia, sed scientia plures inflantur. Bonum est cura pastoralis, sed pluribus fuit causa ruinæ: in bono enim reperiunt ruinam mali. Apostolus ait: *Lex quidem sancta est, & mandatum sanctum, & justum, & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors?* Lex bona, mandatum sanctum, sed quod factum erat ad vitam, inventum est mihi esse ad mortem. Ita ergo Christus, non faciebat ruinam, sed in illo offendentes, plurimi ceciderunt, qui forte alias non cecidissent.

Lucæ 2. *1. Tim. 2.* *Lucæ 9.* *Ibidem.* *Ibid. 2.* *Jo. 1.* *Rom. 7.*

sent. Quoniam ipse ait: *Si non veniſſem, peccatum non haberent.* Apoſtolus ait de se: *Bonus odor ſumus.* Sed attende quod ſequitur: *Aliis*, inquit, *odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.* Platani bonus odor, ſed serpentes necat. Et Dominus de se: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Quomodo Domine? Quis non videt? Apoſtolus, qui ait: *Scio quia non habitat in me bonum.* Multum videbat ille Phariſæus, qui dicebat: *Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, injuſti, adulteri.* Alter Publicanus oculos non levabat a terra. Iſte non videbat se, & illuminatus eſt, quia *deſcendit juſtificatus in domum ſuam.* Vultis videre offendentes in lapidem vivum? Ecce, ait: *Caro mea vere eſt cibus.* Hæc veritas eſt, vita eſt. Et tamen dicunt: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Utique offenderunt in lapidem vivum. Iſaias ait: *Dominum exercituum ipſum ſanctificate: ipſe pavor veſter, & ipſe terror veſter. Et erit vobis in ſanctificationem. In lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael: in laqueum & in ruinam habitantibus Jeruſalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur. In petram ſcandali duabus domibus Iſrael.* Gloſſa: Id eſt Phariſæis, & Scribis. *Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum.* Qui ceciderit, inquam, incredulitate ſuper lapidem iſtum, confringetur. Super quem vero ceciderit in judicio, conteret eum.

Jo. 15. *2. Cor. 2.* *Jo. 9.* *Rom. 7.* *Lucæ 18.* *Jo. 6.* *Iſaiæ 8.* *Mat. 21.*

Quarto. *Et erat Anna Prophetiſſa.... & hæc, ipſa hora ſuperveniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.* Annæ Prophetiſſæ ideo prophetia reticetur in Euangelio, quia, ut ait Apoſtolus: *Docere mulieri non permitto, nec dominari in virum.* Pondera rationem hujus in Apoſtolo, & invenies, quoniam cum voluit conſulere, decepit virum. Non enim, inquit, vir deceptus eſt, ſed mulier. *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit. Nec dominari.* Ideo: Quia non vir ex muliere, ſed mulier de viro ſumpta eſt. *Adam prius formatus eſt, deinde Eva.*

Lucæ 2. *1. Tim. 2.* *Lucæ 2.*

Quinto. *In ſignum, cui contradicetur.* Domino contradictum eſt a Phariſæis, & Judæis. Nunc a malis Chriſtianis. Elegit Dominus omnia contraria mundo, ideo illi contradicitur a mundo. *In ſignum, cui contradicetur.* Bernardus (*a*): Uſque hodie Domine tibi contradicitur a tuis. Quid minus hodie etiam divitiæ, & honores quæruntur, quam, ſi pauper, & inhonorus non veniſſes.

Ibidem. (*a*)

Sexto. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Martyrium Virginis maximum. Quia triſtitia major eſt dolore; quia eſt in voluntate, & dolor in appetitu. Modo, certum eſt, quod nocumentum animæ intimius eſt homini, & majus, quam corporis.

Ibidem.

IN DOMINICAM INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ

CONCIO.

DE EUANGELIO.

Remanſit puer Jeſus in Jeruſalem. Lucæ 2. v. 13.

* CONCIO XX. *Lucæ 2.*

I. CUM *factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Jeroſolymam, ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatiſque diebus, cum redirent, remanſit puer Jeſus in Jeruſalem.* Nota duo. Quomodo perditur Jeſus. Quomodo reperitur Jeſus. De primo. In feſto perditus eſt Jeſus. Dum Mater in exilio Ægypti eſt, non perditur, & perditur in feſto. Dic: quomodo in tribulationibus cuſtoditur, & in proſperitatibus perditur. Dic: quomodo hoc, quod omnis lex prohibet, feſto licere putatur. Tunc fiunt diſſolutiones. Licet feſto crucifigere Jeſum. Tunc maxime deberet ſanctificari; & fit oppoſitum. Pſalmus: *Tempus faciendi, Domine.* Secundo. Quomodo reperitur. Pſalmus: *In toto corde meo exquiſivi te.* Et iterum: *Deum exquiſivi manibus meis nocte.* Corde, & manibus, operibus. Si quæritis, quærite. Quid decipitis vos? In Canticis capite quinto: Deus pulſat: non aperitur ſtatim; declinat. Sequitur: *Vocavi* eum, *& non reſpondit mihi.* Aperiamus confeſtim, fratres, ne claudatur janua. *Exiſtimantes illum eſſe in comitatu.* O quot ſunt hodie, qui putant ſecum

Ibidem. *Mat. 2.* *Mat. 27.* *Pſ. 118.* *Ibidem.* *Pſal. 76.* *Cant. 5.* *Lucæ 2.*

(*a*) Vide Serm. 1. in Converſ. S. Pauli num. 3.

ſecum ire Chriſtum in via vitæ præſentis; ſecuri de ſua juſtitia præſumentes; qui, quando venerit nox mortis, nox illa extrema reperient Jeſum non eſſe in comitatu! O quam miſera mors, quando Jeſus in vita non eſt in comitatu! Sunt, qui dicunt ſe noſſe Deum, *Tit. 1.* ſed moribus contradicunt, factis negant. Dices: De dolore maximo Virginis, quando amiſerat Jeſum, & de gaudio, quando reperit; devote. *Et factum eſt poſt triduum in-* *Lucæ 2.* *venerunt illum*. Mater tribus diebus reperit. *2. Reg.* David poſt peccatum, tribus ſyllabis: Peccavi. *12.* Nam juſtus diu poteſt quærere, quem ardenter deſiderat. Peccator, ſi non ſtatim adſit, recedit. *Poſt triduum* reperitur Jeſus. Triduum pœnitentiæ, ſcilicet, dolorem, confeſſionem, & ſatisfactionem. Nota etiam qualiter Chriſtus ſe habuit illis tribus diebus. Quomodo hoſpitabatur, & ubi comedebat, & apud quos remanſit: an petebat eleemoſynas? *Sedentem in medio Doctorum,* *Lucæ 2.* *audientem illos & interrogantem*. Lectio multum juvat, multum illuminat. *Et dixit Ma-* *Ibidem.* *ter ejus ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic?* (a) Bernardus (a): Deum & Dominum Angelorum, Maria audacter appellat Filium ſuum, dicens: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, & pro magno habent, quod, cum ſint Spiritus ex conditione, ex gratia facti ſunt, & vocati Angeli; teſtante David: *Qui facit*, inquit, *Pſ. 103.* *Angelos ſuos Spiritus*. Maria vero Matrem ſe agnoſcens, Majeſtatem illam, cui illi cum reverentia ſerviunt, cum fiducia ſuum nuncupat filium.

II. *Dolentes quærebamus te*. Juſte dolentes. *Lucæ 2.* Magna perditio perdere Salvatorem. Dolebat Virgo, quoniam totum cœleſtem theſaurum Divinitatis & Majeſtatis amiſerat. O quot hodie ſunt, qui perdunt Jeſum, nec dolent! Perdunt ducatum, & dolent; perdunt vitam, & non ſentiunt. Pro levi voluptate, pro uno judicio falſo, &c. Sed tu, Domine, pius & miſericors, peccatoribus te objicis, facilis inveniendus, quo- *Ibidem.* niam non eſt in eis ardor inveſtigandi. *Et* (b) *erat ſubditus illis*. Bernardus (b): Quis? Quibus? Deus, hominibus. Deus, inquam, cui Angeli ſubditi ſunt. Cui Principatus, & Poteſtates obediunt, ſubditus erat Mariæ. Nec tantum Mariæ, ſed etiam Joſeph propter Mariam. Mirare hic utrumlibet: & elige, quid amplius mireris, ſive Filii benigniſſimam dignationem, ſive Matris excellentiſſimam dignitatem. Utrinque ſtupor, utrinque miraculum; & quod Deus feminæ obtemperet, humilitas abſque exemplo, & quod Deo femina principetur, ſublimitas ſine ſocio. In laudibus Virginum ſingulariter canitur: Quod *ſequuntur Agnum quocum-* *Apoc. 14.* *que ierit*. Quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ etiam præit? Diſce homo obedire, diſce terra ſubdi, diſce pulvis obtemperare. De Auctore tuo loquens Euangeliſta: *Et erat*, inquit, *ſubditus illis*. Haud *Lucæ 2.* dubium, quin & Mariæ & Joſeph. Erubeſce, ſuperbe cinis: Deus ſe humiliat, & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis Auctori? Quoties enim hominibus præeſſe deſideras, toties Deum tuum præire contendis; & tunc vere non ſapis, quæ Dei ſunt. De ipſo namque dictum eſt: *Et erat ſubditus illis*. Si hominis, o homo, imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum ſequi Auctorem tuum.

III. Maria *mater ejus conſervabat omnia* *Ibidem.* *verba hæc in corde ſuo*. Dic: Quomodo conferebat Scripturas, & in ſe ipſa reperit impletas. Quanta dignitas! Quanta excellentia! Et non ſuperbit. *Et Jeſus proficiebat* *Ibidem.* *ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines*. Comparatio. Sicut ſolis eadem eſt lux diluculo, mane, meridie, ſed non idem calor ſolis; ita quoad effectum exteriorem. Erat ille alioqui perfectus; non ſolum jam, cum diceretur (c): *Propheta magnus ſurrexit* (c) *in nobis*, ſed etiam, cum tenera adhuc in- *Ibid. 7.* fantis membra Dei Mater blando vel foveret in gremio, vel geſtaret in utero. Perfectus igitur erat Jeſus, necdum etiam natus; ſed ſapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate ſenſuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit ſapientiæ, vel potius, non minor fuit ſapientia Jeſus conceptus, quam natus, parvus, quam magnus: ſive ergo latens in utero, ſive vagiens in præſepio, ſive jam grandiuſculus interrogans Doctores in Templo, ſive jam perfectæ ætatis docens in populo, æque profecto plenus fuit Spiritu ſancto. Nec te moveat, quod de illo legis: *Jeſus* autem *proficiebat ſapientia, & ætate,* *Ibid. 2.* *& gratia apud Deum & homines*. Nam, quod de ſapientia & gratia hic dictum eſt, non ſecundum quod erat, ſed ſecundum quod apparebat intelligendum eſt. Non quia, videlicet, aliquid ei novum accideret, quod ante non haberet, ſed quod accidere videretur, quando volebat ipſe ut videretur. Tu homo, cum proficis, non quando, nec quantum vis proficis, ſed te neſciente, tuus moderatur profectus, tua vita diſponitur. At vero puer Jeſus, qui diſponit tuam, ipſe diſponebat & ſuam, & quando volebat, & quibus volebat, ſapiens apparebat, quando & quibus volebat, ſapientior, quando & quibus volebat, ſapientiſſimus: quamquam in ſe num-

(a) Ipſa ſunt S. Bernardi verba Homil. 1. ſuper *Miſſus eſt*, num. 7. *Annon Deum, & Dominum Angelorum, Maria ſuum audacter appellat filium, &c.*, uſque ad illa verba: *Cum fiducia ſuum nuncupat filium*.

(b) Eadem Homil. 1. ſuper *Miſſus eſt*, num. 7. & 8., ſcilicet a verbis illis: *Quis? quibus*, uſque ad illa: *ſequi auctorem tuum*. Omnia ſunt S. Bernardi verba.

(c) Quæ ſequuntur ad finem uſque Sermonis, S. Bernardi verba ſunt Homil. 2. ſuper *Miſſus eſt*, num. 9. & 10.

numquam esset, nisi sapientissimus. Similiter: & cum semper omni gratia plenus fuisset, sive quam apud Deum, sive quam apud homines habere deberet, pro suo tamen arbitrio eam nunc plus, nunc minus ostentabat, prout cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat.

IN DOMINICAM SECUNDAM POST EPIPHANIAM CONCIO.

DE CONNUBIO SPIRITALI ANIMÆ, ET POSTILLA EUANG.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.
Joann. 2. v. 1.

* CONCIO XXI.

I. TRIPLEX est Connubium Christi cum carne in die Nativitatis, Christi & Ecclesiæ in octava Epiphaniæ, Christi & animæ, de quo hodie. *Erat Mater Jesu ibi.* Sponsus Agnus, Sponsa Columba. Invitata *erat Mater Jesu ibi.* Si tristis consolatur, *erat Mater Jesu ibi:* si justus lætatur, *erat Mater Jesu ibi:* si peccator erigitur, *erat Mater Jesu ibi:* denique, quidquid humano generi tribuitur, non sine illa datur, ut ait Bernardus (*a*). Sed non est otiosa. Quid ait? Fili, *vinum non habent.* Hæc ejus vox continua pro peccatoribus coram Filio suo: Fili, *vinum* gratiæ, devotionis, charitatis *non habent.* *Quid mihi, & tibi est mulier?* Quid eis debuimus facere, & non fecimus? Non culpa nostra est, &c. *Quid mihi, & tibi?* Tu super choros Angelorum. Quid tibi? O Fili, Mater illorum sum, advocata peccatorum; non possum eos oblivisci. Audite peccatores: Implete hydrias animas aqua orationis, meditationis: licet frigida sit, ecce virtus ejus, aquam convertet in forte vinum fervoris, & devotionis, quod lagunculas novas disrumpet, ut profluant in laudes omnimodas, & effundantur in glorificationem Dei. Vide quomodo Psalmus: *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.* Ecce vinum, quod ore exundat, multiplices Dei laudes; *ex abundantia enim cordis os loquitur.* Ad istam ergo accurramus petentes gratiam, &c. Dicendum est de sponso, & sponsa, & modo nuptiarum, & loco, & convivio, & fructu, sive prole. Sponsus agnus est: Sponsa columba. Optime quadrat mansuetudo agni cum simplicitate columbina: optimum connubium. Joannes Apocalypsi: *Nuptiæ Agni.* De Verbo plurima diximus alias; nunc de anima, idest columba, dicendum est.

Jo. 2. *Ibidem.* *Ibidem.* *Isaiæ 5.* *Ps. 144.* *Lucæ 6.* *Apoc. 19.*

II. Magna certe, & valde magna est dignitas, & excellentia animæ rationalis: thesaurus ingens in vase fictili, ut ait Apostolus. O si cognovisses te, o pulcherrima! O si scires tuam excellentiam! Natura simplex, cœlestis, spiritualis, intellectualis, Angelo similis, & propinqua: siquidem *minuisti* eam *paulo minus ab Angelis.* Libera, & spontanea: ut fiat Deo similis ascendendo, ut fiat bruto similis descendendo. Quid amplius? Si vis cognoscere magnitudinem, Dei capax: & tamen cœli cœlorum non te capiunt. Quid ait de anima? Habitabo in ea, & deambulabo. O magna capacitas, & ingens animæ magnitudo! Ut etiam Deus deambulet de passione in passionem, de afflictione in afflictionem. Si magnitudo ergo quæritur, Dei capax est; si pulchritudo, Deo similis est. Ad imaginem & similitudinem meam creavi eam. Dei capax est: o quam magna! Deo similis est: o quam pulchra! O quomodo lucet, & splendet imago Dei in spiritali natura animæ inserta! Sicut gemma in auro purissimo. Ecce qualis natura, ecce qualis arra, quale donum imaginis in natura. Si vis agnoscere pretium ejus ingens est, magni valoris: multum æstimat eam Deus. Vis videre pretium animæ? Sanguis Christi est. Vis videre quam Deo grata sit? Pro ipsa mortuus est, extrema passus est, omnia pro ea egit, omnia pro ea sustinuit nudus. Arra animæ est Deus, præmium animæ est Deus, pretium animæ datus est. Pro anima conditur mundus, pro anima moritur Deus: animæ gloria & corona Deus, nam *gloria virtutis eorum tu es*, Psalmus. O homo considera, & vide, & attende qui sis: non enim es, quod appares, sed quod non appares. Quid de te videtur, nisi corpus? Et tamen tu, non corpus, sed spiritus es, aut quasi spiritus. Homo certe angelus est, aut quasi angelus. Quid, miser, animalibus, & brutis quasi unus adjungeris? Certe, qui modo so-

2. Cor. 4. *Psal. 8.* *3. Reg. 8.* *Psal. 67.* *Gen. 1.* *Psal. 88.*

cius

(*a*) Serm. 3. in Vigil. Nativ. Dom. num. 10. *Sed quia indignus eras, cui donaretur, datum est Mariæ, ut per illam acciperes quidquid haberes;* & post aliqua: *Quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret.* Et Serm. in Nativit. B. M. V. num. 7. *Totum nos habere voluit per Mariam.*

cius es brutorum, & animalium, consors eris Angelorum. Agnosce dignitatem tuam; nam, aut totus anima es, aut quasi anima es. Paulus: *Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus*. Sed, quis non ploret tam speciosam creaturam luto isti immersam? Limo cœnoso corporis visceratam, & conglutinatam? Quæ est ista conjunctio? Spiritus ad cœnum, animæ ad terram? Psalmista lugens: *Adhæsit pavimento anima mea*. Et alibi: *Infixus sum in limo profundi*.

Galat.5.
Ps. 118.
Psal.68.

III. Mirabile certe opificium superni Artificis, quod ille spiritus sic fæci terreni corporis conjungatur, ut inde fiat unus homo. Quid non potest facere, qui prodigium tale fecit, & cœlum miscuit terræ? Certe amplius addidit nobilitare limum nostrum, cum: *Et Verbum Caro factum est*. Jam non miror, quod anima carni conjuncta est. Sed esto, jam unita est per naturam; hoc me magis terret, & dolere facit, quod amore non minus, quam natura ei adhæret. Propter quid enim dolores, labores, anxietates anima sustinet, nisi pro corpore? Utique ipsa non eget vestimento, non cibo, non quiete, non somno, non opibus, non cæteris transitoriis, propter quæ tam dura patitur supplicia. O anima, quid tibi, & cœno vili? Si corrumpatur corpus, tu immortalis es. Quid tua? Si pereat corpus, tu in cœlis. Quid tua? Cur misera carcerem tuum, & catenam sic amas? Tu enim, sine corpore, a passionibus, & doloribus libera es, agilis es, intellectualis es. Quare ergo misera pondus istud grave nimis, & vile terrenæ fæcis amas? Nonne melius est tibi liberam esse, solutam esse? Quis compedes etiam aureos diligat? Quis onus etiam auri non abhorreat? Et tamen vide, quale est, quod amas. Egredere, & separa te a corpore, & vide quale est, quod sic ardenter diligis, putredine scatet, & vermibus fervet. Fuge, fuge fœtorem, claude nasum, operi visum ne videas. Hoc est, quod tam misere & ferventer diligis decepta, & ignorans? Si enim vivendo pulchritudinem aliquam aut vigorem habet, tua est, & non sua illa pulchritudo, tuus est ille vigor. Separa te ab illo, ut possis tecum tua separare, & agnoscere, quale est reliquum corporeum, cui es copulata. Cur ergo cœlestis ipsa terrena diligis? Cur sempiterna transitoria, & spiritalis ipsa corporea, & speciosa fœculenta, & terrenas istas fæces amas? Dilige tibi similia, quære tibi utilia. Quid tibi cum fæcibus, quid tibi cum vermibus? O ingenua, & nobilis, & pulchra Filia Altissimi, cur degeneras a tua nobilitate perpetrando convitia? Cur libera gentis efficeris captiva vitiorum, & te subjugas peccatorum servitio? Cur templum Dei efficeris stabulum porcorum, id est dæmoniorum? O Fratres, quam lamentabile est videre unam speciosam, & ingenuam creaturam factam cœlestis civitatis civem, Dei consortem, Angelorum sociam, videre eam dæmonibus ridiculam, defœdatam passionibus, & turpibus cogitationibus, spurcam, fœtidam, cœnosam, cæcam, & nihil tamen sentientem! O quanta est differentia animarum! Una Dei Ara, Dei Templum, Spiritus sancti Sacrarium, velut hortus deliciarum omni genere suavitatis, plena floribus, liliis, purpuratis rosis mundarum cogitationum, & affectionum redolens. Altera vero omni putredine repleta est.

Jo. 1.
Cant. 1.
Job 7.
Ibid. 25.

IV. Sed, de modo delectabilis unionis Verbi ad animam dic Originale Bernardi (*a*) 5. sermone super Cantica: *Illud autem scitote*, &c. Non potest alius spiritus illabi animæ, nisi infinitus. Psalmus: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum*. Ecce in circuitu fit immissio ab Angelo ipsi animæ: sed a Verbo intime, intra viscera, medullitus; siquidem immiscetur ineffabili modo Lux illa increata luci creatæ animæ. Et licet Angelus, & anima, quoad naturam propinquiores sint & similiores, non tamen ita conjungibiles Spiritus, sicut Verbum & anima, propter duo. Et propter immensitatem Verbi (*b*), quæ nihil perfectionis excludit, nec rejicit a se. Et propter similitudinem, & imaginem animæ ad Verbum. Sed, *quando hæc erunt? & quod signum adventus tui* ad Sponsam tuam? Siquidem advenis, qui numquam recedis; ubique es, & tamen nescio quo modo advenis, non per fenestras corporis intrans: nam mors intravit per fenestras: tu autem Vita es, & cum semper animæ adsis, non tamen semper tua præsentia ipsi fulget. Quasi advenis ergo, non de foris, sed de intro; & nescio quomodo incipis esse præsens, qui numquam es absens. *Quod ergo signum adventus tui* Domine? Psalmus: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*. Ignis fervoris, & devotionis ipse præparat thalamum animæ; comburit omnem immunditiam, everrit domum. Psalmus: *Scopebam spiritum meum*. Quando ergo omnes concupiscentiæ, omnes malæ cogitationes silent, quando in anima est omnis tranquillitas, omnis securitas, *dum medium silentium tenerent omnia; ecce Sponsus venit, exite obviam ei, exite obviam*, nam *velociter currit* Verbum *ejus*. Quasi impresso osculo animæ, ipsam replet suavitate, & fugit. Nam aventus ejus, sicut

(*a*)
Psal.33.
(*b*)
Mat. 24.
Jer. 9.
Jo. 14.
Mat. 24.
Psal.96.
Psal.76.
Sap. 18.
Mat. 25.
Ps. 147.

(*a*) Serm. 5. in Cant. num. 8. *Illud autem scitote nullum creatorum Spirituum per se nostris mentibus applicari, ut videlicet nullo mediante nostri, suique corporis instrumento ita nobis immisceatur, vel infundatur, quo ejus participatione docti, sive doctiores, vel boni, sive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax. Nec ipsi Angeli ita se alterutrum capiunt. Sequestratur proinde prærogativa hæc summo, ac incircumscripto Spiritui, qui solus, cum docet Angelum, sive hominem scientiam, instrumentum non quærit nostræ corporeæ auris, sicut nec sibi oris. Per se infunditur, per se innotescit, purus capitur a puris. Solus nullius indiget, solus & sibi, & omnibus de sola omnipotenti voluntate sufficiens*. De hoc iterum S. Bernardus lib. 5. de Consid. num. 12.

(*b*) Huc spectant, quæ tradit S. Bernard. Serm. 81. in Cant.

sicut fulgur irradiat subito; & ecce, dum anima brachia desideriorum mittit ad amplexandum, elabitur inter manus, & disparet: non enim valet anima, misero corpori clausa, in illam supernam lucem figere obtutum. Anima autem plena suavitate clamat post eum: *Revertere, Dilecte mi*. Si non manes, saltem sæpius me visita subito. *Similis esto capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bethel*; id est domus Dei. Qui sunt isti, nisi Angelicæ potestates? Esto ergo similis in anima mea, sicut super montes Bethel: quoniam ibi diu, & semper manes, in me autem vel modicum siste. O quomodo norat hoc ille, qui canit epithalamium hujus desponsorii, dicens: *Ecce, iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est Dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum*. Et Psalmus: *Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non substitet, & non cognoscet amplius locum suum*.

Zach. 9. *Cant. 2.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Ps. 102.*

V. Sed dices: Dominus dicit in Euangelio: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Nota, quod Dominus, quoad gratiam, in anima sedet diu, quoad misericordiam prædestinationis semper, quoad illapsum, velociter. Ideo Psalmus cum dixisset: *Spiritus pertransibit in illo*, ait: *Misericordia autem Domini ab æterno, & usque in æternum*. Ab æterno prædestinas, usque in æternum glorificans; quos misericorditer ab æterno prædestinavit, temporaliter vocavit, temporaliter justificavit, æternaliter autem magnificavit misericordia. Volo autem ut ponderes, quod dicitur ibi, licet ad aliud propositum forte: *Super timentes eum, & justitia his qui servant testamentum ejus*. Ecce confidunt timentes & sperantes, quia misericors est; & timentes servantes præcepta, quia justus est. Neque deest illi justitia, ut præmiet laborantes, neque misericordia, ut parcat reis, modo timeant ipsum, & sperent *super misericordia ejus*. Vide optimam distributionem. Misericordiam tribuit sperantibus in eo, & justitiam servientibus illi. Dicamus modo, quomodo sponsam agni dicit esse columbam; columbam enim eam vocat in Canticis: *Sponsa mea. Columba mea*. Columba enim est sine felle, simplex, gemens, volatu præceps. Sponsa, ut columba immaculata, sine amaritudine peccati, gemens per pœnitentiam, simplex sine dolo, unius cordis, debet per sæcularia velociter transire, & sursum volare, non versus terram. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? Volabo, & requiescam*. Nam aves, quæ terræ proximiores volant, timendum est sic volantibus, ne forte cadaver, vel simile aliquid in terra aspiciant, cujus desiderio tractæ, videantur a venatoribus pessimis, & præparatis laqueis capiantur, aut sagittentur, ut ait Bernardus (*a*). Quoniam sunt ibi laquei

Jo. 14. *Ps. 102.* *Ibidem.* *Rom. 8.* *Ps. 102.* *Ps. 32.* *Cant. 4.* *Ibid. 2.* *Ps. 54.*

dæmoniorum: & dæmones sunt *post parietem nostrum*; id est carnem: *qui paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde*. Pharetra dæmonis caro nostra est. Ibi latent sagittæ desideriorum, quibus vehementer perforant animam, si se voluptatibus dat, & residet in terra. Volet ergo perpeti volatu, transeundo per transitoria, anima, ut sit columba Deo grata, alias non poterit sponsari cum Agno; nam *nuptiæ factæ sunt*. Attende ubi: *in Cana Galilææ*. Cana fervor, Galilæa transmigratio dicitur. In fervore ergo transmigrationis, id est, in dilectione peregrinationis. Duo ergo requiruntur ad sponsam: ut amet, & ut peregrina sit. Multas habebat Sichem filius Regis in sua civitate, sed solam Dinam peregrinam adamavit. Filius Regis æterni solam peregrinam animam diligit ut Sponsam, & eam dignam se nominat. Non vult sponsam civem Babylonis, quæ hic habitet in terra, sed quæ dicat, quod ait Apostolus: *Confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram*. Non est majus signum cœlestium incolarum, quam cum peregrini sunt in terra. Puella enim illa ait Petro, tu ex illis es. Dic, obsecro, in quo eum agnoscis o puella? Non, ait, habitu, non vultu, non in alio, sed quoniam *Galilæus est*. Hoc est signum, quoniam *ex illis est*, ex Discipulis, inquam, Domini Jesu.

Ps. 102. *Jo. 2.* *Ibidem.* *Ibid. 16.* *Ibidem.* *Ps. 35.* *Heb. 12.* *Mat. 26.* *Marc. 14.*

VI. Quis poterit dapes spirituales hujus convivii dicere? Sed de vino saltem aliquid dicamus. Aliter in convivio diaboli, & aliter in convivio Christi. Nam inimicus homo *primo ponit vinum bonum*, divitias, voluptates, *& cum inebriati fuerint*, cum miseram animam cupiditatum æstibus inebriaverit ad voluptatem perdite anhelantem, *tunc ponit quod deterius est*. Ponit dolores, tormenta inferni. Ipsemet illator est tormentorum, qui fuit persuasor voluptatum. O miseri homines, qui bibentes cum suavitate, non videtis saporem insipidum, quem resipit hoc vinum! Væ vobis! In convivio Christi aliter. *Tu vero servasti bonum vinum usque adhuc*. Primo ponit dolores, tentationes, famem, paupertatem, deinde gloriam. *In mundo pressuram habebitis*; sed aqua mutabitur in vinum, *quia tristitia vestra vertetur in gaudium*. O quale vinum illud gloriæ! *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*. Sufferamus ergo, Fratres, modicum hic amaritudinis, pro æterna dulcedine, exemplo Christi. Apostolus: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*. Ipse prius bibit de calice isto: & plus ipse solus bibit, quam simul omnes alii biberunt. Sponsa in Canticis:

Vinum

(*a*) In Psal. *Qui habitat* Serm. 3. num. 5., cujus hæc omnino sunt verba. *Quid ergo timendum est sic volanti, nisi ne forte cadaver, vel simile aliquid in terra videat, cujus desiderio tractus, videatur a venatoribus illis pessimis, & præparatis laqueis capiatur, & sint novissima hominis illius pejora prioribus? Hoc, inquam, omnino timendum est.*

Vinum optimum, dignum Dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum. S. Thomas (*a*) ibi super hunc locum: Labia Apostoli sunt & Doctores; dentes Martyres. Nam, ut ait Plinius (*b*) 7. libro naturalis historiæ, si totum corpus comburatur, soli dentes non comburuntur, nec vincuntur ab igne. Ita hujus connubii fœcundi fructus, ac proles Martyres, ipso igne persecutionum invicti permanserunt. Ideo de Apostolis dicitur in Canticis: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro.* O felix grex: nam depositio vellere in manibus persecutorum, sicut oves coram tondentibus se muti, cum maledicerentur non maledicebant. Et ut Ecclesia canit: *Non murmur resonat, non querimonia.* Sicut oves ergo mansuetæ, a persecutoribus velleribus corporum spoliatæ, animæ illæ sanctæ ascenderunt de lavacro sanguinis sui dealbatæ super nivem, & candidatæ suo proprio sanguine. Redeamus modo ad auctoritatem supra positam. *Vinum* passionum *dignum Dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum.* Ipse potavit, dentes ruminarunt. Ipse enim Deus est, ideo tormenta sic fortiter deglutivit, quasi biberet aquam; flagrabat enim desiderio Redemptionis; gratis ipse se obtulit occidendum, sine debito aliquo, sine peccato aliquo. Martyres vero, licet fortissimi, tamen ruminaverunt passiones, & tormenta: nam cum difficultate maxima, & repugnantia sensualitatis, & timore pœnarum, quamvis viriliter ista superabant. Job: *Quis est vir ut Job, qui bibit subsannationem quasi aquam?* Job dolens Christum significat: ut ait Gregorius (*c*). Quis est inter Martyres Domini similis Job Christo, qui subsannationes, & opprobria bibit quasi aquam? Et cum tot jam tormenta sustinuisset, adhuc, quasi non contentus, ait: *Sitio.* Sitis adhuc, bone Jesu? Parum est tantum bibisse pro me; adhuc mortem sitis, ut salutem præbeas: quippe *saturabitur opprobriis.* Vinum ergo Sponsi purum est, ut ait Bernardus (*d*), quia non ex demerito peccati, quia non ex debito servitii; sed Martyri, quantumcumque fortissimo, dicere possumus: *Vinum tuum mixtum est aqua.*

VII. Sed oritur dubitatio: nam, quomodo dicitur, Christum bibisse cum facilitate passionem, & Martyres cum difficultate, cum Christus timore passionis sudorem sanguineum sudaverit, & de aliquibus Martyribus dicatur, quod iverint læti ad passionem, sicut ad convivium & epulas? Respondeo. Non fuit major fortitudo in Martyre, quam in Christo; nam ipse est Martyrum fortitudo. Sed hoc contigit duplici de causa. Primo: ut Christus ostenderet se passibilem, & verum hominem, & sentire tormenta. Et fuit hoc necessarium propter Manichæos, qui dixerunt eum non habuisse veram carnem, sed fantasticam. Et non solum hoc, verum etiam ipse Hilarius (*e*) sanctissimus dixit: Christum non sensisse tormentorum dolorem, quamvis postea retractaverit, ut dicit S. Thomas (*f*). Secunda ratio hujus est. Nam Martyres, licet exterius in corpore sustinebant tormenta, interius tamen consolabantur a Deo interno auxilio, ut ipsimet etiam dicebant tortoribus. Christus autem, ut magis pateretur, derelictus fuit omnino, quoad potentiam passibilem: nam non solum detinebatur gloriæ influentia, ne redundaret in passibili carne, verum etiam internum illud auxilium illi non adfuit. Ideo ipse conqueritur ad Patrem: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* O Pater! Alios solaris, alios adjuvas, me solum deseris, me solum derelinquis? Ideo dolor Christi erat purus dolor, & tristitia pura tristitia:

Cant. 7. (*a*) Job 34. (*b*) Ibid. 4. Isaiæ 53. 1. Petr. 2. Cant. 4. Ibid. 7. Isaiæ 53. (*c*) Jo. 19. Thren. 3. (*d*) Isaiæ 1. (*e*) (*f*) Mat. 27.

(*a*) In Cant. cap. 7. *Labia, & dentes Sponsi, ut supra dictum est, Doctores sancti sunt.* Et cap. 4. jam dixerat: *Et sancti Doctores bene dentibus conformantur, quia spirituales cibos, quos simplices capere nequeunt, ipsi quodammodo exponendo comminuunt.*

(*b*) Lib. 7. Hist. Natur. cap. 16. *Dentes autem tantum invicti sunt ignibus, nec cremantur cum reliquo corpore.*

(*c*) Sæpissime S. Gregorius asserit Jobum figuram Christi fuisse; idipsum ab eodem Gregorio audiamus, Moral. lib. 17. cap. 1. *Crebro autem dixisse me memini, quoniam Beatus Job passiones Redemptoris nostri, ejusque corporis, id est Sanctæ Ecclesiæ, & passione sua signavit, & nomine. Job quippe interpretatur dolens. Et quis alius in hoc dolente figuratur, nisi is, de quo scriptum est: Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit? de quo rursum dicitur: Livore ejus sanati sumus.*

(*d*) In Psal. *Qui habitat* Serm. 9. num. 3. *Solus, non debito, conditionis gustavit mortem, sed suæ beneplacito voluntatis, sane non ad propriam utilitatem, &c.* Prius autem dixerat: *Solus enim merum habuit vinum Dominus meus Jesus.*

(*e*) Celebris est apud eruditos controversia de Hilarii sententia circa veritatem dolorum Christi Domini. Non defuere enim eximii hujus Scriptoris & accusatores, & patroni, nec desunt etiam nunc. Alii nimirum constanter asserunt eum docuisse, dolorum tristitiæ, & timoris expertem omnino fuisse Christum. Alii id quidem sensisse fatentur in libris de Trinitate, sed postmodum priorem sententiam retractasse affirmant. Alii denique S. Hilarium ab omni minus rectæ opinionis labe strenue vindicant. Lectu digna sunt, quæ pro tuenda Hilarii orthodoxia congerunt doctissimi PP. Congreg. S. Mauri in ejusdem Operum novissima editione, Præfat. §. 3. & seq.

(*f*) Hoc autem non ex sententia propria asserit S. Thomas, sed ex opinione aliorum. Ita in 3. sent. dist. 6. art. 3. in fin. *Quidam enim dicunt Hilarium hoc retractasse, & hoc dicebat Villelmus Episc. Parisiensis .... & hoc videtur probabile ex his auctoritatibus, quos in littera Magister inducit.* Cæterum cum propriam ipsemet sententiam profert, Hilarii verbis ex lib. 10. de Trinitate excerptis, sanum undequaque tribuit sensum. Siquidem 3. p. q. 15. art. 5. ita objectioni respondet. *Ad primum ergo dicendum, quod in omnibus illis verbis, & similibus, Hilarius a carne Christi non veritatem doloris, sed necessitatem excludere intendit.* Quod ex subsequentibus ipsius Hilarii verbis luculenter ostendit. Articulo deinde 7. eumdem figit clavum his verbis. *Ad secundum dicendum, quod Hilarius eo modo a Christo excludit timorem, quo excludit tristitiam, scilicet, quoad necessitatem timendi, sed tamen ad comprobandam veritatem humanæ naturæ, voluntarie timorem assumpsit, sicut etiam tristitiam.* Inter defensores igitur S. Hilarii recensendus est Angelicus Doctor.

tia: sed dolor Martyrum erat mixtus consolatione. Vinum tuum, Domine, vinum doloris purum. Sed, o Martyr, *vinum tuum mixtum est aqua*. O quam pura erat illa tristitia, quæ sanguinem per totum corpus in sudorem vertit! Dicit enim: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Quia, nisi esset ex speciali miraculo, sufficeret occidere quemcumque hominem. Nota circa istam materiam, quod dicit Hugo Cardinalis (*a*) super illum versum illius Psalmi: *Attendite populo meus legem meam, &c. Convertit in sanguinem flumina eorum*, sed apud Babylonios. Convertit aquam in vinum, sed apud Galilæos. Convertit vinum in sanguinem, sed apud Apostolos. Aqua sapientiæ mundialis conversa est in sanguinem. Aqua timoris conversa est in vinum amoris in nuptiis apud Galilæos. In nuptiis animæ expellitur timor, & accenditur amor. Aqua, vinum versum est in sanguinem in Sacramento; & item apud Martyres, nam propter charitatem fervoremque amoris sanguinem suum fuderunt.

VIII. Primo. *Erat Mater Jesu ibi*. Quam sanctas, quam honestas putas esse nuptias, quibus Mater puritatis interesse dignatur? Nihil ibi lubricum, nihil indecorum: contra hodiernas nuptias. Dilata. Quomodo ingurgitantur vino, quomodo fiunt, & dicuntur obscœna. *Vocatus est autem & Jesus*. Non expectabant dona, quoniam pauperes erant, sed præsentiæ auctoritatem.

Secundo. *Deficiente vino, dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent*. Nota fidem Virginis: nondum viderat eum miracula facientem, & tamen noverat quis esset, & quomodo eum conceperat.

Tertio. *Et dicit ei Jesus: Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea*. Illa hora super omnes horas benedicta, qua ego Ecclesiæ desponsandus sum in thalamo Crucis: quando arrhas pretiosissimas Sacramentorum præstabo, non deerit ibi vinum amoris, vinum charitatis. *Dominus tamquam potens crapulatus a vino*. Ex illo racemo terræ promissionis expresso in torculari, abundanter Ecclesiæ vinum ministrabitur. Quis non ardet, Domine, si tuas afflictiones consideret, si tuos dolores, tua opprobria pro nobis? Ipse quoque Sponsus, quanto amore inebriatus fuerit, figura in Jacob serviente pro Rachele. *Et videbantur*, ait, *illi pauci dies præ amoris magnitudine*. Parum ei visum est pati, parum flagellari, parum crucifigi, parum mori; Ait: *Sitio*. Quid sitis, Domine? Nonne scriptum est, quoniam *saturabitur opprobriis? Quodcumque dixerit vobis, facite*. Ecce Virginis confidentiam. Noverat Filii benignitatem, nec repulsam se ab eo pati posse sciebat.

Quarto. *Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est*. Ita faciunt homines, ita mundus. Primo delicias ponit, deinde dolores. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. Deus vero primo ponit vinum amarum, deinde dulce. Quam amarum videtur amatoribus mundi illud: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus!* Quam austerus potus ille: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus! Sed ignorant, quam suave sit jugum Domini, & quanta dulcedo spiritus huic amaritudini permixta sit. Sed esto, amara sit Crux, dura sit pœnitentia. Quis non momentaneum amaritudinis poculum bibat, ut æterno inebrietur nectare beatitudinis? *Momentaneum*, enim, *& leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*.

Quinto. Ut autem de duplici isto vino aliquid dicamus; nota tres conditiones, quas habet vinum sæculi, & alias tres, quas habet vinum Domini. Vinum mundi inebrians peccatores placet colore, odore, sapore: attende colorem in suggestione, odorem in delectatione, saporem in experientia. Retinet aliquis aliena, colore sustentandi suum statum, & honorem; facit illicitos contractus, simonias, fraudes; si reprehendas, dat facto colorem. O quomodo vivam, quomodo filios, & uxorem, & familiam sustentabo? Sub isto colore Episcopi diripiunt Ecclesias, sub isto colore Domini spoliant subditos, sub isto colore fratres vagantur, sub isto colore mille vitia palliantur. Est etiam in suggestione color; quando diabolus, quos non potest sub specie mali, decipit sub specie boni. De hac suggestione est: *Ruben primogenitus meus*, &c. Cogita, rubra, sanguinolenta; *Non crescas*. Est secundo odor vini in delectatione, quando animus inclinatur ad voluptatem allectus a concupiscentia. De hoc figura. Abraham abigebat aves, quæ ad odorem cadaverum animalium inclinabantur. Vir spiritualis (*b*), quando videt aves, scilicet desideria ad morticina voluptatum inclinari, abigat, faciat in altum volare. Est sapor in experientia; unde tot miseri, captivi & servi, peccatorum sapore detenti.

Sexto. In vino etiam Domini sunt tria. Primo, Acerbitas: *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis*. Sic enim vinum solet vulneribus sanandis dolorem inferre. Secundo, est Misericordia: *Bibi vinum cum lacte meo*. Vinum cum lacte bibit, qui ad Deum amoris fervore convertitur, & ad proximum dulcedine pietatis; in Deum pius, in proximum benignus. Tertio, est Ardor devotionis, de quo vino ait Sponsa: *Vinum optimum, dignum Dilecto meo ad potandum, labiisque*

(*a*) Quæ sequitur Psalmi 77. v. 44. expositio, legitur apud Hugonem Card., sed is eam S. Bernardo tribuit. Legitur & apud Incognitum; sed hic eam tribuit Balduino.

(*b*) Vide Serm. 3. in Psal. *Qui habitat*, num. ult., apud S. Bernardum.

biisque & dentibus illius ad ruminandum. Et istud vinum ponit sponsus in illo matrimonio Verbi Sponsi & animæ, quando convertit aquam tepiditatis in vinum fervoris. Bibimus hic, sed inebriabimur illic. Sponsus in Canticis: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Labiis & dentibus illius ad ruminandum*. Solus Sponsus habet vinum purum; alii vinum lymphatum vel tepiditate, vel negligentia, vel ignorantia, vel fragilitate. Quomodo Deus filios vino, & servos aqua utris potat. Figura Abrahæ, & Ismaelis; ita etiam serviles animos præmiat Deus copia terrenarum opum, & honorum sæcularium. Sed finiendus est uter, & sitiet Ismael.

Cant. 5. *Ibid.* 7. *Gen.* 21.

IN DOMINICAM TERTIAM POST EPIPHANIAM CONCIO.

DE JUSTIFICATIONE HOMINIS PER FIDEM CHRISTI.

Sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.
Matth. 8. v. 13.

* CONCIO XXII.

I. PSALMUS: *Viam justificationum tuarum instrue me*. Mirabile: quo pacto Deus illuminat, quomodo susurrat ad aures cordis. Job: *Porro ad me dictum est verbum absconditum*. Exemplum: similis est matri docenti ambulare filium; sic Spiritus sanctus juvat, & dimittit peccatorem, & cum prolabitur, recipit in sinum. Sed & in hoc: *Viam justificationum tuarum instrue*, ut cognoscam in quo justificatio ipsa, & salus animæ consistat. Quidam enim ultra modum de Dei misericordia præsumentes, circa propria opera sunt negligentes, alii vero e contrario sua opera magnificant obliti gratiæ Dei. Magna & exacta doctrina, quæ intentionem dirigit, quæ rectificat regulam operationum. Siquidem: ut in navi, si per tres leucas navis deviet ab itinere, non multum est; si tamen clavus tantillum erret, magnum periculum est. Ita difficile intentionem animæ regulare. Nam, *si sal evanuerit, in quo salietur?* Et, *si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Valde utile est monstrare homini solidum fundamentum super quod ædificet, ne postea labatur domus flantibus ventis, & irruentibus undis, ut ait Euangelista. Hoc ergo est, quod intendimus monstrare. Signum quo dirigantur sagittæ cordis, id est, desideria & affectiones.

Ps. 118. *Job* 4. *Ps.* 118. *Mat.* 5. *Ibid.* 6. *Ibid.* 7.

II. Prima quæstio. Inquiramus ergo cum Apostolo Paulo late in prima Epistola ad Romanos, in quo consistat hominis justificatio: & sit prima responsio. Non consistit in operibus legis, & sacrificiis: videmus quomodo sacrificia illa data sunt a Deo illi populo non in justificationem, sed in servitutem & exercitium. Nam videns Dominus pronitatem illius populi ad idololatriam, & quod duræ cervicis esset, non totaliter removit a sacrificiis, sed voluit offerri sibi, quæ erant idolis offerenda: non quod sibi placerent, sed condescendens infirmitati, & imperfectioni illius populi. Propheta: *Ego dedi eis præcepta non bona*. Tamen, ne omnino vana essent, posuit in eis significationem veræ salutis Jesu Christi: ut omnia illa essent figura magni sacrificii, & veri, offerendi pro salute generis humani: & sic ratione istius significationis & ordinis, in quantum erant quædam signa fidei, & protestationes veræ salutis, in tantum Deo accepta erant; non tamen ex se, ex opere operato justificantia; non enim erat in eis radix salutis, sed tamquam in signo. Et quemadmodum apud sponsam annulus sponsi pretiosus, non ratione valoris, ita apud Deum, non ratione sui, sed significationis. Isti autem ignorantes sensum Domini in illis ponebant spem. O stolide Judæe! In brutis & avibus salus tua? Numquid de bobus cura est Deo? Apostolus: *Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata*. Crevit autem usque adeo, ut Christiani plurimi assererent, cum Euangelio servanda legalia. Et facta contentione super hoc, Paulus & Barnabas a Gentili Ecclesia missi sunt consulere Apostolos: & facto consilio, concluSum est, non servanda esse. Tres adfert Paulus rationes, inter alias, quibus contradicit, non servari legem. Prima: *Lex in homine dominatur quanto tempore vivit. Ego* autem *Christo confixus sum Cruci*, & consepultus cum eo, ut reliquum temporis ei vivam. Ergo non teneor ad legem. Secunda: alienæ subditus potestati non potest de se disponere. Ego totus sum Christi: nam se toto me totum redemit, totum me sibi vendicavit. Non possum ergo alteri mancipari, ut serviam legi. Quod si Christus solus mihi non sufficit ad salutem, ut dicitis: *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest*, uti-

Ezech. 20. *Heb.* 10. *Act.* 15. *Rom.* 7. *Galat.* 2. *Ibid.* 5.

utique cum illo solo intendo salvari. Tertia ratio. Legislator non tenetur ad legem.
Galat. 2. *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus;* nam Spiritus ejus intra me regit me: ipse regit actus, & sensus, & affectus, & disponit omnes motus meos, & vitales
Mat. 7. operationes. Nam dicit: vade, & vado: veni, & venio: fac hoc, & facio. Quomodo ergo in me Conditor legis subjicitur legi? *Cum essem parvulus* sub legalibus docu-
1. Cor. 13. mentis, quasi sub pedagogo, tunc quidem *sapiebam ut parvulus*, & legis sacramenta
Galat. 1. valde venerabar. *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut euangelizarem illum in gentibus, &c.* ostendere mihi divitias bonitatis suæ, & revelare secretum & consilium profundum cordis sui, ostendens, quoniam in
Jo. 3. dilecto Filio suo quem misit, statuit sibi
Ibidem. mundum gratificare, & reconciliare: *Ut omnis qui* ei adhæret, *non pereat, sed habeat*
Mat. 13. *vitam æternam;* tunc ergo *inventa una pretiosa margarita, abii, & vendidi omnia quæ*
Philipp. 3. *habui, & emi eam. Omnia detrimentum feci, & arbitratus sum ut stercora.* Detrimentum mihi est sacratum legis, quod prius genu flexo venerabar; & cæremoniæ illæ, variæ & viles velut stercora jam reputatæ sunt,
Cant. 3. nam illas contempsi. *Inveni* enim *quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam* eum, *&c.*

III. Secunda quæstio. Sed numquid si non in sacrificiis legis salus, an in operibus nostris? Responsio: non in operibus suis justificatur homo, ut putavit Pelagius, quasi jure physico. Nam isti dicunt Deum esse justum, & dedisse homini liberum arbitrium,
Eccli. 15. ut dicitur in Ecclesiastico: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui: Adjecit mandata & præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te. Appposuit tibi aquam & ignem: Ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Ideo secundum opera judicandus est homo. Et, ut puto, ista est controversia, & punctum totius disputationis inter Job & amicos. Nam ajunt illi:
Job 34. *Absit a Deo iniquitas, & ab Omnipotente impietas. Opus enim hominis reddet ei, & juxta vias singulorum restituet eis.* Et iterum:
Ibid. 22. *Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.* Qui, licet recta dicant, tamen in eo quod radicem salutis in ipso hominis arbitrio ponunt, multum a veritate errant. Qui enim sic favet proprio operi, injuriam facit gratiæ; nam si ex operibus, jam non ex gratia. Quid ergo faciunt, nisi quod ait Apostolus: *Ignorantes justitiam Dei, & suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Si enim propriis operibus salvaris, ubi est gratia, ubi est misericordia? *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Injuriam facis Deo salvanti, cum ais: *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Ut quid ergo Christus mortuus est? Quid ait Scriptura? *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Omnes inutiles facti sunt.* Quoniam primus homo peccans totum hominis opus, & bonum, quod in se est, annullavit. Quomodo enim gratum inimici servitium? *Omnes enim peccaverunt, & egent gratia Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius.* Ut ne quis glorietur, ut non intumescat omnis caro contra Dominum, sed subdita fiat Deo, sciens suam vanitatem, & quoniam non ex se, sed ex dono salva facta est. Et ita debitorem tantæ gratiæ agnoscat se homo. Sed quis, obsecro, gloriari potest de operibus suis? Nam opera nostra quæ videntur esse bona, prava & inutilia sunt; & si bona, non nostra; & si nostra essent, tamen debita. Primo ergo imperfecta sunt. Nam pone tu perfectionem omnium hominum in uno, hic non potest apparere in judicio coram Deo. Non enim justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Gregorius (*a*): Væ vitæ quantumcumque laudabili, si remota pietate judicetur. Job: *Etiam si locutus fuerit homo, absorbebitur.* Et iterum: *Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me.* Exemplum de planctu Magdalenæ, ubi reperta est ista reprehensio, quod plus credidit oculo, quam oraculo. Quid dicere possumus, nisi quod ait Psalmus: *Domine memorabor justitiæ tuæ solius.* Nam, *quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Secundo: opera, si perfecta sunt, ejus sunt, cui redduntur. Ipse principium illorum, primum & principale. Nam *omne datum optimum, & desursum est.* Apostolus: *Quid* enim *habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Tertio: si nostra essent, debita sunt, & multipliciter debita. Primo: quia, ut ait P. Augustinus (*b*): Totum te debes ei qui te fecit. Sicut figulus juste servitur de suo vase, quod formavit. Ratione ergo Creationis debes te. Item ratione Redemptionis: quantumcumque enim labores, plus ille laboravit pro te. Quidquid ergo exerceas, debitor remanes. De imperfecto opere, & alieno, & debito, qualis potest esse gloriatio? Non est ergo in operibus nostris secundum se justitia. *Ubi est ergo,* o Juda, *gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei.* Siquidem, *facta est Judæa* confessio fidei *sanctificatio ejus,* id

Rom. 4. Deut. 32. Psal. 13. Rom. 3. Jacobi 1. 1. Cor. 4. Rom. 3. Ps. 113.

est

(*a*) Ejus testimonium, una cum simili S. P. Augustini, adduximus in notis ad Concion. 2. Dom. 1. Advent.

(*b*) Epist. 127. num. 6., alias 45. *Deo namque seipsum debet homo, eique reddendus est, ut beatus sit, a quo accepit ut sit.*

est peccatoris: non sacrificium, non opus suum. Est ergo, &c.

IV. Tertia quæstio. Homo justificatur per fidem Jesu Christi: ipsum enim posuit propitiationem, in eo mundum reconcilians sibi, in quo gratificavit nos ante mundi constitutionem. *Ut omnis, qui credit in eo, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Isaias: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Siquidem *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo*, Jesus Christus. Omnis qui ascensurus est, oportet, ut ei incorporetur per fidem: ut fiat, quod dicit Psalmus: *In terra deserta, invia, & inaquosa: sic in sancto apparui tibi.* Nemo in se præsumat præsentari tribunali Dei, sed in sancto: in eo autem, etiamsi est in terra deserta, & invia, securus præsentatur ei incorporatus: & juste in eo apparet, & præsentat se Deo Patri, nam in eo prædestinati, in eo creati, in eo ergo salvati: ut sit ipse, sicut principium essendi, ita principium salutis: unde enim habemus principium, ut simus, inde ut vivamus. Probat hoc Apostolus testimoniis plurimis: *Justus ex fide vivit. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam. Omnis qui credit in illum non confundetur. Corde creditur ad justitiam;* & pluribus aliis. Sed quasi ex opposito videtur omnino Jacobus Apostolus: *Fides sine operibus mortua est. Dæmones credunt, & contremiscunt.* Et assumens exemplum Abrahæ, ait: Nonne *Abraham ex operibus justificatus est, offerens Isaac?* Et Paulus ait: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Ecce, quantum videntur discordare: sed non est in eis discordia, sed summa concordia. Nam Paulus dicit: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et iterum: *Fides, quæ per charitatem operatur.* Ecce, non excludit Apostolus opera, nec Jacobus fidem. Nam sequitur: *Fides cooperatur operibus.* Quod ergo ait Paulus: Abraham non ex operibus justificatum esse, intelligitur secundum se sumptis. Cum Jacobus ait: Ex operibus justificatum esse Abraham, intelligitur in fide formatis. Quid ergo tenendum? Quid ultimate de salute sentiendum?

V. Quæstio quarta. Christus generis humani salus, homo ei unitus vivit. Unio prima est fidei. Bernardus (*a*): Complementum salutis, charitas. In ipso ergo omnis homo justificatur per fidem operantem per dilectionem. Unde bene dictum est, *facta est Judæa*, id est confessio fidei, *sanctificatio ejus.* Hæc igitur forma spei est; ut opera facias, & in Deo confidas, non in operibus. Apostolus: *Unum autem quæ retro sunt oblivisci.* Et iterum: *Beatus qui non judicat in eo quod probat.* Psalmus: *Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino.* Si sine sacrificio speras, forte vana erit spes. Si vero in sacrificio confidas, superba & stolida est spes. Sacrifica ergo sacrificium justitiæ per pœnitentiam. Sed spera, non in sacrificio, sed in Domino. Beatus cui Dominus dat & bene agere, & de operibus non præsumere, sed, in Jesu Christo gloriari, ut Apostolus ait: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Quando scribens ad Corinthios de operibus gloriatus, quid ait: *Stultus factus sum, vos me coegistis.* Exemplum optimum de agricola. Si sperat fructum sine semine, stolida est spes & vana: si vero seminans non curat de Deo, aut de sole, aut pluvia, sed a solo semine sperat, stulta est spes. Seminandum ergo, & sperandus fructus de semine, sed non a semine, sed a Deo vivificante illud; granum enim corruptum & mortuum non habet unde se vivificet, nec unde se multiplicet. *Sed, qui incrementum dat Deus;* calore solis, & imbribus suis vivificans illud granum, & multiplicans. In eo ergo solo spes figenda est, qui vivificat opera nostra mortua gratia sua, & illustrat, ut sint vita eterna digna. Sicut enim substantia ipsa auri sine fulgore illo non esset multi valoris, sed ut ferrum; ita etiam opus nostrum sine gratia: valor auri, color auri; tolle colorem, abstulisti valorem. Valor operis, gratia Dei: tolle gratiam, nihil aut parum vestrum opus: mortuum enim est, & vita operis charitas est. Contemnenda ergo justitia nostra est, & justitia Dei magnificanda: quantum enim tollit de proprio merito, tantum gratiæ tribuitur: & quo quis in se diffidens Deo innititur, eo securior est; diligenter operans per charitatem, & per humilitatem eadem opera bona obliviscens, ut a Deo recordentur. Melius enim est in Publicano dicere: *Deus, propitius esto mihi peccatori*, soli Dei clementiæ sistens, quam in Pharisæo, se de jejunio, & aliis operibus insolenter jactare. Hinc verum dico. Beatus homo, cui datum est a Deo, in solo eo sperare: *non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta* mortis. Et *beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas.*

Rom. 3. Jo. 3. Isaiæ 49. Jo. 3. Psal. 62. Rom. 1. Ibid. 4. Ibid. 9. Ibid. 10. Jacobi 2. Rom. 4. 1. Cor. 13. Galat. 5. Jacobi 2. Philipp. 3. Rom. 14. Psal. 4. Galat. 6. 2. Cor. 12. 1. Cor. 3. Luc. 18. Ps. 126. Psal. 39. Ps. 113.

(*a*) Agit de hoc argumento S. Bernardus Serm. 2. Temp. Paschali num. 1. & 2.

IN DOMINICAM QUARTAM POST EPIPHANIAM CONCIO.

COR PECCATORIS, MARE TEMPESTUOSUM.

Motus magnus factus est in mari. Matth. 8. v. 24.

CONCIO XXIII.

I. MARE est cor impii. Propheta: *Cor impii quasi mare fervens.* Jeremias: *Isaiæ 57. Jer. 1.* *Quid tu vides Jeremia? Ollam succensam ego video, &c.* Nonne mare, avarus? Mare, luxuriosus, & ambitiosus? Quis ferventes undas valeat desideriorum intra cordis claustra retinere, ne exeant? Job: *Job 38.* *Quis concluſit ostiis mare, &c. Quando erumpebat quasi de vulva procedens. Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia. Et dixi: Usque huc venies, & non procedes, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Nemo sibi adscribat frænare motus desideriorum. *Quasi de vulva*, id est fonte. Fons, unde omnia hæc emanant, est fomes peccati. Ex peccato originali illa infectio naturæ, ex afflatu serpentis. *Ibidem.* *Circumdedi illud terminis meis*, id est præceptis. *Mat. 5.* O quantum contracta littora iræ! *Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides, &c. Ego autem dico vobis: quia, qui irascitur fratri suo, &c.* O quam stricta littora luxuriæ! *Ibidem.* *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo.* Sed nihil proderat signare littora, nisi interius poneret ipse claustra. Alias impetus fluctuum, præ humana fragilitate, statutos limites præceptorum transirent. Ideo sequitur: *Posui vectem, & ostia, &c.* *Job 38.* Ostia sunt timor & pudor, naturæ inserta. O quantos fluctus impediunt, ne prosiliant foras! Quot peccata non ponuntur in executionem aut propter timorem, aut propter verecundiam! Bernardus (*a*): Dominus clausit illis mare rubrum, ne redirent post tergum ad Ægyptum. Quantos impedit mare rubrum vecte verecundiæ redire ad Ægyptum? Sed debiles forte sine vecte. Quis vectis, nisi charitas (*b*)? De qua Apostolus: *Coloss. 3.* *Quod est vinculum perfectionis.* O! Si peccator ex amore Dei non omittit peccare, quia non vult indignare Patrem tam bonum, & Creatorem, parum prodest timor, vel verecundia. Fortis vectis charitas: *Fortis est ut mors, dilectio.* Ut quid morti comparatur dilectio, nisi quia sicut omnia superat mors, ita omnia vincit dilectio? *Quis nos separabit a charitate Dei? An tribulatio, &c. Et dixi: Usque huc venies, &c.* Isidorus (*c*): Quidam tentatur usque ad suggestionem. Alius usque ad delectationem. Alius usque ad consensum. Bernardus (*d*): Prima, macula. Secunda, plaga. Tertia, mors. *Usque huc venies:* usque illuc. Interim non consentientibus, ut ait Apostolus, *nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo.* Si qui tamen consenserint, clament cum Psalmista: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Nam ruptis foribus sensuum & foribus appetituum, pervenerunt ad animam. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus.* Fluctus sunt desideria: venti tentationes, immissiones per Angelos malos: navicula conscientia: nauta anima: vela cogitationes: remi labores: portus mors est. Ibi: *Mat. 13.* *Secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua.* Id est delectationem, gloriam sempiternam, &c. *Malos autem foras miserunt:* dolores, angustias, tribulationes. In viris justis usque ad littus, persecutor, tempestates sæculi, &c.

II. Sed quid de hoc mari Psalmista? *Ps. 113.* *Mare*, inquit, *vidit, & fugit.* Quid vidit mare ut fugeret? Si considerentur verba Prophetæ, dum unum dicit, aliud intelligit. Non lego, quod mare viderit, aut fugerit. P. Augustinus (*e*). Quid ergo vidit, obsecro, mare, quia timuit? Quid timuit, quia fugit? Psalmus: *Psal. 76.* *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ: & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.* Vidit potentia humana, humiliatam potentiam divinam, & velut fluctus planavit se coram Dei sapientia. Vidit opulentia humana, in paupertate Dei divitias, & timuit, & fugit. Quis fastus hominis, quæ

(*a*) Vide Serm. 3. in Psal. *Qui habitat*, num. ult.

(*b*) S. Gregorii est hæc expositio Moral. in Job lib. 29. cap. 22. *Quid per vectem, nisi robur charitatis accipimus?*

(*c*) De summo Bono lib. 3. cap. 5. *Aliud est intrare mentem cujusquam diabolum, aliud vero inhabitare; nam & in cordibus Sanctorum diabolus ingreditur, dum malam suggestionem insinuat, sed non habitat in eis, quia in suo corpore non eos transducit. Qui vero in corpore ejus sunt, ipsos inhabitat.*

(*d*) Serm. 6. de diversis num. 1. *Sicut enim peccati cogitatio decolorat, affectio vulnerat, sic consensus omnino animam necat.* Pergit deinde ad singula, usque ad finem Sermonis, explicanda.

(*e*) In Psal. 113. Serm. 1. num. 1. in vers. 1. 2. & 3. *Ne arbitremini nobis narrari præterita, sed potius futura prædici.*

quæ pompa poteſt expectari? Quid ait Apoſtolus? *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Quanta majeſtas! Et ſequitur: *Sed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis;* Quanta humilitas! Quis faſtus non fugit, non evaneſcet ut nebula, in tanta humilitate tam ſupremæ Majeſtatis? Erubeſcat ambitio quærere honorem, ubi gloria Angelorum facta eſt in opprobrium, & fugiat. Erubeſcat avaritia quærere divitias, ubi divitiæ cœleſtes ſic in paupertate fuerunt. Erubeſcat luxuria quærere voluptates, ubi lætitia ſæculi in tantis doloribus fuit. Iſti ſunt fluctus, qui ante Incarnationem quaſi ſoluti erant vagantes. Sed viſo Domino erubuerunt, & fugerunt, ſicut nebula ſolem, & evanuerunt ad ejus præſentiam. Nihil ſic humiliat hominem, ſicut videre humiliatum Creatorem. Exemplum de Rege ſedente in terra; quilibet etiam eques ſedet cum eo. *Turbatæ ſunt abyſſi.* Abyſſus cor hominis. Turbatur, quando ſe vertit deorſum, ſurſum. Quod factum eſt adveniente Domino; qui corda hominum terrenis deſideriis data, docuit deſiderare cœleſtia. *Multitudo ſonitus aquarum, vocem dederunt nubes.* Affluit abundantia aquæ ſumma in tonitruo nubis. Nubes Apoſtoli (*a*): *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant?* Ducti vento Spiritus ſancti. Voces: *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Ad fœcundandam terram cordium. Aggregata eſt multitudo aquarum, id eſt animarum ad fidem, ad eorum prædicationem. Nam una Petri voce, tria millia animarum converſa ad fidem.

Philipp. 2.

Pſal. 76.

Ibidem.

(*a*) *Iſaiæ 60.*

Pſal. 18.

Act. 2.

III. Eſt ne aliud, quod vidit mare, ut fugeret? Utique eſt: cum peccator videt deceptionem & periculum rerum ſæcularium, vanitates, propriam vilitatem, dæmonis captivitatem, mortem inſtantem, indeterminatum ignem, expectantem infernum devorantem, nudatum hominem cœleſtium bonorum; vidit, & fugit. Fugit de pravitate cordis, de propoſitis iniquitatibus. O ſi videremus! Si eſſet radius lucis, non eſt aliquis ſic iniquus, qui modico lumine ſtatim non reſolveretur in lacrymas. Pſalmus: *Intellectum da mihi, & vivam.* O Fratres mei! Lugeamus modo, dum prodeſt: aperiamus oculos nunc: nam poſtea aperiemus, ſed nihil proderit. O quam deceptam ſe reperit anima, quando de corpore egreſſa, voluptatibus omnibus ac deliciis mundanis ſpoliata, videt ſibi ſupereſſe tormenta æterna! Job: *Dives cum dormierit, nihil ſecum auferet: & aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet. Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Confuſus ſum, & erubui.* Sed quo fugit? Quo poteſt fugere peccator a Deo? *Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.* P. Auguſtinus (*b*): Bonum remedium: fugis a Deo, nec ipſum poteris fugere. Fuge ad Deum, ipſe eſt refugium, ut defendaris ab ipſo. Ipſe te defendet a ſupplicio, ut evadas manus ultrices Dei. Procide ad pedes ejus: *Domine, refugium factus es mihi. Diligam te Domine fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Erit Deus omnia in omnibus.* Fortitudo ad aggrediendum, firmamentum ad perſiſtendum, refugium ad evadendum, liberator ad ſalvandum. Permittit, ut infirmeris in ipſo, ut fugias ad ipſum. Ne dicas: Si Dominus firmamentum meum, quis contra me? Permittit ut infirmeris in ipſo, ut fugias ad ipſum, & ſalveris in ipſo, & ita plus ei debeas. *Montes excelſi cervis: petra refugium herinaciis. Impulſus everſus ſum ut caderem: & Dominus ſuſcepit me.* Item: *Juſtus cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus ſupponit manum ſuam. Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Flagello ſiniſtræ me ſuſtentat, beneficio dexteræ me complectitur, & allicit ad ſe. O Fratres! Si gemitis: *Derelinquat impius vias ſuas. Periit fuga a me,* ait peccator. *Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ hinnuloque cervorum.*

Pſ. 118.

Job 27. Jer. 31.

Pſ. 138.

(*b*)

Pſal. 89. Pſal. 17.

1. Cor. 15.

Pſ. 103. Pſ. 117.

Pſal. 36. Cant. 2.

Iſaiæ 55. Pſ. 141. Cant. 8.

(*a*) Idipſum habet S. Parens Auguſtinus in Pſal. 36. num. 18. *Denique Apoſtoli relinquentes Judæos, venerunt ad gentes, omnibus gentibus vocem dederunt nubes, prædicando Chriſtum, vocem dederunt nubes.*

(*b*) In Epiſt. Joan. tract. 6. num. 3. *Quo iturus es? Quo fugies? Vis audire conſilium? ſi vis ab illo fugere, ad ipſum fuge. Ad ipſum fuge confitendo, non ab ipſo latendo: latere enim non potes, ſed confiteri potes. Dic illi refugium meum es tu, &c.*

IN DOMINICAM QUINTAM POST EPIPHANIAM CONCIO.

DE INCREMENTIS, AC DAMNIS PECCATI, ET MODIS, QUIBUS DEUS PECCATOREM LIBERAT DE ABYSSO PECCATI.

Cum dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit zizania.
Matth. 13. v. 25.

* CONCIO XXIV.

I. DIximus, quomodo mare, est cor pravum peccatoris. Videamus modo gradus, quibus peccator in profundum pravitatis descendat. Hoc primum notantes, quod omne peccatum est lapsus quidam animæ. Etiam ipsa superbia, quæ videtur levare animam, levando deprimit. Ideo Psalmista: *Non veniat mihi pes superbiæ.* Pes enim supprimens vere & sublevans est superbia. Gradus autem isti, secundum Bernardum in sermone (*a*) de Donis Spiritus, sunt. Primus, Negligentia: nam justus qui omittit vigilantiam cordis & custodiam, obliviscitur devotionis, & orationis; lacrymas dimittit, & sic cessant visitationes & inspirationes dominicæ. *Probibitæ sunt stellæ pluviarum, & serotinus imber non fuit:* ros cœlestis fœcundans animam: & cor sit sterile: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* De quo dicitur: *Cibasti nos pane lacrymarum.* Denique, propter defectum pluviarum, & sterilitatem terræ, & famem Jacob descendit in Ægyptum, peccati tenebras. Fames est causa, quare peccator cadat. Quando omnis cibus, omnis delectatio spiritualis subtrahitur. Psalmus: *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Homo intepidatur, & statim peccat. Ideo Salomon: *Fili, omni solicitudine custodi cor tuum.* Dic historiam Joseph, & expone res quas novit Joseph spiritu illum regente. Boves & animalia craſſæ & fœtosæ in pascuis uberrimis, sunt desideria sancta, & propositum sanctum, & cogitationes. Spiritum nolite extinguere: custodite Regem istum, stipate militibus virtutum, alias mortuo Spiritu succedet ei in regno appetitus sensitivus. Hic est Rex, qui non novit Joseph. Caro enim *legi Dei non est subjecta, nec potest.* Affligit populum, vires rationales animæ, luto & lateribus. Dic de magna afflictione, dic de gemitu Israelis cum oppritur. Hic Rex ne subintret, dic cum Propheta: *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem, & contemplabor, ut videam quid dicitur mihi, & quid respondeam ad arguentem me. Super custodiam stabo*, custodiens animam sicut castellum, videns quæ cogitationes, & quæ desideria ascendant in corde, & bonas admittens, malas excludens, sicut janitor cordis. Ascendente autem mala cogitatione facile est ex cacumine cordis eam præcipitare, & *allidere parvulos ad petram;* ita ut dicamus: *Ruben primogenitus meus non crescas: quia ascendisti cubile Patris tui. Figam gradum in munitionem.* Murus Christus est. *Salvator ponetur in ea, murus & antemurale.* Psalmus: *Qui statuit super petram pedes meos.* Et Ecclesiastes: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* Fige ergo gradum in munitionem, & primo diligenter contemplare, quid dicatur tibi, id est, præcepta. Et si peccaveris, diligenter attende, quid respondeas ad increpantem, providendo dolorem, & pœnitentiam in die judicii. Nota hic, quomodo dæmones auferunt animæ sanctæ delicias, &c. Sed ipsa gemit pro dilecto suo Christo. Dæmones vellent facere, quod oblivisceretur; sed, quo magis premitur, eo magis clamat.

II. Secundus gradus, Curiositas. Anima enim non potest esse sine delectatione, & statim, diffunditur in creaturas amor ille collectus in Deum. Quam famelica anima; mendicare societatem a creatura, quam habebat in Creatore: & non potest tranquillari; nec, quia pluralitate divisa est, potest proficere. Sicut Jacob dixit: *Ruben effusus es non crescas. Qui non colligit mecum, dispergit.* Tertius, Experientia mali sive Conceptio. Cor humanum est limosum & viscosum: est sicut Camaleon. Dina filia Jacob curiosa videre mulieres, corrupta est a Sichem, jam intrans terram Ægypti, cui & ille adhæsit. Quartus gradus, Concupiscentia. Relinquit peccatum velut ovum pullescens. Relinquit fomentum & semen iniquitatis

Psal. 35.
(a)
Jer. 3.
Ps. 101.
Psal. 79.
Prov. 4.
Gen. 41.
Act. 7.
Rom. 8.
Habac. 2.
Ps. 136.
Gen. 49.
Habac. 1.
Isaiæ 26.
Psal. 39.
Eccl. 10.
Gen. 49.
Lucæ 11.
Gen. 34.

(*a*) Est Sermo 14. de diversis in editione Mabillonii, & ita inscribitur: *De septem donis Spiritus Sancti contra septem vitia.*

tatis venenata illa concupiſcentia. Gregorius (*a*): Peccatum quod per pœnitentiam cito non deletur ſuo pondere, id eſt, peſſima inclinatione ad aliud trahit. Imo etiamſi deleatur peccatum, manet concupiſcentia in pœnam peccati. Job: *Si peccavi, & ad horam pepercisti mihi: cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?* Nahum Propheta ait: *Mundans non faciet innocentem.* (*b*) Quomodo hoc? Nam ut dicit Bernardus (*b*): Peccatum, quod divina miſericordia deleverit, ſic factum quaſi non factum. Reſponſio. Dico, quod non facit innocentem propter duo. Propter concupiſcentiam, & propter pœnam temporalem. Nam cum David dixiſſet: *Peccavi:* Nathan Propheta dixit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum* a te. Et tamen diu paſſus eſt perſecutionem propter peccatum: tamen peccatum eſt quaſi non factum quoad culpam, quia omnino deletur; manet tamen radix concupiſcentiæ. *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Alius: *De radice Colubri egredietur Regulus.* Baſiliſcus; id eſt, de Concupiſcentia Conſuetudo: quæ eſt quintus gradus. Notandum tamen, quod aliud eſt concupiſcentia, aliud conſuetudo. Nam contingit aliquando ſola conſuetudine, ſine concupiſcentia peccari. Ut jurans, &c.

III. Quintus gradus eſt Conſuetudo inveterata. Vertitur in naturam, & in miſeram neceſſitatem. Sed dices: jam non cogor ad peccandum: quia peccatum adeo eſt voluntarium, &c. Ubi autem neceſſitas jam non libertas, ergo nec peccatum. Reſponſio Bernardi: Libertas, non tam in contingentia, quam in complacentia conſiſtit. Ubi autem voluntas etiam neceſſitata, ibi etiam complacentia. Magna ergo libertas. Nam non modicum vis, quod ſic vis, ut non poſſis (*c*) jam non velle. Ideo dicit ibi Bernardus (*c*) ſuper Cantica: Neſcio quo miro & pravo modo conjunguntur voluntas & neceſſitas: ſic, ut nec voluntas liberet, nec neceſſitas excuſet. Nam ſi eſſet ſola voluntas, eſſet quidem peccatum, ſed inevitabile. Si ſola neceſſitas, eſſet inevitabilis actus, ſed non culpabilis. Modo voluntas non liberat, quam neceſſitas urget, voluntas non excuſat, quia voluntas culpat. *Infelix ego homo, quis me* de tanta perplexitate *liberabit?* Pſalmus: *Domine vim patior, reſponde pro me.* Sed quid dicet mihi, cum ipſe fecerim? Et iterum: *Eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui.* O anima de quo conquereris? De me ipſa. Ego ſum ille peccator, &c. Quis me liberabit de manibus meis? Sed necdum eſt ultimus gradus; Adhuc profundior abyſſus. Sextus gradus eſt Contemptus. Nam ſicut nauta victus tempeſtate maris laxat vela, & dimittit navem ire quo vult ad aquæ fluxum: ita etiam peccator, videns, quod jam nequit reſiſtere paſſionibus, laxat habenas, & tradit ſe vento concupiſcentiæ. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Pſalmus: *Transierunt in affectum cordis.* Sed nec iſte eſt ultimus gradus. Septimus gradus eſt Malitia: quæ ratione ſuæ pravitatis ſumpſit denominationem totius generis, ut finis. Hæc eſt, quando *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas. Cum laudatur peccator in desideriis animæ suæ.* Et iterum: *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Reprehenſio ardua eorum qui de ſuis ſpurcitiis ita publice gloriantur. *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt.*

IV. Damna peccati: Culpa, Macula, Reatus, Infirmitas, Pronitas ad malum, Tenebræ, & alia plura. Culpa maxima: quia, cum cætera ſervent legem, ſolus homo audet tranſgredi. Macula. Nobilis creatura, privatione gratiæ, & ſpoliatione virtutum, & deordinatione potentiarum fœdatur. *Ut filii Æthiopum vos estis mihi. Denigrata est super carbones facies ejus.* Reatus, ad pœnam æternam pro levi voluptate. Ecce maxima præcipitatio e cœlo ad abyſſum. Infirmitas: *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est. Comederunt alieni robur ejus, & ipse nescivit.* Pronitas pravæ conſuetudinis eſt dira catena. *Funes Peccatorum circumplexi sunt me.* Et unuſquiſque actus addit funiculum ad reſtim. Cæcitas: Joannes: *In tenebris est: Et ambulat in tenebris, nescit quo vadat: Quia Tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Inde eſt, quod non ſentit ſuam turpitudinem, nec infamiam, nec cruciatus, nec tormenta æterna. In tanta abyſſo Deus exorandus eſt, ut ſit Liberator. *Clamabis ad me, liberabo te, glorificabis me.* Pro quo nota primo. In hiſtoria Jacob quod deſcenderit in Ægyptum: Ægyptus Tenebræ interpretatur. Deſcendit ergo omnis peccans in Ægyptum, id eſt tenebras. Sed ſi Iſrael eſt, id eſt Electus Dei, exibit per mare rubrum, exibit ad terram promiſſionis, ad æternam gloriam. Secundo. Quomodo, ſi Iſrael eſt, clamat in peccatis? Alias non ſentit. Ægyptiaca eſt anima. Malum ſignum, cum anima in Ægyptum, non ſentit captivitatem. Tertio, pondera, quod ibi dicitur: Quod *Oderant filios Israel Ægyptii, & affligebant illudentes eis.* Nam dæmones illudunt animam miſeram, & onerant ipſam, ut viliſſimum jumentum. Quarto, nota, quod veniente Liberatore premitur: nam

cum

(*a*) Lib. 1. Homil. 11. num. 24. in Ezechiel. *Peccatum quippe, quod per pœnitentiam cito non deletur, aut peccatum est, & causa peccati, aut peccatum, & pœna peccati, aut peccatum simul & causa, & pœna peccati.* Quæ omnia ſubinde explicat.

(*b*) Alludit fortaſſe ad Bernardi ſententiam, quæ legitur Serm. 2. tempore Paſchali num. 10. *Omnia siquidem in Confessione laventur. Et hæc ablutio in quamdam innocentiam tibi deputabitur, ut inter innocentes assistas.*

(*c*) Late de hujuſmodi argumento agit S. Bernardus Serm. 81. in Cantica num. 7. & ſeq.

cum homo vult exire de ſervitute peccati magis retinetur. *Dimitte populum meum*, hæreditatem meam. Eſto Rex ſuper Populum, *ut ſacrificet* pœnitens laudem. *Exodi 5.*

V. Signa quæ facta ſunt in egreſſione filiorum Iſrael de Ægypto, moraliter exponi poſſunt in qualibet egreſſione peccatoris de peccato. Virga in colubrum. Inſenſibilitas in prudentiam, quando homo incipit excitari, & ſentire damna peccati. Aqua in ſanguinem. Converſio aquarum in ſanguinem, quando inducit Deus nauſeam ſuper rebus vanis ac tranſitoriis, incipiunt jam male ſapere voluptates. Amaricat Deus delicias, & jam non poteſt anima bibere. *Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi.* Vel aqua in ſanguinem, quando corpus placidum turbatur, ob aquam delectationis vertitur in ſanguinem doloris de peccato. Sciniphes pungentes, ſunt remorſus conſcientiæ ſtimulantes animam, & torſiones pro peccatis, & aculei timoris Dei, judicii, inferni. Grandines, tonitrua, fulmina, fulgura inſpirationum. *En ipſe ſtat poſt parietem, &c.* Et tonitrua vocationum, coruſcationes illuſtrationum. Tonitrua, terrores mortis. Et ſi non ſufficiunt iſta, grando flagellorum, perſecutionum. *Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi.* Occiſio primogenitorum, vitiorum radicalium, affectuumque pravorum. Ex divina gratia occidendo omnium paſſionum affectum in corde, quæ ſunt operum primogenita. *Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi.* Primogenita item ſunt capitalia vitia; ſcilicet, cupiditas, ambitio, ardor libidinis & ſimilia, quibus mortificatis, cætera vitia deficiunt, & virtutes pullulant, & egreditur de captivitate. *Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi.* Sed, o Domine non dimittet, niſi ipſe interficias manu propria primogenita Ægyptiorum. Ecce, quantumcumque anima flagelletur, non liberabitur, niſi Dominus interius mortificaverit paſſiones. P. Auguſtinus ſuper Pſalmos, ſuper illum verſum. *Fiant viæ eorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos.* Pondera hic duo. Primo: Iſrael egreditur dives. Nam peccator ſurgit a peccato circumſpectus, humilis; prudens, ne iterum labatur; patiens libenter pro delicto flagellum. Dicens illud Job. *Ut eram dignus non recepi.* Pſalmus: *Dexteram tuam ſic notam fac, & eruditos corde in ſapientia.* Secundo pondera ex Origene (*a*), quod Pharao dicit: *Non recedatis longe.* Certe oportet exire viam trium dierum; ſcilicet: exire a peccato, ab occaſione, a conſuetudine. Ecce tres dies. Quantumcumque exeas a peccato, ſi manes in conſuetudine, ſtatim Pharao, qui venit poſt tergum, te captivabit. Caſſianus (*b*): Noli confidere; nam vitia velut latrunculi ſunt in cavernis. Nota, quod aliqui exierunt de Ægypto, tamen dicunt: *Bene nobis erat in Ægypto.* Et contemptis cibis ſpiritualibus cupiunt pepones, & ollas: ut ait Gregorius (*c*) in Moralibus. Et ſi non eſſet propter mare rubrum, id eſt, verecundiam, forte rediretur, ut dictum eſt ex Bernardo (*d*). Alii vero putant ſe jam exiſſe, & tamen ſunt in medio Ægypti. *De propitiato Peccato, noli eſſe ſine metu.* Et alibi: *Sunt impii, qui ita ſecuri ſunt, quaſi juſtorum facta habeant.* Et alibi. *Quaſi gens, quæ juſtitiam fecerit.* Quomodo ergo poterimus hoc cognoſcere? Nota: quod tripliciter aliquis eſt in peccato mortali; ſcilicet, aut quia committit actualiter, aut quia eſt in propoſito committendi, aut quia commiſit, nec doluit ſufficienter. *Ibidem.* *Ibid. 7.* *Ibidem.* *Ibid. 9.* *Cant. 2.* *Exodi 9.* *Ibid. 11.* *Ibid. 9.* *Ibid. 9.* *Exodi 12.* *Pſal. 34.* *Job 33.* *Pſal. 89.* *Exodi 8.* *Ibid. 16.* *Eccli. 5.* *Eccl. 8.* *Iſaiæ 58.*

IN

(*a*) Homil. 3. ſuper Exodum, ubi plura hac de re.
(*b*) Ejus teſtimonium dabimus in notis ad Conc. 3. Dom. 3. Quadrageſ.
(*c*) Moral. lib. 20. cap. 15. *Manna igitur deſerentes, cum peponibus, ac carnibus, porros, cæpaſque quæſierunt: quia videlicet perverſæ mentes dulcia por gratiam quietis dona deſpiciunt, & pro carnalibus voluptatibus, laborioſa hujus vitæ itinera etiam lacrymis plena concupiſcunt: contemnunt habere, ubi ſpiritualiter gaudeant, & deſideranter appetunt, ubi & carnaliter gemant.*
(*d*) De hoc egit Sermone immediate præcedente.

IN DOMINICAM SEPTUAGESIMÆ

CONCIO PRIMA.

DE VINEA SPIRITALI DOMINI; AD MONIALES.

Simile eſt Regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane, conducere operarios in vineam ſuam. Matth. 20. v. 1.

* CONCIO XXV.

I. INTER alia damna peccati Adæ unum magnum fuit, quod amiſimus lumen ſpirituale intellectus: nam ante peccatum clare cognoſcebat Adam ſpiritualia ſicut corporalia. Ex tunc manſit cæcus, jam non valet intelligere ſpiritualia, niſi convertendo ſe ad phantaſmata, & per comparationem ad (a) temporalia. Unde Dionyſius (a): Impoſſibile eſt nobis aliter lucere divinum radium, niſi ſacrorum velaminum tegmine circumvelatum. Propter hoc Magiſter cœleſtis, ſciens noſtram cæcitatem, quaſi parvulis, ſic grandia & ſpiritualia myſteria regni cœlorum in parabolis loquebatur: & non per parabolas exquiſitas, ſed manuales, & communes, omnibus notiſſimas; inter quas una eſt hodierna, de vinea, quam ſæpius audiſtis. Unde ait: *Simile eſt Regnum cœlorum, &c.* Dic litteram. Hæc littera, licet in ſenſu litterali & proprio, de Eccleſia ſit intelligenda, (b) ſicut eam exponit Gregorius (b); quia tamen in ſenſu morali magis ad propoſitum auditorii, ideo in hoc ſenſu exponemus hodie de vinea animæ: in quo ſenſu vinea anima eſt. Paterfamilias, Deus. Procurator, Chriſtus. Operarius, quilibet noſtrum. Dies laboris, vita præſens. Tempus retributionis, mors. Merces, gloria: de quibus erit ſermo. Vinea ergo anima eſt, propter ſimilitudinem quam habet. Nam vinea inter omnes hæreditates eſt fertiliſſima, & quæ maxime ſentit laborem; adeo, ut duplicata cultura, duplicetur fructus illius. Unde, ſi intres vineam bene cultam, invenies eam viridem, floridam, odoriferam, plenam magnis & dulcibus botris. E contrario, ſi vineam male cultam ingrediaris, invenies eam ſterilem, horridam, plenam carduis, ſpinis, & tribulis, non invenies niſi folia exigua, & labruſcas, & uvas non maturas, & acres. Sic eſt anima: ipſa fertiliſſima eſt, parata, A ad magnos fructus; ſi eam laboraveris & excolueris, tibi reddet fructus. Si videris animam juſti cultam, cernes in ea fructus, cernes viriditatem, ſicut Paradiſus Dei. Si animam peccatoris incultam, reperies plenam ſpinis, curis, anguſtiis, cupiditatibus. Non reperies niſi parva folia verborum pallida, & tepida, & labruſcas operum acrium continuorum tædiorum, & averſionum, propter vanitatem, & propter mundum factorum cum tepiditate. Non poteſt maturare uvas, quia deeſt ei labor culturæ ſpiritualis, & calor charitatis. Unde fructus ejus non B ſunt pro menſa Dei, ſed pro uſu ferarum. Vinea ergo anima mea; cujus vitis, eſt fides; palmites, ſunt virtutes; botri, ſunt opera bona; vinum, eſt devotio. Unde ſicut palmites ſine vite non poſſunt ferre fructum; ſic nec virtutes ſine fide, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Et ſicut ex palmitibus botri naſcuntur, ſic ex virtutibus fructus bonorum operum. Et ſicut ex botris vinum, ſic ex bonis operibus devotio promeretur melius, quam petitur. *Heb.* 11.

II. Ad hanc vineam excolendam poſiti ſumus in hac lacrymarum valle ſicut mercenarii. Et tota vita præſens, ſicut ait Job, non C eſt niſi dies mercenarii; *Sicut mercenarii dies ejus*. Et quale fuerit opus, talis reddetur merces. Utinam intelligeremus, utinam ſemper hoc præ oculis haberemus, quod mercenarii ſumus, & ad culturam poſiti! Unde tantum otium, unde tanta deſidia? Totam fere vitam in ludis, & gaudiis expendimus edentes, & bibentes, implicati curis, & negotiis ſæcularibus. Vix ad horam accipimus ligonem ad vineæ culturam. Et quam mercedem exſpectabimus in fine diei? Ecce, ſi homo dives mitteret operarios in vineam ſuam, & illi tota die D ederent & biberent, ſaltarent & luderent: in nocte, quam mercedem eis daret? Flagella & fuſtes. Sic nos, quam mercedem exſpectabimus, niſi gehennam? Miſeri, qui in hac vita fructu vineæ caremus noſtra deſidia, & in fine nobis acquirimus infernum! *Job* 14.

Qualis

(a) Dion. Areopagita de Cœleſti Hierarchia cap. 1., cujus hæc verba, ex interpretatione Corderii tom. 2. Bibl. Patrum pag. 142. *Neque enim poteſt aliter divino-principalis ille radius nobis illuceſcere, niſi ſacrorum varietate operimentorum anagogice obvelatus, nobis quoque paterna providentia connaturaliter, ac proprie ſit accommodatus.*

(b) Lib. 1. Homil. in Evang. Homil. 19. num. 1. *Quis vero Patrisfamilias ſimilitudinem rectius tenet, quam Conditor noſter, qui regit quos condidit, & electos ſuos ſic in hoc mundo poſſidet, quaſi ſubjectos Dominus in domo? Qui habet vineam univerſalem, ſcilicet Eccleſiam, &c.* Cæterum animam quoque per vineam intelligi poſſe moraliter, auctor eſt S. Bernardus Serm. 60. & 63. in Cantica, ubi eo utitur ſenſu.

Qualis fuerit operarius in vinea, finis oſtendit. Nam bonus operarius præſtolatur finem, & gaudet quando venit, quia tranſiit labor, & ſperat mercedem; ſed malus horret a nocte, quia timet ſupplicium. Unde Job: *Job 7.* *Sicut ſervus deſiderat umbram, & ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui, ſic ego.* *Pſal. 1.* *Non ſic impii, non ſic:* timent, & pavent noctem, propter malam conſcientiam, videntes, quia totum diem vitæ male expenderunt: timent apparere coram patrefamilias. Mercenariis ſolet reddi merces, quando ſunt alieni, & laborant in alieno: nam ſi ſunt ſervi, & domeſtici, & ſi in propriis laborant, eis non debetur merces. O magna Dei erga nos charitas! Grandis magnificentia! Servi ſumus, & in proprio laboramus, & tamen merces datur pro labore. Pſalmus: *Pſ. 115.* *Ego ſervus tuus.* Servus, quia creatus, ſervus, quia ſanguine emptus. Totum quod laboro, id amplius debeo. Quo jure debetur merces? Unde Dominus: *Luc. 17.* *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus; quod debuimus facere, fecimus.* Iterum in propriis laboramus. Cujus eſt iſta vinea? Noſtra. Quis fructibus gaudet, niſi nos? Job: *Job 22.* *Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris?* Si bonus fueris, tibi eris. Noſtra eſt vinea, noſter eſt fructus: & tamen promittitur ſtipendium pro labore. Quanta miſericordia, quanta benignitas! Si homo dives conduceret operarios, & eis daret vineam ſuam, & fructus, & mercedem, quot reperiret in platea? Et tu Domine, cum his omnibus, vix aliquem invenis fidelem operarium, qui vineam tuam colat. Ad hanc vineam tota die Deus non deſiſtit vocare operarios. Ex quo incipis uti ratione uſque ad mortem ſemper invitat, ſemper clamat; *Apoc. 3.* *Ego ſto ad oſtium, & pulſo.* Non fatigatur, non contemnit contemptus, ſed quia amat nos, ſemper inſiſtit clamoribus, ut eamus in vineam ſuam: ſed quidam veniunt ad vi- *Mat. 20.* neam ſummo mane, in pueritia; quidam hora tertia, in adoleſcentia; quidam hora ſexta, in juventute; quidam hora nona in ſenectute; quidam hora undecima in decrepita ætate. Sed quacumque hora veniant, etiamſi in ultimis canis, non rejicit a ſe; *Jo. 6.* ſicut ipſe ait: *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.* Grandis conſolatio. Non improperat; non ait: ad quid nunc venis? Ecce vitam in voluptatibus expendiſti, nunc, quia rejicis, ideo venis: fæces tribuis mihi; cui dediſti farinam da furfures. Non hoc ait; ſed gratanter, & læto vultu ſuſcipit venientem. Et licet ultima hora veniat, ſi fideliter laborat illud modicum, dat eis mercedem ſicut prioribus. Sed vere feliciſſimi, qui mane vocantur, & veniunt, & totam vitam in ſervitio Dei expendunt! O quanta gratia puerorum, & puellarum, qui relicto ſæculo eo tempore, quo ludis, & vanitatibus, & laſciviis vacarent in ſæculo, orationibus, vigiliis, jejuniis, & laudibus modo vacant! Qui a Deo præventi ſunt in laudationibus dulcedinis, ut non videant & ſentiant corruptionem, & vanitatem, ſed, ſicut Angeli cœli, in puritate, & ſimplicitate, a mundo ſemoti, in clauſtro viventes tota vita, exeunt ad cœlum. Grandis, grandis miſericordia Dei ſuper eos! De quibus Propheta: *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia levavit ſuper ſe.* Qui ſero veniunt, non ſic facile levantur ſupra ſe. Habent ſatis lugere peccata ſæculi, & excoriare veterem hominem, & pravos mores exuere, & malam conſuetudinem frænare, & reſiſtere vitiis. Verum tamen ſi diligentia compenſant tarditatem, poſſunt & ipſi non modicum ferre fructum; ſed quo tardiores eo debent eſſe ferventiores & diligentiores.

Pſal. 20. *Thren. 3.* *Coloſſ. 3.*

III. Sed jam dicamus, qualis eſſe debeat vineæ cultura, ut operarius fructu, & mercede potiatur. Oportet, ut ſit talis, qualis eſt vinearum naturalium: nam comparatio in omnibus fere currit. Vineis quatuor fiunt culturæ. Primo. Aperiuntur, ut ſuſcipiant imbrem, & rorem, & calorem. Secundo. Cavantur ſæpius, & molliuntur, ne generent vepres, & ſpinas. Tertio. Putantur ſarmenta ſicca & inutilia, ne virtus vitis abeat in palmites, & non in fructus. Quarto. Renovantur ponentes propagines, quia vites ſeneſcunt, & pereunt cito. Has quatuor culturas & nos vineæ noſtræ impendamus. Primo. Aperiamus eam cœlo, ut recipiat imbrem gratiarum, rorem miſericordiæ, calorem charitatis. Hæc apertio eſt bonorum deſideriorum. Anima quæ deſiderat & inhiat cœleſtibus & perpetuis, contemptis temporalibus, aperta eſt in cœlum. Hæc prima cultura. Non eſt capax gratiarum, quæ non deſiderat: & ſine hac pluvia quomodo germinabit? Multum valet hæc anima, & poteſt ab ea ſperari fructus. Quæ autem tota intenta eſt terræ, & non deſiderat ſpiritualia, ſero afferet fructum. Dominus ait per Prophetam: *Dilata os tuum & implebo illud:* & iterum: *Os meum aperui, & attraxi Spiritum.* Os animæ, deſiderium eſt, quo Spiritus attrahitur; unde illud: *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus, invocavi, & venit in me Spiritus ſapientiæ:* & Danieli dicitur: *Ego veni, ut indicarem tibi, quia vir deſideriorum es.* Anima, quæ non deſiderat, ſaltem deſideret deſiderare cum Propheta: *Concupivit anima mea deſiderare.* Sed non ſufficit bonum deſiderium ad fructum. Quot ſunt pleni bonis deſideriis, & ſteriles! Ideo, oportet ſecundo mollire terram, fovere, & arare continuo exhortationibus, & reprehenſionibus, & contritione: quæ ideo dicitur contritio, quia comminuit cor, & mollit duritiem hujus cordis pœnitentia, ut obediat, ut humilietur, ut confringatur. Apoſtolus: *Adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Per

Pſal. 80. *Pſ. 118.* *Sap. 7.* *Dan. 9.* *Pſ. 181.* *Heb. 3.*

ſingu-

ſingulos dies: ſæpius oportet admovere manum; nam ſtatim dureſcit, & producit ſpinas. Si enim, qui hoc faciunt, vix poſſunt eradicare ſpinas, quanto minus, qui contemnunt? Tertia cultura eſt, amputare palmites putridos vitiorum, appetituum, carnalium cupiditatum, ambitionum, malorum deſideriorum; nec ſolum putridos, ſed etiam inutiles negotiorum, curarum, occupationum mundanarum; nec ſolum putridos, & inutiles, ſed etiam virides multos, & utiles negotiorum multorum piorum, ne virtus vitis exeat in palmites, & minus fructificet; ſic enim fit in vite. Felices, vos Sorores, quæ amputatis omnibus curis temporalibus & negotiis, optime amputatis. Solum vobis reliquiſtis, unum illud neceſſarium, cui tota vita incumbitis; curam veſtrarum animarum. In hoc ſolo vos impendentes, ſicut ait Apoſtolus: *Mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore, & Spiritu.* Non poſſunt ſic vivere ſæculares, etiamſi boni ſunt. Nam, *Quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro, & diviſa eſt.* Placere viro bonus palmes; ſed multa virtus vitis in his palmitibus expenditur, quæ in fructibus expenderetur. Ideo felicius eſt eos amputare, licet bonos, & ſolum unum illud optimum neceſſarium relinquere, de quo Dominus: *Porro unum eſt neceſſarium.* Si tamen huic totis viribus virtus impendatur. Quarta cultura eſt renovatio vineæ; de qua Apoſtolus: *Renovamini Spiritu mentis veſtræ.* Et iterum: *Licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur: tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem.* Virtutes enim ſpirituales ſunt, & delicatiſſimæ; ſtatim decidunt, & ſeneſcunt, ſi non renovantur. Videas hominem fervidum, humilem, manſuetum, incidit in ægritudinem longam, vel accidit ei tribulatio, vel negotium longum, in quo occupatur; poſt menſem invenit ſe tepidum, aridum, immutatum, & oblitum, ſicut ſi nunquam oraſſet. Hæc renovatio fit per exercitia ſpiritualia: legendo, meditando, orando, contemplando, inſpiciendo exempla Sanctorum, vacando laudibus. Hæc ſunt, quæ renovant Spiritum, & faciunt illum manere ſemper in fertilitate & germinare ſemper novos palmites & ſtolones. Nec ab hoc debet ceſſare: nam ſicut exercitium pœnitentiæ neceſſarium eſt ad molliendum cor; ſic exercitium orationis & contemplationis, ad renovandum Spiritum, & reparandas vires & virtutes, ne ſeneſcant & pereant. Ecce culturam vineæ ſpiritualis. Felix operarius, qui ſic colit vineam ſuam cum diligentia, & ſolicitudine.

IV. O quales fructus ex ea percipiet, etiam in hac vita! Quos botros dulciſſimos gaudiorum, conſolationum ſpiritualium, & bonorum operum! Quod vinum, tam fervidum & potens devotionis bibet ex ſua vinea! *Vinum* illud *optimum, dignum dilecto meo ad potandum.* Vinum illud, quo inebriantur Angeli in cœlo, quo inebriati ſunt etiam ſuo modo Apoſtoli in die Pentecoſtes. De quo in Canticis: *Comedite amici & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Illis datur merum, & ideo inebriantur: nobis datur aquatum, & ideo, ſatis eſt ſi bibimus, ſatis eſt ſi guſtamus, ſatis eſt ſi ruminamus in hac vita. Illud eſt vinum, de quo Propheta: *Quid bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Frumentum electorum, eſt panis doctrinæ, panis intelligentiæ. Vinum germinans virgines, illud eſt fervida devotio. Ubi hoc vinum eſt, non poteſt eſſe luxuria. Nihil enim ſic carnem, & animam purificat a libidine, ſicut Spiritus devotionis. Hoc eſt bonum ejus; Viri ſancti Religioſi, & Moniales. Hic fructus, non fructificat aliis operibus activis. Hoc ab eis exſpectandum eſt. Sapientia, amor, lux, charitas, intelligentia, & devotio. Non quæramus, Fratres, aliunde: ſi deſit vinum illud, & alii fructus, non eſt, quia vinea ſterilis eſt; ſed quia nos eam facimus ſterilem, non colendo eam. Unde Pſalmus: *Dederunt*, inquit, ſcilicet vitia & peccata, *ſterilitatem animæ meæ:* delectantes eam, ut malæ vepres.

V. Sed quid prodeſt ſi vinea fructificet, & fructus non cuſtodiantur? Et comedant eos bruta? O quot ſunt, qui circa vineam inſidiantur fructibus ejus, ut comedant eos! Duobus indiget ad cuſtodiam: ſepe, & clauſura. Sepes, cuſtodia ſenſuum eſt, clauſura, ſilentium; ſatis enim bene circumdata eſt vinea noſtra carne iſta, ſi non eſſent iſtæ porticus ſenſuum. O ſi anima non videret, nec audiret, nec guſtaret, quis intraret ad eam? Per has feneſtras intrat mors, per has porticus ingrediuntur beſtiæ ad devorandum. Opus eſt claudere. Bene feciſtis Sorores, quæ ut ſervaretis veſtram vineam, iſtas porticus clauſiſtis. Obſecro vos, ſi vultis ſervare illæſam, ſervate clauſas: manete in clauſura, ne contingat vobis illud de quo Propheta conqueritur dicens: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Quod enim oculus non videt, caro non concupiſcit. Cuſtos, Prælatus eſt, ſicut quidam conqueritur in Canticis, dicens: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me, poſuerunt me cuſtodiam in vineis;* Et heu heu! *Vineam meam non cuſtodivi!* An non juſte conqueritur, qui cum ſuam vix ſufficeret cuſtodire, invitus poſitus eſt cuſtos aliarum, de quarum damno reddenda eſt ratio patrifamilias? Et, quod gravius eſt, dum aliorum cuſtodiæ intendit, occupatus negotiis, vineam ſuam non cuſtodivit? Grave jugum, difficilis obedientia. Bene ait: *Pugnaverunt contra me;* quia invitus & obluctans, timens periculum promotus eſt. Væ miſero, qui ambit!

VI. Sunt autem quatuor mala inter cætera, quæ maxime debemus in vineis cavere.

Scili-

Scilicet: uſtionem, & vulpeculas, bruchum & grandinem. Primum novitiis, ſecundum perfectis, tertium & quartum utriſque. Vides aliquando novitiam fervidam, diligentem, devotam, hilarem, totam Dei ſervitio occupatam. Vinea floret: time aquilonem. Cave ne a ſæculo aſpiret aliquis ventus tentationis, memoria præteritorum gaudiorum, & ludorum, & vanitatum, & incipiat anima illa deſiderare ollas Ægypti. *Exodi 16.* Nam ſi ſpirat, ſtatim gelantur flores, & marceſcunt. Videas illam turbatam, afflictam, triſtem, tepidam, negligentem, omnia ſpiritualia faſtidientem, periit omnis ille decor, & viror vineæ. *Thren. 1.* Perfectis vero animabus, quæ miſerunt fructus magnos, non timent aquilonem; induraverunt: non poteſt eas aquilo gelare; nam, omnia mundi oblectamenta, & gaudia reputant ſtercora. Sed *Philipp. 3.* illis timendum eſt a beſtiis, maxime a vulpeculis. Unde in Canticis: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas:* nam *Cant. 2.* *vinea noſtra floruit*. Non quod floribus timeret, ſed fructibus; nam vulpes fructus comedunt, non flores; ſed quod præmature oportet eas cavere ante tempus. Iſta ſunt fraudulenta quædam vitia, & occulta, quæ ſe ſimulant eſſe virtutes: & ſub ſpecie ſanctitatis, & pietatis perfectas animas decipiunt; quia angelus Satanæ transfigurat ſe *2. Cor. 11.* in Angelum lucis, nam cæteras beſtias notas, facilius eſt cavere. O quot animæ ſanctæ, & bonæ perierunt, deceptæ ab illis vulpeculis! Quantam ſtragem faciunt in vineis Domini! Exempla ponerem multa ſi temporis anguſtia pateretur. Capite (intelligite fraudem) & non nocebunt. Ut capiantur, duo obſervanda ſunt. Primo: tenendum eſt in memoria, & obſervandum Apoſtolicum illud documentum: *Nolite omni ſpiritui* D *1. Jo. 4.* *credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint*. Secundo: ne innitaris ſapientiæ tuæ; ſed conſule ſeniores ſpirituales, qui præ conſuetudine exercitatos habent ſenſus, ad diſcretionem boni, & mali; & præ longa experientia norunt diſcutere ſpiritus, dono etiam Dei. Sæpius enim propter hanc ſuperbiam, quia ſuæ prudentiæ innitentes nolunt conſulere alios, Dei judicio perierunt, decepti, & quia Deum orationibus non conſuluerunt. Tertium Bruchus. Hic eſt malus vermis, ex vite naſcitur, vitem & fructum conſumens, & præ omnibus ſtirum nocumentum E præſtans. Opus eſt eum ſtatim ſuffocare ne creſcat. Eſt libido. Quartum eſt tempeſtas grandinis. Hoc eſt: tentatio graviſſima ſpiritualis, quæ animabus, etiam perfectis, ſecreto Dei judicio aliquando accidit, & niſi prudenter & diligenter provideatur, totum fructum vitis conſumit. O quantas vidimus hac tempeſtate afflictas! Tentatio ſpiritualis, gravior eſt quam carnalis.

A

VII. Diximus de vinea, diximus de operario, de cultura, de damno; dicemus ultimo de mercede; & melius forte faciemus ſi prætereamus. Quid enim de illa dicere poſſumus, niſi quod ait Apoſtolus: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, &c.* Et, ſi *1. Cor. 2.* Angeli deſcendant, & tota die loquantur de ea, non poterunt eam exprimere tibi. Nam, *Nemo ſcit, niſi qui accipit:* cum acceperis, *Apoc. 2.* dices: nunquam novi eam, nunquam dictum eſt de ea. O ſi noviſſem! Diebus, noctibus totis deſudaſſem, lanceas, & enſes omnino B contempſiſſem. Quid fuit totus labor, etiamſi a diebus Noe, uſque nunc, ultimo ſupplicio laboraſſem? Bernardus: Cogita, quidquid vis, quidquid vis exopta, major eſt illa merces, amplior eſt illa retributio. Denarius eſt, ut dicitur in Euangelio: Regis *Mat. 20.* ſimilitudinem habet expreſſam. *Quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt;* *1. Jo. 3.* toti divini, toti deificati ſicut carbones. Sed cujus metalli eſt iſte denarius? Non auri, non argenti, non cœli, non Angeli; Cujus ergo? Dei. Eſto contentus o mercenari tali moneta. Deus C ipſe eſt retributio operis tui: non alio metallo, quam Deo præmiandi ſunt labores tui: ſicut enim ipſe ait, Abrahæ petenti: *Domine Deus, quid dabis mihi?* Ecce tuliſti me de domo patris mei, ecce laboro exul, *Gen. 15.* & peregrinus propter te, quid dabis? *Ego*, inquit, *merces tua magna nimis*. Et Pſalmus: *Quid mihi eſt in cœlo? Et a te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea, & cor* *Pſal. 72.* *meum: Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum*. Bernardus (*a*): Vade nunc Religioſa, & excogita labores tuos; multum laboro, multum ſudo: difficile eſt tot annis *(a)* vivere in clauſtro, in paupertate, in obedientia. O ſtulta! Et non aſpicis ad præmium? Non erubeſcis exaggerare labores, cui tale gaudium reſervatur? Quanto melius Apoſtolus bonus operarius, non ſolum ſuæ vineæ, ſed etiam totius orbis, qui tanta paſſus fuerat, dicebat: *Momentaneum hoc & leve tribulationis noſtræ ſupra modum, in ſu-* *2. Cor. 4.* *blimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Moveat ergo nos, Fratres, ad ſperandum, brevitas laboris, magnitudo præmii, oculi Domini. Adſtat enim Pater ille familias ſuper ſuos operarios, notando ſingulos, & videndo. Quis audeat otioſe agere coram tali inſpectore? Stat, & exhortatur: eja Filiæ agite, laborate ſtrenue, ne deficiatis: brevis labor, eſt magna merces & perpetua. Ecce jam adveſperaſcit, cito cito labor iſte finietur, cito ceſſabit fatigatio, & ſuccedet vobis coram Angelis meis mecum æterna retributio gloriæ. Ad quam nos perducat Jeſus Chriſtus. Amen.

IN

(*a*) Serm. 1. de diverſis num. 7. *I perge ergo murmurare, & dicere: Longum eſt, grave eſt, non poſſum tam immania, & tam diuturna portare. Apoſtolus momentaneum, & leve perhibet eſſe, quod tolerat.... Vide ergo quam non ſunt condignæ ad gloriam paſſiones, &c.* Porro ad hunc ipſum Bernardi locum, & num. ſequentem, ſpectat ejuſdem allegatio paulo ante in hac Concione inſerta.

IN DOMINICAM SEPTUAGESIMÆ CONCIO SECUNDA.

DE MERCEDE OPERARIORUM, EAQUE PROMERENDA; AD REGINAM HISPANIARUM.

Quid hic ſtatis tota die otioſi?
Matth. 20. v. 6.

Concio XXVI.

I. DUbitabit forſitan aliquis, quomodo non adverſatur Divinæ Juſtitiæ & æquitati, hæc æqualis operariorum inæqualiter operantium præmiatio? Cum ſcriptum ſit: *Reddes unicuique juxta opera ſua.* Pſal. 61. Et Apoſtolus apertius: *Unuſquiſque autem* 1. Cor. 3. *propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Quomodo ergo inæqualiter laborantes æqualiter præmiantur? Nec videtur ſatisfacere quæſtioni reſponſio Patrisfamilias. *Amice, non facio tibi injuriam. Non licet mihi* Mat. 20. *facere quod volo?* Fatemur Domine, ita eſt; non facis injuriam: tua eſt gloria, tuum eſt regnum, quicquid volueris juſtum eſt, etiamſi evertas omnia quæ creaſti. Attamen ex quo ſtatuiſti, & decreviſti præmiare unumquemque juxta merita ſua, ſicut ſcriptum eſt, *Opus hominum reddet ei.* Quomodo poteſt Job 34. fieri, ut inæquales adæques? Nunquid acceAct. 21. ptio perſonarum eſt apud Deum? Advertite, & intelligite. Non repugnat hoc Divinæ Juſtitiæ, & legi datæ: quia in labore non ſolum quantitas attenditur, ſed etiam qualitas laboris, & intentio & voluntas, & charitas laborantis. Non aſpicit Deus quantum, ſed ex quanto. Homines aſpiciunt manus, *Do-* 1. Reg. 16. *minus autem intuetur cor.* Vidua, quæ duo Lucæ 21. æra miſit in gazophylacium plus omnibus miſit coram Deo. Gloria reſpondet merito, ſed meritum non conſiſtit tam in quantitate laboris, quam voluntate & charitate laborantis. Nam Sancti & Juſti ſine difficultate jejunant, orant, & ſerviunt Deo: imperfecti majorem habent laborem, quia minus diligunt. Nunquid ideo magis præmiabuntur? In humanis & hoc reperitur: adducis operarium ad vineam, & das ei argentum pro labore: adducis pictorem, vel lapidarium, vel artificem, & das ei aurum: quid præmias laboris quantitatem an non potius qualitatem? Nunquid operarius ille Mat. 20. conqueri poteſt apud te, quod ſuſtinuit pondus diei, & æſtus, & minus accepit? An non ei reſponderes: tuus labor major eſt, ſed minus valet, quia tu in gleba operaris, iſte in gemma? Sic eſt, Fratres: valor & meritum noſtri operis & laboris, non ex quantitate, ſed ex voluntate & charitate eſt. Illam ſic attendit Deus: præmiat laborem non ex magnitudine, ſed ex valore. Hoc ipſum attendere poſſumus, ſi volumus in iſtis operariis: nam in quibus labor minor, in eiſdem voluntas & charitas major: nam primi conducti, ſed ſolo verbo obedientes laboraverunt. Sic omnino evenit: populus ille Judæorum mercenarius fuit & conductus, omnia faciebat pro præmio & terrenis pollicitationibus. Unde Dominus per Prophetam: *Quis eſt in vobis qui altare meum* Malach. 1. *incendat gratuito? Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: Et munus non ſuſcipiam de manu veſtra.* Quis gratum habeat donum vel ſervitium mercenarii? Populus vero Chriſtianus, qui ultimo vocatus eſt ad vineam, non ſic, ſed & amore, & charitate, ſed & omnia ſua pro Domino exponit: tam longe eſt ut temporalia quærat. Unde Apoſtolus: *Si in hac vita tantum in* 1. Cor. 15. *Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Et licet expectet æternum præmium, non tamen pro illo ſervit, ſed ex charitate. Unde Dominus ad Eccleſiam ſponſam ſuam: *Oculi tui columbarum.* Cant. 4. Simplices, non reſpicis mercedem cum ſervis: non oſtendis amorem, & prætendis mercedem. Hoc eſt quod facit laborem & opus gratiſſimum & acceptiſſimum coram Deo. Ex quo magnum & utile documentum Fratres: non tam aſpiciatis ad operis magnitudinem, quam ad intentionem & charitatem. Deo ex ſolo amore ſerviatis pro ſeipſo, pro ſua bonitate, & quia debetis; non pro mercede, etiam æterna. *Charitas enim non quæ-* 1. Cor. 13. *rit quæ ſua ſunt.* Affectus non eſt contractus, ait Bernardus (*a*). Amo, quia amo: amo, ut amem. Non debes diligere Deum ſicut domum, pallium, aut vineam pro utilitate tua: & quo minus prætendis, magis mereris præmium. *Purificate corda* veſtra Jacob. 4. *duplices animo*, ait Jacobus, id eſt, qui cum Dei amore, veſtri amorem immiſcetis.

II. Secundo notanda eſt illa murmuratio operariorum. Quomodo poteſt cadere in Beatos murmuratio? Placet quod dicit hic Chryſoſtomus (*b*): In expoſitione parabolarum non omnia exquiſite exponenda, ſed intentio parabolæ ſequenda. Nam plurima dicuntur ſecundum literam, quæ conſonant hiſtoriæ, & non conſonant expoſitioni. Nam ad literam loquendo, videbatur quod illi haberent juſtam rationem murmurandi. Sed ſi placet exponere, optima eſt expoſitio Beati Hieronymi

(*a*) Serm. 83. in Cant. num. 4. *Is per ſe ſufficit, is per ſe placet, & propter ſe. Ipſe meritum, ipſe præmium eſt ſibi. Amor præter ſe non requirit cauſam, non fructum. Fructus ejus uſus ejus. Amo, quia amo: amo, ut amem, &c.*

(*b*) In caput 20. Matth. *Non opus eſt autem, quæ in paraboli dicuntur, ad verbum univerſa rimari, ſed ubi parabolæ ſcopum noverimus, cujus effecta eſt gratia, illum decerpere, quem ſequamur, nihilque ultra curioſius indagare. Nullus enim erit omnino, qui in illo Cœlorum regno hujuſmodi cauſetur, aut expoſtulet. Abſit enim hoc. Omnis eſt namque indignationis, atque livoris prorſus eſt expers locus ille, &c.* Idem repetit Homil. 65. in cap. 19. Matth. circa medium tom. 2. edit. Pariſ. an. 1570.

(a) nymi (a), quod intelligatur de murmuratione admirationis; quia ratio noſtra non attingit divinam providentiam, & divinam juſtitiam, quæ regulatur ratione æterna, quam dum non capit, videtur ei injuſtitia, & quodammodo renititur, & in extaſim & admirationem ducitur. Sic in Beatis magna eſt admiratio divinorum judiciorum, cum videant plurimos tota vita in peccatis vixiſſe, in fine converſos, & aliquando Martyres pro Domino extitiſſe; & breviſſimo tempore ab idololatris, & blaſphemis magnos Sanctos eſſe ſuperatos. Unde tertio valde notanda eſt illa ſententia: *Erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi.* Quia in Dei ſervitio non tam attenditur quantitas temporis, quam fervoris, & diligentiæ. Non ergo ſuperbiant, qui in juventute vocati ſunt, & longo tempore ſervierunt: nec diffidant, qui in ſenectute redeunt ad Deum. Nam ſi diligentes fuerint, poſſunt & alios ſuperare. *Sap. 4.* Sicut ſcriptum eſt: *Conſummatus in brevi explevit tempora multa.* Hoc & in congregandis temporalibus divitiis ſolet evenire, ut unus plus diteſcat uno anno, quam alius multis annis. Et multo magis in ſpiritualibus, quæ ex Dei gratia & voluntate dependent. O ſi illam diligentiam adhiberemus in ſpiritualibus, quam exhibent in temporalibus mundani! Quam cito eſſemus magni & divites! O quomodo ſudant! Quomodo vigilant pro vana mercede! Unde in nobis tanta paupertas, niſi ex negligentia & otio? Quia vitam inutiliter expendimus in vanitatibus? Ex hoc provenit illud, quod quarto notandum eſt, & valde timendum; quod *Multi* *Mat. 30.* *ſunt vocati, pauci vero electi:* multi operarii, & pauci conſequuntur mercedem. O quam timenda ſententia, & quam expaveſcenda! Quis hoc dicit, niſi ille Procurator cui commiſſum eſt præmiare operarios? Credite mihi, Fratres, credite quod ſæpius admonui, ſæpius clamavi: niſi viriliter laboraveritis, ultra plebeam & communem vitam, non recipietis præmium. Væ miſeris qui laboraverunt, & labores ſuos perdiderunt, & pro labore invenient ignem. Recordamini, Fratres, quod operarii eſtis, quod ad vineam vocati eſtis. Operarius qui tota die ludit & ſaltat, comedit & bibit, & non laborat, quam mercedem in nocte accipiet a Domino ſuo, niſi verbera & fuſtes? Operarius eſt, Rex magnus, Epiſcopus, Religioſus, fœmina, & omnis homo. Diligenter quiſque exerceat officium ſuum, & perficiat opus ſuum. Princeps & Regulus, qui totam vitam, quam in regendo exercere debebat, exponit in ludis, & venationibus, & vanitatibus, quomodo præmiabitur? Epiſcopus, qui vanis negotiis implicatur, & relinquit ovile, quid accipiet? Religioſus tepidus, qui non arat, neque ſeminat, ſi non orat, nec laudat Deum, quid accipiet? Fœmina aulica, quæ diem totam ſedens expendit deſidioſa, quid accipiet? Similiter & aulicus, qui neque habet officium, neque curam populi, vel animarum; quando & ipſe operarius eſt, operetur. Recitent, legant bonos libros, operentur manibus aulicæ Dominæ, aliquid pro altaribus elaborent. Hoc honorabile, & honeſtum, & ſanctum eſt, ut in conſpectu veſtro, o Regina (b), laborent veſtræ pediſſequæ, virgineſque aulicæ. Fiet duplex bonum: nam non erunt otioſæ, & fiet eleemoſyna pro Eccleſiis, & bonum exemplum in alias emanabit. Etenim in laudem mulieris ſanctæ ait Spiritus Sanctus: *Quæſivit lanam, & linum, & operata eſt conſilio* *Prov. 31.* *manuum ſuarum. Et Panem otioſa non come-* *Eccli. 33.* *dit. Multam enim malitiam docuit otioſitas.*

(b)

III. Grande malum Otioſitas, & radix omnium malorum, & ſentina omnium vitiorum. Otium eſt vivi hominis ſepultura. Homo otioſus, inutilis, naſci non debuerat, fruſtra natus eſt. Lapis marmoreus eſt, truncus arboris, ficus ſine flore & ſine fructu, ſolum aptus ad ignem: in deſideriis eſt omnis otioſus, vivens mortuus eſt. Otium eſt mater vitiorum, noverca virtutum, ſentina immunditiæ, fomentum peccatorum, janua inferni. Aqua limpidiſſima ſi ſtagnatur, immobilis torpet, ſtatim putreſcit, & corrumpitur, & male olet, & generat algas & immunditias & culices & venenata animalia. Sic anima otioſa putreſcit, & generat turpes cogitationes, & appetitus, & mille malitias, & nequitias ex mala inclinatione naturæ; ut agnoſcamus quales ſumus, & quod oportet nos occupari, ne putrefiamus. Unde Dominus per Ezechielem: *Ecce hæc* *Ezech.* *fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia,* *16.* *ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius,* *& filiarum ejus:* ex hoc prodiit illa nefanda turpitudo Sodomæ. Et quid horum, obſecro, deeſt in palatio? David in bello ſanctus, in otio adulter, & homicida. Salomo- *2. Reg.* *11.* nem dilectum, otium, & opulentia idololatrare fecerunt. *3. Reg.* *11.* Omnia mala ex otio prodeunt, & omnis egeſtas, & omnis tentatio diaboli. Hieronymus (c) ad Ruſticum: Sem- (c) per te occupatum diabolus inveniat. Apoſtolus: *Nolite locum dare diabolo.* Avis quam- *Epheſ. 4.* diu volat ſecura eſt: ſi ſedet, & quieſcit, ſagittariorum inſidiantium ſagitta perfoditur. Novi ego religioſam fœminam, quæ dum non haberet quid faceret, ligna ex uno loco ad

alium

(a) Nihil hujuſmodi apud S. Hieronymum reperi tum in expoſitione hujus loci, tum alibi. Chryſoſtomo eam interpretationem tribuit Hugo Card. Sed neque apud Chryſoſtomum quidquam de hac expoſitione licuit hactenus invenire, licet tribus in locis de hujus parabolæ explanatione ex profeſſo agat, nimirum, præter duo jam citata, Homil. 34. in cap. 20. Matth.

(b) Notatu digna eſt Apoſtolica S. Oratoris libertas, qua Aulicarum Fœminarum otium, modeſte quidem, ſed aperto, ac nudo prorſus ſermone carpit.

(c) Ad Ruſticum Monachum Epiſt. 95., alias 4. circa medium: *Facito aliquid operis, ut te ſemper diabolus inveniat occupatum.*

alium deferebat, ne otiosa esset. Et vere omnium tentationum non solum præcautio, sed & optima medela est occupatio, ut docet experientia. Religiosus quidam fodiebat arenam in fervore diei, ne otiosus esset: interrogatus quid ageret, respondit: occido illum, ne occidat me. Unde nobis, Fratres, ista tepiditas, & otiositas? Nempe ex cæcitate, & ignorantia; quia non agnoscimus, vel non advertimus periculum nostrum, vitæ præsentis statum non consideramus, in quo positi sumus, & quod sumus operarii. Unde quatuor sunt, quæ nos movere debent ad vitandum otium. Primo, magnitudo negotii, quia regnum, & regnum cœlorum perpetuum negotiamur. Exemplum de illo, qui hic in cancellaria litigat de dignitate, de bonis. Secundo, brevitas temporis, quia in ictu oculi, & momento vitæ præsentis, negotianda est futura æternitas. Tertio, magnitudo periculi; nam si ita esset, quod perdentes regnum, saltem manerent, ut parvuli non baptizati, in aliqua vita mediocri sine pœna, satis magnum esset malum, Deum amittere & gloriam. Sed non sic est: sed oportet vel regnare, vel ardere: vel in domo Dei esse, vel in carcere & igne perpetuo. In tanto discrimine quis dormiat? Quarto, multitudo hostium circumstantium, qui quotidie ædes nostras expilaturi subeunt per fenestras, & in nullo alio occupantur, nisi ut perdant nos. Unde Petrus: *Fratres, sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Sumite exemplum mundanorum. O cum quanta solicitudine, & diligentia laborant pro vili præmio! Exemplum officialium. O si sic laboraremus! Debent nos provocare exempla Sanctorum. O quam diligenter die, ac nocte operantes! In quanta temporis parsimonia! Quam modicum dormiebant! Arsenius (*a*): Monacho sufficit una hora ad somnum; & cum manibus operabatur, tunc orabat. O quam breves illi dies ac noctes! Et tu ais: non habeo quid faciam, in quo expendam tempus. Hoc dicis, quia animalis es, & *Non percipis ea, quæ sunt Spiritus Dei.* Quia nescis mente operari, sed solis manibus: nescis laudes, nescis meditationes, nescis discutere conscientiam. Unde quidam illorum Sanctorum Monachorum dicebat: Si viverem annos Mathusalem, mihi deesset tempus ad commemorandum Dei beneficia, & deploranda mea peccata. Audi bonum operarium: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus. Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum & non sum locutus. Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Quid statis hic tota die otiosi?* Hic ubi paranda corona; hic ubi lucrandum stipendium; hic ubi tantum animæ periculum; hic, & quidem non ad horam, sed tota vita otiosi perditis vitam, consumitis tempus pretiosum? Nunquid potestis dicere: *Quia nemo nos conduxit?* Non vere: ecce conduxerunt vos Prophetæ, Euangelistæ, Apostoli, tot Doctores, tot Martyres. Venit de cœlo Filius Dei, ut vos conduceret: & nos quotidie sermonibus vocamus, excitamus, provocamus, ne perdatis mercedem cum multis, & labores vestros, & operas.

IV. Videte, quomodo vos admonet Paulus in Epistola conformiter ad Euangelium: *Fratres, nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis.* Currite recte, velociter, caute. Recte; nam quid prodest currere extra viam? *Ego*, inquit, *sum via.* Hæretici, & pagani extra viam currunt: omne bonum quod operantur amittunt: non assequentur bravium. Currite velociter, & diligenter; nam pigri in medio itineris lassantur; non attingunt bravium. *Viam*, inquit, *Mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Christus *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Nisi velociter cucurreris post eum, fugiet tuos oculos. Currite caute: sunt in via lamiæ, præcipitia, & laquei: de quibus Psalmus: *In via hac qua ambulabant, absconderunt superbi laqueum mihi.* Ecce Religiosus bene currit, & offertur materia exeundi e monasterio & perit: incidit in laqueum diaboli. Alius dum eleemosynis intendit & bonis operibus, adhæret mulieri cui favet, & cadit. Quid fuit nisi lamia quædam? Alius dum corripit fratrem de peccato, fit jurgium & ira & odium maximum. Quid fuit nisi præcipitium in via? *Videte*, inquit, *Fratres, quomodo caute ambuletis: Non quasi insipientes, sed ut sapientes, quoniam dies mali sunt.* Id est, periculosi. Nos ergo, Fratres, proponentes coram oculis bravium, curramus propere: & proponentes nobis mercedem, laboremus indesinenter: semper habentes in memoria illud Apostoli: *Momentaneum hoc, & leve tribulationis, & laboris, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis:* ad quam nos perducat Jesus. Amen.

1. Petr. 5.
1. Cor. 2.
Psal. 76.
Mat. 20.
1. Cor. 9.
Jo. 14.
Ps. 118.
Psal. 18.
Ps. 139.
Ephes. 5.
2. Cor. 4.

(*a*) Refertur a Surio in Vita Arsenii ex Metaphraste tom. 4. ad diem 19. Julii cap. 3. *Dictitans iis, qui aderant: Monacho ad somnum una hora sufficit, si sit egregius athleta.*

IN DOMINICAM SEPTUAGESIMÆ CONCIO TERTIA.

DE PECCATI ET BONI OPERIS MERCEDE EX JUSTITIA FUNDATA IN DEI MISERICORDIA.

Quid hic ſtatis tota die otioſi?
Matth. 20. v. 6.

CONCIO XXVII.

I. PRimo hiſtoria Adæ, & lapſus ejus. Eccleſia in memoriam adducit lamentabile principium noſtræ miſeriæ. Væ, væ illis, qui hanc ipſam miſeriam, tanquam gloriam habent, perpetuo volentes in hoc ſæculo commorari. In hoc miſeriores, quia neſciunt ſe eſſe miſeros. Hiſtoria, ſic ſe habet: ex primo capitulo Geneſis. Creavit Deus primo mundum, quaſi domum hominis. Et facta domo condidit habitatorem, cœlum, terram, arbuſta, animalia, mundum multo pulchriorem, ſolem fulgentiorem. Hei, hei! Omnia inficit peccatum, cœlum, & elementa, & herbarum virtutes; ut agnoſcas, quantum Deo diſpliceat peccatum. Parem ergo omnibus, ex limo fecit habitatorem. Pondera; ex luto, ex quo fiunt lateres, tegulæ, tam pulchram effigiem tam temperatum corpus. O magnus Artifex! Facto corpore, ſpiravit in eo ſpiraculum. Nota; ſpiravit animam, non eduxit de corpore, ut alias formas. Spiraculum Omnipotentis anima eſt. Vide, qualis ſis. O mirabilis prorſus Artifex, qui res tam differentes univit! Non ſolum vinculo informationis, ſed etiam vinculo amoris: Bernardus (*a*) in ſermone Nativitatis. Facto corpore fecit animam. Chryſoſtomus (*b*): Prius fecit corpus, quia ſi prius animam feciſſet, forte poſtea cum tædio corpus intraſſet luteum, ſi prius experta fuiſſet libertatem. O quam pulcher erat tunc Homo, quam felix! Primo, libertate ſui. Secundo, dominio ſui integro. Tertio, intelligentia pura, & grandi, & conſortio Angelorum, & immortalitate, &c. Adduxit Dominus ad eum omnia animalia, ut darent ei obedientiam tanquam Domino, & eis nomina imponeret. Quam ſapiens, qui juxta proprietatem indidit nomen unicuique conveniens. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum.* Quæ enim ejus conſolatio cum brutis diſſimilibus? *Faciamus ei adjutorium:* non ſolum in prolem, ſed etiam in ſolatium, & juvamen data eſt mulier; ſed verſa eſt ei in lubricum, & offendiculum. Viſa ea Adam gaviſus eſt, & agnovit in illo ſopore Sacramentum Chriſti, & Eccleſiæ. Quamvis non, propter lapſum ſuum, novit effectum antequam cauſam. Serpens invidus allexit eos, dicendo primo: *Cur præcepit vobis Deus?* Nota primo ex Magiſtro (*c*), quod non eſt permiſſus apparere in forma delectabili, ſed horribili, ut ejus fraus percipi poſſet. *Cur præcepit vobis Deus?* Rationem divinorum operum petit. Non eſt neceſſarium hoc, neque noſtrum, ſed facere quod Deus præcipit. *Dixit ad mulierem.* Mulier ſola a viro receſſerat, & in paradiſo ambulans alloquitur ſerpentem.

II. O mulier! Quid tibi, & ſerpenti? Agnoſcito, quia ſerpens eſt; venenum effundit: quid cum eo confabularis? Neſcis, quia ipſe flatu ſuo inficiet te? Audit ipſum, & rationabilis viſa eſt ei interrogatio cauſæ: *Cur præcepit vobis Deus?* Reſpondit ei: *Ne forte moriamur.* Ecce, jam ponit in dubio: capta eſt. Ait dæmon: *Nequaquam morte moriemini.* Ecce facit Deum mendacem: Bernardus (*d*). Ubi eſt vafries tua? Ecce omnes morimur. *Eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum.* O miſera mulier! Ad quid vis ſcire malum? O inique dæmon! Scire malum, tuum ſcire eſt, non ſcire Dei. Rapuit illam iſte appetitus ſcientiæ, & inde cœpit malum noſtrum. *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit.* Sed ne contriſtaret delicias ſuas, ut ait P. Auguſtinus (*e*): Et quia voluit mulieri placere, propter eam in laborem miſſus eſt, ut eam alat.

Gen. 1.
Ibid. 2.
(a)
(b)
Gen. 2.
(c)
Ibid. 3.
Ibidem.
Ibidem.
(d)
Ibidem.
Ibidem.
1. Tim. 2.
(e)

(*a*) Mutui amoris vinculo ſociatam corpori animam diſerte tradit S. Bernardus Serm. 2. in Nativit. Dom. num. 1. & 2., ubi hæc habet. *Charitatem mihi conjunctio iſta commendat, charitatem in hac ipſa conditionis propriæ pagina lego: charitatem in ipſo ſtatim principio non ſolum prædicat, ſed ingerit mihi manus benigniſſima Creatoris:* Diſſipatam ſubinde diaboli fraude unionem iſtam aſſerit num. ſeq.

(*b*) Serm. *de Fide, & Lege naturæ, & S. Spiritu* ad calcem tom. 3. edit. Pariſ. an. 1570. hæc leguntur: *Deus creavit hominem de pulvere, ſed neſciebat homo, quomodo eſſet factus, & propterea ignorabat & ſuam vilitatem. Deus enim, ut dicebam dudum, animam noluit eſſe priorem, ut ne videret formationem.* Prius autem dixerat. *Sed neſcivit Adam, quomodo formatus eſt, ut dixi olim, non enim oportebat eum teſtem adeſſe eorum, quæ fiebant, ut ne contra Deum extolleretur, & ignoraret eum, qui ſe creaverat, & reprobaret ſuum Conditorem. Si accepiſſet quid ſuper naturam, quis remiſiſſet ei immodicam ſuperbiam?*

(*c*) 2. diſt. 21. q. 1. *Sed quia.* Ejus hæc ſunt verba: *Iterum ne nimis occulta foret fraus illius, quæ caveri non poſſet, & homo ſimul videretur injuriam pati, ſi taliter circumveniri permitteret eum Deus, ut præcavere non poſſet, in aliena quidem forma permiſſus eſt venire diabolus, ſed in tali, in qua ejus malitia facile poſſet deprehendi.*

(*d*) Serm. 1. in Annunt. B. Mariæ num. 8. *Privata eſt etiam mulier veritate, primo quidem male detorquens quod audierat morte morieris, & dicens ne forte moriamur: demum ſerpenti credens penitus abneganti, & dicenti nequaquam moriemini.*

(*e*) Ita porro hac de re S. Parens de Civit. Dei lib. 14. cap. 11. num. 2. *Sicut enim Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non conſenſit inductus, ſed ceſſit obſtrictus; nec Salomonem credibile eſt errore putaſſe, idolis eſſe ſerviendum, ſed blanditiis fœmineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum: ita credendum eſt, illum virum ſuæ fœminæ uni unum hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem tranſgrediendum non tamen*

alat. Pulsus est de paradiso in peregrinationem, & exemplum. Cœpit sentire frigus & æstum, cœpit fodere terram. O quomodo obriguit, visa morte filii, & cognito, quod tale passurus erat, &, quod pejus est, rebellionem in carne. *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem*. Gen. 3. Dic: quam benigne Deus eum quærat deambulans in mansuetudine. *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es?* Non de loco, sed de statu. *Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi*. Dic excusationem miseram peccatoris. Quam male est excusare peccata: si enim doluisset statim, forte non incidisset in tot maledictiones, ut sunt: *maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vescevis pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es. Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est. Ejecitque Adam. Mulieri quoque dixit Deus ... Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*. Mulier decepta est; & dum voluit virum prævenire, facta est ei subdita. Dic: Quomodo erat leve præceptum Dei. Fingit enim Deus laborem in præcepto, & datum est propter meritum. Angelo Deus non dedit præceptum; sed liberum, sine lege reliquit; homini præceptum leve. O Domine quomodo hoc? Creaturæ nobiliori nihil injungis? Et cum sit virtus peccati lex; fecit hoc Deus, ut in præcepto occasionem misericordiæ inveniret. Justus irascitur contra dæmonem, quem fecit Deus liberum, & ipse insurrexerit in benefactorem suum; & dæmon subsannat hominem, quem quidem fecit sub lege, sed levi præcepto obligans, si servaret, foret ipsi occasio meriti; postquam vero transgressus est, facta est occasio damni. Pulsi sunt igitur de paradiso tanquam indigni tali domo. Potest illis dici, quod Pharao Judæis: *Opprimantur operibus; ut non acquiescant verbis mendacibus*. Exodi 5. Sed, quos Dominus tunc relegaverat a se, nunc propitius revocat ad suum servitium operarios in vineam suam.

III. Historia ista dupliciter exponitur a (a) beato Gregorio (a). Primo: de tota Ecclesia, quæ ad fidem ultimo vocata est hora prima, tertia, nona in populo Hebræorum, & hora undecima in populo Gentili. Otiosi erant: quia illorum acerrima ingenia, futilibus fabulis, & cultui Idolorum erant dedita. *Nemo nos conduxit*. Mat. 20. Nullus ad nos Propheta vel prædicator destinatus. Non erat legitima, nec sufficiens excusatio; tamen eam recipit pius Pater. Non curo: *Ite & vos in vineam meam*. Mat. 20. Isti amplius gratiæ, & virtutis accipiunt; alii pondus legis, & cæremoniarum sustinuerunt. Dominus in Euangelio: *Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis*. Jo. 4. Sed, licet una tantum hora, numquid non laboraverunt? Imo: multum. Vide Apostolos, vide Martyres. Apostolus: *Puto enim, quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit tanquam morti destinatos, &c.* 1. Cor. 4. Dic totum. Secundus sensus moralis istius parabolæ ad quemlibet refertur. Habet ergo ista littera, unde nec primi superbiant, nec ultimi desperent. Primi non acceperunt amplius, & ultimi nihil minus. P. Augustinus (b): Omnes simul in fine diei, (b) cum Patriarchis, Prophetis, & Apostolis denarium salutis accipiemus. Etenim nostis mercenarios vel operarios diversis temporibus ductos ad vineam, mercedem tamen pariter acceperunt. Mat. 20. Et Prophetæ ergo & Apostoli, & Martyres, & nos, & qui post nos erunt usque in finem sæculi, in ipso fine accepturi sumus salutem sempiternam: ut contemplantes gloriam Dei, & ejus faciem intuentes, eum laudemus in æternum sine defectu, sine aliqua pœna iniquitatis, sine aliqua perversitate peccati: laudantes Deum, & non suspirantes, sed inhærentes illi, cui usque in finem suspiramus, & in spe lætati sumus. In illa enim civitate erimus, ubi bonum nostrum Deus est, lumen Deus est, panis Deus est, vita Deus est, quidquid est bonum nostrum, a quo peregrinantes laboramus, in illo inveniemus. In illo erit quies, quam modo recordantes, necesse est, ut doleamus. Qui prius ergo vocatus est, ultimum non contemnat; forte tantum recipiet. Non est regnum Dei, & virtus ejus in tempore, sed in Spiritu & fervore. Modico tempore potest quis plus proficere, quam alius multo. Videmus modico tempore, alios religiosos in virtutibus & contemptu mundi superasse tepidos & algentes, quibus tempus longum magis est ad judicium quam ad favorem vel auxilium. Verumtamen in hoc noli confidere; noli expectare ultimam horam vitæ: non enim tunc tu vitia, sed vitia te ipsum deserunt. *Quid hic statis tota die otiosi?* Ibidem. Hic, ubi lucrandum est Regnum, ubi æternitas paranda tam brevi momento vitæ? Hic, inquam, otiosi ubi gemmas colligere æternas debetis? O Domine! Non sumus otiosi: quotidie laboramus, itineramur, totum mundum circumfretamus; non sufficit nobis dies. Ista summa otiositas est, hoc totum est agere nihil. Legistæ dicunt (c): Nihil & inuti- (c) le

tamquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse. Non enim frustra dixit Apostolus, sed & Adam non est seductus, mulier autem seducta est. Nisi quia illa, quod ei serpens locutus est, tamquam verum esset, accepit, ille autem ab unico noluit consortio dirimi, nec in communione peccati; nec ideo minus reus, sed sciens, prudensque peccavit.

(a) In Euang. lib. 1. Homil. 29. num. 1. & 2. Duplicis hujus sensus expositionem prosequitur S. Gregorius.

(b) A verbis illis, *omnes simul in fine diei*, usque ad alia, *necesse est, ut doleamus;* id totum legitur apud S. P. August. Enarrat. in Psal. 37. num. 28.

(c) Eruitur axioma hoc ex L. 4. §. *Condemnatum ff. de re judic.*, & apud Canonistas Can. *Sicut urgeri* 1, q. 1.

le æquiparantur. O Mortales! *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate?* Laborantes ſine fructu, extenuantes vos in vanum. Iſaias: *Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis: Opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Opera eorum opera inutilia*, riſu digna. *Telas araneæ texuerunt*. Aranea eviſcerat ſe, ut faciat telam ad capiendas muſcas, quæ facili vento rumpitur. Ita iſti eviſcerant ſe curis, & anxietatibus, ad opera futilia & inania, quæ in fine peribunt. Ad capiendas muſcas, id eſt, ad vanam gloriam, & voluptates ſæculi. *Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit*. Ita pagani. Bernardus (*a*): Si arguantur otioſitatis quos nemo conduxit, qui jam conducti ſunt, ſi otioſi inventi fuerint, quid merentur?

Iſaiæ 55.
Ibid. 59.
Mat. 20.
(a)

IV. *Accipientes murmurabant*. Hæc murmuratio non cadit in Beatos. Nec oportet, ut ait Chryſoſtomus (*b*); quod comparatio ſemper currat quatuor pedibus, ſufficit ut currat tribus, vel duobus; alias, non eſſet jam ſimilitudo, ſed res. Tamen poteſt ad ſtatum gratiæ hæc murmuratio referri. Nam hic, aliquamdiu pœnitentes, & ſitientes, non recipiunt tantum ſpiritum, tantum fervorem devotionis, tantam ſapientiam, ut alii qui gratis hæc inveniunt cum abundantia. O Domine ego ſitio, & non habeo! Ille contemnit, & abundat. O homo! *Tu quis es?* Ut rationem tuorum operum a Deo petas? *Amice non facio tibi injuriam: Tolle quod tuum eſt, & vade*. Tu ultra meritum accipis. Quid tibi de alio? *Aut non licet mihi quod volo, facere?* Sileamus, Fratres, ſileamus. Non ſcrutemur opera iſta Dei. Cave ſpiritualem invidiam, quæ multo pejor eſt quam temporalis, & carnalis. Numquid in ſola tua cella lucebit ſol? Et intra tuam hæreditatem vis concludere ſolem, ut aliis non luceat? Quid tua, ſi ille abundat? Imo multum ad te; nam in illo accipis quod in te non accipis. Et ſi adeſſet charitas, in illorum virtute eſſet tibi gloria. Hoc enim habet charitas, quia propria facit communia, & communia facit propria. Tuum eſt, per charitatem quod frater habet. Imo, ut inquit Bernardus (*c*): Aliquando forte ille per jactantiam, vel negligentiam, vel ingratitudinem non ſibi proficit in ſuo munere, & tu proficis in eo per charitatem, dum de alieno chariſmate, ſicut de proprio gaudes. Sic enim per amorem pater & mater gaudent de honore filiorum. Amor facit hoc. Donum quidem proprium melius eſt quam alienum; tamen gaudium de alieno dono melius eſt quam de proprio. Sic olim quidam zelabat, pro Moyſe; cui reſpondit Moyſes: *Quid æmularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum?* Sic etiam diſcipuli pro Joanne Baptiſta zelabant, & dicebant: *Rabbi qui erat tecum trans Jordanem, & cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*. Sed ille, quid ait? *Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cœlo ... Ergo gaudium meum impletum eſt. Illum oportet creſcere, me autem minui*.

Num. 11.
Jo. 3.
Jo. 1.
Mat. 20.
(c)

V. *Quod juſtum fuerit dabo vobis*. An ſit juſtitia inter meritum & præmium, Apoſtolus ſententiat: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Unde ergo juſtitia? Ex gratia. Si ex gratia, quomodo juſtitia? Mirabiliter iſta permixta ſunt. Fratres, omnis noſtra juſtitia Chriſtus eſt, ipſe omnis gratia, ipſe gratis datus eſt a Patre, in ipſo omnia noſtra ſunt, per ipſum in eſſe optimo, & juſto. Cujus hæres, ejus eſt hæreditas. Cujus eſt Dominus, ejus eſt poſſeſſio. Apoſtolus: *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Meus eſt Rex, meum eſt regnum ejus & imperium; per ipſum ad me pertinet. Ipſe mihi illud donavit: & ut donaret crucifixus eſt. Ejus gratia, mea eſt juſtitia. Mirabilis Deus: per unum donum ſe obligat ad aliud. Ipſe ſe obligat, non nos obligamus eum. In ipſo eſt noſtra juſtitia. Ad ipſum feſtinemus ergo, Fratres, vel una hora venire ad vineam, confidentes de benigno Procuratore, qui nihil quæſivit ſibi in mundo, ſed Patris gloriam, & mundi ſalutem. Optimus Procurator, qui nihil rapuit. Fidelis Diſpenſator donorum Dei, iſte eſt Solutor. Non tam reſpicit laborem quam amorem: ſit parum, ſit multum, creſcat affectus, & erit maximum opus. Quoniam, ut ait Gregorius (*d*); non tam conſiderat quantum, ſed ex quanto. Duo æra miſit in gazophylacium, quæ plus omnibus miſit. Et altera mulier excuſata eſt ab ipſo, quia quod habuit, & fecit. Læto animo offer quod habes, & multum offers, etiamſi parum habes. Seneca (*e*) lib. 1. de beneficiis. *Non in victimis licet optimæ ſint, auroque præfulgeant, deorum bonos eſt,*

Mat. 20.
Rom. 8.
Ibidem.
(d)
Marc. 12.
Mat. 26.
(e)

(*a*) Serm. 2. in Purif. num. 2.

(*b*) Ejus ſententiam dedimus in notis ad proxime præcedentem Concionem, ubi a S. Oratore primo allegatur.

(*c*) Apolog. ad Guillelm. Abbat. cap. 4. num. 8. *Laudo enim omnes, & diligo ubicumque pie, & juſte vivitur in Eccleſia. Unum opere teneo*, ſcilicet ordinem, *cæteros charitate. Faciet autem charitas, fidenter loquor, ut ne illorum quidem fructu frauder, quorum inſtituta non ſequor. Plus aliquid dicam. Tu tibi caute age. Poteſt namque fieri, quia fruſtra tu laboraveris: ut autem ego fruſtra diligam bonum, quod operaris, fieri omnino non poteſt. O quanta fiducia charitatis! alius operatur non amans, & alius amat nihil operans. Ille quidem ſuum opus perdit, illius vero charitas nunquam excidit*.

(*d*) In Euang. lib. 1. Homil. 5. *Cor namque, & ſubſtantiam penſat: nec perpendit, quantum in ejus ſacrificio, ſed ex quanto proferatur*.

(*e*) Lib. 1. de Benef. cap. 6. *Sicut non in victimis quidem, &c.*

est, sed pia ac recta voluntate venerantium.

VI. *Job: suspice cœlum, & intuere, &* Job 35. *contemplare æthera, quod altior te sit. Si peccaveris, quid ei nocebis? Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porro, si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Quis ante de-* Ibid. 41. *dit mihi, ut reddam ei?* Quomodo ergo est justa conventio, ut reddat quod justum est? Si mortem dederis, prius ipse dedit: si dolores, prius ipse: si lacrymas, prius ipse. Quod debes, nequis solvere: & tamen, iterum alia pollicetur tibi. O bone Jesu! Quomodo justum est pro momentaneo labore, æternam requiem, pro modico tristitiæ, æternam gloriam, pro brevi dolore, æternam lætitiam? Aut, quæ potest esse servi ad Dominum justitia? Aut quali obligatione potest Creator obligari ad creaturam? Figulus ad figmentum? Justum est; non quia debitum, non quia æquitate, sed quia a tua infinita justitia volitum. Aut forte ideo justum est, quia mensuræ æqualitas est: sicuti solemus dicere: plane oppletum vas est, quando vas est plenum omnino liquore: sic enim nihil replet animam, non cœlum, non terra.

VII. Non satiabatur his terrenis Moyses, quando ait: *Ostende mihi faciem tuam.* Cui Exodi 33. respondsum est: *Ego ostendam omne bonum tibi.* Salomon ait: *Desiderium justorum omne* Prov. 11. *bonum est.* Hæc est regula animi justi, nihil minus desiderat omni bono: illo solo, æterno, & vero bono. Per hæc poteris cognoscere qualis sis: vide quid desideres. Si minus omni bono, non es justus. O mirabilis Dei largitas! Ipse dator, & donum; ipse coronans, & corona; ipse præmiator, & præmium. Modicum bonum operis tui, & illud alienum, summo bono præmiatur. Quomodo ergo Domine, *quod justum est?* Certe, non est æqualis mensura, sed plena, Mat. 20. exagitata, conferta, & exuperans. Quomodo ergo Domine, *quod justum est?* Certe Lucæ 6. dupliciter; ex pacto, & ex congruo. Audi quod dicitur: *Conventione autem facta.* Non Mat. 20. jam debitum ex valore, sed debitum ex promisso, debitum ex conventione tua. Ipse te obligas charitate tua, bonitate tua, agnoscis debita, nulli debens. Psalmista: *Propter* Psal. 16. *verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Sufficit mihi Domine creditum, & verbi pignus, ad hoc ut propter te fortia aggrediar. Siquidem, verba tua non transibunt. Secun- Marc. 13. do modo: etiam justum est præmium ex congruo, etsi non ex æquo. Quid peccator ponderas merita tua, quasi inde tibi reddatur præmium æternum? Certe non propter tua opera, sed propter Dei misericordiam. Ibi est tibi spes de venia. Congruit namque illi bono infinito misericordia, congruit benignitas. Et dignum, & justum est, ut summum illud bonum, hominem, quem sui capacem natura fecit, se ipso impleat, ne vacuum sit opus excellens. Congruit etiam, ut cum peccator nihil illi possit præstare pro peccato nisi dolorem; ut summa illa misericordia recipiat dolentem, & parcat contrito.

IN DOMINICAM SEXAGESIMÆ CONCIO.

DE EFFICACIA VERBI DEI; ET POSTILLA EUANG.

Exiit qui seminat, seminare semen suum. Lucæ 8. v. 5.

Concio XXVIII.

I. QUANTA sit utilitas Prædicationis, aperte ostendit mundi conversio. Nam sic resonantibus tubis Apostolicis mundus conversus est. Et si in Ecclesia Dei nunc aliquid est viroris, & virtutis, hoc facit assidua prædicatio verbi Dei. Nam vere, ut ait Isaias, *Nisi Domi-* Isaiæ 1. *nus exercituum reliquisset nobis semen* verbi sui, *quasi Sodoma fuissemus.* O quanta oblivio, quanta negligentia, quantus contemptus esset! Quomodo inundarent omnia peccatis, cum etiam inter tot reprehensiones, & exhortationes abundent satis delicta! Innumeras enim utilitates facit verbum Dei in anima, ut ait Bernardus (*a*); nam frænat (*a*) eam a peccatis, vivificat, illuminat, inflammat, mundat, confirmat, sanat, fœcundat, emollit, & totius boni capacem facit. Etenim: verbum Dei est frænum, vita, lux, ignis, cibus, medicina, virtus, & purificatio cordium. Longum esset hæc omnia discutere, & ad hoc vix sufficeret totus sermo hodiernus: sed ex authoritatibus Scripturæ hæc omnia breviter comprobabo. Quod *Frænet*, & cohibeat a peccato, patet ex Psalmo: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non* Ps. 118. *peccem tibi.* Quod *Mundet* a peccato commisso, patet ex Euangelio: *Vos mundi estis pro-* Jo. 15. *pter sermonem, quem locutus sum vobis.* Quod *Vivi-*

(*a*) Serm. 24. de divers., qui totus est de multiplici utilitate verbi Dei. Ita porro num. 2. *Primum quidem sonans in auribus vox divina, conturbat, terret, dijudicatque: sed continuo, si non avertis aurem, vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique & cibus noster est, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies, resurrectio quoque, & consummatio nostra.*

Jo. 14. *Vivificet* animam, patet ex Euangelio: *Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus, & vita ſunt.* Quod *Illuminet* mentem, patet ex Pſal-
Pſ. 118. mo: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Et iterum: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Quod *Inflammet*, patet ex Pſal-
Ibidem. mo: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Quod
Mat. 4. *Paſcat*, patet ex Euangelio: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed ex omni verbo quod procedit de ore Dei.* Quod *Sanet*, patet ex Pſal-
Pſ. 106. mo: *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos.*
Pſ. 118. Quod *Confirmet*, patet ex Pſalmo: *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.* Quod *Emolliat*, patet ex Pſal-
Pſ. 147. mo: *Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea.*
Cant. 5. Et in Canticis: *Anima mea liquefacta eſt: ut locutus eſt.* Quod *Fœcundet*, patet ex Pro-
Iſaiæ 55. pheta: *Quomodo deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc ultra non revertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti. Sic erit Verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in iis, ad quæ miſi illud.* O quam vellem iſta omnia late diſcutere, & experimento aſtruere, ſi tempus adeſſet, & ad alia non properarem. Videant, qui contemnunt audire ſermones quantis bonis privant & expoliant animas ſuas. Nec mihi dicas, ſapiens ſum, litteratus ſum, habeo in domo mea ſermones Auguſtini, Bernardi, Chryſoſtomi, quos legam: nam littera mortua eſt, vox viva; habet enim neſcio quid latentis ener-
Heb. 4. giæ viva vox, quod non habet littera. *Vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum.* Non ſic littera, plus enim movet ſermo quam lectio. Prædicator enim vox Dei eſt qui loquitur in illo. Non venis audire hominem, ſed Deum in homine. Item Spiritus ſanctus cooperatur
Marc. 16. verbo amplius: ſicut ſcriptum eſt: *Prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.* Quantos peccatores induratos, & vidimus, & legimus, ex auditu verbi Dei fuiſſe converſos, mutaſſe vitam, emendaſſe mores?

II. Sed dices: non video hodie tantam utilitatem in auditorio, cum tanta frequentatione ſermonum. Verum eſt. Quid hoc facit? Indiſpoſitio terræ, in quam ſemen cadit, non defectus virtutis in ſemine. An non vides in Euangelio ex ſeminato ſemine vix quartam partem perveniſſe ad fructum, propter male diſpoſitam terram? Utinam utinam hodie ex tanto auditorio, vel quarta pars fructificaret, ut debet! Multi hodie auditorés, & pauci factores. Videamus ergo juxta litteram, quid impediat a fructu. Tria impedimenta legimus in littera; ſcilicet: Duritiam, Siccitatem, & Spinas. Ex quibus ſumuntur tria genera auditorum inutilium, qui audiendo non proficiunt. Primum ergo impedimentum eſt Duritia. Scitis Fratres, quomodo agricolæ emolliant terram: ideo juxta viam non fuit fructus, quia terra dura & conculcata. Quem fructum poteſt facere ſermo Dei in corde peccatoris obſtinati, indurati, qui per decem annos fuit in peccato mortali exercendo uſuras, habendo concubinam, rancorem, & odium proximi, retinendo, & furando, & non reſtituendo, ludendo, & blaſphemando? Ab hoc corde reſilit ſtatim ſicut grando. Non apprehendit, non movet, non excitat affectus, non devotionem, non horrorem peccati, non timorem inferni, non deſiderium ſalutis; & ſi omnes Scripturas cum magno fervore prædices, non excitabis in eo vel tantillum contritionis, doloris, timoris, compunctionis. Hoc propter nimiam duritiem, quam fecit peccatum diutinum in ipſo, & diuturna conſuetudo peccandi. Unde, aut dormiunt audientes ſermones, aut loquuntur, aut quaſi tracti ex capillis cum magno tædio retinentur. Et ita: quia verbum Dei nullam facit impreſſionem in corde eorum, veniunt dæmones, & rapiunt verbum de memoria ſtatim, aut conculcant ipſum. Hoc eſt enim verbum quod *Cecidit ſecus viam.* *Luc. 8.* Nam corda talium publica ſunt, nullam habent cuſtodiam: via publica per quam tranſeunt dæmonia, ſine impedimento, & contradictione. Sicut ait Job: *Vadent, & venient ſuper eum horribiles.* *Job 20.* Et ideo, quaſi plenam habentes poteſtatem ſuper eos, ſtatim devorant verbum, & radunt a memoria, ne forte convertantur, & pœnitentiam agant. Contra hos loquitur Apoſtolus, cum ait: *Adhortamini vos metipſos per ſingulos dies, ut non obduretur quis ex* *Heb. 3.* *vobis fallacia peccati.* Scitis enim, Fratres, quot ſudoribus & laboribus agricolæ arent, ſcindant, & emolliant terram, antequam ſeminent, ut molli gremio, quaſi mater terra recipiat, & foveat ſemen, ut ſic hæreat, & radices emittat. Sic ſic oportet ante ſermonem quotidie examinare, diſcutere conſcientiam, admonere, exhortari corda noſtra, ne peccatis obdurentur, & fiant ſterilia. Hoc primum, & maximum impedimentum eſt, hoc eſt peſſimum genus auditorum, in quibus propter duritiam nulla fit impreſſio, nullus ſenſus, nullus guſtus, nulla commotio. *Quoniam in malevolam animam non* *Sap. 1.* *introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Hi ſunt filii diffidentiæ: quia de eorum ſalute parum confidimus, quoniam nec libenter verbum audiunt, ſed cum tædio & fatigatione. Unde ſecundum Euangelium: ſignum hoc eſt æternæ reprobationis: quia, *Qui ex Deo eſt, verba Dei au-* *Jo. 8.* *dit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Sunt filii hujus ſæculi, & in his quæ ſæculi ſunt non fatigarentur audire fabulas, & cantilenas per diem, ſed verbum Dei non ſuſtinent per horam.

III.

III. Secundum impedimentum eſt ſterilitas & ſiccitas terræ: quia non habet humorem. Id eſt, tepiditas cordis non habentis humorem ſpiritus charitatis, & devotionis, quia non pluit Dominus ſuper illam cœleſtem rorem, & pluviam illam, quam ſegregavit hæreditati ſuæ. Magnum malum, Fratres, tepiditas, etſi non adſunt multa gravia peccata. Apocalypſis: *Utinam frigidus eſſes aut calidus: Sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Quia anima tepida debilis eſt, & fragilis ad omne bonum. Unde iſti licet aliquando audiant libenter, & cum gaudio ſermonem, & hora qua audiunt excitentur, & commoveantur ad lacrymas, tamen quia non habent humorem devotionis, ſtatim ſiccatur omnis illa viriditas orto ſole tentationis, vel tribulationis, quia non habent vigorem, & virtutem implendi, & perficiendi bonos affectus, & bona deſideria quæ conceperunt, ſed in herba ſiccantur: de quibus Pſalmiſta: *Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam evellatur exaruit.* Audiſtis, Fratres, ſæpius: quoniam bonorum affectuum, & deſideriorum infernus plenus eſt; non enim ſecundum deſideria, ſed ſecundum opera reddet Dominus unicuique in judicio. Unde Fratres, provenit iſta ſiccitas, & ariditas, & tepiditas cordium in nobis? Utique ex duobus: aut ex defectu orationis, & exercitiorum ſpiritualium, quia, ut diximus, anima longo tempore non irroratur rore cœleſti, & imbre illo ſpiritus. Unde Pſalmus: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*. Idem Pſalmographus: *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Aut ex calore concupiſcentiæ conſumente paulatim omnem humorem & vigorem ſpiritus. Calor enim carnis deſiccat animam: & quo magis homo fit carnalis, eo magis deſinet eſſe ſpiritualis. Unde Propheta: *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Et ex hac tepiditate provenit debilitas ad omnia bona. Unde Pſalmus: *Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.*

IV. Tertium impedimentum fructus eſt ſpinarum & herbarum naſcentium multitudo, quæ ſuffocant ſemen; id eſt, cupiditas. Felices religioſi, qui terram cordis mundam habent ab iſtis ſpinis. Sæculares, licet habeant ſpinas, videant ne ſuffocet ſemen earum multitudo. Vidimus plurimos aptos, ingenioſos, capaciſſimos, magni judicii, & ſenſus, negotiis mercaturæ, & divitiis implicatos, omnem illam aptitudinem perdere. Proh indignum facinus, tot bona ingenia, tam male feriata! Quæ ſi in divina ſapientia expenderentur, fuiſſent inſignia. Hi cum gaudio audiunt, & multum delectantur, quando ſunt in ſermone, ſed ſtatim egreſſi de Eccleſia, rapiuntur ad negotia, ad officia, ad curam ſuperfluam, vel ad voluptates & gaudia mundi: & ſic verbum Domini obruitur, & ſuffocatur ſpinis curarum, & ſolicitudinum, & voluptatum. Ad quos Jeremias: *Novate vobis novale, nolite ſerere ſuper ſpinas.* Quia non orietur ſemen: ſic enim faciunt agricolæ radicitus evellentes ſpinas, & purgantes terram. Impoſſibile eſt Deo fructificare, & mundo; nequeunt hæc convenire ſimul: coanguſtatum eſt ſtratum cordis, ita ut alter decidat. Oportet purificare cordis agrum a cupiditatibus, & concupiſcentiis, & deliciis mundi, eum qui fructificare Deo vult. Bernardus (*a*): Delicata eſt ſpiritualis conſolatio, & non dabitur admittentibus alienam. Et hoc impedimentum eſt, quod maxime nocet, quia magis univerſale eſt. De his Apoſtolus: *Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens autem & tribulos, reprobata eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem.* De his etiam Job: Sub ſentibus delicias computabant. Ubi attende, quod divitiæ, & voluptates ſpinæ ſunt; pungunt enim curis, & appetitibus & ſtimulis conſcientiam.

V. Diximus quid impediat ne verbum Dei proficiat auditoribus: dicamus nunc quas conditiones debeat habere bonus auditor, ut proficiat. Tres ponit Dominus in themate dicens: *Hi ſunt qui in corde bono.* Prima: quod audiat corde bono & optimo. Audit corde bono, qui audit libenter, & cum gaudio, & ſine faſtidio. Audit corde optimo, qui audit intentione, & deſiderio proficiendi: debet ergo audire hilariter & utiliter. Sicut non parum refert, quomodo capiatur cibus in ſtomacho, ſic non parum refert, auditor verbi Dei quomodo recipiat ſermonem ad fructum. Sunt qui audiunt cum tædio, & hora fit longa. Hi quomodo proficient? Sunt qui audiunt libenter, ſed curioſe: quærentes ſibi magiſtros prurientes auribus. Hi delectationem quærunt, & non fructum: paleam, & non granum: verborum ornatum, & non ſenſum. Hi volunt audire elegantias, facetias, quæſtiones ſubtiles, & vanam rethoricam, non doctrinam. O ſtulte! Ardet domus tua, & ignis omnia devaſtat, & tu ex-

Luc. 8. *Pſal. 67.* *Apoc. 3.* *Pſ. 128.* *Rom. 2.* *Pſ. 142.* *Pſ. 101.* *Job 31.* *Pſal. 20.* *Luc. 8.* *Jer. 4.* *Hebr. 6.* *Job 30.* *Luc. 8.* *2. Tim. 4.*

(*a*) Pluries ſententiam hujuſmodi inſinuat S. Bernardus, nempe Serm. 4. in Vigil. Nativ. Dom. num. 1. *Vilis eſt, & ad nihilum utilis hujuſmodi conſolatio*, ſcilicet mundana, *& quod magis eſt metuendum, etiam veræ, ac ſalubris conſolationis eſt impedimentum.* In Pſal. *Qui habitat* Serm. 9. num. 6. *Secundum multitudinem earum, conſolationes ejus lætificabunt animam tuam: dummodo ad aliam non convertaris.* Serm. 3. in Aſcenſ. Dom. num. 7. *Impleri autem viſitationibus Domini anima non poteſt, quæ his diſtractionibus ſubeſt.* Serm. item 5. in Aſcenſ. Dom. num. 8. *Præoccupatam nempe ſæcularibus deſideriis animam delectatio ſancta declinat.* Quæ omnia in idem recidunt. Videtur tamen S. Orator innuere ſententiam, quæ extat in Declam. Gaufridi ex Bernardo num. 66. *Pretioſa ſiquidem divina conſolatio eſt, nec omnino tribuitur admittentibus alienam.*

exſpectas rethoricam, & compoſitam orationem? Invaditur civitas ab inimicis, & jam jam in periculo es mortis & damnationis æternæ, & ſpectas ſuavia verba? In re tam ſeria pigmenta verborum requiris, & vento ſolo paſci deſideras, non paſci ſolido cibo? Exemplum. Si quis Rex procuratori ſuo in negotio arduo mitteret litteras, ut ſolicite negotiaretur, & ille immemor negotii laudaret characteres, admiraretur efficaciam, & ornatum litterarum: quomodo ei ſuccenſeret Rex? Sic omnino Dominus dedit nobis Euangelium, & ſacras litteras ad negotiandum Regnum cœlorum. Si tu ſolam rethoricam attendis, ſtultiſſimus es virorum.

VI. Secunda conditio eſt, quod verbum retineat, & memoretur; nam ſi ſemen non radicatur in terra, non faciet fructum: vides certe, quod tota hyeme latet abſconſum in viſceribus terræ, ut bene radicetur. Gregorius (*a*). Si cibus non retinetur in ſtomacho, quid prodeſt homini? Et ſi libenter audias ſermonem, ſi ſtatim obliviſceris, quomodo perficies, quod commendatum eſt? *Maria conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*; quia optima terra erat, in qua Deus Verbum ſuum ſeminavit. Et in lege dicitur: *Omne animal, quod non ruminat, immundum erit*. Jacobus hujuſmodi comparavit viro conſideranti vultum ſuum in ſpeculo: *Conſideravit ſe & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit*. Sic iſti: tempore quo audiunt, conſcientias ſuas in lumine verbi Dei aſpiciunt, & maculas ſuas vident; ſed egreſſi Eccleſiam ſtatim obliti ſunt quales ſe viderint. O ſi hanc curam habuiſſetis, quam docti, quam ſapientes eſſetis, cum quotidie tantam doctrinam audiatis! *Cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus: rurſum indigetis ut vos doceamini quæ ſunt elementa exordii ſermonum Dei: & facti eſtis quibus lacte opus ſit non ſolido cibo*. Quia verbum Dei auditum non ruminatis, & non conſervatis.

VII. Tertia conditio eſt: *Et fructum afferunt in patientia*. Id eſt: efficaciter perficiunt. Alias quid prodeſt audire, niſi in damnationem? Nam *ſcienti bonum facere, & non facienti peccatum eſt illi. Non enim auditores, ſed factores legis juſtificabuntur*. Unde Dominus in Euangelio: *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio* contra generationem iſtam, *& condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ*. Quia illi uno ſermone, & breviſſimo Jonæ converſi ſunt ad pœnitentiam, & nos tot ſermonibus non convertimur. Fratres: lex Euangelica non tam eſt theorica, quam practica: finis ejus eſt operari magis quam ſcire. Sicut ergo, ſi quis optimus pictor, vel artifex, vel medicus non operaretur in illa arte, vana eſſet ejus ſcientia: ſic & tua chriſtiana philoſophia non prodeſt, ſi non operaris. Sed quid eſt quod addit: *In patientia?* Videlicet: quia nemo repente fit ſummus. Ad creſcendum in virtute & perfectione, patientia opus eſt, ſicut ad ſapientiam. Non attendas qualibet die quantum profeceris, ſed poſt annum. Væ *his qui perdiderunt ſuſtinentiam*: qui deſperantes de profectu virtutis tradiderunt ſe omni ſpurcitiæ, & immunditiæ, & ſæculi voluptatibus. De hoc optima Parabola in Euangelio: *Sic eſt regnum* Cœlorum, *quemadmodum ſi homo jaciat ſementem in terram, & dormiat*. Mitte bonum ſemen doctrinæ in agro cordis: nam illud ſervatum producet herbam deſideriorum, calamum propoſitorum, ſpicam virtutum, fructum operum.

VIII. Primo. Quare dicuntur Dominicæ, Septuageſima, Sexageſima, Quinquageſima? Ut labentem vitam rememoret Eccleſia, dedit nobis Deus hic dies menſuratos & breves. O felix Patria! Vita ſine menſura! Dies una, ſemper meridies, Bernardus (*b*).

Secundo. *Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum... Aliud cecidit in terram*. Terra eſt cor humanum. Bernardus (*c*): O quot agricolæ excoluerunt iſtam terram, & illa ſterilis non attulit fructum! Hanc Prophetæ, Patriarchæ, hanc Martyres, &c. Imo ipſe Chriſtus agricola factus eſt.

Tertio. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei*. Non labore, non ſudore, ſed dono Dei, ſed gratia Dei vobis datum eſt. *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita Pater, quia ſic fuit placitum ante te*. Hæc eſt cauſa; non meritum noſtrum: ſed illuminat quos vult, & quantum vult, & prout vult.

Quarto. *In tempore tentationis recedunt. Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud*, ut diu conſervatum, creſcat in ſegetem uberrimam, adveniente ſole devotionis. Pſalmus: *In corde meo abſcondi eloquia tua ut non peccem tibi*. Nam occurrente luxuria, occurrit verbum: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Inſtigante ira, occurrit verbum: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus eſt judicio*. Dilata hoc. *Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo*.

Quinto. *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt, & a ſolicitudinibus & divi-*

(*a*) In Euang. lib. 1. Homil. 15. num. 2. *Sed quiſquis alimenta non retinet, hujus profecto vita deſperatur. Æternæ igitur mortis periculum formidate, ſi cibum quidem ſanctæ exhortationis accipitis, ſed verba vitæ, ideſt alimenta juſtitiæ, in memoria non tenetis.*

(*b*) Legendus Sermo primus in Septuag. num. 3., ubi fuſe habentur, quæ hic ſtrictim attingit Sanctus noſter.

(*c*) Serm. in Natali S. Benedicti Abbatis num. 10. *Seminavit in terra noſtra tota Trinitas, ſeminaverunt Angeli pariter, & Apoſtoli, ſeminaverunt Martyres, & Confeſſores, & Virgines. Seminavit Deus Pater, quoniam eructavit cor ejus verbum bonum: Dominus enim dedit benignitatem, & terra noſtra dedit fructum ſuum. Seminavit & Filius, ipſe enim eſt, qui exiit ſeminare ſemen ſuum &c.* De hoc, uſque ad finem Sermonis agit S. Bernardus, cujus verba recitare nimis prolixum foret.

divitiis, & voluptatibus vitæ euntes, ſuffocantur, & non referunt fructum. Quare ſpinæ ſunt divitiæ? Nimirum, quia licet modo blandiantur, tamen poſtea in fine pungunt tormentis; ſunt enim modo in herba, ſed poſtea, cum induratæ fuerint producunt ſpinas & aculeos. Pſalmus: *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum.* Vel, ſecundum aliam litteram (*a*): Priuſquam producat ſpinas veſtras rhamnus; *Sicut viventes, ſic in ira abſorbet eos.*

Pſal. 56.

(*a*)

Sexto. Solent femina, licet parva, eſſe virtuoſa. *Semen eſt verbum Dei.* Verbum, quod eſt abbreviatum. Sed audi virtutem: *Vivus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: Et pertingens uſque ad diviſionem animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.* Pſalmus: *Sagittæ tuæ tranſeunt;* quia penetrant corda. *Dominus Deus locutus eſt, quis non prophetabit?* Bernardus (*b*): Quæ amplior prophetia, quam non conſiderare quæ videntur, ſed quæ non videntur? Ecce, jejunat, laborat, patitur familia qualia in Epiſtola dicit Apoſtolus: *Nocte & die in profundum maris fui, in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus: In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, &c.* Quære, quæ cauſa tanti laboris, niſi quia magnum præmium annuntiat & expectat. Omnis ergo juſti mortificatio, futuræ vitæ prophetia eſt. Apoſtolus de hac prophetia: *Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem Prophetare.* Non eſt alia prophetia in noſtra manu. Vivum ergo eſt ſemen iſtud verbi: ſed vita ejus Chriſtus incluſus. Ille eſt humor, quo vivit planta, quo ſemen vivificatur. Quid enim prodeſt cortex verbi, niſi prius Chriſtus incluſus verbo? Sicuti calor in corpore cum venerit ad animam, fervet intus. Pſalmus: *Initio cognovi de teſtimoniis tuis, quia in æternum fundaſti ea.* Initio, id eſt, principio: quia in æternum Chriſtum, fundata eſt omnis Scriptura. De Chriſto enim illa ſcripſit. Ideo Pſalmus de ſynagoga dicit:

Luc. 8.

Heb. 4.

Pſal. 76.

(*b*)

2. Cor. 11.

1. Cor. 14.

Pſ. 118.

Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea. Fundamentum Chriſtus eſt. Uſque ad hoc, ut fundamentum a ſynagoga tollatur: *Exinanite, exinanite.* Figura de hoc, de aquis. Origenes (*c*): Aquæ amaræ, littera legis. Miſſum eſt lignum in aquas, & in dulcedinem verſæ ſunt. Lignum, de quo, ipſe Chriſtus Dominus: *Si in viridi ligno hæc faciunt?* De quo etiam dicitur: *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam.* De quo etiam dicitur: *Benedictum eſt lignum, per quod fit juſtitia.* Cum ergo Chriſtus apparet in littera, tunc amaritudo in dulcedinem vertitur. Exemplum hujus. Primum: de coſta Adæ. Expone, de Eccleſia, & Chriſto. Secundum: de Joſeph. Latet in littera Chriſtus. Nam de duobus juxta ſe pendentibus, unum reſtituit in regno, alterum vero furcæ gehennæ tradidit. Tertium exemplum: de ſerpente, devorante alios ſerpentes. Figura crucis, quæ facta eſt prudentia devorans prudentiam omnium gentilium, cum prius eſſet virga, id eſt, ſupplicium eorum. Quid enim ſunt omnes illæ cæremoniæ, & ſacrificia niſi amaritudines, ſi non intus Chriſtus incluſus prodatur? Quo intus miſſo, o quanta dulcedo eſt in illis! Et quam rationabiles apparent, ubi prius nulla ratio oſtendebatur. Siquidem, ut ait Gregorius (*d*): Spoliavimus Ægyptios. Quos, niſi Judæos? Illi enim in figura ſuæ ſpoliationis ſpoliaverunt alios; ſed ſpolia Judæorum, divitiæ ſunt Chriſtianorum. Aſſumpſimus ab ipſis legem, quam ipſi non frangebant, & eduximus nucleum dulcem latentem in cortice: illi lingebant corticem ſolam. Pſalmus: *Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa.*

Pſ. 136.

(*c*)

Exodi 15.

Lucæ 23.

Prov. 3.

Sap. 14.

Gen. 2.

Ibid. 40.

Exodi 7.

(*d*)

Pſ. 118.

Septimo. Eligendus eſt fertilis ager. Apoſtolus: *Qui ſeminat in carne, de carne & metet corruptionem: Qui autem ſeminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam.* Latro ille ſeminavit in optimo agro, & eadem die meſſuit. Chriſtus ager, aut terra ſerotina. *Ecce odor filii mi, ſicut odor agri pleni.* In Chriſto ſeminat, quiſquis omnia in gloriam Dei facit. Nota tamen; quod agricola patienter expectat, & diu. Ita homo ſpiritualis non eadem die colligere debet. Apoſtolus: *Qui reddet unicuique ſecundum opera ejus:*

Galat. 6.

Lucæ 23.

Gen. 27.

Rom. 2.

(*a*) Ita nimirum legunt Hilarius, & Auguſtinus, nec ſecus habetur in Pſalterio Romano juxta Holſtenii lectionem. Quamquam alii legendum velint: *Priuſquam producat ſpinas veſtra Rhamnus*, ut habes apud Thomaſium in Pſalt. juxta duplicem edit. tom. 2. ejus operum noviſſimæ editionis.

(*b*) Serm. 37. de diverſis num. 6. *Magnum ſane prophetandi genus, cui vos deditos eſſe conſpicio; magnum prophetiæ ſtudium, cui vos video mancipatos. Quid illud? nempe, juxta Apoſtolum, non conſiderare quæ videntur, ſed quæ non videntur, ſine dubio prophetare eſt. Ambulare in ſpiritu, ex fide vivere, quæ ſurſum ſunt quærere, non quæ ſuper terram; obliviſci quæ retro ſunt, & extendi in anteriora ex magna parte prophetare eſt.*

(*c*) Homil. 7. in Exodum, quæ tota eſt *de amaritudine aquæ Myrrhæ*, non longe ab initio. *Ego puto quod lex, ſi ſecundum litteram ſuſcipiatur, ſatis amara ſit, & ipſa ſit Myrrha.* Et poſt pauca: *Ergo lignum ſapientiæ Chriſtus miſſum fuerit in lege, & oſtenderit nobis, quomodo intelligi debeat Circumciſio, quomodo Sabbata, quomodo Lex lepræ ſervanda ſit, qualiter mundi, & immundi diſcrimen habeatur: tunc efficitur aqua Myrrhæ dulcis, & amaritudo litteræ Legis convertitur in dulcedinem intelligentiæ ſpiritualis, & tunc poteſt bibere populus Dei.*

(*d*) Moral. in Job lib. 18. cap. 16. *Nam eloquium Domini, quod hic argentum, vel veſtimenta, hoc alibi ſpolia nominatur. Quod etiam Pſalmiſta teſtatur per comparationem dicens: Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa. Quæ ſpolia idcirco vocata ſunt, quia ad fidem Domini gentilitate tranſeunte, Judæi ſacris eloquiis, quibus induti fuerant, exuuntur.*

ejus: Iis quidem qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. Et Dominus in Euangelio: *Fructum afferunt in patientia.* Et nota de hoc, in figura de Euan- Luc. 8.

A gelio: *Sic eſt regnum Dei, quemadmodum, ſi homo jaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte, & die, & ſemen germinet, & increſcat dum neſcit ille.* Marc. 4.

IN DOMINICAM QUINQUAGESIMÆ

CONCIO.

DE CŒLESTI GLORIA.

Ecce aſcendimus Jeroſolymam. Lucæ 18. v. 31.

CONCIO XXIX.

I. SANCTA Mater Eccleſia, ut animet nos ad ſuſtinendum rigorem Quadrageſimæ, in primis proponit nobis civitatem Jeruſalem, quo tendimus: deinde exemplum Chriſti, quod imitemur; deinde cæci illuminationem, ad petendam lucem oculorum, ne erremus a via. De hoc aſcenſu hodie locuturi ſumus. Quoties ſupernæ illius civitatis gloriam, & felicitatem, & magna, & ineffabilia dona, quæ in ea Dominus præparavit diligentibus ſe, 1. Cor. 2. conſidero, & tepiditatem, ac frigiditatem noſtram; quam leviter ad eam felicitatem afficiamur, quam parvi facimus, quam denique neglectui habemus, & quaſi poſt habentes illam contemnimus, hæreo, obſtupeo, ac voce verbiſque ad dicendum prorſus deſtituor. Si in rebus terrenis modica ſpes lucri temporalis arriſerit, fervet animus, gliſcit, ebullit deſideriis, & cupiditatibus fervidis; ad æterna illa & ineffabilia lucra nullus eſt animi motus, nulla cupiditas, nullum deſiderium; alget & friget cor noſtrum. Quin, etſi mille conſiderationibus, & adhortationibus ſatagas in illo excitare deſiderium, ſtatim iterum algeſcit, & in ſuam priſtinam redit frigiditatem. O deplorandum algorem! O gemendam miſerandamque duritiam! O magnum peſſimumque miraculum! Ad levia accendimur, in magnis algeſcimus. Unde hoc? Nunquid ex incredulitate? Non utique; & credimus, & ſcimus, & nulla de hoc eſt nobis ambiguitas. Nunquid ex diffidentia? Non; licet enim mali ſumus, ſperamus tamen & confidimus, & Chriſti Paſſione, & Dei noſtri miſericordia, ad illam gloriam pervenire. Unde ergo tam miſerabilis contemptus terræ deſiderabilis? Utique: aut quia regnum illud ſpirituale eſt, & *Ego carnalis ſum, venumdatus ſub peccato*, & ideo Rom. 7. in corde carnali non fit impreſſio, neque ſigillatio illius tanti boni, præpediente duritia peccatorum; aut, quod abſit, quia non ſumus cives illius civitatis, & ideo non poſſumus inclinari naturaliter in illam, unuſquiſque enim ad ſuam patriam naturaliter

B inclinatur. Cives Babylonis non delectantur audire de Canticis Sion, neque in illis recipiunt guſtum, ſed ad ſuam potius civitatem inclinantur, & in ea oblectantur. Filii lucis amplexantur lucem, filii tenebrarum diligunt tenebras. Jo. 3. Ibid. 12.

II. Audite quemdam de filiis & civibus veris illius civitatis, quomodo gliſcat, quomodo concupiſcat, quomodo ardeat ad illam: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Et iterum: *Lætatus ſum in* C *his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus*, eum viſuri, & cum illo in domo ejus quaſi domeſtici, & familiares perpetuo manſuri, & cum illo regnaturi in æternum. Idcirco diſſolvor gaudio, non me capio præ lætitia, dum hæc conſidero; nec tranſit hoc gaudium, non frigeſcit, ſed ſtat, & permanet in corde meo: *Stantes erant pedes noſtri*, affectus & deſideria, *In atriis tuis Jeruſalem.* Non ad terrena dilabuntur illico, licet hic vivamus; ſed *Noſtra converſatio*, noſtrum gaudium, *in cœlis eſt.* Ibi eſt cor noſtrum, quia ibi eſt noſter theſaurus. O dilecta, & D ſplendida atria Jeruſalem! Chori Angelorum, Archangelorum, Dominationum, Poteſtatum, Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum, Virginum, Confeſſorum, in his atriis ſpeculandis, viſendis, contemplandis, luſtrandis, perambulandis cives oblectantur, in his vitam expendunt; hæc ſunt eorum gaudia, & eorum deliciæ. *In atriis tuis:* non enim ibi tantum unum eſt atrium, vel una manſio, ſed multa prorſus atria, & multæ manſiones. Unde ſequitur: *Jeruſalem quæ ædificatur ut Civitas:* in qua innumeri cives, varia officia, grandis multiplicitas, E pulchra nimis & admirabilis politia. Quis ordinem, pacem, tranquillitatem, conformitatem, legum ſtatuta, decreta illius tam innumeræ multitudinis in illa civitate degentis, cujus Gubernator eſt Deus, valeat explicare? Non eſt ibi diſcordia, non diſſenſio, non jurgia, non lites, quia non eſt ibi *meum*, & *tuum:* ſed omnia communia. Unde ſequitur: *Cujus participatio ejus in idipſum.* Non partitur, non dividitur hæreditas illa Pſal. 83. Ibid. Pſ. 121. Philipp. 3. Mat. 6. Pſ. 121. Ibidem.

in

in hæredes, sed tota est omnium, & tota cujuslibet est. Sicut sol iste quem vides, sic omnium est, quod totus est tuus; nihil enim de illo partitur, sed totus te calefacit, & totus illum: sic tuum hortum implet arboribus, & floribus, quasi solum impleret, aliumque nullum.

III. Sunt autem in hac civitate duplices cives: quidam naturales & antiqui, Spiritus scilicet Angelici, qui in ea creati sunt, ab initio sæculi permanserunt: alii adventitii, qui de foris adveniunt; de his adjungit *Illuc enim ascenderunt, tribus, tribus Domini*. Ps. 121. Apostoli, Martyres, Confessores, & Virgines de hoc nostro rusticano pago quotidie ascendunt. Sed ad quid? *Ad confitendum Nomini Domini:* hoc est opus, hoc officium, hoc exercitium totum illius civitatis, laudare, benedicere, glorificare Nomen Domini, Regem, & Principem illius civitatis. Hoc faciunt in æternum, & nunquam sufficiet copia laudatoris; sicut alibi dicitur. *Beati* Psal. 83. *qui habitant in domo tua Domine in sæcula sæculorum laudabunt te*. Unde in Apocalypsi de illis animalibus, & senioribus legitur: Et *requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens*. Apoc. 4. O qualis laus, qualis musica tantorum cantorum concinentium! Quæ lætitia, quis jubilus, quæ festivitas in tanta varietate, & multitudine laudantium! O quis ibi adesset! Exemplum est de musica centum cantorum. Invitat Propheta Ecclesiam ad considerandam & contemplandam hanc festivitatem, dicens: *Respice Sion civi-* Isaiæ 33. *tatem solemnitatis nostræ:* Imo solemnitatem civitatis nostræ. *Oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: Nec auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur: Quia solummodo ibi magnificus est Dominus Deus noster*. Populum imprudentem non videbis, sed populum alti sermonis; ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus, in quo nulla est sapientia, id est, infantis baptizati differentis post baptismum; neque Demosthenes, neque Tullius, neque Plato, neque Aristoteles, tam diserte & sapienter loqui sciunt. Non fuerunt tales oratores in mundo, neque tales cantores, qualis ille puer. Unde cum Dominus Joannem Baptistam cunctis mortalibus prætulisset, comparans ad cives illius civitatis, ait: *Qui minor est in regno* Mat. 11. *Cœlorum, major est illo*. Si talis eloquentia, & sapientia, talis laus & musica in parvulis, qualis in Spiritibus illis supremis? O Rempublicam ornatissimam, populum nobilem, sapientia præditum mirabili, fulgentem, nitidum, purum, generosum! Quis non optabit vivere in tali societate! Quid pro ea non sustinebit homo libenter? Quid non patietur? Bestias, ignes, tormenta, cruces, ut unus sit in perpetuum de tali societate. Quid tam crudele, quid tam acerbum in mundo, ut

A per illud homo non jucunde transeat ad tantam felicitatem? *Ingrediatur putredo in ossibus meis*, ait Propheta; *Et subter me scateat*. Habac. 3. Job 2. Fiam ut Job, putridus & ulcerosus, plenus vermibus in sterquilinio: dummodo *Requiescam in die tribulationis*, Habac. 3. *& ascendam ad populum accinctum nostrum*, populum istum, fulgidum, & glorioſum.

IV. Hæc est, Fratres mei, civitas ad quam ascendimus; ad hanc lætitiam, ad hanc festivitatem, ad hanc gloriam properemus: nemo torpeat, nemo lassetur, nemo causetur ascensus difficultatem, sed terminum viæ B consideret, & quietem. Si ad hanc gloriam obtinendam mors, & sanguis, & tormenta peterentur, ut in Martyribus, libenter omnia pati deberemus. Non indicitur nisi breve jejunium, & levis pœnitentia pro peccatis; quam levis & facilis est ascensus ad tantam gloriam. Unde in Canticis: *Ferculum* Cant. 3. *fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani: Columnas ejus fecit argenteas, Reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media Charitate constravit, propter filias Jerusalem. Ferculum fecit sibi Rex de lignis Libani*. Angelis cedris altissimis, incorruptibilibus candidis. C *Columnas ejus fecit argenteas*. Apostolos scilicet, & Prophetas. *Superædificati supra fun-* Ephes 2. *damentum Apostolorum & Prophetarum*. Argenteas, vocales, & sonoras; *In omnem ter-* Psal. 18. *ram exivit sonus eorum. Reclinatorium aureum* sinus est Patris, in quo quiescit cum Sanctis suis. *Ascensum purpureum*. Ascensus purpureus, ex sanguine videlicet: sic enim ipse ascendit; *Tradetur enim gentibus ad il-* Mat. 20. *ludendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget*, & ita ascenderunt Apostoli & Martyres. O Domine, quam pulchrum est ferculum! Sed ascensus arduus. D Quis ascendet per illum? Sed nolite diffidere: nam *Media charitate constravit, propter filias Jerusalem* tenellas & delicatas: sanguinem in charitatem, crucem in amorem commutavit. Non exigitur hodie a te Christiane mors, non sanguis, non supplicia: ama, & regna. Quid facilius quam amare? O quam constrata est via, & quam plana, ut diligendo pervenias, quo pervenit Laurentius patiendo! Et quis non potest diligere? Hæc est via: non jam ascensus purpureus, sed via regia, quam commendat Apostolus in Epistola dicens: *Adhuc excellentiorem viam vo-* 1. Cor. *bis demonstro. Si linguis hominum loquar &* E 12. *Angelorum, Charitatem autem non habeam,* Ibid. 13. *factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*.

V. Ecce Fratres: *Non habemus hic manen-* Heb. 13. *tem civitatem, sed futuram inquirimus. Jam*

Ephes.2. *non estis hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum, & domestici Dei.* Veros ergo vos filios & cives hujus civitatis ostendite. Primo, in hujus miseræ Babylonis contemptu. Quid vobis cum divitiis, & deliciis, & honoribus terrenis, qui tantam gloriam, & honorem, & lætitiam expectatis, imo habetis in cœlo? Non decet nobiles, & generosos, & illustres cives tantæ civitatis, ad tam vilia, & indigna dejici, & humiliari, neque liberos, & ingeniosos sub jugo, & servitute peccatorum premi. Relinquite ista filiis, & civibus Babylonis, illi gaudeant, exultent, lætentur, & glorientur in sua civitate. Ad vos peregrinos, & exules, qui quotidie exilium vestrum deploratis, hæc gaudia non pertinent. *Job 3.* Unde Job: *Quare misero data est lux & vita his qui in amaritudine animæ sunt? Qui expectant mortem & non venit, quasi effodientes thesaurum. Gaudentque vehementer cum invenerint sepulchrum.* Secundo, ostendite in festinatione, in desiderio vestræ civitatis: non recedat a memoria, semper attendite, & præ *Lucæ 18.* oculis habete quod dicitur: *Ecce ascendimus Jerosolymam.* Sive comeditis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, hoc cogitate, hoc pensate, in illa defigite corda vestra, & non erit vobis grave quicquid acciderit; memoria enim Jerusalem leve vobis faciet omne quod agitis. An non videtis, Fratres, exules hujus mundi, & captivos, sive detentos, quando solvuntur a vinculis, qua aviditate, & celeritate properant in suam patriam, in qua habent parentes, amicos, filios, & domesticos, & divitias? Quomodo penetrant montes, pervolant collium culmina, hyemes, frigora, pluvias contemnunt, summo diluculo ad iter accincti, & celeriter percurrentes omnem viæ difficultatem, donec perveniant in patriam? Non eos detinent ludi, non festa, non choreæ civitatum quas pertranseunt, non itineris deliciæ, non ædificiorum, & turrium insignium illustria ædificia; sed omnia contemnentes atque conculcantes properant quo desiderant, absorpti omnino in illo suæ Patriæ gaudio, quam sperant, desiderio consequendi.

VI. Sic omnino agite, Fratres: *Festinemus* *Heb. 4.* *ingredi in illam requiem*, ut ait Apostolus. Tales vos ostendite viatores, omnia hujus sæculi arbitremini ut stercora, ut ad cœleste gaudium pervoletis. Ostendam vobis regium viatorem quem sequamini, Prophetam dico illum regium, quem nec deliciæ, neque corona, aut honor regius, non bella, non negotia, ab hoc cœlestis patriæ desiderio, & festinatione detinebant. Unde ait: *Super* *Ps. 136.* *flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, cum recordaremur Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum. Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini, in terra aliena? Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur* A *dextera mea. Adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero tui. Si non proposuero Jerusalem, in principio lætitiæ meæ.* O verba ignita! O fervidum viatorem! Ita est, Fratres: obliviscitur dextera, & lingua palato adhæret, si desit memoria Jerusalem. Torpet manus in opere, si Jerusalem non habetur in corde. Quid enim fecit Martyres tam dira supplicia pati, nisi memoria Jerusalem? Quid Anachoretas, Monachos solitarios, quasi sylvestres, sine omni solatio humano vivere, nisi memoria Jerusalem? Quid hodie replet monasteria, & facit fœminas im- B becilles moniales, relictis parentibus, & cognatis, spretis maritis, ac filiis, & conjugiis, & solatiis, in monasteria velut in sepulchra recludi, nisi memoria Jerusalem? Torpet utique manus in opere, si Jerusalem non habetur in corde, adhæret & lingua palato. Hinc est, quod sæpius videmus viros contemplativos & devotos, ignita, & dulcia, & efficacia verba proferre, qualia nescit literatus, & theologus peritissimus in scriptura sentire. Unde hoc, nisi quia mente lustrat cœlestem Jerusalem, a qua cœleste didicit idioma, & *Ex abundantia cordis os* C *loquitur?* Habet enim unumquodque Regnum *Mat. 12.* suum idioma, quod nescit alienum: & sicut Petro dictum est: *Loquela tua manifestum te* *Ibid. 26.* *facit.* Nam: *Qui de terra est, de terra loqui-* *Jo. 3.* *tur;* & civis Babylonis Babylonicum submurmurat idioma semper de negotiis, & divitiis, & honoribus loquitur. Sed civis Jerusalem loquitur idioma Jerusalem, & de patria sua loqui delectatur; de Deo, de gaudiis Beatorum, de æterna felicitate, de spiritualibus, de scripturis sanctis, quibus pervenitur ad illam. In hoc exercetur die ac nocte, legendo, meditando, contemplando, loquendo de sua civitate Jerusalem, donec finito exilio ad eam perveniat, ubi gaudeat, & lætetur cum aliis civibus Angelis Dei in gloria. D

VII. Secundo, dicendum est de Præparatione viæ. Qui viam asperam per montes, & prærupta collibus cacumina, longam aggredi debent, tria faciunt. Primo, exonerant se, ut possint celeriter ascendere. Secundo, informant se de itinere, & si via difficilis sit accipiunt ducem itineris ne errent. Tertio, accipiunt viaticum, si in via non est unde se sustentent. Hæc omnia nos facere debemus. Primo, oportet exonerare E nos a curis, & solicitudinibus, quæ onerant cor, ut possimus ascendere: nam ascensio in corde fit; sicut scriptum est: *Ascensiones in* *Psal. 83.* *corde suo disposuit.* Unde, non tam res sunt quæ onerant, quantum ipsa cura & cupiditas divitiarum. Oportet ut nudus nudum Christum sequaris: de quo ait Psalmus. *Exul-* *Psal. 18.* *tavit ut gigas ad currendam viam;* quia ab omnibus temporalibus expeditus erat. Secundo, oportet ut te informes bene de itinere: num sit obscurum, & incertum. Hæc informatio fit per Sacras Literas, & Euangelium, quod non oportet dimittere de manibus,

nibus, ſemper attende ſemitas Sanctorum, & non declines ab eis. Si dixerit tibi aliquis: *Hic eſt Chriſtus, aut illic: noli credere*. Reſponde: o ſtulte! Dimittam ego viam Martyrum, & Sanctorum, de quibus conſtat, quod ſunt in cœlo, & ſequar te viliſſimum homuncionem? Quod ſi non es certus de via, conſulo, ut accipias bonum confeſſorem, ducem ſanctum, & doctum, & illi viam tuam reveles, ut te ducat: ne forte *Si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam cadant*. Tertio, oportet accipere Viaticum, Dominicum Corpus frequenter ſumere: hoc eſt, quod inſtaurat vires, & virtutem præſtat, & confortat valde viatorem, ad aſcendendum. Væ qui tanto bono ſe privant, ad annum ſolum communicantes! Quid mirum ſi deficiant ſtatim in itinere? Hic eſt ille panis ſubcinericius, in cujus fortitudine ambulamus uſque ad montem Dei Horeb. Reſtat modo, ut de conditionibus viatoris dica-

Mat. 24.

Ibid. 15.

3. *Reg.* 19.

A mus. Has ponit Pſalmographus. *Quis*, inquit, *aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?* Rarus utique, & valde rarus. Reſpondet: *Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo*. Quatuor conditiones: Innocentia vitæ, Munditia cordis, Diligentia operis, Veritas. Has debet habere qui vult aſcendere. Nulli noceat, ſit ſine querela, in omnes beneficus. Puritas in cogitationibus & deſideriis. Diligentia in opere, ſemper bene operando. Et Veritas in ore non fallendo, non mentiendo. Hic eſt verus civis Jeruſalem; nam ibi hæc omnia ſunt. Non eſt ibi nocens: omnes ſe diligunt: non eſt macula: omnes puri: unde quia in Lucifero inventa eſt macula in corde, ſtatim projectus eſt de cœlo: non eſt otioſitas, omnes occupati in laude Dei: non eſt mendacium; nam viſcera eorum omnibus patent.

Pſal. 23.

IN FERIAM QUARTAM CINERUM CONCIO.

DE CLANGORE TUBÆ ET BUCCINÆ, ET DE MORTE.

Quaſi tuba exalta vocem. Iſaiæ 58. v. 1.

* CONCIO XXX. *Iſaiæ* 58.

I. INTRODUCTIO ex verbis Prophetæ: *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum*. Chryſoſtomus *ſuper Matthæum* (a). Si ſchedulam Principis legerem, qualem attentionem haberetis? Quanto magis ad verba Domini, dictante Spiritu ſancto, per fidelem ſuum Prophetam conſcripta debetis attendere. *Clama!* Ad me dirigitur verbum iſtud ut video: O Domine! Non ſatis erit dicere, non ſatis erit admonere? Non, ſed *Clama!* Quomodo? Vides periculum, vides miſeriam, vides mala, & taces? *Ecce maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit*. Id eſt peccatum peccatum. Quis hodie ſine crimine? *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum*

(a)

Oſee 4.

Joel. 1.

C *bruchi comedit rubigo*. Ecce totus mundus plenus iniquitate; religio ſine devotione; clerus ſine honeſtate; principes ſine miſericordia & charitate in pauperes; populus ſine reverentia & ſubjectione. *Mundus totus in maligno poſitus eſt*. Ardet igne iniquitatis; domus ardet, habitator dormit; *Clama*, igitur, ut ſurgat. Dic illud Prophetæ: *Expergiſcimini ebrii, & flete, & ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore veſtro*. Ebrii voluptatum, deliciarum, gaudiorum, qui bibitis vinum lætitiæ, non ſolum flete, ſed, ut lupi, ululate. Quare Domine? An tantum malum? Quæ ratio ululandi? *Quoniam cito* peribit *de ore veſtro*. Morte inopinata auferetur vitrum de ore veſtro. Terminabuntur commeſſationes, ebrietates, deliciæ, ſymphoſia, ſymphoniæ, & ſuccedent dolores horribiles, metus, ſuſpiria, gemitus æterni, ululatus perpetui, elegiæ illæ miſeriarum: *Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt: conceptus eſt homo*. Conſortium dæmoniorum, ſerpentum,

I. *Jo.* 5.

Joel. 1.

Job 3.

(a) Puto legendum *in Joannem*, nam inter Homilias, & Commentaria in Matthæum fruſtra quæſivi ſententiam hujuſmodi; inveni autem in Prologo Comment. in Joannem ſimile quidpiam his verbis expreſſum: *Nam ſi ea, quæ in Regiis fiunt domibus cognoſcere exoptamus: ut exempli gratia, quid dixerit, fecerit, conſuluerit ſuper ſubditis ſuis Rex, & ſæpe quæ nihil ad nos attinent, quanto magis, quæ a Deo dicuntur, audiendi flagramus deſiderio, tum maxime, cum ea ſcire noſtra plurimum interſit. Quæ omnia hic nobis Euangeliſta accurate explicat, cum ipſi Regi incredibili ſit amore devinctus, immo & ipſum in ſe loquentem contineat, audieritque ab eo quæcumque ipſe a Patre acceperit*. Quæ quidem de Joanne dicta, Prophetæ applicari poſſunt cuicumque.

vermium conſcientiam ſtimulantium. O Fratres! Per reverentiam Dei miſeremini animarum veſtrarum, miſeremini tantæ afflictionis. Quis tibi propinquior anima tua? Et ſi hoc non moveat, moveat vos pretium, quod pro vobis exhibitum eſt. O Fratres! Non eſt qui doleat ſuper peregrino illo cœleſti, *Pſ. 101.* ſuper illo paſſere ſolitario in tecto. Ecce, quaſi hoſtes omnes relicto eo fugerunt, *Mat. 26.* relicto Salvatore fugerunt ad mortem. Non eſt, qui doleat effuſionem illam ſanguinis, rivos illos ſuaviſſimi liquoris. O Domine! *Ut quid perditio iſta unguenti facta eſt?* *Marc. 14.* Nemo eſt cui proſit, nemo eſt cui velit (*a*) oculos cordis collyrio (*a*) ungere, ut videat: *Potuit venundari multo, & dari pauperibus.* *Mat. 26.* Æterno ſupplicio damnatis Angelis apoſtatis, potuit eſſe pretium iſtius nobilis creaturæ. O Domine Jeſu! Noluiſti pro illis: reſpexiſti vermiculos iſtos per terram repentes. *Heb. 2.* *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* O quanta clementia! O quale debitum! O quanta ingratitudo hujus vilis creaturæ! Quid ſperandum erat de tam vili natura, niſi tanta oblivio beneficiorum tuorum? *Mat. 11.* *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida*, væ populo, væ clero! *Quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes*, forſitan pro dira obſtinatione egiſſent pœnitentiam in cinere, & cilicio.

II. O Fratres, non eſt inter vos, qui velit ſequi Dominum, & properet in corde ſuo illi eſſe fidelis, ut ſaltem in uno requieſcat Spiritus ejus. Omnes dormimus, non eſt qui vigilet, *Clama* igitur, ut clamore excites dormientes. *Ne Ceſſes.* O Domine! Et ſi non prodeſt, & ſi non curant, numquid *Joel. 2.* ceſſabo? *Ne Ceſſes. Quis ſcit, ſi convertatur* peccator, *& ignoſcat* Deus, *& relinquat poſt ſe benedictionem.* Quod non fit in uno anno, fit Deo inſpirante in uno momento. Quod ſi hoc non fuerit, tu tamen *Ne Ceſſes*, alioqui caro tibi conſtabit. Audi quod ſequitur *Lucæ 19.* in Euangelio. *De ore tuo, te judico ſerve nequam.* Si meto, quod non ſeminavi, quanto magis, quod ſeminavi? *Quare non dediſti pecuniam meam* numulariis, *ut & ego veniens, cum uſura exegiſſem illam?* O Fratres! Videte rationem, quam debetis dare Deo. Non ſufficit ei reddere verbum, ſed reddite etiam uſuram. Uſura verbi eſt operatio. *Ne Iſaiæ 58.* *Ceſſes* ergo. Sed O Domine quomodo loquar? *Quaſi Tuba.* Tuba inſtrumentum bel- *Epheſ. 6.* licum eſt. Nobis bellum eſt cum principibus tenebrarum, cum gigantibus. O durum bellum! Ubi victus æternaliter eſt captivus, æterno igni mancipatus: &, quod durum eſt, & periculoſum in iſto bello, eſt quod ipſi vident nos, & nos non videmus ipſos. Ipſi vident animam, & circumeunt, eam volentes devorare veluti inimicum hoſtes, *1. Petr. 5.* & ea parte qua viderint infirmiorem, ea parte invadunt eam, ut ait Gregorius (*b*), (*b*) & S. Leo (*c*). Sed piiſſimus Dominus ſuc- (*c*) currit plebi ſuæ ponendo ſpeculatores. Ezechiel: *Speculatorem dedi te Domui Iſrael.* *Ezech. 3.* *Super montem aſcende tu, qui Euangelizas Sion.* *Iſaiæ 4.* Ad diſcooperiendas inſidias, in Pharo ignem accendentes. Nos enim ignoramus cogitationes ejus, ut poſſimus conſulere his, qui noverunt altitudinem Satanæ. Cum ergo vident cuneos hoſtium venientes, *Apoc. 2.* ne incautos capiant, canunt tuba. Arma arma! Tuba illa cœleſtis Paulus qualiter accendit & provocat ad bellum! Ad Hæbreos: *Nos*, inquit, *tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus,* *Heb. 12.* *& circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen: Aſpicientes in Authorem fidei, & Conſummatorem* Jeſum *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem confuſione contempta. Propoſito ſibi gaudio* noſtræ redemptionis, ut nos faceret hæredes ſuæ gloriæ, tanto zelo zelatus eſt, ut non curaverit tormenta. Inſonantibus tubis: Archiſtrategus (*d*): *Rex Iſrael ſtabat in curru* (*d*) *ſuo.* Eminebat vexillum vitæ Crux. Ad *3. Reg.* imitationem Ducis & præſentiam, præce- *22.* dentibus & adhortantibus ductoribus ordinum, Prophetis, Apoſtolis: Martyres & Confeſſores quam fortiter præliaverunt. Sed attendite: reperiri equos generoſos qui audita tuba, ſtatim animantur, impatientes moræ, optantes proſilire intrepide. Job: *Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabit collo ejus hinnitum? Terram ungula* *Job 39.* *fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis. Contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta, & clypeus. Fervens & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem. Ubi audierit Buccinam, dicit: Vah! Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitus.* Ecce audita tuba: *Terram ungula fodit*, id eſt: corpus ungula pœnitentiæ. *Sorbet terram*, id eſt terrenas cogitationes. *Fervens, & fremens. Fervens* ſpiritu. *Fremens:* hinnitus ſunt gemitus. *In occurſum*

pergit

(*a*) Collyrium ſatis apte hoc loco uſurpatur, ubi oculorum infirmitatis adhibetur metaphora. Eſt quippe collyrium, medicamentum oculorum. Apud Horat. Lib. 1. Satyr. 5. *Hic oculis ego nigra meis collyria lippus illinere.* Simplici tamen l ſcribendum vult Lambinus ad hunc Horatii locum. Plura apud Cornel. Celſum de hoc argumento lib. 6. Legitur & apud S. P. Auguſt. in Joann. Tract. 18. num. 11. *Quid ergo facit Medicus? Revocat ad ſolita, & addit collyrium*; & paulo infra: *Ergo curate. Quæ ſunt collyria? noli mentiri, noli perjurare, &c.*

(*b*) Moral. in Job lib. 14. cap. 13. *Intuetur ergo inimicus generis humani uniuſcujuſque mores, cui vitio ſint propinqui; & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoſcit facilius inclinari mentem, ut blandis, ac lætis moribus ſæpe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam; aſperis vero mentibus iram, ſuperbiam, vel crudelitatem proponat.*

(*c*) Pluries hoc verſat argumentum S. Leo in Serm. de Quadrag. Serm. 2. 3. 5. 11., in quibus multa de tentationibus.

(*d*) Græcum eſt vocabulum, quo Princeps militiæ deſignatur. Eo proinde Græci appellant nomine S. Michaelem Archangelum.

pergit armatis: tribulationibus & tentationibus; non fugit prælium. Nota hic interim documentum: quod tentatus gemat, & confidat in Domino, & non in baculo arundineo rationis suæ. Isti sunt equi gradarii (*a*), ideſt, animæ sanctæ quibus insidet Deus. *Qui non ex sanguinibus; neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Quibus præsidet Deus; nam anima justi, sedes est sapientiæ. *Viam fecisti in mari equis tuis.* Alii vero qui non animantur ad tubam, oportet eam convertere in buccinam. Si de regni cœlestis deliciis, si de gloria Beatorum dicitis, si de tormentis, si de offensa Dei, non sentiunt. Opus est mutare in buccinam reprehensionis. *Hymnum cantate nobis de Canticis Sion.* O! Non curant salices Babylonis canticum Sion, ideo suspendimus organa nostra. Suspendamus verbum consolationis, mutemus eum in verbum reprehensionis in buccinam. Ecce ergo *Quasi tuba.* Domine, *Quid clamabo?* Sequitur: *Annuntia populo meo scelera eorum.* Non facetias, non adulationes, non fabulas. *Populo meo.* O misericordia summa! Licet malo, tamen populo meo; meus est, quia emptus sanguine meo.

(*a*) Jo. 1. Habac. 3. Pſ. 136. Isaiæ 58.

III. O Domine numquid Clero dicam aliquid? Est aliquid quod dicam Ecclesiasticis? Multum per omnem modum. *Domui Jacob peccata eorum:* Psalmista: *Domus Jacob de populo barbaro*, sicut *Israel de Ægypto.* Israel populus sæcularis notatur. Nam dicitur Clericis: non posuistis vos nomen pro domo Israel. Domus Jacob Ecclesiastici denotantur. Propter hoc: nostis, Fratres, quod Jacob luctabatur cum Angelo, & *tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit. Ipse vero claudicabat pede.* Nam, ut ait Bernardus (*b*) super illud Psalmi: *Cadent a latere tuo mille.* Duo sunt latera. Duplicia bona, scilicet temporalia & spiritualia. Timendum est ergo sinistrum latus, & soli dextro innitendum est viro Ecclesiastico, non in divitiis, sed in solo Deo firmato. Apostolus: *Qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* Ecce uno solo pede nititur. *Qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Ecce duos pedes, unum in gloria, alterum in sæculo, ut provideat filiis & uxori. Hæc igitur domus Jacob exeat de populo barbaro. Quis populus? De tumultu, de curis rerum temporalium. *Ne-*

Ibidem. Pſ. 113. Gen. 32. (*b*) Pſal. 90. 1. Cor. 7.

mo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. O quantum inquietudinis est hodie in Clero! Quanta cupiditas, quanta avaritia, quanta ambitio! Mária & terras lustrant quærentes beneficia: & omnia aucupantes, irretiunt omnia, vel solis expectativis & promissis post mortem. Exeat ergo *domus Jacob de populo* isto *barbaro.* Nam sunt Ecclesiastici sicut emporia, ubi apertis januis multa & diversa genera animalium, boves, asini, capræ, agni, oves, porci venduntur, ita omne desiderium apertis januis versatur in pectore illo tumultuario. Sed quare, obsecro, barbarus est hic populus? Utique: *quia non sapit quæ Dei sunt*, non est doctus laudare Deum. P. Augustinus (*c*): Audistis in benedictionibus & in omni solemnitate, quando leguntur, omnia laudant Deum: cœlestia, terrestria, Angeli, homines, &c. Numquid aliquando ibi audistis, quia laudat Deum luxuria? Numquid aliquando ibi audistis, quia laudat Deum avaritia? Omnia ista quare non laudant Dominum? Quia non sunt creata a Deo. Quare non luxuria? Quia est barbara. Quare non avaritia? Quia est barbara: laudant enim terra, & maria, & omnis creatura; vitia sola barbara sunt, non sciunt laudare Deum; secundum malitiam, hominem non Deum laudant, & hominem agnoscunt dumtaxat. *Qui exaltas me de portis mortis.* Id est peccatis. *Ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Filia Sion est ipsa, quæ sursum est Jerusalem, quæ est mater nostra; libera est. Portæ Sion, Sacramenta, per quæ ingredimur ad vitam. Exi de portis mortis, de populo barbaro, ut laudes in portis filiæ Sion. Psalmus: *Qui subdis populos sub me.* Ecce coarctati regula, & disciplina virtutis! Coarctantur populi virtutum intra antra appetitus sensitivi. Quod si aliquis de populo, id est aliquod desiderium foras præsumit exire, statim jugulatur ab custode cordis timore: *Beatus qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram.* Juste caret perturbatione, qui Deum laudare proponit. Exeat de populo barbaro, qui vult esse comes & socius Angelorum. *Præ-*

2. Tim. 2. (*c*) Mat. 16. Pſal. 9. Galat. 4. Pſal. 17. Pſ. 136. Pſal. 67.

venerunt Principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum, id est, animarum devotarum.

IV. P. Augustinus (*d*): Continuo morimur; nam adveniente pueritia, moritur infantia, & adveniente adolescentia, moritur

(*d*)

(*a*) Juxta nominis vim ii sunt equi, quorum cursus mollis, & æquabilis est. Lucilius lib. 14. *Ipse equus non formosus, gradarius optimus.* Seneca Epist. 40. Ciceronem, ob lentam orationem, metaphorice gradarium appellat.

(*b*) Serm. 7. in Psal. *Qui habitat*, num. 11. *An vero incongrue hæc dixerimus duo latera, quibus nimirum duplicem hominis substantiam constat inniti, vos judicate. Nam quod spiritualia quidem bona attribuimus dexteræ, sinistræ vero carnalia, minime prorsus vereor arguendum.*

(*c*) Enarrat. in Psal. 68. Serm. 1. num. 5. *Numquid in illo Hymno advertistis, quod avaritia laudet Deum? Laudat tibi Deum & serpens, avaritia non laudat. Omnia quippe repentia nominata ibi sunt in laude Dei: nominata sunt omnia repentia, sed non sunt ibi nominata aliqua vitia. Vitia enim ex nobis, & ex nostra voluntate habemus, & vitia non sunt substantia.*

(*d*) Enarrat. in Psal. 127. num. 15. *Veniente pueritia, moritur infantia; veniente adolescentia, moritur pueritia; veniente juventute, moritur adolescentia; veniente senectute, moritur juventus; veniente morte, moritur omnis ætas. Quot optas gradus ætatis, tot simul optas & mortes ætatum.* Idem fere habet S. Bernardus Serm. 17. in Psal. *Qui habitat*, num. 1. *Quid vero agimus, ex quo primum incipimus vivere, nisi morti appropinquare, & incipere mori?*

pueritia, &c. Cum ergo incipimus nasci, incipimus mori. Imo ante incipimus mori, quam nasci. Gregorius (*a*): Ipse enim
(*a*) quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis? Hoc & *in Moralibus* ait: Vita nostra prodigiosa est; nam suo augmento decrescit.
(*b*) Quære ibi. Ideo a Parente Augustino (*b*): Mors vita vitalis vocatur. Cætera omnia dubia sunt, mors certa. Ditabitur iste? Forte sic, forte non. Senescet? Forte sic, forte non. Uxorabitur? Forte sic, forte non. Morietur? Necessario sic. In nullo non mors certa, dies incerta, ut semper
(*c*) sit tibi suspecta. P. Augustinus (*c*): Mortis memoria, ut radius solis, omnem aufert nebulam vanitatis. Ideo in electione Pontificis in ejus præsentia stuppa comburitur, & dicitur ei: Sic transit gloria hujus mundi Beatissime Pater. Et in electione Imperatoris
(*d*) veniunt artifices cum diversis lapidum generibus, & interrogant ex quo marmore velit sibi fieri sepulchrum. Et de Sancto Joanne Eleemosynario Patriarcha legitur: quod dum erat in prandio, veniebat unus, qui ei dicebat. Nondum est finitum sepulchrum tuum. Et in Claræ-valli monasterio,
(*e*) semper est aperta una sepultura (*e*), quam quotidie omnes Fratres visitant, expectantes quis primo in ea sit sepeliendus. Chrysostomus
(*f*) (*f*): Incautum hominem mors invadit ut latro. Providum vero & vigilantem, tanquam nuntius Regis honorifice vocat ad convivium Regis. Psalmus: *Domini, Domini,*
Psal.67. *exitus mortis*. Id est: quo exitu quisque finiatur, ex abysso divinorum judiciorum est; & ex divinæ dispositionis pendet arbitrio: correspondet enim finis prædestinationi, quæ a solo Deo est sine merito, nec potest male finire prædestinatus. Magni momenti est momentum illud mortis: multum enim refert, quo tempore, quo statu quis vocetur a Domino. Sed licet ita sit, quod Deo disponente quisque finitur; *Veruntamen Deus confrin-*
Ibidem, *get verticem capilli perambulantium in delictis suis*. Veruntamen justo judicio Deus

A deserit in morte, quos male acta vita coinquinat. Licet status mortis in Dei dispositione sit, veruntamen, noli tu segniter agere, dicens: Dominus salvavit Latronem, potens est etiam in fine illuminare me. Nam, *Lucæ 23.*
ut quid me fatigabo ego? *Domini exitus mortis*. Dico tibi, ita est: *Verumtamen, Deus* *Psal.67.*
confringet capita inimicorum. Sed attendamus, obsecro, quæ pœna est ista, si scindatur vertex capilli? Quis dolorem sentit *Ibidem.*
in fractione capilli? Et quisnam est iste vertex capilli? Capillus vita mortalis est. Quid capillo fragilius est? Et quid vita mortali
B debilius? Jacobus: *Vapor est ad modicum parens*. In teneri quadam humorum contem- *Jacobi 4.*
peratura vita nostra consistit: citius distemperatur humor, quam frangitur capillus. Vide homo cui inniteris fundamento: vita tua tenui capillo fragilior est; vertex autem istius capilli, finis est vitæ. Præciditur vertex, quando insperato & subito quis moritur. Propheta: *Præcisa est velut a texente vita* *Isaiæ 38.*
mea. Est autem talis dispositio Divini Judicii, ut Scriptura sacra testatur; ut qui implicitus mundo oblitus est Dei, repentino casu sublatus, sui non recordetur. Secundum
C illud: *Ducunt in bonis dies suos, & in punto ad inferna descendunt*. Et juxta illud: *Job 21.*
Cum dixerint pax, & securitas tunc repentinus ei superveniet interitus. Et Job ait: *Subito morientur, & in media nocte turbabuntur* *1. Thess. 5.* *Job 34.*
populi, & pertransibunt, & auferent violentum absque manu.

V. Sanctus Thomas (*g*), 3. Parte, Quæstione 59. Articulo 5., præter judicium particulare ponitur aliud universale. Contra: (*g*)
Deus non punit bis in idipsum, ergo non judicat bis. Causa autem propter quam ponitur, est, quia vita non omnino finita est in
D morte. Vivit enim adhuc fama, vivit etiam effectus, & memoria boni vel mali exempli vel doctrinæ. Ideo non potuit consummari judicium. Nam, ut ait P. Augustinus: Pœna Arii non est finita. Contra: ergo poterit augeri pœna vel gloria. Responsio: Verum est, accidentaliter. Contra: imo videntur

ad

(*a*) Homil. 37. in Euang., non longe ab initio. In Moralibus vero lib. 25. cap. 3. num. 4. *Ipsa quippe augmenta, detrimenta sunt temporum: quia vitæ nostræ spatia quanta esse cœperint, incipiunt jam tanta non esse.*

(*b*) De Verb. Dom. Serm. 97., alias 21., num. 3. *Cætera nostra bona, & mala incerta sunt, sola mors certa est. Quid est, quod dico? Conceptus est puer, forte nascitur, forte abortum facit. Ita incertum est, forte crescit, forte non crescit: forte senescit, forte non senescit: forte dives erit, forte pauper: forte honoratus, forte humiliatus: forte habebit filios, forte non habebit... & respice omnia mala: ubique est forte erit, forte non erit. Nunquid potes dicere forte moritur, forte non moritur?* Iterum de hoc S. Parens in Psal. 38. num. 19.

(*c*) In Psal. 34. Serm. 1. num. 13. *Magna misericordia ipsius & monuit, ut bene vivamus, & diem nobis novissimum mortis nostræ abscondit, ne nobis de futuro aliquid promittamus. Facio hodie, & vivo, cras non facio. Quid si te non invenit cras?* Lege Chrysost. Homil. 9. in Epist. ad Thessal.

(*d*) Morem hunc antiquitus in solemni Imperatoris coronatione servatum discimus ex Leontio Episc. Neapoleos Cyprorum, in Vita S. Joannis Eleemosinarii cap. 17. apud Rosweidum in Vitis Patrum. Quem morem ut imitaretur S. Joannes Eleemosin. imperfectum relinqui jussit sepulchrum, ut ibidem Leontius narrat, & paulo infra innuit S. Orator noster.

(*e*) Plane inquit Martene Comment. in Reg. S. Ben. cap. 4. *Usque adeo necessariam mortis memoriam duxerunt antiqui Patres nostri, ut quo firmius Monachorum menti adhæreret, in Ecclesia, aut Claustro apertum semper haberi sepulchrum voluerint.*

(*f*) In cap. 24. Matth. Homil. 11. edit. Paris. an. 1570. *Omnis homo, si sciret, quando dies Domini venturus est super eum sicut fur, (sed insperate veniens sicut fur) præveniret, & non sineret perfodi domum suam. Non dico quia repelleret a se furem, sed faceret justitiam, & veniente sententia Dei, non perfoderetur quasi ignorans, sed vocaretur quasi jam præparatus ed exitum.*

(*g*) Reducit hoc loco S. Orator ad compendium, quæ tradit Angelicus Doctor citato articulo 5. ibi in exemplo, Arii mentio fit ex S. Augustino.

ad essentialem gloriam pertinere tanta bona, non minus quam si fierent in vita. Responsio: Bona quæ consecutive se habent ad opus nostrum, quasi extrinseca sunt, licet nobis imputentur. Ex quo patet, quantum conandum est relinquere bonum exemplum vitæ suæ; contra illos, qui hæreses seminant, contra illos, qui filios blasphemos, aut lusores non castigant, contra illos, qui filiis relinquunt bona male acquisita, ut perdantur non restituendo. Nec propter hoc bis judicatur: quia sententia particularis judicii, in universali comprobatur. Idem etiam judex est. De quo P. Augustinus *in Epistola* (*a*) *de stricto judicio Dei*. Psalmus: *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo*. Quid erit de malitia, si etiam justitia judicanda est? Ecclesiastes ultimo: *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit*. Gregorius (*b*): Væ vitæ quantumcumque laudabili, si remota pietate judicetur. Ibi reddes rationem verbi otiosi, cogitationis vanæ, temporis male consumpti, & momentorum vitæ tuæ malorum quæ fecisti, bonorum quæ non egisti. Quis in tali judicio, si abesset misericordia, non exiret condemnatus? Job: *Ecce stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus*. Iterum: *Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fuerint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me*; id est: intinctum probabis. *Cœli non sunt mundi in conspectu ejus, quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?* Quis ergo audeat Deum provocare in judicium? Et tamen Job sæpe videtur Deum provocare: nam, cap. 23. ait: *Quis mihi tribuat, ut cognoscam & inveniam illum, & veniam usque ad solium ejus? Ponam coram eo judicium*. Unde tanta fiducia Job? De tua forte præsumis justitia? Audite in quo confidat: *Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens: & librum scribat ipse qui judicat. Ut in humero meo portem illum; & circumdem illum quasi coronam mihi?* Veni Domine veni, judica me. Sic, *& perveniat ad victoriam judicium meum*. Non est in morte dolor aliquis, sed tristitia: *Nox*, id est mors, *illuminatio mea in deliciis meis. Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ propter judicia tua Domine*. Vide ibi P. Augustinum (*c*), nota exemplum. Cum quidam Religiosus positus in agonia mortis, formidaret exire, dictum est ei: Cur trepidaret? Et ille respondit: Quia non judicia Dei sunt judicia hominum. Timeo approbatus ab hominibus apparere coram Deo. Nota etiam illud Danielis quinto: de manu scribente: *Mane. Techel. Phares*. Ad propositum autem; *Appensus es in statera, & inventus es minus habens*. Nota, quod non appendentur bona & mala, sed qui peccaverit in uno, factus est omnium reus, etsi bene vixerit. P. Augustinus (*d*) videtur dicere, quod bona & mala ponderantur.

(*a*) Epist., ut quidem puto, 199., alias 80. ad Hesychium de fine sæculi.

(*b*) Moral. in Job lib. 29. cap. 18. num. 34. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota pietate judicetur, quia districte discussa, inde ante oculos Judicis, unde se placere suspicatur, obruitur*.

(*c*) In Psal. 47. num. 1. *O mons Sion: O Filiæ Judæ, laboratis modo inter zizania, inter paleas, inter spinas laboratis, sed exultate propter judicia Dei. Non errat Deus in judicando*.

(*d*) Vide Epist. 177., alias 29. de sententia Jacobi 2. 10. *Qui offenderit in uno, factus est omnium reus*.

(*e*) Hieronymi in cap. 5. Matth. verba sunt usque ad illa: *quam humana natura patiatur*. In editione Brixiensi ita incipit hæc Concio: *Augustinus in Sermone ait;* sed falso, ut liquet. Ideo vero allegatur Augustinus, quia in Sermone olim de tempore 59., & post in Append. 35. inserta legebatur hæc sententia, ut etiamnum habetur Serm. 72. num. 2. Append. novissimæ editionis.

IN FERIAM SEXTAM POST DIEM CINERUM CONCIO.

DE DILECTIONE INIMICORUM.

Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Matth. 5. v. 44.

(*e*) CONCIO XXXI.

I. HIERONYMUS (*e*) in cap. 5. Matth. Multi præcepta Domini sua imbecillitate non Sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicum: cæterum diligere, plus præcipi quam humana natura patiatur. Dicunt enim: quomodo possum diligere illum, qui ex animo me odit? Qui mihi omnibus modis nocere procurat? Qui famam meam denigrat? Qui sanguinem meum sitit, & mortem procurat? Meorum operum suggillatorem, mearum virtutum detractorem? Hunc si non odio habeo, satisfacio, & si ei malum pro malo non reddo; diligere tamen talem hominem,

minem, & ei bene facere, perfectio est supra hominem: Angelicum est potius quam humanum; non nego quod esset bonum, sed non cadit in hominem tanta perfectio. Quam bene congruit istis illud poeticum:

Noctua Phœbeum visu non sustinet orbem:
Hoc etiam Jovis armigero putat esse negatum.

Sic, quod ipsi non valent, omnibus reputant impossibile: sed absit tanta blasphemia, ut Deum dicamus impossibilia præcepisse. (a) Hieronymus (a) ait: Qui dixerit Deum impossibilia præcepisse, anathema sit. Sic enim transgrediendo præceptum non videretur homo peccare: quia ad impossibile nemo obligatur. Non solum impossibilia non sunt divina præcepta, sed neque difficilia, sicut 1. Jo. 5. Apostolus ait: *Et mandata ejus gravia non* Mat. 11. *sunt.* Et Dominus in Euangelio: *Jugum meum suave est & onus meum leve.* Et Psalmus: *Omnis consummationis vidi finem.* Id est: usque ad unguem Dominica præcepta Ps. 118. servavi, & quod experientia invenio: *Latum mandatum tuum nimis.* Sed homini carnali, mundano, vitioso, ac propterea, fragili, & debili, & infirmo sic apparent; non quod in se gravia sint, sed quia ipse non habet vires ad portandum ea. Sicut seni decrepito, & puero modica onera gravia sunt.

II. Est autem hoc eis grave, quia non intelligunt Dominicum præceptum, non enim ut sonat intelligendum est: nam hoc quod diximus in themate, aliquid habet de præcepto, aliquid vero de consilio. Inimicus enim diligendus est sicut proximus, & non est excludendus a dilectione generali proximorum, quia per hoc quod factus est inimicus, non desinit esse proximus, neque tamen novam obligationem addidit, ut diligatur male volendo, & persequendo. Teneris ergo non odisse, non persequi, non desiderare ei malum, non excludere eum ab orationibus tuis generalibus, & in extrema necessitate ut proximo succurrere, & si in mortali est, ut proximum corrigere, & vitam æternam generaliter, & Dei gratiam in animi præparatione ei velle, sicut aliis proximis. Cæterum ei familiariter loqui, & temporaliter eum diligere, & extra casum necessitatis ei benefacere sicut amico, hoc consilium est, non præceptum. Unde Dominus non ait: ego impero; ego præcipio vobis: sed, *Ego autem dico vobis:* quia hoc magis habet consilium, quam præceptum. Unde ait: *Estote perfecti, sicut & Pater ves-* Mat. 5. *ter cœlestis perfectus est.* Ostendens hoc magis ad perfectionem, quam ad necessitatem pertinere. Verum est, quod, ut ait quidam Doctor: si vides inimicum tuum esse in mortali, quia odit te, & verbo tuo gratioso putas leniri posse, & ex mortali eximere, videtur quod tenearis, & debeas illum alloqui: plus enim debes dolere de ipsius peccato, quam de tuo damno: sicut & peccantem corripere teneris, si correptionem suscepturum esse credis. Liquet ex hoc, quod licet consilium de diligendo inimico sublime sit, & perfectum, sed præceptum temperatum est & leve, aut non nimis grave, sicut putatur. Sed nobis Fratres, qui Euangelicam perfectionem quærimus, qui Domino placere cupimus, & ejus monita & consilia pro posse servare curamus; non opus est distinguere ad quid tenemur, ad quid obligamur, ut illi Pharisæi dicebant: Si sic dixeris, in- Mat. 15. honoras Patrem, si sic dixeris, non inhonoras. Sed exemplo Domini & sanctorum litteræ tenorem sequi; diligere, benefacere, orare, omnibus modis & viis procurare, ut odium, & inimicitia tollatur, & odium cesset, & inimicis quasi amicis pro amore Dei beneficia & obsequia præstare. Sufficit nobis, quod etsi non præceptum, hoc tamen gratum & acceptum est coram Deo.

III. Sed dices: Si hoc ita est, non deberemus recitare Psalmos David; nam in eis multa mala imprecatur inimicis suis, dicens: *Averte mala inimicis meis, & in veritate tua* Psal. 53. *disperde illos.* Et iterum: *Deus meus, pone* Psal. 82. *illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit silvam, & sicut flamma comburens montes; Ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia. Erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi, & confundantur & pereant,* & plurima alia. Quomodo orat pro inimicis, qui talia orat? Quomodo diligit, qui tanta eis mala imprecatur? Hanc quæstionem movet Cassianus (b), (b) & solvit multipliciter. Quia, vel loquitur de inimicis Christi prænuntiative, non deprecative; vel de dæmonibus aut peccatis suis; vel orat, ut pereant inimici, & maneant homines. Attendite Fratres, contra quos inimicos loquitur. Sunt enim inimici quos debemus diligere, & sunt inimici quos debemus odisse: oportet inter hos distinguere; sed & amicos ab inimicis dignoscere. Tu amicum putas illum, qui tuis vitiis palpatur, qui oculos tuos excæcat, & velum ponit, ne videas turpitudines tuas, qui dormienti in peccato cervicalia ponit, qui te Ezech. 13. decipit & illudit, qui famam tuam & animam

(a) Loco supra citato. *Sciendum est ergo Christum non impossibile præcipere, sed perfecta.* Idem asserit lib. 2. Dialog. adverss. Pelagianos ante med.

(b) De hujusmodi quæstione agitur apud Cassianum Collat. 7. cap. 21., ubi tamen ad solos Dæmones dirigi vult Serenus Abbas propheticas Scripturæ locutiones, quas ibi adducit, & illis similes, ut sunt ex Psalmo 82. hoc loco repetitæ. *Hæc igitur omnia inquit, & his similia sacris inserta voluminibus legentes, sive canentes, nisi contra istas nequitias spirituales, quæ nobis insidiantur diebus, ac noctibus, acceperimus fuisse conscripta, non modo ex eis ædificationem ullam lenitatis patientiæ consequemur, sed etiam dirum quemdam, atque contrarium euangelicæ perfectioni concipiemus affectum.* Recte porro monet Gazæus in Notis ad hunc Cassiani locum, posse locutiones illas absque ullo incommodo, alio etiam sensu intelligi, prout varie ab Interpretibus intelliguntur. Non tam igitur quod Cassianus dixerit, quam quod ab eo dici debuit, innuit S. Orator.

mam perdit, adulatorem, & fautorem peccatorum tuorum; qui tibi fodit foveam in
Eccli.12. quam cadas, & parat laqueum quo capiaris, quo conſulente peris, quo blandiente inſanis, quo favente mille perpetras facinora: hic calice aureo venenum tibi propinat. Vere, ſicut ait Sapiens: adulator blandus, inimicus occultus. *Et inimici hominis domeſtici*
Prov.29. *ejus*. In hunc beneficia confers, hunc quaſi
Mich.7. animam tuam diligis, huic omnia quæ habes libenter donas? O inſane & fatue! Quam
Mat.10. bene imples Dominicum conſilium neſciens! Nam vere diligis inimicum, & benefacis his
Ibid.5. qui te oderunt, & decipiunt, & irrident, & illudunt. O! ſi bene attendas opera: quanto magis amicus videbitur qui te perſequitur; nam ille facit ut cognoſcas teipſum: dicit tibi vera, & vitia tua tibi pandit: ille facit te vivere ſolicitum, ne turpia agas, ſciens quia non parcet tibi: ille excitat te, & exercet ad omnia opera virtutum: humiliat te, & præbet tibi materiam patientiæ, manſuetudinis, fortitudinis, & charitatis, & illuſtrem facit, & præſtantem in bonitate; ille licet cum magno detrimento ſuæ conſcientiæ & famæ, fabricat tibi coronam, Deo gloriam parat, & magni meriti occaſionem tribuit. Quid obfuit diabolus Job? Et Martyribus perſecutores quid obfuerunt? Imo quam illuſtres & præclaros fecerunt? Aperi oculos, & vide, quia hic, qui putatur inimicus, beneficus eſt. Quid? Multum ergo facies, ſi pro tantis bonis, quæ tibi præſtat, neſcienti licet & invito, eum dilexeris, & pro illo Deum oraveris. Non eſt hic verus inimicus, ſed proximus.

IV. Ego tibi veros inimicos oſtendam, quos oderis, quos deſtruas, quibus omnia
Pſal.53. quæ in Pſalmo legeris, impreceris: demones, peccata tua, & vitia. Hæc ſunt, quæ te perdunt, quæ te deſtruunt, quæ tibi gehennam parant: contra hos inimicos ora, ut perdat, & deſtruat eos Dominus, & tu quantum vales deſtrue illos. Sed & caro iſta, quam tu tantum diligis, quam ſic foves & nutris, & in qua nutrienda vitam expendis, maximus inimicus tuus eſt. Hanc caſtiga, hanc ſubjice, hanc doma, & male tracta, donec eam in ſervitutem redigas. Quid fratrem & proximum tuum odis atque perſequeris? O ſtulte, non eſt ille inimicus, ſed proximus. Non te perſequitur homo, quem fecit Deus, ſed malitia, quam fecit homo: illa eſt inimicus tuus, illam oderis, illam perſequere, illam deſtruito. Tolle malitiam a fratre, non te perſequetur, non tibi male faciet. Fac ergo ut deſtruas illam. Sed quo-
Rom.12. modo? *Si eſurierit inimicus tuus*, inquit Apoſtolus, *ciba illum: ſi ſitit, potum da illi; Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ipſius*. Et accendetur charitas, & deſtruetur malitia, & ceſſabit inimicitia, & erit frater, quem inimicum putabas. *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum*, ut ait *Rom.12.* Apoſtolus. Certamen enim magnum eſt inter fratris malitiam, & tuam bonitatem: certa viriliter, ut beneficiis vincas illum, qui te aggreditur incommodis; grandis enim tibi gloria eſt, ſi in hoc certamine victor evaſeris; & grandis eſt confuſio, ſi ſuperatus fueris. Non cedat bonitas tua malitiæ fratris tui, non victa ſuccumbat, ſed ſuper eam triumphet. O quanta gloria coram Deo, & hominibus, & coram ipſis inimicis, videre illum confuſum, verecundantem, non audentem aſpicere, & attollere oculos ad aſpiciendum faciem tuam, dolentem & contriſtatum, quod tam bonum hominem perſecutus fuerit! O quam victus! O quam ſubditus! O qualis vindicta de illo! Dico tibi: etſi illum ligaſſes, & carceri mancipaſſes, & laniaſſes, non tanta fuiſſet vindicta. Sic ſic vindica te de inimicis tuis, ſic enim vindicatur Deus, & talem vindictam quærit Pſalmiſta: plus enim Deus vindicatur de peccatoribus quos convertit, quam de peccatoribus quos condemnat; nam iſti victi ſunt, ſed non convicti. Unde de hoc in Pſalmo gloriatur dicens: *Omnes gentes circuierunt me, quia ultus ſum* *Pſ.117.* *in eos*. Sed quomodo? Occidendo in eis errorem, ſubſtituendo fidem, ut ait P. Auguſtinus (*a*). Sufficere debuerat ad dilectionem (*a*) inimicorum hæc tam ſplendida & glorioſa victoria, ſufficere & commoditas grandis quam ex perſecutione capimus.

V. Sed adhuc alias addemus rationes, & conſiderationes, quibus ad hoc animum inclinemus: has breviter perſtringam. Prima conſideratio eſt: quod Deus ita vult & præcipit, & hoc gratum eſt illi. Quanta quotidie facimus pro amicis, quot a nobis alienatos & inviſos, orantibus amicis, in noſtram gratiam recipimus, ut illis placeamus? O Chriſtiane facis pro amico & non facis pro Deo? Maxime, cum non ſolum conſulat, ſed & præcipiat, ut ſi non velis reconciliari inimico, propter hoc gratiam & amicitiam illius perdas, & ſi nolis inimico fieri amicus, Dei inimicus efficiaris. O Domine, verene tuam amicitiam perdam? Omnes turcas, imo & ipſos dæmones ſi præciperes diligerem, pro amicis haberem. O miſer qui tam pro nihilo habes fieri Deo inimicus! Cogita modo. Si Rex haberet duos famulos, aut Pater duos filios, quos valde diligeret, & unus alterum odiſſet, & diceret uni;

(*a*) Enarrat. in Pſal. 117. num. 6. *Quod ait omnes gentes circumdederunt me, & in nomine Domini ultus ſum eos, ſignificat Eccleſiæ labores, atque victoriam: ſed quaſi cauſa quæreretur, unde tanta mala ſuperare potuerit; reſpectum eſt ad exemplum, & dixit, quid primo paſſa ſit in capite ſuo, addendo quod ſequitur; circumdantes, circumdederunt me*. Et num. ſequent. ſic habet. *Et in nomine, inquit, Domini ultus ſum eos: ſive quia & ipſi, malitia, quæ in eis juſtos perſequebatur extincta, Chriſtiano populo ſociati ſunt, ſive quia cæteri eorum, qui contempſerunt hoc tempore, vocantis miſericordiam, veritatem judicantis in fine ſenſuri ſunt*.

uni; ecce non possum sustinere, ut tu mihi dilectus, oderis quem ego sic amo; aut ama illum, aut me, vel hæreditatem perdes. Quanta duritia & protervia esset fieri Regi vel Patri inimicum, & hæreditatem amittere, ne alteri fratri concordares? Hoc tu facis: Deus Pater piissimus diligit filios suos: nimirum, quia vitam, & sanguinem pro eis dedit, vult invicem se diligere quos ipse diligit, & præcipit; & aliter, neque acceptat munera, neque obsequia. Quantæ ergo malitiæ est, nolle flecti, nolle obtemperare? Quid tantum potuit tibi proximus nocere, ut non plus Dei amor, & beneficia ponderent, & valeant apud te? Vides quia non est fragilitas, sed perversitas, nolle hoc implere.

Mat. 5.

VI. Secunda consideratio est tui status, & professionis. Nonne Christianus es? Nonne hanc scholam sequeris? Respice Magistrum tuum, Ducem tuum, & vide, quanta bona fecit inimicis suis; quomodo curabat ægrotos eorum, quomodo docebat, quomodo diligebat, quomodo sitiebat salutem eorum, quomodo pro crucifigentibus orabat. Pendebat in cruce cruentus, plagatus, & laceratus ab eis, quibus tanta beneficia præstiterat, neque contenti tormentis, insultabant ludibriis, deridentes & subsannantes: *Moventes capita sua dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Audit patienter insultatores suos, & Patrem orat: *Pater dimitte illis.* Et tu coram eo petis vindictam? Qua fronte, quo vultu? Et quid, obsecro, simile tu passus es ab inimicis tuis? Christiane *Respice in faciem Christi tui.* Respice & ejusdem scholæ Discipulos, Apostolos & Martyres, quantum laboraverunt, quomodo sudaverunt, ut proficerent illis a quibus affligebantur; & quomodo docebant, & illuminare cupiebant persecutores suos. Si ergo de schola Christi es; cur non sequeris professorem? Cur condiscipulos non imitaris? Non legis: quia *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur?* Non legisti in Apostolo: *Quod in hoc positi sumus?*

Ibid. 27.

Lucæ 23.

Psal. 83.

2. Tim. 3.

1. Thess. 3.

VII. Tertia consideratio est valde utilis, ad hoc ut consideres, quia licet æmulus tuus injuste te persequatur, tamen tu juste pateris propter peccata tua? Quid hominem aspicis? Attende divinam justitiam, cujus est minister ille: non hunc læsisti, sed Deum maxime offendisti. Unde Basilius (*a*): Quid, inquit, quasi canis fremens lapidem insequeris? Aspice manum quæ illum projecit, attende scilicet peccatis tuis, quibus hæc promeruisti: ille enim a Deo missus est, ut te premat & affligat, in tuum commodum, si forte convertaris, & te pœniteat. Unde Psalmista: *Ego autem cum mihi molesti essent,* scilicet inimici, *induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam.* Sic fac: agnosce, quod a Deo est ista persecutio, humilia te coram Deo, plora, jejuna, pœnitentiam age, ora pro peccatis, rem age cum Deo, quem offendisti, & Deo placato cessabit inimicus. O quale exemplum in illo qui hoc dicebat! Quomodo hoc opere implebat! Ecce propter peccatum adulterii & homicidii, quod commisit, suscitavit Dominus Absalonem filium ejus contra ipsum, ut regno eum expelleret: qui optime hoc cognoscens, contra venientem Filium non arma capit, non se defendit, sed vestitus sacco, & cinere, caput consperssus, pœnitentiam agens & plorans, pedester egressus est Jerusalem, nudis pedibus incedens, ut Deum humilitate & pœnitentia placaret, cumque sic plorans, tristis & humiliatus procederet; ecce Semei filius Jemini ex latere montis, lapides contra ipsum mittebat, mille blasphemias & injurias dicens contra eum, cum superbia, indignatione, & clamore: *Egredere, egredere vir Sanguinum, & vir Belial, &c.* Agnovit Rex, quod a Deo missus esset, & patienter tulit: imo lætabatur intus, sperans a Domino consequi veniam pro tanta maledictione, sperans quod vindicato peccato tali maledictione, Dei furor placaretur, & cessaret indignatio. Unde cum dux ejus Abisai vellet illum maledictum occidere, indignatus Rex contra ipsum, ait: *Quid mihi & vobis est filii Sarviæ? Dimittite eum ut maledicat: Dominus autem præcepit ei, ut malediceret David. Si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Bernardus (*b*). O vere virum secundum cor Dei! Non irascitur maledicenti, & irascitur vindicanti. Nec deceptus est: nam placatus Deus hac ejus patientia & humilitate reddidit ei regnum, interfecto filio persecutore, quem Deus acceperat ut flagellum ad puniendum ipsum, quem & persecutorem pius pater plorabat acerrime post mortem, usque adeo, ut indignatus Joab, diceret ei: *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te.* Sic nos facere deberemus in persecutionibus particularibus, & generalibus, & statim cessaret persecutio. O si sic nunc faceremus Fratres! O si sic Deum placaremus, ut averteret iram suam, & tolleret a nobis Turcas (*c*)! Quid prodest colligere exercitus, & colligere peccata? An nescimus, quia Turca iste & bella flagella Dei sunt? Si emendaremus vitam & peccata præterita ploraremus

2. Reg. 11.

Ibid. 15.

Ibid. 16.

Ibidem.

Ibid. 19.

(*b*)

(*c*)

(*a*) Homil. adversus iratos num. 6. in editione Garnier. tom. 2. pag. 89. *Atque quod canes facitant facis: qui lapides mordent, cum non attingant projicientem.*

(*b*) In Cant. Serm. 34. num. 2. *O vere hominem secundum cor Dei, qui se ulciscenti potius, quam exprobranti succensendum putavit.*

(*c*) Alludit ad crebras Turcarum incursiones, quibus Christiana gens variis in locis vexabatur Solimano II. imperante. Quibus moti Paulus III., Carolus V., & Senatus Venetus anno 1538. fœdus inter se adversus communem hostem inire deliberarunt: de quo quidem fœdere Concionem habuit S. Orator, Fer. 3. Pasch.

remus coram Domino, ipſe averteret a nobis flagellum ſuum, & daret de inimicis victoriam. Non dico ut arma relinquamus: nam hoc eſſet ſtultum, & tentare Deum, ſed ut prius Deum placemus, & deinde arma ſumamus, ſicut fecit David.

VIII. Quarta conſideratio eſt malorum & damnorum, quæ incurrimus ex odio, & inimicitia proximorum. Hæc optime enumerat Pſalmiſta dicens: *Dominus Deus meus,* *Pſal.7.* *ſi fecit iſtud. Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam merito ab inimicis meis inanis. Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.* Ecce quatuor damna maxima. Primum: *Decidam merito ab inimicis meis inanis.* Odium enim proximi omnia bona quæ agis, orationes, eleemoſynas, jejunia, caſſa & inania facit toto tempore quo durat; & perdis coram Deo totum quod vivis. Quantum malum hoc! Secundum eſt perſecutio in corde. *Perſequatur inimicus animam meam.* Nam, ut (a) ait P. Auguſtinus (*a*). Omnis qui alium perſequitur in corpore, prius ipſe perſecutionem ſuſtinet in corde. Unde Pſalmus: *Gladius eo-* *Pſal.36.* *rum intret in corde ipſorum.* Alium non vulneraſti, & jam animam tuam jugulaſti; nam *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Et bis, *1.Jo.3.* ſcilicet: homicida ſui & homicida proximi, ſi non facto, certe animo. Tertium damnum eſt vexatio illa, quam patitur qui odit: de quo ait: *Comprehendet, & conculcet in* *Pſal.7.* *terra vitam meam.* O quam conculcatam & vexatam habet a diabolo vitam, qui odit! Quando premitur illo odio, quaſi quodam veneno, ſic furit, vexatur, fatigatur, torquetur graviſſimo tormento, ſemper triſtis, & turbulentus, & furioſus. O miſer! Si non parcis proximo, parce tibi, qui ſic vexaris. Quartum damnum eſt: *Et gloriam meam in pulverem deducat.* Quod non ſolum de gloria beatitudinis æternæ, ſed etiam de gloria illa, & corona ex victoria virtutis, & patientiæ, de qua ſupra diximus, intelligi poteſt, quam habuiſſet coram Deo, & Angelis, ſi inimici malitiam ſuperaſſet; illa in pulverem deducitur cum vindicta quæritur; & cum inimicum vincis, ipſe victus es coram Deo. Quinta conſideratio eſt plurium, & magnarum utilitatum, quæ ex remiſſione injuriæ nobis proveniunt. Prima eſt grande meritum, & gloria de qua in Euangelio dicitur. Secunda eſt peccatorum venia. Pſalmus: *Verba iniquorum prævaluerunt ſuper nos:* *Pſal.64.* *& iniquitatibus noſtris tu propitiaberis.* Hoc eſt, quod Dominus in Euangelio promittit, dicens: *Si enim dimiſeritis hominibus pecca-* *Mat.6.* *ta eorum: dimittet & vobis Pater veſter cæ-* *leſtis delicta veſtra.* Et ſi non, non. Unde hoc quotidie dicimus in oratione dominica, & ad hoc forte canitur hoc Euangelium in principio Quadrageſimæ, ut ſi quæritis veniam a Deo, primo dimittatis proximo, ne fruſtra laboretis. O Domine, & quam bona & quam utilis conventio; libenter accepto pacto, ut pro tantillo mihi tanta dimittantur. Gratias tibi; quia habeo quod dimittam, ut & mihi dimittatur. P. Auguſtinus (*b*): In poteſtate noſtra, Fratres, (*b*) poſita eſt noſtra ſententia; & niſi nos eam ſubſcribamus, non pronuntiabitur contra nos: ſubſcribis contra te, cum non vis dimittere proximo tuo: quia dum non parcis, indignum venia te reddis. Miſer attendis quid tibi fecerit homo, & non conſideras, quid ipſe feceris Deo? Unde in Eccleſiaſtico: *Ho-* *Eccli.28.* *mo homini reſervat iram, & a Deo quærit medelam.* Imple ergo oleo charitatis vaſa vacua, exemplo viduæ Sareptanæ, ut ex illo poſſis reddere, quæ debes creditori tuo. *4.Reg.4.* Tertia utilitas eſt, quæ dicitur in Euangelio: *Ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis* *Mat.5.* *eſt.* Quantum eſt eſſe filium tanti Patris! Aliæ virtutes ex bruto te faciunt hominem, charitas ex homine te facit filium Dei: quod *Galat.4.* ſi filium, & hæredem. Sed cujus, & quantæ hæreditatis? Hæredem Dei, omnium ejus divitiarum, omnium bonorum ejus, perpetui regni, & ineffabilis gloriæ, ad quam nos perducat Jeſus. Amen.

IN

(*a*) In Pſal. 36. Serm. 2. num. 3. *Ergo quia omnes qui perſequuntur juſtos, graviore damno feriuntur, & graviore pernicie afflictantur, cum in eis vaſtatur ipſe animus, &c.* & poſt aliqua *in corpore occidere voluerunt, in anima moriantur.* Demum. *Conſtat ergo plus eſſe, quod ſe lædunt iniqui, & quod ſibi nocent, quam quod ſibi videntur nocere illis, quos oderunt.*

(*b*) Serm. 58. in Matth. cap. 6. *Et induxit nobiſcum Deus pactum, & placitum, firmumque chirographum, ut dicamus, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Qui vult dicere efficaciter dimitte nobis debita noſtra, dicat veraciter, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si hoc quod eſt poſterius, aut non dicit, aut fallaciter dicit; illud quod prius eſt, inaniter dicit.* Hæc, ſi allegatio referatur ad verba præcedentia; ſi vero ad ſubſequentia, ut in editione Veneta, referenda ſit, fateor me ſententiam non inveniſſe apud S. P. Auguſtinum. Aliquid ſimile legitur in Gloſſa ad cap. 6. Matth. his verbis: *Deus mavult invenire, cui indulgeat, quam quem puniat; ideo in noſtra poteſtate poſuit, qua conſcientia judicium Dei quiſque provocet erga ſe, & quomodo ſententiam tanti diſcriminis poſſit temperare.*

IN DOMINICAM PRIMAM QUADRAGESIMÆ

CONCIO PRIMA.

MONOMACHIA INTER CHRISTUM ET DIABOLUM.

Ductus eſt Jeſus in deſertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.
Matth. 4. v. 1.

Concio XXXII.

I. LITTERA ſancti Euangelii proponit nobis quandam monomachiam & provocationem eximiam, qualis neque unquam fuit, nec erit in ſæcula, inter duos magnos Principes, ſcilicet: Principem Gloriæ Jeſum, & Principem tenebrarum Luciferum: ſpectantibus ex una parte Ducem & Dominum ſuum, choris & hierarchiis Angelorum, & ex alia parte ducem ſuum, catervis, & exercitibus dæmoniorum; Deo judice. Cauſa autem tanti certaminis, injuria fuit atrox & inſignis, quam ipſe Lucifer puellæ cuidam pulcherrimæ fecerat; naturæ ſcilicet humanæ, quam Deus valde pulchram creaverat, & quam ipſe Lucifer ſine cauſa injuriis affecerat, inhonoraverat, & peſſime deturparat. *Aſſur abſque ulla cauſa calumniatus eſt eam.* Filius autem Dei Jeſus, motus tanto Luciferi ſcelere, & quia illa placuit oculis ejus, deſponſavit eam ſibi; & contracta affinitate, alienam ſibi ſuam injuriam reputavit, & fecit; ac ſtatim illam cogitavit ulciſci. Qua de re Luciferum ipſum provocavit ad duellum, & ipſe prior cum Patrino ſuo Spiritu ſancto prodiit in campum. Hoc eſt quod dicit Littera: *Ductus eſt Jeſus a Spiritu in deſertum, ut tentaretur a Diabolo.* Et juſte prior ipſe provocat, quia gravatam, & offenſam partem defendit. Pſalmus: *Exurge Domine: præveni eum & ſupplanta eum. Eripe animam meam ab impio: frameam tuam ab inimicis manus tuæ.* Eripe, quia anima mea eſt: & ſi non, quia framea tua eſt. Non eſt honor tuus neque decus, quod hoſtis tuus frameam tuam poſſideat. Anima ſancta, framea Domini acuta, qua præclara facinora gerit. Nonne tibi videtur Pauli anima Dei framea, quando totum mundum illa proſtravit, & tanta ſtrage, Reges, Principes, Civitates, & omnia ſibi Dominus ſubdidit framea iſta? Nullus inimicus pedibus ſtare contra ipſum valebat. Similiter, & P. Auguſtini anima contra hæreticos potentiſſima framea extitit, qua ipſos penitus debellavit, proſtravit, & in nihilum redegit. Conſuetudo eſt in provocationibus, quod qui alium provocat, campum eligat, provocatus autem eligat arma: quare Dominus campum eligens, non Paradiſum, neque voluptuoſum aliquem locum, ſed deſertum, rigidum, ſterilem, & aſperum elegit, ubi non poſſet ad votum dæmon arma reperire. Non enim ibi frutices, non poma, non deliciæ, non alia Eva, quam invaderet: & quia aliud non reperit, ad lapides ſe convertit. Dæmon legit arma probata, quibus vicerat primum hominem, ſcilicet gulam, ſuperbiam, & avaritiam.

Iſaiæ 52.

Judic. 14.

Mat. 4.

Pſal. 16.

II. Exivit Dominus ad campum per quadraginta dies priuſquam Lucifer: & toto illo tempore prælium meditans, belli ſe præludiis exercebat, jejuniis, ſcilicet, orationibus, & lacrymis, contemplationibus, & aſperitatibus multis. O Domine, & quis narrare poterit aſperitates, & quot acerba in hoc deſerto ſuſtinuiſti? Sine domo, ſine lecto, ſine igne, ſine adjumento aliquo, vel ſolatio; ſolus inter feras, & animalia bruta, ad pluviam, & frigus, & rigidas tempeſtates; hyems enim erat: & cum eſſes delicatiſſimus, ſopra modum omnia iſta ſentiebas. Sed & Mater tua piiſſima quantum paſſa eſt dolorem propter tui abſentiam? Nunquam a principio ortus tui tantam abſentiam habuit, neque pertulit; imo ſemper tecum fuit: quare, quilibet horum quadraginta dierum, annus ei videbatur abſentiæ. O quis tibi bone Jeſu, in deſerto illo obviaſſet, & tecum manere per unum ſaltem diem meruiſſet! Ut videret orationes illas ferventiſſimas, & vultum tuum pluſquam Seraphicum, Spiritu inflammatum toto iſto tempore. Grandia quidem, & eximia facta ſunt in hoc deſerto, ſed ſecreta, & non novimus ea. Prius nos lacrymis quam ſanguine abluiſti. Ut quid Domine tot aſpera ſuſtines? Sufficiebat mors tua futura ad nos redimendum. Quare ergo modo ſic cruciaris? Factum eſt hoc, Fratres, ut Dux noſter milites ſuos exemplo ſuo inſtrueret ad pugnam. Pſalmus: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Diſcite, Fratres, quomodo nunc pugnetis! Nam hoc tempus Quadrageſimæ, tempus eſt belli & certaminis cum diabolo. Egredimini in deſertum, & videte Ducem veſtrum quem imitemini: eiſdem armis pugnate, quibus ipſe pugnavit; ſolitudine ſcilicet, jejunio,

Pſ. 143.

nio, oratione, asperitatibus & lacrymis: his telis superabitis inimicum. Recludimini his diebus in solitudine oratorii, vacate a negotiis, orate, plorate ibi peccata vestra, jejunate & pœnitemini, jungite vestra jejunia cum asperitatibus, & orationibus. Quid enim prodest jejunare, & ipsa die jejunii exercere ludos, venationi incumbere, deliciis & choreis insistere? Qualis est ista pœnitentia? Quale est hoc jejunium? Isaias: *Quare* Domine *jejunavimus, & non aspexisti?* Isaiæ 58. Respondet Dominus: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra:* id est, impletis desideria vestra. *Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie. Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem: Numquid tale est jejunium quod elegi?* Sit ergo integrum & perfectum jejunium tuum. Quare unus solus sensus, scilicet gustus jejunabit? Jejunent potius omnes sensus: peccaverunt omnes, Domino faciant omnes satisfactionem. Jejunet intellectus a pravis cogitationibus, voluntas a malis desideriis, oculus a visu curioso & delectabili, lingua a verbis otiosis, & scurrilibus, auditus ab auditu detractionum, & cantilenarum, pedes ab illicitis negotiis, manus a rapinis: & denique tota caro a voluptatibus etiam licitis. Hoc est perfectum jejunium, & gratum coram Domino, cum omnes sensus abstinent a mundanis, ut vacent divinis. Totus ergo jejuna, quia totus peccasti. Toto illo tempore, quo Dominus fuit in deserto, Lucifer non erat otiosus, sed diligenter contemplabatur eum, & supra modum mirabatur illius vitam, & abstinentiam. Sciebat quod in illo non habebat quicquam: quod ab initio incarnationis mundissimus erat ab omni peccato: videbat eum agere vitam Angelicam in contemplatione & oratione continua, non comedere, neque bibere; atque ex hoc suspicabatur, quod esset plusquam homo, & verus Filius Dei. Ex alia parte, videbat eum macilentum, fatigatum, pallidum, famescentem: ex quo eum purum hominem conjectabatur. Decrevit itaque experiri, & confligere cum eo, & probare an esset Filius Dei.

(a) III. Itaque in habitu religioso (a) & eremitico, ut suspicor, sensim accessit, & salutavit eum, multaque locutus est cum illo, quæ non ponuntur in Euangelio. Existimo quod dixerit ei. Quid facis, obsecro, in ista vasta eremo solitarius tamdiu, in tanta afflictione, & labore? Videris mihi homo sanctissimus plusquam humanam vitam agere; vita etenim tua omnium transcendit facultatem: non placet Deo, neque illi est gratum, quod te interficias in jejunando. Quid enim refert interficias te jejunio, an gladio? Ad quid ergo tantus labor, tam diuturna asperitas, tam longa inedia? Existima etiam, quod omnia possis, & quodcunque volueris facies, ergo; *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*, & comede, ne fame pereas in hac vasta solitudine. O stulte nimis, quid ais? *Si Filius Dei es.* Nunquid eget pane? Nonne ipse est panis Angelorum, & panis vitæ? iterum o maligne, vel convertet, vel non; si non: quomodo tentabis eum lapidibus? Non enim est fames tam rabida quæ comedat lapides. Si converterit, putas ne pane ab ipso tam mirabiliter converso poteris eum superare, qui tantam habet potestatem, ut ex lapidibus panes faciat? Quænam audacia, quænam stultitia hæc? Nondum satis capio, quid prætenderit in hoc conflictu serpens antiquus: nam, si gula tentare volebat, nonne facilius multo erat asportare undecumque panes, fructus, & obsonia, & famescenti proponere, quam lapides? Quid sibi vult iste circuitus, ut primo ex lapidibus panes fieri miraculo suadeat, & deinde illis panibus in gulam inducat? Credite mihi, aliquid latet, aliquid ultra prætendebat iste malignus. Duo enim volebat. Primo, probare si forte esset Filius Dei: unde hoc in capite tentationis ei objecit. Secundo, si purus homo inveniretur, gastrimargia (b) vel alio vitio superare, sed neutrum obtinuit, & forte volebat inducere eum ad miraculum a Deo petendum, quod, ubi alio modo fami poterat obviari, ad proximas villas eundo & edendo, fuisset quodammodo tentare Deum. Et quod tunc suadere conabatur Christo, hoc quotidie per ministros suos (c) prælatis Ecclesiæ suadere conatur, scilicet, ut pœnitentiæ & rigoris lapides, panes fiant; id est, in delicias convertantur. Unde confessionem auricularem a Christo institutam, religionum asperitatem, clericorum cælibatum, carnium abstinentiam, jejuniorum inediam demoliri satagunt, & in vitam deliciosam & carnalem Ecclesiam Dei traducere. Tales similes sunt illis, de quibus Apostolus ad Philippenses loquitur, dicens: *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est:* & gloria in pudendis. Hunc congressum Dominus in scuto Scripturæ recepit, dicens: *Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Nam verbum Dei animam pascit, sicut panis corpus. Et ut ait Divus P. Augustinus (d). Sicut corpus quando per lon-

Mat. 4. Psal. 77. Jo. 6. Philipp. 3. Deut. 8. (b) (c) (d)

(a) Diabolum in forma religiosi hominis Christo apparuisse, jam ex aliquorum opinione adnotaverat Cartusianus Enarrat. in Euang. Dom. 1. Quadrag. Serm. 1. *Accessit*, inquit, *ad Christum in forma visibili ac humana, atque, ut aliqui opinantur, in forma hominis religiosi, ut simulata sanctitate circumdatus, facilius falleret.*

(b) Græco hoc vocabulo Gulositas significatur. Eo frequenter utitur Cassianus.

(c) Carpit Lutheranos, quorum nefaria dogmata, non multo ante exorta, enumerat sequenti periodo.

(d) Deducit fortasse sententiam ex his S. P. Augustini

longum tempus non reficitur, deficit, & debilitatur, ita & anima si pastu suo doctrinæ, & contemplationis non pascitur. Psalmus: *Aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum*. Et non solum animam, sed etiam corpus quodammodo per redundantiam sustentat verbum Dei. Sic Moyses per quadraginta dies solo Dei verbo alitus est; sic sancti Patres in eremo per hebdomadas sine cibo manebant, ut existimo, verbo Dei sustentati; imo, & plures videmus servos Dei modico pastu pingues & nitidos a gaudio cordis; nam anima sancta *quasi juge convivium:* & e contra, homines iniquos etiamsi multum comedant, & omnia vorent elementa, macilentos, pallidos, corrosos a conscientiæ verme, a tristitia & mœrore, a curis & inquietudinibus quas perferunt.

Ps. 101.
Exodi 24.
Prov. 15.

IV. Viso quod in primo congressu nihil ipsum læserat dæmon, parat secundum: & assumpsit eum per aera, & portavit in Jerusalem, *& statuit eum super pinnaculum Templi*, & ait illi: Ecce grandis multitudo populi infra est: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum;* & multitudo illa videns quod te non læseris, credet in te, & sic illis cedet in salutem, tibi autem in decus maximum & honorem: neque timeas læsionem; *Scriptum est enim: Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. Voluit Dæmon ostendere se litteratum; defecit tamen in tribus. Primo, quia depravavit Scripturam, detorquendo ad caput, quod dictum erat de corpore. Secundo, quia non ad propositum erat authoritas. Bernardus (*a*): *Scriptum est.* Quid scriptum est maligne? Quid scriptum est? *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Nunquid in præcipitiis? Tertio: quia detruncavit Scripturam. Procede ultra, o maligne, procede, quare taces quod contra te est? *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem?* Hoc idem faciunt hodie membra ejus, dum pestilentes errores suos verbis sacræ Scripturæ tum mutilatis, tum depravatis fulciunt, ut simplices decipiant. Ostendit in hoc congressu dæmon debilitatem suam, quia non valet ipse mittere, sed ait: *Mitte te deorsum*. Ita est Fratres: si non tu te mittis, ille non mittet: hortari potest, sed præcipitare non potest: porrigit gladium, sed tu te jugulas;

Mat. 4.
Psal. 90.
Mat. 4.
(*a*) *Ibidem.*
Psal. 90.
Mat. 4.

nemo enim lædítur nisi a seipso. Quid dæmonem increpas? Quid tentatorem incusas? Tua est culpa, te præcipitas. Unde Bernardus (*b*) exponens illud Psalmi: *Eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui*. Ego, inquit, sum ille peccator exlex, & iniquus; eripe me Domine de manibus meis. Cave tibi, cave, qui supra pinnaculum templi ascendisti, qui culmen perfectionis cum Dei gratia attigisti, cave tibi ab hoc inanis gloriæ præcipitio; latenter enim subrepit hæc superbia, & dum in corde tuo exaltaris, jam coram Deo præcipitaris: sicut scriptum est: *Dejecisti eos dum allevarentur*. Dominus quoque hunc ictum in scuto Scripturæ recepit, dicens: *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum:* nam quæ fieri possunt humano consilio, & viribus, non sunt Deo totaliter relinquenda: sed ubi, quod in nostra potestate est fecerimus, confidamus in Deo. Valde nobis in hoc Christus commendavit sacram Scripturam, dum omnes istos diaboli conflictus sacræ Scripturæ authoritatibus superavit. Christus dæmonem tribus authoritatibus superavit, sicut David lapidibus de torrente Goliam. O quam utilis est lectio sacra, & quantum prodest! vere non solum pascit animam, sed & confirmat cor in omni virtute, & tuetur a tentatione. E contrario autem lectio prophana librorum, quibus tantum gaudet levitas humana, destruit mores juvenum, inclinat ad vitia, & vanum amorem, facit carnales & mundanos. Non debet quispiam tolerare hujusmodi libros in domo sua, neque permittere, quod filius vel filia legat ipsos: *Corrumpunt* enim *bonos mores colloquia mala*. Si quid ergo in sermonibus auditis, servate in scrinio memoriæ: proderunt namque vobis in tempore tentationis, ut quasi scuto quodam vos defendatis a telis inimici. Psalmus: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*. Hæc est illa turris David, *quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Nulla est enim tentatio, nulla adversitas, nullum infortunium, nulla calamitas, cui non sacra Scriptura medeatur & succurrat, consolatione, consilio, vel alio quopiam remedio.

(*b*) *Psal.* 70.
Psal. 72.
Mat. 4.
1. *Reg.* 17.
1. *Cor.* 15.
Ps. 118.
Cant. 4.

V. Videns dæmon quod hoc conflictu nihil profecerat, ad tertium & validiorem se præparat. *Assumpsit eum in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi*, dicens:

Mat. 4.

---

stini verbis Serm. 58. in Matth. 6. de Orat. Dom. num. 5. *Et verbum Dei, quod quotidie vobis aperitur, & quodam modo frangitur, panis quotidianus est. Et quomodo illum panem ventres, sic istum esuriunt mentes. Et hunc ergo petimus simpliciter, & quidquid animæ nostræ, & carni nostræ in hac vita necessarium est, quotidiano pane concluditur.*

(*a*) In Psal. *Qui habitat*, Serm. 14. num. 8. *Scriptum est*, inquit, *quoniam Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te. Quid scriptum est maligne? quid scriptum est? Angelis suis mandavit de te. Quid mandavit? Animadvertite, & videte, quoniam subsistuit malignus, & fraudolentus, quod malignitatis suæ commenta dissolveret. Quid enim mandavit? nempe quod in Psalmo sequitur: ut custodiant te in omnibus viis tuis. Numquid in præcipitiis? Qualis via hæc de pinnaculo Templi, mittere se deorsum? Non est via hæc, sed ruina; & si via, tua est, non illius... Quid vero taces & illud quod sequitur: super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem? Te enim hæc parabola tangit.*

(*b*) Serm. 81. in Cant. num. 10. *Ego ille peccator, ille exlex, ille iniquus. Peccator, quia peccavi: exlex, quia voluntate persisto agere contra legem.*

cens: Ecce, in tali parte est Roma, in tali est Gallia, ibi est Hispania, & ibi est Africa, & ibi maxima India. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* O maligne, o superbe, quid ais? Filius Dei cadens adorabit te? Semper ab initio Dei honorem & gloriam appetisti; vere cadit qui adorat te. *Hæc omnia tibi dabo.* Bernardus (*a*): Tu ne illa dabis? Miser tu ne illa fecisti? Et quod jus habes in homines, nisi quia nequiter decepisti illos? P. Augustinus (*b*). Diabolus injuste possidebat mundum, sed mundus juste possidebatur a dæmone: quia, *Qui facit peccatum servus est peccati.* O si hodie diabolus regna promitteret, quantos haberet adoratores! Pro aureo vel argenteo nummo, homines mille perjuria & peccata committunt: quid facerent pro regno? Deus nos liberet ab hoc vitio Fratres; nam penitus excæcat mentem, & evertit animum. Unde Ecclesiasticus: *Avaro nihil est sceleștius.* Animam suam venalem habet; pro obolo vendet & tradet eam diabolo. In hac tentatione non dixit diabolus: *Si Filius Dei es;* quia Dominum contempsit, videns quod se permitteret huc atque illuc trahi per ipsum; & pro certo habuit, quod esset purus homo. Sed tunc, cum contempsit, ampliorem sensit virtutem: non enim patienter ut prius, sed cum indignatione & authoritate respondit ei Dominus: *Vade Satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et projecit eum a se, victumque & confusum ejecit e certaminis loco. Dedit nobis Dominus in hoc exemplum, ut nostras injurias patienter toleremus, sed non Dei. O zelus Dei! Quomodo refrixisti hodie! Sufficit cuique si ipse bonus est, si Dei offensas, & peccata devitat: neque vult malis obstare, nemo pro Deo opponere se audet iniquis. Non sic Rex ille patientissimus, & mansuetissimus, qui cum æmulum suum Saul, tam æquanimiter toleraret, mortuumque amare defleret, contra flagitiosos acriter intonabat: *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Quid ni esset inimicus inimicorum Domini sui? Sed & Helias ille qui zelo zelavit pro honore Dei, & quadringentos quinquaginta sacerdotes Baal gladio percuti fecit, cum increparet regem Achab de morte Naboth; & diceret ei Rex: *Num invenisti me inimicum tibi?* mira authoritate respondit: *Inveni eo quod venundatus sis, ut faceres malum coram Domino.* Sic Regem, ut mancipium alloquitur. O si nunc hoc zelo, hac authoritate Prælati Ecclesiæ vigerent contra vitia, non sic omnia tenderent in ruinam.

VI. Rejecto dæmone, atque devicto, sicut Euangelista ait: *Accesserunt Angeli & ministrabant ei.* O quanta lætitia, quantus jubilus, quibus laudibus efferunt trimphum Principis sui? *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine: Dextera tua Domine percussit inimicum. Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarium*, & malignum. Gregorius (*c*): Agnosce homo in hoc fortissimo Duce duplicem naturam. Homo est, quem tentat dæmon: Deus est, cui Angeli serviunt. Sed quod, obsecro, servitium præter laudes ei exhibent? Ait enim Sanctus Euangelista, quod *ministrabant ei.* Nusquam lego quod Angeli Christo ministraverint, nisi hic. In ejus Nativitate tripudiantes & ovantes Angelos legimus: in morte Angelum consolantem & confortantem invenimus; ministerium alibi non invenio. Quid, obsecro, ministrabant, aut in quo ministrabant? Existimo eos, sive a Virgine, sive aliunde exquisitos cibos cum pane Domino apposuisse ut ederet, circumstantibus ac servientibus undequaque cœlestibus Principatibus, ac pincernarum more, mensam Domini ambientibus. O quanta gloria generis nostri! Quanta sublimitas naturæ nostræ! Homo ad mensam sedet, & ab Angelis servitur ei. O spectaculum jucundissimum, gratissimum, visuque dignissimum! Accede anima ad hanc mensam: collige micas, quæ cadunt de mensa Domini tui: contemplare Regem tuum, pallidum, macilentum, famescentem pavimento nudo super lapidem accubantem, inter Angelicos cuneos cum modestia comedentem. O quis affuisset! O quis vidisset! Hæc de historia.

VII. Propter multa Dominus tentari voluit. Primo, ut nos in tentationibus animaret, ne deficiamus si tentemur, cum ipse Dominus omnium, tentatus sit. Secundo, ut fiduciam daret recurrendi ad ipsum, qui optime novit, & expertus est infirmitates & tentationes nostras. Unde Apostolus: *Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Debuit enim per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret. O immensa Dei misericordia! Qui pro nobis non solum infirmari, sed & tentari voluit! Non solum labores, afflictiones, infirmitates, sed etiam tentationes nostras assumpsit. Quanta humilitas, quanta dignatio! Quid restabat ut assumeret, nisi peccata? Quam longe est a Deo peccatum, quam odibile Divinæ Majestati! Et tamen pro nobis, cum peccare non posset,

(*a*) In Psal. *Qui habitat*, Serm. 14. num. 5. *Hæc omnia*, inquit, *tibi dabo, si procidens adoraveris me. Tu ne illa fecisti miser? Quomodo dabis, quæ ille creavit? Aut quomodo abs te speranda, quomodo tua adoratione petenda, quæ ab illo condita in illius posita sunt ditione?*

(*b*) Vide Quæstiones ex novo Testamento, quæst. 83. tom. 3. novis. edit. in Append.

(*c*) Homil. 16. in Euang. num. 5. *Notandum vero quod subditur, quia recedente diabolo Angeli ministrabant ei. Ex qua re quid aliud, quam unius personæ utraque natura ostenditur. Quia & homo est, quem diabolus tentat, & idem ipse Deus est, cui ab Angelis ministratur.*

ſet, a nequiſſimo dæmone induci ſe, & ſuaderi ad peccandum permiſit. Tertio, ut ſic inſtrueret nos ad prælium, ſicut ſupra dictum eſt. Quarto, ut dum tentatur, noſtrarum tentationum victoriam promereretur. Sed præcipua, & potiſſima cauſa, ut exiſtimo, fuit exaltatio, & honor noſtræ humanitatis aſſumptæ: ſi enim lynceis oculis myſterium inſpexeritis, videbitis hoc ad plenam naturæ noſtræ reſtitutionem, & reparationem omnino fuiſſe decentiſſimum. Duo namque incommoda homini dæmon intulerat: & quia humiliaverat, & quia læſerat. Damnum per paſſionem plene reſtitutum eſt, ſed honor quoque reſtituendus erat. Ut, ſcilicet, idem Lucifer, qui primum hominem ſua nequitia in Paradiſo devicerat, ab homine Chriſto filio ejus, eiſdem mediis non ſolum in membris, ſed etiam in ſua perſona in deſerto vinceretur & confunderetur.

VIII. Hujus tam inſignis victoriæ typus
Apoc. 6. in Apocalypſi deſcribitur, ubi dicitur: *Vidi, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum habebat arcum, & data eſt ei corona: Et exivit vincens ut vinceret.* Equus albus, Humanitas Chriſti erat, in qua nullum fuit peccati contagium: ſeſſor, Verbum, qui eam in omnibus operibus ſuis regebat, a cujus nutu & voluntate neque tantillum unquam deviavit. Hic habebat in manu ſiniſtra arcum, quo malos percutit, & ſagittas, id eſt, judiciariam poteſtatem,
Pſal. 59. de quo Pſalmus: *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant a facie arcus: ut liberentur dilecti tui.* Dat Deus timentibus ſe ſignificationem, & veluti annuit oculo electis ſuis, cum eos hic corripit, ne illos illa crudelis ſagitta perfodiat: *Diſcedite a me*
Mat. 25. *maledicti in ignem æternum.* Habet quoque Judex coronam, qua præmiat bonos: vitæ
Apoc. 1. enim & mortis habet imperium, damnandi & ſalvandi plenariam a Deo Patre poteſta-
Jo. 5. tem accepit. *Et exivit vincens ut vinceret.*
Apoc. 3. Obſcurum eſt verbum niſi aperiat ſigillum Agnus. *Qui habet clavem David, & aperit, & nemo claudit.* Exivit a Patre, &
Jo. 16. venit in mundum: exivit hodie ductus a
Mat. 4. ſpiritu in deſertum; *Vincens ut vinceret: Vincens* mortem ſuam, *ut vinceret* noſtram, *vincens* infirmitates ſuas, *ut vinceret* noſtras, *vincens* tentationes ſuas, *ut vinceret* noſtras, *vincens* in ſeipſo diabolum, *ut* eum *vinceret* in electis ſuis. Victor ad vincendum, triumphator ad triumphandum, uno conflictu omnes noſtras moleſtias, & tentationes ſuperavit, dum ſuas devicit: in hoc enim quod ſic humiliatus eſt, & tentari ſe a dæmone permiſit, omnium noſtrarum tentationum victoriam promeruit: in illo omnes hodie vincimus, in illo cuncti triumphamus. Congaudeamus ergo Victori noſtro, Regi noſtro,

A Triumphatori noſtro; & diſcamus ab eo noſtras tentationes devincere: coronam habet in dextera Victor, quam ſuis militibus certantibus proponit, ut eos animet ad victoriam. Videat quiſque ut fortiter dimicet, quia non coronabitur, niſi qui legitime certaverit. Non in noſtris viribus, ſed in ejus virtute confidamus: qui vicit in ſe, vincet in nobis. Unde Propheta: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo. Deus Dominus fortitudo mea, & ponit pedes meos quaſi cervorum, & ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem.* Adſit
B nobis ejus gratia, ut viriliter pugnemus, & fortiter vincamus; ut ad optatam coronam pervenire mereamur in gloria, ad quam nos perducat ipſe Dominus Jeſus Chriſtus, cui cum Patre, & Spiritu ſancto eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Apoc. 6. 2. Tim. 2. Habac. 3.

IN DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ

CONCIO SECUNDA.

C DE CHRISTI DOMINI VICTORIOSO CERTAMINE.

Ductus eſt Jeſus in deſertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.
Matth. 4. v. 1.

I. TOtus ſermo erit de ſingulari certamine, & victoria inter Authorem Vitæ & Principem tenebrarum. Optimus ſermo. Certant duo fortes de mundi principatu; ſpectantibus Angelis, Deo Judice, & Spiritu ſancto Patrino Chriſti ſecundum car-
D nem. Ideo duxit in campum. *Ductus eſt Jeſus in deſertum a Spiritu*, nempe ſancto; ut meminit Gregorius (*a*): *Ut tentaretur à Diabolo.* Exi homo, exi in deſertum, & vide Ducem tuum, modo orantem, modo plorantem, & gementem. Conſidera illis quadraginta diebus, quales pro mundo preces fuderit, longa vigilia pernoctans. O homo! Noli timere, quando exis ad prælium, ductus a Spiritu ſancto: nam tali Patrino ſecura eſt victoria. Imo ſæpius Dominus movet ſervis ſuis prælia, ut vincant. Nam alio loco, veniente Satan, ait Dominus: *Unde*
E *venis?* Et reſpondente: *Circuivi terram & perambulavi eam: Numquid*, ait, *conſideraſti ſervum meum Job?* O Domine! Sic prodis ſervos tuos? Ecce excitavit Satan ad prælium, quoniam ſciebat eventum tentationis. Fur non curat perforare domum, ubi non putat eſſe theſaurum: ita etiam dæmon non tentat virum, in quo non putat eſſe theſaurum ſpiritualem. Sed quid, obſecro, magnum eſt o bone Jeſu, ſi vincas tuam creaturam?

* CONCIO XXXIII. Mat. 4. (a) Job 2.

(*a*) In Euang. Homil. 16. num. 1. *Sed vere, & abſque ulla quæſtione convenienter accipitur, ut a ſancto Spiritu in deſertum ductus credatur.*

turam? Victoria enim sumitur ex victo; nam, quo major est victus, eo clarior est victoria. Quam ergo laudem ex hoc reportas, si ipse immensus & infinitus, morte, & bello superes tuam facturam, quam posses unico flatu annihilare? Ecce non descendit in campum in fortitudine sua tamquam Deus: sic enim, *voluntati ejus, quis resistit?* Sed in infirmitate carnis, sed tamquam homo, & sic ait Apostolus: Minoratus est modicum ab Angelis, propter passionem & mortem; quoad naturam in qua præliatur, minor: sed propter passionem. Hilarius (*a*): Tolle passionem, tolle dolorem, tolle carnis infirmitatem, & æqualis est Patri. Minoratus ab Angelo, sed propter passionem, inquit; nam alias æqualis est Deo Patri. P. Augustinus (*b*): Noluit in forma Dei pugnare, sed hunc honorem voluit dare homini, in qua victus fuerat primus homo, ut inde major confusio esset inimico. Statim arma favorabiliora dedit dæmonio: nam, ipse famescebat, & non dæmon, ipse dormiebat, & non dæmon, ipse habebat humanitatem, & non dæmon. Poterat teneri, poterat ligari: dæmon vero, spiritualis sola natura erat. Hæc magna corona est, in infirmitate vincere potestatem, & infirmitatem accipere pro armis ad victoriam. Nam: *Quod infirmum est Dei, fortius est.* Viderat hoc in visione Zacharias Propheta capite tertio, ubi ait: *Et ostendit mihi Dominus Jesum Sacerdotem magnum, stantem coram Angelo Domini: & Satan stabat a dextris ejus ut adversaretur ei.* Jesus Sacerdos magnus secundum carnem: Satan coram Angelo Dei. Ecce foris Sacerdos secundum carnem, intus Angelus, secundum Divinitatem, id est Missus, offert exterius prælio Sacerdotem. *Et Jesus erat indutus vestibus sordidis:* humanitatis inquam, sed intus retinet Angelum; id est, Verbum Dei, coram quo præliatur, quia non ipso præliante, sed quasi spectante fit bellum ab homine Jesu. Sed *Satan stabat a dextris;* etiam partem meliorem ei dedit, dexteram scilicet. Sed quid est a dextris adversari? Ecce latus dextrum sunt bona spiritualia, latus sinistrum sunt bona temporalia. Christus non habet bona temporalia, in quibus a dæmone tentaretur, ut Job: a dextris ergo bellum orditur adversarius, quia de bonis spiritualibus. Ambrosius (*c*): Non invenit ibi talia arma qualia desiderabat. Ecce in deserto petroso; non sunt ibi poma, non virentia prata, non arbores plenæ fructibus, non denique erat ibi alia Eva, qua posset uti, ut in primo homine. Quoniam ergo ibi aliud non reperit, inclinatus sumpsit lapides duros, quibus primo ictu ipsum percuteret: & simulata hypocrisi appropinquat, dicens: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Noverat serpens antiquus Deum posse substantiam convertere in aliam. Dic ergo: nam si Deus es, omnia dicto poteris. *Quoniam ipse dixit, & facta sunt.*

II. *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Ecce dæmon, & Pharisæi pari passu ambulant. Nam Pharisæi videntes miracula, videntes paupertatem ejus, & abjectionem, & humilitatem erubescebant fateri ipsum esse Messiam, & ita erant suspensi. Ita & dæmon, prius noverat, sed postea visa ejus infirmitate hallucinatus est, ut ait Gregorius (*d*). Ideo tentans, ait: *Si Filius Dei es.* Sponsa in Canticis: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Ecce, qui per fenestram vel cancellos prospicit, nec totus latet, nec totus apparet, ita Divinitas Christi per ipsos cancellos carnis, id est, opera, ut lumen fulgidum erumpebat per rimulas, sed necdum tota apparebat: nam ipsis linteis fragilitatis occultabat, ita alternatim, ut in cancellis. Hodie, Fratres, duos status vertunt lapides in panem. Prædicatores namque lapides reprehensionis vertunt in panem adulationis: mala conversio. Vos autem, Fratres: dicite, ut lapides duri Pœnitentiæ fiant panes. Quando enim ovanter labores & jejunia suscipitis, de lapidibus facitis panes. Sed Magnates sæculi, isti per oppositum panes convertunt in lapides: nam de panibus pauperum faciunt ampliſſimas domos. Quid dicturi sunt isti in die judicii, quando conquerentur de eis pauperes? Imo ipsi lapides eos accusabunt. Habacuc: *Quia lapis de pariete clamabit: & lignum quod inter junctura ædificiorum est, respondebit: Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus.* Ædificare civitatem in sanguinibus est de sudoribus pauperum statum suum, & domos struere.

III. *Dic ut lapides isti panes fiant.* O quam stultus iste dæmon apparet! Nonne alium cibum ipse habet spiritualem, pretiosum, quo reficiat homines? Scilicet gratiam, & inspirationes, & verbum? Nonne Moyses solo verbo reficitur per quadraginta dies? Nonne Propheta Elias similiter? Stulte, si Filius Dei est, non poterit præstare sibi, quod servo? Item o stulte! Si Filius Dei est, Deus est. Si ergo lapides converterit in panes,

Rom. 9. *Heb.* 2. *Psal.* 8. (*a*) 1. *Cor.* 1. *Zachar.* 3. (*c*) *Mat.* 4. *Psal.* 32. *Mat.* 4. (*d*) *Cant.* 2. *Habac.* 2. *Mat.* 4. *Exodi* 24. 3. *Reg.* 19.

(*a*) Vide Comment. in Matth. cap. 3. num. 1.

(*b*) Quæst. ex Novo Testamento part. 2. quæst. 9. Append. tom. 3. pag. 147. novis. edit.

(*c*) Serm. 27. num. 2. in Append. tom. 2. edit. PP. Congr. S. Mauri. *Diabolus in deserto tentationis solita arma non invenit: deest illi de Paradiso amœnitas arborum, deest illi consiliatrix Eva, deest illi pomorum speciosa deceptio, &c.*

(*d*) Moral. lib. 1. cap. 24. *Antiquus hostis Redemptorem humani generis debellatorem suum in mundum venisse cognovit, unde & per obsessum hominem in Euangelio dicitur. Quid nobis, & tibi Fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos. Qui tamen prius cum hunc passibilem cerneret, cum posse mortalia perpeti humanitatis videret; omne quod de ejus divinitate suspicatus est, ei fastu suæ superbiæ in dubium venit. Nihil quippe nisi superbum sapiens, dum esse hunc humilem conspicit, Deum esse dubitavit. Unde ad tentationum se argumenta convertit dicens: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.*

nes, numquid peccare poterit Deus, aut gulosus esse? Numquid cum Deo vis decertare? Quod si Filius Dei non est, non convertet, non ergo comedet. Stulta tentatio; sed Dominus unico verbo Scripturæ ipsum stultum esse monstravit, dicens: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Et adverte, quod non dixit dæmon, *Dic ut lapides isti* carnes *fiant*, ne proderetur ejus tentatio; sed panes; nam sine pane, quis poterit ali, vel vivere? Salomon ait: *Initium vitæ hominis, aqua & panis*. Ideo, quasi diceret: si famescis, *Dic ut lapides isti panes fiant*. Nullum periculum est, ut panes comedas; quis enim excessus potest esse in solo pane? Sed victus primo congressu, duxit illum ad pinnaculum templi. *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum Templi*. Et ait: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis ejus mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. O quam titubanter audax Satan est! Quam consequentiam habet: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum?* Si Filius Dei es, descende, & præcipita te? Imo si Filius Dei est, ascendat in cœlum, sicut apparuit, quando in cœlum est elevatus. Quis enim non faciliter posset se de turri præcipitare, si vellet? Item, quare tu impellendo non dejicis ipsum, sed rogas, ut ipse se mittat? O Fratres; agnoscite, quam debilis sit dæmon in servos Dei; non valet ipse præcipitare quemquam, sed rogat ut quisque se præcipitet: nos enim sumus, qui mortem nobis injicimus; nam dæmon non potest quemquam occidere. Ipse semper dicit: *Incurvare, ut transeamus*; sed ut palliaret tentationes, ecce tricas, ecce duplicitates. O perverse! Quoniam cœpisti, quare non dicis totam authoritatem? Reticet, quod erat contra se; scilicet, *Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem*. Quod non de capite, sed de membro intelligitur. Videns se confusum duobus congressibus præcedentibus, duxit illum in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna mundi. *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: & ostendit ei omnia regna mundi*. Et jam quasi despiciens ipsum, non addidit, *Si Filius Dei es:* sed aperte, quasi purum hominem prophano ore invitat ad se adorandum. Sed nunc expecta modicum, & experieris virtutem ejus, quem contemnis. Itaque ait illi: *Hæc omnia tibi dabo, si* procidens *adoraveris me*. O miser! Quomodo dabis? Numquid tu fecisti ea? Numquid tu creasti ea? Creatori dabis suam creaturam? Dominus patienter hactenus sustinuerat dæmonem: modo autem videns, quod tamquam cum pari contenderet, ait: *Vade Satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies:* & dimisit sic ipsum in profundum sola voce. O quam stupens, & tremens! Dum, quem magis infirmum credidit, ejus majorem sensit virtutem! Hodie, si quis blasphemus est, creditur robustus quidem & animosus, si vero Regem maledicit, castratur lingua. Tu Rex gloriæ Christe; posuit dæmon in te os suum. Ubi honos tuus?

IV. Finito certamine accesserunt Angeli, & ministrabant forti victori: nam prius, hinc erat caterva Angelorum, inde caterva dæmoniorum; & statutum erat, ut nemo juvaret. Victo ergo dæmone, & expulso cum sua caterva, Angeli accesserunt. Ecce, qui famescebat, servitur ab Angelis. Divus Bonaventura (*a*) *in meditatione de jejunio*, (*a*) ait: O piissima Virgo Dei genitrix, quam læta, & jucunda facta es, cum venit Angelus ad te, dicens: Gaude beatissima; nam Filius tuus jam victor inimicum repulit, jam cœpit magnifice agere. Et forte inde sumpsit cibum, ut Regi ministraret. O quanto fortius primo, secundus Adam de diabolo triumphavit! Bis victus fuit dæmon: nunc in deserto, postea in cruce. Ideo ait verba Esau: *Juste vocatum est nomen ejus Jacob: supplantavit enim me in altera vice*. Isaias capite nono explicuit istam victoriam, dicens: *Jugum enim oneris ejus, & virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian*. Nam Gedeon post aquarum potationem vicit, Christus post baptismum in Jordane. Et Gedeon cum lagunculis, & Christus in carne fragili, non ferro, sed fragilitate superavit in cruce.

Mat. 4. Ecclí. 29. Mat. 4. Marc. 16. Isaiæ 51. Mat. 4. Mat. 4. Gen. 27. Isaiæ 9. Judic. 7. Mat. 3. Ibid. 4. Judic. 7.

IN DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ CONCIO TERTIA.

DE TRIBUS PRÆCIPUE JUSTI CERTAMINIS CONDITIONIBUS.

Dic, ut lapides isti panes fiant.
Matth. 4. v. 3.

I. INter alias excellentias Virginis, una præcipua est, non peccasse, nec fuisse tentatam. Aliæ animæ quantumcumque Sanctæ senserunt aliquem fomitem pecca- * CONCIO XXXIV.

(*a*) Censeo aliqua hoc loco desiderari, quibus S. Bonaventuræ sententiæ hac in parte a S. Oratoris verbis distinguantur. Etenim S. Bonaventura historice tantum hoc pacto se se exprimit Medit. vitæ Christi de jejun. cap. 17. Oper. tom. 6. *Dicunt ei Angeli: Domine multum jejunastis, quid vultis ut vobis paremus: & ille: Ite ad Matrem meam charissimam, & si quid habet ad manus deferte: quia de nullis cibis sic libenter vescor sicut de suis. Tunc duo ex ipsis pergentes in momento fuerunt cum ea, & eam reverenter salutantes ambasciatam faciunt, & modicum pulmentum, quod sibi, & Joseph paraverat, & panem cum tobalia, & aliis opportunis portant, & forte Domina etiam aliquos piscículos, si potuit, procuravit. Reversi ergo, &c.* Vides porro quantum hæc differant.

peccati. Miratur Pſalmiſta: *Venite*, inquit, *& videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram auferens bella uſque ad finem terræ*. Nonne mirum, ut ait Propheta; quod in terris non ſunt bella? Richardus (*a*), *in Libro de Emmanuele*, dicit: De terra Virgine, de qua Veritas orta eſt, intelligi debet. Et hoc interim valde mirum: nam, quod una perſona humana de carne, & a ſe fuerit adeo circumſpecta, ac provida in omnibus ſuis factis, dictis, cogitationibus, ut in nullo, a rectitudine, & voluntate Dei per exceſſum, nec per defectum deviaret, nec per ignorantiam, nec per negligentiam, nec per incuriam, aut oblivionem, aut concupiſcentiam; dari, inquam, unam creaturam ſic circumſpectam, ut in omnibus ſuis operibus, omnes circumſtantias ſervaret, omnia provideret, nihil negligeret. Nonne miraculum hoc, nonne prodigium hoc? Magnum profecto prodigium es o Maria, omni admiratione digniſſima. Si quis noſcat, quam facile eſt peccare veniaaliter, quam cito incurrimus, magis miraculum. Dicente P. Auguſtino (*b*), *in Libro de vera & falſa Pœnitentia*; quod, non agere quidquid poſſumus, non caret peccato: & amare ſe, non propter Deum, aut non odiſſe, non caret peccato. Addamus inſuper ad hoc, quod, ut ait idem P. Auguſtinus (*c*): Maria non ſolum non peccavit, ſed, nec cogitavit peccare. Quid dico cogitavit? Imo nec peccatum cogitare potuit. Nullo impulſo vel leviſſimo, nulla tentatione impulſa, ad cogitandum vel minimum peccatum. Unde hoc? *Adjuvabit eam Deus*, vultu ſuo, præſentia ſua, favore ſuo circumdedit. Et ideo: *Deus in medio ejus non commovebitur*. In centro cordis fixus, non ſolum non receſſit per mortale, ſed nec tantillum mutata eſt per veniale. Nihil cogitavit, vel fecit Virgo pura, quod oculos tantæ Majeſtatis offenderet, Domino ipſo eam in omnibus dirigente. Sed dicet aliquis: Numquid non fuiſſet major gloria Virgini fuiſſe impugnatam, & viciſſe? Nam, ubi non eſt prælium, ibi non eſt victoria, & ubi non eſt victoria, nec corona eſt, nec gloria. Reſpondet Albertus Magnus (*d*) *in Libello de Laudibus Virginis*: Quando bellum ceſſat propter exceſſivam virtutem bellatoris, tunc ſupremum genus victoriæ eſt, non impugnari. Exemplum de duobus Principibus, quorum unum nemo præſumit, nec audet invadere, quia bellicoſiſſimus eſt: alterum vero præſumit, licet vincat. Exemplum etiam de duobus animalibus ferocibus, quorum unum nullus audet aggredi, & alterum impugnat, licet vincat. Sic aquila magnæ excellentiæ eſt, quia nulla avis audet eam invadere, magis quam accipiter. Sic omnino Virgo ſuper omnes excellens; quam neque dæmon auſus eſt invadere. Imo, audito ejus nomine, terretur. Cui ergo melius poſſumus dicere, *Dic ut lapides iſti panes fiant*, quam Virgini? Lapis eſt littera Scripturæ, in quam multi paſſim offendunt, ſcilicet, omnes Hæretici; dura pellis, & mortifera. Littera occidit, ſed Spiritus latens, Panis vivificat: opus eſt eodem Spiritu ad interpretandum, ut ait S. Thomas (*e*): ad ipſam igitur confugiamus, ut impetrare mereamur, &c.

Mat. 4.

1. Cor. 3.

(*e*)

AVE MARIA.

II. Narrat hiſtoria duellum ſive bella inter duos principes. S. Thomas, *Secunda ſecundæ, Quæſtione quadrageſima, Artic. primo*, tres conditiones requirit ad bellum juſtum, ſcilicet: authoritatem Principis, juſtam cauſam, intentionem rectam. Fuerunt hic tria hæc ex parte Chriſti. Primo: authoritas Principis. *Ductus eſt Jeſus a Spiritu* ſancto, qui Deus eſt. Item bellum a Chriſto Domino ſuſceptum, ſecundum formam hominis exteriorem, authorizatur a Spiritu ſancto. Exemplum Davidis, contra Goliath, authorizati a Rege Saul. P. Auguſtinus: ut daret honorem. Honoris gratia Chriſtum etiam comitatur Spiritus ſanctus. Secunda conditio. Cauſa juſta. Ad vindicandam injuriam; annullaverat diabolus opera Dei, & artem. Exemplum de pictore faciente, ſed altero deformante picturam. Pinxit Deus, ſed alteravit omnem imaginem diabolus. Sed tu Domine, *Memorare quæ mea ſubſtantia*, quia tui capacem, tui ſimilem feciſti. Tam præclarum opus perdetur? *Numquid enim vane conſtituiſti omnes Filios hominum?* Hoc dedecus tuum. Si non te movet mea perditio, moveat te honor tuus. *Memor eſto hujus: Inimicus improperavit Domino*. O quam proficuum homini, quod ſubſannando, Deum irrideat dæmon! *Exurge Deus, judica cauſam tuam:*

Mat. 4.

1. Reg. 17.

Pſal. 88.

Pſal. 73.

Pſal. 45.

Pſal. 84.

Pſal. 45.

(*a*) Richardus a S. Victore de Emman. p. 1. cap. 29. Hanc refert interpretationem Lorinus in Pſal. 45. v. 10. *Richardus S. Victoris de illa*, hoc eſt de Maria, *præſentem locum interpretatur, nimirum eſſe terram, de qua bella omnia penitus ablata ſint, & plena pax reparata*.

(*b*) Lib. de vera, & falſa Pœnit. num. 21. in Append. tom. 6. *Quidquid etiam boni facimus, ſi id melius facere poſſemus, a nobis eſt, quod in culmine boni non ſumus. Si quid boni novimus, & minus aliquo bono operamur, non omnino a noſtra operatione eſt alienum. Iſta aſſidua, & quodam modo quaſi neceſſaria, aſſidua laventur Confeſſione, aſſidua reſtaurentur contritione*.

(*c*) De Natura, & Gratia contra Pelagium cap. 36. num. 42. Ita S. Parens de Beatiſſima Virgine. *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorſus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæſtionem: unde enim ſcimus, quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum? hac ergo excepta Virgine, &c.*

(*d*) In Marial. de laud. Virg. ſuper *Miſſus eſt*, cap. 175.

(*e*) Secunda ſecundæ qu. 176. art. 2. 4. *Præterea interpretatio Sermonum videtur contineri ſub prophetia, quia Scripturæ eodem ſpiritu exponuntur, quo ſunt editæ*. Quod in Reſp. ad 4. confirmat, & explicat.

tuam: memor esto improperiorum tuorum. Exurge, præveni, provocando illum, properando in desertum. *Supplanta*, ejiciendo extra campum. *Vade Satana. Eripe animam meam:* vel ob hoc tantum, quia est creatura tua, quia est framea tua. Magnum dedecus: abstulit ab eo gladium, spoliavit framea. Quomodo anima justi fit framea Dei? Non anima, sed Deus bellat, Deus vincit, Deus facit; Zacharias: *Ponam te quasi gladium fortium & Dominus Deus super eos videbitur*. Gladius non dimicat nisi motus manu: manus, Dei gratia; gladius Dei, anima. Tertia conditio. Intentio recta. Rectus Dominus. *Deus fidelis, absque ulla iniquitate, justus & rectus*. Psalmus: *Dulcis & rectus Dominus*. Psalmus: *Quoniam rectus Dominus Deus noster*. Item finis rectus: ut hæredem restituat in regno, ad quod conditus fuerat.

III. Moris est, ut qui provocat ad duellum, decernat locum, provocatus seligat arma, Dominus elegit desertum, non paradisum. Mementote hujus, Fratres, in paradiso victi, in deserto vicimus. Locus voluptatis, locus tumuli; non est aptus ad bellum. Homo distractus fit imbecillior: nam homo in negotiis est alienatus a se, exulat a se: immemor sui facile superatur. Non exivit dæmon donec Christum vidit in campo. *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*. Dæmon elegit arma usitata: tres tentationes. *Dic, ut lapides isti panes fiant*. Tu, qui convertisti aquas in sanguinem, petram in flumina, virgam in serpentem, mulierem in statuam; non dico in gallinas, in capones, sed lapides in panes muta. Admiror stultitiam. Parentur omnia, instruantur epulæ etiam splendidissimæ, Filius Dei non eget sustentari. Noluit interim Dominus facere consilium dæmonis, licet rationabile videretur. Exemplum contra incantatores, & sagas. Et ictum hunc dæmoniacum scuto arcet inexpugnabili. Respondit igitur: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Nam, cum sit duplicis substantiæ, duplici cibo eget. Et sicut corpus attenuatur, si non pascitur suo cibo, ita & anima: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*. Panis animæ, Verbum quod procedit de ore Dei. Annotatio. Verba Dei aliquando procedunt ab ore humano ut in prædicatione, & tunc non habent plenum saporem, habet mixturam furfuris humani styli, humanæ intelligentiæ. Aliquando vero ab ore Dei, sicut in contemplatione. Job: *Ad me dictum est verbum absconditum*, id est, secretum. Bernardus (*a*): Verbum est, non sonans, sed penetrans. *Et quasi furtive suscepit auris mea*. Furtive: quia debet homo se furari, id est, a negotiis vacare. Tonum habet valde exilem ac tenuem. Si est strepitus in corde, non auditur Deus. Pacatus Spiritus audit *Venas susurri ejus*. Hic susurrat, non aperte; sed veniet tempus, quando palam loquar vobis de Patre meo. *Venas:* Gregorius (*b*): Quia aliter uni, aliter alteri, unicuique sicut illi expedit, & est dispositus. Hic panis animam satiat, in hoc vivit homo. O quam multi non curant audire verbum, comedere hunc cibum! In illis non vivit homo, sed vivit brutum. Vivit caro sola, nam Spiritus mortuus est. O mortales, qui totum tempus expenditis in curam corporis, audite: *Non in solo pane vivit homo*. Quare melioris partis vestræ oblivisceminī, & partis sempiternæ? Apostolus: *Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & has destruet*. Psalmus: *Exibit Spiritus ejus, & revertetur in terram suam*. Operamini bonum, dum tempus habemus. Provideamus nobis de cibo, in cujus fortitudine ambulemus usque ad montem æternum. Tempus breve est, a quo dependet omnis æternitas; non iterum victuri sumus, ut recuperemus, si negligenter, si vani vivimus.

IV. Secunda tentatio: *Statuit eum super pinnaculum Templi*. Cave tibi qui super pinnaculum templi statutus es. *Et dixit ei: Si Filius Dei es*. Hoc est quod te cruciat. Sed dubitas? Numquid, de eo scriptum est maligne: *Filius meus es?* Et in conflictum hunc tecum descensurus, nonne in baptismo illius Pater cœlestis, *Hic est Filius meus dilectus?* Tertia tentatio: *Assumpsit eum Diabolus in montem excelsum valde, & ostendit illi omnia regna mundi, & gloriam ejus, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Quam diligens ad perditionem nostram *circuit, quærens quem devoret*. Et nos etiam diligentes simus pro salute nostra. O, quam vili pretio hodie venales sunt animæ! Seducuntur per argentum, &c. O Fratres! Si hodie modica regna mundi, imo pedum, vel beneficium promitteret dæmon, quantos inveniret adoratores; qui pro tam levibus bonis Deum sæpius negant, nonne dæmonem adorarent? *Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei*. Agnosce duplicem naturam: Divinam cui deservit Angelus: humanam quam tentat diabolus. *Ecce Angeli accesserunt*. Quid dixerunt? *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est*, &c. Dic totum. *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus.*

IN

(*a*) In Cant. Serm. 31. num. 6. *Verbum nempe est non sonans, sed penetrans, non loquax, sed efficax, non obstrepens auribus, sed affectibus blandiens*. Allegantur hæc verba etiam Concione secunda Dominicæ 3. Adventus.

(*b*) Moral. lib. 6. cap. 16. num. 22. *Quia divinus sermo, & omnibus congruens, & a semetipso non discrepans, qualitati audientium condescendit, quem dum electus quisque, utiliter juxta modum suum intelligit, quasi acceptum manna in voluntarium saporem vertit.*

IN DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ

CONCIO QUARTA.

DE DIABOLI MULTIPLICI TENTATIONE, EJUS UTILITATIBUS, AC VINCENDI MODIS.

Ductus est Jesus a Spiritu in desertum ut tentaretur a diabolo.
Matth. 4. v. 1.

* CONCIO XXXV.

I. TRia dicemus, scilicet: de modo quo diabolus tentat, de utilitate tentationis, de modo vincendi. Job: Tentatio, inquit, *Est vita hominis super terram*. *Job 7.* Non mirum, hominem inter immensos quos patitur adversarios, in hac vita undequaque impugnari. Ecce pravum est cor hominis, & imperscrutabile. *Gen. 8.* *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt. Et corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* *Sap. 9.* Sed & dies mali sunt, *Et mundus totus in* *1. Jo. 5.* *maligno positus est*. Exteriora, interiora, inferiora, superiora, & quæ circumstant, omnia mortem minantur. *Sap. 14.* *Quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*. Si exteriora consideres, voluptates, fastus, pompas, delicias, gaudia mundi, quid procurant nisi mortem animæ tuæ? Gregorius (*a*): Tot habet justus tormenta, quot mundus habet oblectamenta, *Jer. 9.* quia omnia debet superare, ut regnet. Vide interiora: passiones animæ contrariæ sunt ipsi. Amor ligat, cupiditas cruciat, gaudium dissolvit, timor constringit, tristitia vexat, dolor urget. Sed & ipsi sensus, quid sunt nisi januæ mortis. *Quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras*. Sunt enim veluti quidam inimici mali, qui afferentes nuntiationes malas de exterioribus animam inquietant; ac per ipsos ipsa animæ lux cæcatur, & quasi per fenestras putredo & virus intrant animam, ut ipsam inficiant. Omnia ergo, quæ sunt in homine, conspiraverunt inter se, mutinaverunt contra ipsum in perditionem mortis; sunt enim tela inimici hominis, si ad inferiora te flectas. Origenes sensus pueris comparat, semper puerilia cupiunt, delectantur enim in istis transitoriis, veluti pueri in ludis: & si sit aliqua pœnitentiæ austeritas, pueriliter plorant. O misera vita hominis posita semper in pugna spiritus & carnis! *Caro enim concupiscit adversus Spiritum: Spiritus autem adversus carnem: Hæc enim sibi invicem adversantur.* *Galat. 5.* Si vincit spiritus, quas sustinet carnis tristitias, & molestias? Si vincit caro. O quot remorsus & flagella sustinet conscientiæ! Undique ergo sunt homini labores & angustiæ: sed melius ei & absque consensu incidere in tristitias carnis, quam peccare in conspectu Domini, & tormina sustinere conscientiæ. *Dan. 13.*

II. Sed præter hæc, sunt etiam contrariæ illæ potestates, illi principes tenebrarum, tanto acriores, quanto insensibiliores. Plaudi isti, & Molossi qui nituntur animam dilacerare: quomodocumque vivas, quemcumque statum eligas, quocumque te vertas, præsto est tibi tentatio, & una superata, alia nascitur. Quis umquam hominum sine tentationibus vixit? Filius Dei sine peccato conceptus, & natus, tentatus est a diabolo. Et tu in peccatis conceptus, in peccatis nutritus, non senties tentationem? Paulus Apostolus vas electionis, peragrato paradiso, lustrato cœlo, sentit aliam legem *Act. 9.* *2. Cor.* in membris suis, repugnantem legi mentis *12.* suæ, & cogitur exclamare: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* *Rom. 7.* Et tu sine tentationibus vives? Perlege Sanctorum scripta, Hieronymi, P. Augustini, Bernardi, & aliorum, & mille invenies passos fuisse tentationum procellas. Perlege historias Martyrum, Confessorum, vitas SS. Patrum, in eremo vitam cœlestem degentium, & innumeras leges dæmonum insidias, persecutiones, tribulationes, & angustias pertulisse. Et tu putas in otio & securitate degere? Gigantes degunt sub aquis, & tu pusillus pigmæus nihil procellæ senties? *Job 26.* Non credas; non consistit sanctitas, & puritas animæ, in non sentiendis tentationibus, hæc enim puritas Angelica est non humana, sed in superandis; sicut scriptum est: *Si mei non fuerint dominati*, scilicet appetitus mei, *tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo*, id est mortali; nam venialia ante consensum fiunt. Boni & mali, omnes tolerant tentationes; sed hæc differentia est, quod boni vincunt, & malis sit ad gehennam, & sic tentatio bonis est bona, & malis mala. Unde in Oratione Dominica non petimus, ne tentemur: sed, ne inducamur in tentationem, id est, ne *Mat. 6.* a tentationibus superemur. Et Paulus Apostolus: Fidelis Deus, qui non permittet vos *1. Cor.* tentari ultra quam potestis: propter quod *10.*

iterum

(*a*) Moral. lib. 7. cap. 13. num. 15. *Sancti igitur viri cum æternitatis desideriis anhelant, in tantam altitudinem vitæ se sublevant, ut audire jam, quæ mundi sunt, grave sibi, ac deprimens pondus credant.* Sed magis ad rem sunt, quæ lib. 5. Moral. cap. 1. habet idem S. Pontifex. *Sed tamen eadem prospera, quia se ab intima intentione præpediunt, ægre ferunt: & molestè præsentis vitæ blandimenta tolerant, quia per hæc se utcumque tardari in interno desiderio non ignorant. Plus enim in hoc mundo honor, quam despectio occupat, &c.* Magis ad literam accedunt, quæ habet S. Bernardus Serm. 28. de diverf. num. 4. *Quot enim corpus illecebras, quot oblectamenta mundus habere videtur; tot patitur tribulationes, tot sustinet tentationes vir justus.*

iterum Apostolus ait: *Omne gaudium existimate, Fratres mei, cum in tentationes varias incideritis*. Jacob. 1. Expectantes scilicet, ex eis magnas commoditates.

(a) III. P. Augustinus (a): Inter omnia certamina Christianorum diuturniora sunt prælia castitatis. Ibi continua pugna, & rarior victoria: in aliis siquidem toti simul resistimus; in hoc vitio statim dividimur, & pars in partem pugnat, corpus contra spiritum. Quis fortior Samsone? Quis sapientior Salomone? Quis sanctior Davide? Tria mala in hoc vitio. Primum, vilitas. *Vide Domine & considera quoniam facta sum vilis*. Thren. 1. Psalmus: *Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem: Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus*. Psal. 37. Apostolus: *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*; propterea *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis*. Rom. 1. Idem Apostolus: *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*. 1. Cor. 6. Id est, seipsum vilem facit. Secundum est tenacitas: nam firmiter hæret, & difficulter separatur. Caveant juvenes. Tertium est damnum, & destructio omnium bonorum spiritualium. Quatuor authoritates de hoc: Prima Moysis. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima*. Deut. 32. Pondera verbum: *Ardebit usque ad inferni novissima*. Ecce tenacitas. *Devorabitque terram cum germine suo*, destruet terram & nascentia ejus. Ecce damnum; est enim vitium periculosum & damnosum. Per hoc quod dicitur: *In furore meo*, datur intelligi, quod est peccatum, & frequenter pœna peccati; superbiæ scilicet. Infelix certe ægritudo, quæ tali medicina curatur. Secunda authoritas: *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis. Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum a filiis hominum*. Psal. 20. Tertia. Job: *Si deceptum est cor meum super muliere; & si ad ostium amici mei insidiatus sum: Scortum alterius sit uxor mea, & super illam incurventur alii. Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina*. Job 31. Quarta authoritas ejusdem Job: *Maledicta sit pars ejus in terra, nec ambulet per viam vinearum. Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum illius. Oblivisca-tur ejus misericordia: dulcedo illius vermes: non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum*. Ibid. 24. Propterea Psalmista Regius: *Proba*, inquit, *me Domine, & tenta me*. Sed ne de carne tentaretur, ait: *Ure renes meos, & cor meum*. Psal. 25. Domine, ure igne sancti Spiritus.

IV. Dic modo de progressu tentationis, admonitione ex Bernardo (b), ad illud Psalmi nonagesimi: *Non timebis, a timore nocturno. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano*. Psal. 90. Dices quomodo dicit Apostolus: *Non enim ignoramus cogitationes ejus*, ut manifestemus ejus astutias, his, *qui non noverunt altitudines Satanæ*. 2. Cor. 2. Modus tentationum est. Apoc. 2. Prius ponit difficultatem ad pœnitentiam, & bona opera: hic est timor nocturnus. Secundo: si non; destruit facta bona per vanam gloriam: & hoc est a sagitta volante in die. *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula*. Psal. 54. Si respuit ventum inanis gloriæ, proponuntur deliciæ & divitiæ, tamquam solida bona per hypocrisim quærenda: hoc est negotium perambulans in tenebris; quod non vult apparere quod est. Quod si omnia contemnit, transfigurat se in Angelum lucis, sub specie boni tentans. Ecce dæmon meridianus: exempli gratia, si non potest persuadere ne jejunes, persuadet, ut excedas jejunando; secundum exemplum: si non potest persuadere, ne intres religionem, post ingressum procurat, ut vadas ad eremum, ut sis frigidus, & perdas te sine consolatione. Per illos quatuor modos tentationis supra positos; scilicet: *A timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano*; quatuor dæmonis vultus agnosce, de quibus dicitur: *Super Aspidem & Basiliscum ambulabis & conculcabis Leonem & Draconem*. Psal. 9. Psal. 90. Astus Aspidis. Primo claudit aurem, ne audias incantantem sapientiam, & convertaris. *Sicut Aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantis sapienter*. Psal. 57. Si non valet hoc: interficit visu, ut Basiliscus: nam facit, ut nimis videas bona tua, & eorum visu inficiaris, dum inflaris per vanam gloriam; Basiliscus enim, ut ajunt (c): venenum in oculo gerit, pessimum animal, & præ omnibus execrabile. Si sic non valet: aggreditur ut Leo: minatur tribulationes, & damna. Non simus bestiæ, ut nos prosternat vanus ille rugitus: sic enim perhibent, qui talia curiosius vestigaverunt, ad rugitum Leonis nullam bestiam posse stare, ne eam quidem, quæ adversus ictum ejus tota animositate repugnat: & plerumque superat ferientem, quæ non sustinet rugientem.

Tan-

(a) Append. tom. 5. Serm. 293., olim Serm. de temp. 250. circa medium, ita legitur: *Inter omnia enim Christianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria. Gravem namque castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur*. In Appendicem rejectus est nunc primum a PP. Congreg. S. Mauri hic Sermo, & S. Cæsario tribuitur.

(b) Huc spectant, quæ tradit S. Bernardus Serm. 6. in Psal. *Qui habitat*, num. 1. & 2., quæ, quia prolixa, omittuntur.

(c) Opinionem hanc refert Plinius Hist. nat. lib. 29. cap. 4. *Qui hominem*, inquit, *vel si aspiciat tantum, dicitur interimere*. Alii tamen fabulosum id esse autumant.

Tandem si fortis es, intentat decipere ut Draco. Draco absconditur in arena, ut virulentis flatibus attrahat animam, insufflans ei quodammodo concupiscentiam terrenarum. Nonnumquam ergo prius ut Leo: & cum non potest marte, facit se Draconem, ut vincat arte aliqua. Interdum vero per oppositum: prius ut Draco tentat decipere, & si proditur ejus astutia, tunc ut Leo aperte invadit.

V. Quis enumerare sufficiat omnes utilitates, quas consequuntur justi ex tentationibus? Sufficiat ex omnibus sex tangere in speciali. Prima: tentatur a Deo justus in probam dilectionis. De quo dicitur: *Tentat*
Deut.13. *vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.* Sed contra. Deus neminem tentat: *Nemo cum tentatur, dicat quo-*
Jacob.1. *niam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse enim neminem tentat.* Solutio: *Deus intentator malorum est*, id est: non tentat ad malum. Secunda: tentatur justus ad salutem suam. De quo dicitur: *Ego*
Isaiæ 45. *Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* Ut major sit pax, facit bellum tentationis. Tertia est; quod tentatio nos erudit, & humiliat nos, ut cognoscamus quid sumus, quid possumus: *Domine probasti me & cogno-*
Ps. 138. *visti me*, id est, cognoscere fecisti me. Sæpius enim cor nostrum decipit nos: sicut Petrum, qui dicebat: paratus sum tecum sive
Lucæ 22. in mortem, sive in vitam ire, & ad vocem
Marc.14. unius puellæ negavit ipsum. Sic etiam videtur nobis, quod grandia pro amore Dei faceremus, & pateremur, & levissima tentatione superati deficimus. Sæpe etiam gloriamur, quasi jam simus a vitiis purgati: sed data levi occasione, sentimus viperas concupiscentias nostras caput extulisse, & humiliamur. Unde Dominus: cum multos populos, & Reges Israelis subjugasset, voluit ut inter illos maneret Jebusæus: ut sic erudiret
Josue 15. (a) in Jebusæo Israelem. Sicut ait Gregorius (a); In justis, magnis vitiis, & peccatis superatis, divina gratia permittit Dominus, ut maneat aliqua fragilitas, quæ eos tentet, & vexet, ut sic erudiantur, quia, non propriis viribus majora vicerunt, & exercitati humilientur; sed manet Jebusæus & tributarius (b). Bernardus (c). Quarta utilitas est, Josue 16. (b) quod tentatio excitat nos a somno torporis, (c) & negligentiæ, & nos animat, vivificat, & facit recurrere ad Deum. Christus dormiebat in navicula, sed orta tempestate, excitatus est a discipulis clamantibus: *Domine* Mat. 8. *salva nos, perimus!* Sic sæpius in pace dormit Christus in corde, & in otio; sed orta tribulationis tempestate, excitamus eum in nobis, clamoribus & rationibus, petentes auxilium. Unde cum quidam monachus (d) (d) gravi carnis aculeo urgeretur, & alius senex misericordia motus dixisset ei, an vellet, ut oraret pro eo Dominum, ut auferetur tentatio, ait: Non Pater: hæc enim tentatio multum mihi prodest; nam, facit me vigilare, plorare coram Deo, & recurrere continuo ad ejus auxilium, & postulare favorem: & hac sublata, forsitan dormirem. Quinta utilitas est odium hujus vitæ, & desiderium cœlestis patriæ; amaritudo enim tentationum, & continua afflictio præsentium calamitatum, & adversitatum, quasi parvulos ablactat nos, & separat nos ab amo- Isaiæ 28. re hujus mundi, & cogit desiderare pacem, & quietem cœlestis patriæ. Nam, si tot tentationibus pressi, & tribulationibus fatigati, miseram hanc vitam tam perdite amamus, & nolumus avelli ab ea; quid esset, si in deliciis & prosperitatibus degeremus? Unde Propheta hujusmodi tentationibus, quasi pondere catenarum pressus clamabat ad Dominum: *Educ de* carcere Deus *animam meam,* Ps. 141. *ad confitendum nomini tuo: ad lætandum in* Ps. 105. *lætitia gentis tuæ.* Sexta utilitas tentationum est magnum præmium, & corona coram Domino ex earum victoria. Unde Bernardus (e): Tu solummodo ne consentias, & (e) quoties restiteris, toties coronaberis. Ambrosius (f): Tolle pugnam, & non erit vi- (f) ctoria, tolle victoriam, & non erit corona.

(a) Pluries sententiam hujusmodi tradit S. Gregorius. Ita vero loquitur Moral. lib. 2. cap. 52. num. 83. *Unde, ut sæpe jam diximus, pia Conditoris dispensatione agitur, ut de se confidens anima, dispensatoria tentatione pulsetur; quatenus infirmata, quid sit inveniat, & præsumptionis propriæ fastum deponat.* Et lib. 9. Moral. cap. 56. num. 85. *Sed superna dispensatio idcirco nos tota sibi intentione servientes, carnis nostræ permittit impugnationibus concuti, ne mens nostra in superbiam audeat præsumptione suæ securitatis elevari: ut dum pulsata trepidat, in solo Auctoris adjutorio, spei pedem robustius figat.* Vide etiam lib. 3. Dialog. cap. 14. in fine.

(b) S. Bernardus Serm. 58. in Cant. num. 10. *Velis, nolis, intra fines tuos habitat Jebusæus: subjugari potest, sed non exterminari.*

(c) Serm. 5. in Quadrag. num. 4. *Hoc erat certe, quod quærebat Deus, hoc erat, ad quod nos perducere satagebat, ut videntes defectum nostrum, & quod non est nobis auxilium aliquod, ad ejus misericordiam tota humilitate recurramus.*

(d) Narratur in Vitis Patrum lib. 3. num. 8. apud Rosweydum.

(e) Forte respicit ad ea, quæ in Meditationibus, olim S. Bernardo adscriptis, & tom. 3. a Mabillonio insertis, leguntur cap. 12. *Dæmonum officium est suggestiones malas ingerere, nostrum est illis non consentire. Nam quoties resistimus, Diabolum superamus, Angelos lætificamus, Deum honorificamus. Ipse enim nos hortatur, ut pugnemus, adjuvat, ut vincamus: certantes in bello spectat, deficientes sublevat, vincentes coronat.* Aut ad ea, quæ in Opusc. *de Interiori Domo*, eodem tom. 3. cap. 8. ita habentur. *Resistat anima mea ergo, ne moriatur, pugnet, ut coronetur. Molestia est lucta, sed fructuosa; quia si habet pœnam, habebit & coronam. Non nocet sensus, ubi non est consensus: immo quod resistentem fatigat, vincentem coronat.*

(f) Expos. Euang. sec. Luc. lib. 4. num. 41. & 42. *Ergo qui vult coronam dare, tentationes suggerit. Et si quando tentaberis, cognosce, quia paratur corona. Tolle Martyrum certamina, tulisti coronas: tolle cruciatus, tulisti beatitudines. Nonne tentatio Joseph virtutis est consecratio? Nonne injuria carceris corona est castitatis?*

na. Nonne legimus, quia *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud?* In Vitis Patrum (*a*) legitur, quod quidam monachus vidit nocte septem coronas fulgidas, super cellam alterius monachi, & mane contestans illum, quid illa nocte feciſſet, respondit: se nihil egiſſe, niſi quod ſepties diabolus eum tentaſſet ut exiret e cella, & ſepties reſtitiſſet, Domino adjuvante. Has & multas alias utilitates nobis adferunt tentationes, ſi vincimus.

Mat. 11.

(*a*)

VI. Sed non ſunt a nobis propter hoc, aut petendæ, aut procurandæ, aut optandæ tentationes; nam, *Qui amat periculum, in illo peribit*. Hæc temeritas, & ſtolidi audacia eſt: ſufficit vincere viriliter, quæ nobis occurrunt. Nam, & Dominus cum eſſet Filius Dei, & peccare non poſſet, non ipſe obtulit ſe tentari; ſed ductus eſt a Spiritu ſancto: præbens in hoc nobis exemplum; primo: ne offeramus nos tentationi; ſecundo: ut cum veniunt, non in noſtris viribus, ſed in Spiritus ſancti patrocinio confidamus. Spiritus enim adjuvat infirmitatem noſtram ad certamen; & qui ſine iſto patrono exit in campum cum diabolo, facile ſuperatur. Et non ſolum adjuvat, ut reſiſtamus, ſed etiam omnes inſidias dæmonum aperit, & manifeſtat, ut eas caveamus. Alias, ſine iſto adjutorio, quis cum tam feroci leone, & atroci dracone congredi poſſet? *Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei*. Quod ſi Dominus non ſtatim audit, expectandus eſt, & patienter ſuſtinenda eſt tentatio. Pſalmus: *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: Et nocte, & non ad inſipientiam mihi*. Si non exaudis, non ideo ad inſipientiam, ſed ad intellectum. Ut inſtruas, non exaudis. Job: *Ingruente bello, memento belli, nec ultra addas loqui*. Gregorius (*b*) ibi: Si occulti hoſtis contra te bellum conſideras, quidquid a Deo pateris, non accuſas. Si impetentem te adverſarii gladium proſpicis, flagellum Patris nullatenus perhorreſcis. Vides enim, quali flagello te ferit, ſed intueri negligis, a quanto te hoſte flagellando liberum ſervat. *Memento ergo belli, nec ultra addas loqui*. Id eſt: tanto te ad diſciplinam Patris exhibe tacitum, quanto te proſpicis ad bella hoſtis infirmum. Dum ergo Deo corripiente percuteris, ut æquanimiter feras, hoſtem tuum ad memoriam revoca, & durum non æſtimes omne, quod pateris, dum externis cruciatibus ab interna paſſione liberaris. Sed, quis ſcit, an tentatur ut probetur, aut derelinquatur? Neſcit homo, an probationis vel indignationis ſignum eſt tentatio. Premit enim ſubinde flagello, ne decipiant vitia, premit tentationibus, ne virtutes levent, ac ſuperbiant. Job: *Qui fecit ventis pondus*. Subinde derelinquit uſquequaque. Pſalmiſta: *Proba me Domine, & tenta me. Sed non me derelinquas uſquequaque*. Judas derelictus uſquequaque, cum dicitur: *Quod facis, fac citius*. Tentatio oratione maxime vincitur, non rationis aut conſilii virtute. Quid confidis in baculo arundineo? Iſaias: *Confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum*.

Eccli. 3.

Mat. 4.

Job 41.

Pſal. 21.

Job 40.

Ibid. 28.

Pſal. 25. *Pſ.* 118.

Iſaiæ 36.

VII. Sed ex noſtro quid ponere debemus attendite. Videte in Duce veſtro, quibus armis pugnare debeatis. Quatuor armis uſus eſt Chriſtus. Scilicet: Solitudine, Jejunio, Scriptura, & Oratione. Et ingreſſus eſt in campum ut doceret *manus noſtras ad prælium, & digitos noſtros ad bellum*. His etiam nobis utendum, ut vincamus. Primo Solitudine. *Fuge*, inquit in Canticis, *Dilecte mi*. Fuge occaſiones, fuge malas ſocietates, fuge vanas occupationes: hæc militem Chriſtianum enervant ad pugnam; diſtractus & occupatus non præcavet. Solitudo multum juvat: nam occupati negotiis, inter tumultus inquietudinum, non ſentiunt damna nec vulnera. Sæpius transfixi ſunt lancea & non intelligunt. Alienati ab ipſis qui recolligunt ſe, & ſeparant ſe a tumultu in oratorio, & examinant conſcientiam ſuam, & vident vulnera, & præcavent incurſus dæmoniorum, & provident ſibi. Exemplum latronum, qui inter tumultus locum habent ſpoliandi domum. Sed, qui eſt in ſilentio & quiete ſolicite præcavet: ſtatim enim percipit vel minimum ſtrepitum, & fugat rapere parantem. Sic, qui in quiete & ſolitudine ſolicitus eſt, ſtatim ſentit malam cogitationem, malum deſiderium, & præcipitat illud a corde. Et in hoc præcipuum emolumentum certaminis eſt, ut ſtatim pellantur cogitationes malæ. Principiis obſta. Pſalmus: *Beatus qui tenebit & allidet parvulos ſuos ad petram*; nam ſi non ſtatim jugulantur, de parvulis ſtatim fiunt gigantes, & cum magna violentia non poſſunt expelli. Secundo: Jejunio. Jejunium multum juvat. Apoſtolus: *Cum infirmor tunc potens ſum*. Eccleſia: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia*. Duo itaque facit jejunium, dupliciter juvat: non enim ſolum exarmat inimicum, & comprimit appetitus, ſed & nobis confert & tribuit virtutem. Dominus: *Hoc genus dæmoniorum, non ejicitur niſi per orationem & jejunium*. Et ſcriptum eſt in Job: *Halitus ejus prunas ardeſcere facit*. Sed, ſi prunæ ſunt mortuæ jejunio, nullo flatu poteſt eas dæmon excitare. Si ſunt vivæ, ſtatim ardent modico flatu. Tertio: Lectione Scripturæ. In hac omnis defenſio. In Canticis: *Mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium*, ſcilicet: documentorum & exemplorum contra omnia vitia & irritamenta

Pſ. 136.

2. *Cor.* 12.

Mat. 17.

Job 41.

Cant. 4.

(*a*) Exſtat Hiſtoria apud Roſweydum in Vit. Patrum lib. 5. libell. 7. num. 43.

(*b*) Moral. lib. 33. cap. 19. Ejus ſunt verba, paucis immutatis, uſque ad illa: *ab interna paſſione liberaris*.

menta diaboli. Psalmus: *In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi.* Ps. 118. Apostolus: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere:* Ephes. 6. multum prodest lectio sancta, & dat vigorem militi. E contrario, lectio mala dat arma dæmoni. Dic late contra libros vanitatis (*a*), quos legunt passim domicellæ, non solum juvenes. Quarto: oratione. Accurrere ad Dominum. Quis speravit in eo & confusus est? Attende promissionem: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum. Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.* Eccl. 2. Psal. 19.

(*a*)

IN DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ

CONCIO QUINTA.

QUINQUE DOCUMENTA DUCE CHRISTO, IN TENTATIONIBUS, MILITI CHRISTIANO IMITANDA.

Tunc ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Matth. 4. v. 1.

CONCIO XXXVI.

I. Dic primo historiam. Secundo de tentatione nostra. Ex verbis thematis, quinque documenta eliciuntur. Magna, & præclara lectio, & utilissima ad nostram eruditionem, & quotidie nobis necessaria; ut ait P. Augustinus (*b*) *in quarto de Trinitate.* Una ex præcipuis causis propter quas Dominus voluit tentari, fuit ad nostram eruditionem. Voluit tentari Imperator, ut miles disceret vincere. Unde: Psalmus: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Quatuor documenta elicimus ex hac lectione. Primum: quod omnis servus Dei paratus sit ad tentationem; juxta illud: *Fili accedens ad servitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem.* Et Apostolus: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* A mundo, & a diabolo. A mundo sub-

(*b*) Ps. 143. Eccli. 2. 2. Tim. 3.

A sannante, & deridente, quia non conformatur amico. Unde Dominus: si de mundo essetis, mundus, quod suum est, diligeret; nunc autem mundus vos odit, quia non estis de mundo. A dæmone: quia quanto aliquis est melior, tanto magis diabolus nititur, eum subvertere. Non curat multum diabolus tentare mundanos, quos captivos tenet ad suam voluntatem. Ad quid tentare debet eos, qui sponte currunt post suos appetitus, & concupiscentias, ad omnem iniquitatem? Non est opus tentatione: sed, si quis fortis est in servitio Dei, illum fortiter aggreditur. Unde Job: *Absorbebit fluvium, & non mirabitur: & habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus.* Et Propheta: Omnis esca ejus electa: unde, ut ait Bernardus (*c*): Sicut Pharao, quando Filii Israel voluerunt exire, tunc aggravavit jugum eorum, & eos magis operibus affligebat; ita dæmon, quando aliquem habet sub sua potestate non molestat multum, sed quando vult exire, servire Deo, tunc ipsum maxime opprimit, tunc offert mille illi occasiones, & impedimenta, ut detineat ipsum. Hoc documentum elicitur ex illo verbo *Tunc*; id est, immediate post baptismum, *ductus est Jesus, ut tentaretur a diabolo*, ut sciat omnis qui adscriptus militiæ Christi per Baptismum, quod statim illi parata est tentatio.

B

C

Jo. 15. Job 40. Habac. 1. (*c*) Exodi 5. Mat. 4.

II. Secundum documentum est: quod non debemus nos offerre tentationibus, sed fugere illas quantum possumus: nam, licet tentationes aliquando sint utiles, ut dicemus: tamen magna superbia est seipsum offerre tentationi. Ignorat homo fragilitatem suam, qui tentationem quærit. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Et Apostolus: *Nolite locum dare diabolo.* Et alibi: *Fugite fornicationem.* Unde P. Augustinus (*d*), *in libro de Honestate mulierum:* loquens de aliquibus, qui quærunt familiaritates cum mulieribus, & dicunt: volo habere quod vincam. Imo, inquit: vis habere quo pereas. Bernardus (*e*): Quis sanctior David? Quis sapientior Salomone? Quis fortior Samsone? P. Augustinus (*f*): diabolus in paradiso ubi erat mulier vicit, in deserto ubi non erat mulier victus est. Hieronymus (*g*): Periculosum est cum vivo serpente dormire, quia

D

Eccli. 3. Ephes. 4. 1. Cor. 6. (*d*) (*e*) Gen. 3. (*f*) Mat. 4. (*g*)

(*a*) Fabulas Romanenses, puto, intelligit, quæ adolescentulis in deliciis esse consueverunt.

(*b*) Lib. 4. de Trin. cap. 13. num. 17. *Cui se ipse quoque tentandum præbuit, ut ad superandas etiam tentationes ejus mediator esset, non solum per adjutorium, verum etiam per exemplum.*

(*c*) De Convers. ad Clericos cap. 11. num. 22. *Hinc nimirum est illud, quod quotidianis discimus experimentis, eos qui converti deliberant, tentari acrius a concupiscentia carnis, & urgeri gravius in operibus luti, & lateris, qui Ægyptum egredi, & Pharaonis imperium effugere moliuntur.* Idipsum S. Bernardus notat Serm. 4. in Assumpt. B. V. M. num. 3. *Solet nempe inter primordia conversionis acrius insurgere tentatio pravæ consuetudinis, & vix extingui possunt jacula ignita Diaboli.*

(*d*) Liber de Honestate mulierum, quem allegat S. noster, non est nisi Sermo de incauta familiaritate extranearum mulierum, a PP. Congreg. S. Mauri in Append. tom. 5. collocatus sub num. 293. Olim tom. 10. inter Sermones de Tempore locum habuit num. 250. Ita porro cap. 2. legimus: *Ego inter mulieres extraneas habito, & continentiam teneo, & volo habere, quod vincam. Quid est hoc dicere, volo habere, quod vincam, nisi volo habere, quomodo peream?*

(*e*) Epist. 1. ad Robert. num. 4.

(*f*) Serm. 147. de Quadrag., 8. ex rejectis in Append. tom. 5. edit. PP. Congreg. S. Mauri. Olim Serm. 77. de Tempore. *Videte rem miram: in Paradiso cum Adam Diabolus decertat, in deserto cum Christo Diabolus dimicat, ubique insidiatur homini, ubique congreditur. Sed ubi mulierem invenit, vincit, ubi mulierem non invenit, victus abscedit.*

(*g*) Adversus Vigilantium circa fin. *Nulla securitas est*

etsi non mordeat, tamen sollicitat. Salomon: *Numquid potest homo abscondere ignem* Prov. 6. *in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic, qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam.* Hæc omnia dixi, ut agnoscant, quam periculosum sit, & temerarium se offerre tentationibus, & maxime carnis. Unde Propheta: *Quis miserebitur incantatori,* Eccli. 12. *a serpente percusso, & omnibus, qui appropinquant bestiis?* Sic ille qui se obtulit tentationi, si perit. Et non solum tentationes carnis, sed omnes alias debet homo fugere. Unde dicebat Dominus: Si oculus tuus dexter, aut manus, aut pes scandalizat te, erue Mat. 5. eum & projice abs te. Et in alio loco: Si Ibid. 18. persecuti vos fuerint in una civitate fugite Ibid. 10. ad aliam. Dans nobis doctrinam, ut fugiamus quantum possumus tentationes, & occasiones tentationum, ne sint nobis in ruinam. Hoc documentum elicitur ex illo, Ibid. 4. *Ductus est Jesus.* Non ipse se obtulit, sed ductus est a Spiritu sancto.

III. Tertium documentum est: quod, licet nos non debeamus quærere tentationes, si tamen occurrant, debemus eas viriliter, & animose vincere. Non debemus deficere, non diffidere, si tentamur. Ecce Filius Dei Unigenitus tentatus est, & tu in peccatis natus miraris, si tentaris? Paulus post deambulatum cœlum sensit aliam legem in 2. Cor. 12. membris suis, & tentatur stimulo Satanæ, Rom. 7. & tu non vis tentari? Quis Sanctorum non 2. Cor. 12. magnas in hac vita sensit tentationes? Lege Hieronymum, P. Augustinum, Bernardum, Gregorium, & vide, quid dicant de seipsis, quot tentationes passi sunt. Non consistit puritas animæ in non sentiendis tentationibus; nam hæc puritas Angelica est, non humana: sed in non consentiendo illis. Unde Psalmus: *Si mei non fuerint dominati,* Psal. 18. scilicet mei appetitus, *tunc immaculatus ero.* Non ergo ideo te jam damnatum putes, quia magnas pateris tentationes; non est hæc differentia justorum, & peccatorum, quod isti sentiant tentationes, & non illi; sed quod illi generose vincunt, & isti viliſſime superantur, & subsunt quasi mancipia. P. Au- (a) gustinus (a): Idem ignis ex quo aurum rutilat, & palea fumat: qualis quisque est, ignis 1. Cor. 3. probabit. Tentatio monstrat hominem: in Apoc. 22. tentatione justus justificatur adhuc, & qui in sordidus est, sordescit adhuc. O quam multas utilitates adducit justis tentatio! Non sufficeremus uno integro sermone exponere. Primo: in tentatione justus manifestatur.

A Nescimus quanta virtus esset in Job, nisi fuisset tentatus. Nec fides Abrahæ nota fuisset, si non esset probatus. Secundo: in tentatione homo humiliatur. Petrus non agnovisset suam infirmitatem, nisi esset probatus. Tertio: tentatio facit hominem recurrere ad Deum. Psalmus: Tentationem, *Et dolorem inveni, & nomen Domini invocavi.* Quarto: tentatio hominem exercet in virtutibus. Tolle tentationem, ubi erit manſuetudo, patientia, fortitudo, constantia, perseverantia, humilitas, & multæ aliæ virtutes, quæ in sola tentatione clarescunt? Valet ergo ad exB citium virtutum. Quinto: valet ad augmentum meritorum. O quam claros facit Martyres persecutio, & Sanctos Confessores tentatio! Quales coronas obtinuerunt? Pro quanto nollent modo illam non sustinuisse? *Lætati sumus,* inquiunt, *pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Vides quanta bona adducit tentatio? Et tu fatigaris, si tentaris? Noli ergo fatigari, & deficere; *Sed exspecta Dominum, viriliter age: confortetur cor tuum,* C *& sustine Dominum.* Et quo gravior tentatio, tanto magis confortare, tanto magis invalesce. Honorat te Dominus, qui te sic examinat. Magnam tibi promittit coronam. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione* 1. Cor. 10. *proventum.* Hoc documentum elicitur ex illo verbo thematis: *Ductus est Jesus.* Mira res; Mat. 4. scilicet, Spiritus sanctus Christum exposuit, & objecit diabolo, ut tentaretur. Sicut exposuit Filium naturalem, sic quotidie objicit, & exponit filios adoptivos. Si non esset hæc magna utilitas non objiceret. Attendite Fratres: Deus non habet tentare servos suos de acedia, de luxuria, de superbia, D quia *Deus intentator malorum est.* Non competit hoc Divinæ Majestati. Similiter nec Jacob. 1. Angelus bonus habet de hoc tentare. Quomodo ergo probabuntur? Quomodo vincent? Objicit eos diabolo, ut tentet, & illustret eos. O magnus servus Dei diabolus! Quantum servit invitus, quantum prodest! Sic in Job dicitur: *Numquid accipies eum servum* Job 40. *sempiternum?* O quantum servivit, quantum profuit servis Dei diabolus, nolens & invitus! O Deum potentissimum, qui per tam malum ministrum tanta bona operaris!

E IV. Quartum documentum est: ut non præsumamus de nostris viribus, & ingenio vincere diabolum; nam, *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Sed habe- Ibid. 41. mus Patronum Deum, & Spiritum sanctum.

Pro-

---

est vicino serpente dormire. Potest fieri, ut me non mordeat, tamen potest fieri, ut aliquando me mordeat. Et Epist. 17. ad Eustoch. *Nemo inter serpentes, & scorpiones securus ingreditur.* Et Epist. 98. ad Gaudentium. *Uteris balneis, cute nitida, rubicundis genis incedis, carnibus vesceris, affluis divitiis, pretiosa veste circumdaris, & juxta serpentem mortiferum secure dormire te credis?* Hoc quoque S. Bernardus habet Epist. 241. *Non est tutum vicino serpente somnum capere.*

(a) In Psal. 21. Enarr. 2. num. 5. *Ibi est aurum, ibi est palea, ibi ignis in angusto operatur. Ignis ille non est diversus, & diversa agit, paleam in cinerem vertit, auro sordes tollit. In quibus autem habitat Deus, utique in tribulatione meliores fiunt, tanquam aurum probati.* Et in Psal. 29. Enarr. 2. num. 9. *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit, ignis tribulationis, & tentationis.*

Propter hoc non dicitur: descendit Jesus, sed *ductus est a Spiritu*. Hoc est magnum & *Mat. 4.* præcipuum documentum. Fratres, in tentationibus non confidamus nostro ingenio: non excurramus ad nos; nam hoc est inniti in baculo arundineo, qui fractus transfigit manum: sed recurramus ad Deum, clamemus ad ipsum, in illo sit tota nostra fiducia. *Isaiæ 38. Sicut pullus*, ait Propheta, *hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba. Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum. Domine vim patior, responde pro me.* Psalmus: *Ps. 120. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino.* Fratres, novit Dominus figmentum nostrum, novit quod in comparatione dæmonis sumus sicut parvuli ad gigantem. Propter quid ergo damnat si vincimur? Quia non clamamus, quia non quæsivimus adjutorium de cœlo. Unde in die judicii dicetur de impio: *Ecce Psal. 51. homo qui non posuit Deum adjutorem suum, 1. Tim. 6. sed speravit in incerto divitiarum*; id est: viribus, & virtutibus suis. Hoc ergo maximum, & præcipuum consilium est, ut statim ad Dominum recurramus; nam, *Qui Psal. 90. habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Psal. 26. Dei cœli commorabitur*. Et iterum: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Dum appropiant super me nocentes. Si consistant adversum me castra, si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Videte, Fratres, Ducem nostrum fortissimum, quibus armis vicit: nam eisdem nos vincere debemus. Vicit jejunio, vicit solitudine, pœnitentia, asperitate, lacrymis, orationibus, clamoribus, & sacris eloquiis. His armis, nos armare debemus contra dæmonem: Non solum jejunio, sed comitetur jejunium solitudo, asperitas, pœnitentia, lacrymæ, orationes, lectio sancta. Quid prodest jejunare & ludere? Gaudere, venari, & græ- (a) cari (a)? *Isaiæ 58. Ecce in die jejunii vestri, invenitur voluntas vestra.* Sit itaque jejunium, non solum os a cibis, sed cor a vanis cogitationibus, lingua a verbis superfluis, auditus a murmurationibus, manus a malis operibus, pes a malis gressibus, oculus a curiosis visionibus, caro a deliciis, anima a gaudiis: & erit gratum jejunium nostrum.

V. Quintum documentum est: ut quamdiu sumus in hac vita, in hoc deserto semper meminerimus, quod sumus in campo parati ad conflictum. Job: *Job 7. Militia est vita hominis super terram.* Quid conquerimur, si veniunt conflictus, tentationes, persecutiones? Scientes, quia ad hoc positi sumus in campo? Conqueratur miles quod habeat continuos timores, & invasiones; de frigore, & labore, & vigilia, quid ei respondebitur? Noli conqueri Frater; hæc est conditio bel-

li. Sic nos ad hoc positi sumus; ut conquiramus Regnum æternum, & coronam sempiternam, laboribus, tentationibus, sudoribus. Nam, *Regnum cœlorum vim patitur.* *Mat. 11.* Sive vir, sive fœmina, sive juvenis, sive senex, *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Non ingredientur regnum Dei, de- *2. Tim. 2.* sides, otiosi, stertentes, pupuli (b), pigri; (b) sed qui extreme pugnaverint. Pugnemus fortiter modico isto tempore, ut finito certamine, etiam Angeli veniant, & gratulentur nobiscum de victoria, sicut cum Filio *Mat. 4.* Dei. O quantus triumphus, & festivitas fit in cœlesti Jerusalem, quoties una anima intrat a sæculo! Quomodo veniunt ei obviam Angeli, & Archangeli, & introducunt eam, & præsentant cum summo honore Domino majestatis! Unde Propheta: *Et super excelsa* *Habac. 3.* *mea deducet me victor in Psalmis canentem:* unde Dominus in Apocalypsi: *Qui vicerit,* *Apoc. 3.* *dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.* Sic enim ipse a Patre petiit dicens: Volo *Jo. 17.* Pater, ut ubi ego sum, ibi sit & minister meus; scilicet, tecum, in illa gloria sempiterna, ad quam nos perducat ipse Jesus. Amen.

IN DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ CONCIO SEXTA.

DE TENTATIONE NOSTRA.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incursu, & dæmonio meridiano.
Psal. 90. v. 5. & 6.

I. NOn modica consolatio nostra est Fratres charissimi: quod Dominus Jesus Christus Salvator noster tentari voluit. Si enim ipse, cum esset Filius Dei, & Deus verus, sine omni labe peccati, tentari & induci ad peccatum per diabolum se permisit; nos in peccatis concepti, in peccatis nati, in peccatis versati; quid mirabimur, aut indigne feremus, si tentationes patimur? Si illum tam purum, & tam sanctum aggredi ausus est dæmon: nos vermes & pulices terræ, quare non aggredietur? Quis unquam Sanctorum sine tentationibus vixit? Paulus ille vas electionis, *Act. 9.* per quem Dominus universum mundum ad fidem, & agnitionem suam convertit: post *2. Cor. 12.* gloriam Domini perlustratam, post paradisum circumgiratum, post penetratos & calcatos cœlos, sentit aliam legem in membris *Rom. 7.* suis

CONCIO XXXVII.

(a) Hoc est conviviis, & libidinibus dare operam. Desumptum est vocabulum a Græcorum moribus, qui liberius in conviviis se habere consueverant. Horat. 2. lib. Satyr. 3. *vel si Romana fatiget militia assuetum græcari.*

(b) Idest delicatuli, puerulis comparandi, qui nec laborem, nec incommoda sustinent.

suis repugnantem legi mentis suæ: & durissimo illo tyranno pressus, cogitur exclamare: *Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et tu pulex terræ, & vilis ranuncula, indignaris & molestе fers, si aliqua carnis tentatione pulsaris? Nunquid tu melior aut sanctior Paulo? Perlege si vis, omnium Sanctorum libros, Hieronymi, P. Augustini, Gregorii, Bernardi, & aliorum omnium, & miras invenies passos tentationum procellas, quas non valentes a suis cordibus propulsare, cum Propheta clamare coacti sunt: *Salvum me fac Deus: Quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Siquidem: *Gigantes gemunt sub aquis* inundantium tentationum pondere pressi, isti sic agitantur, sic premuntur, & tu in pace & tranquillitate otiosam & quietam vitam duces?

Psal.68. *Job 26.*

II. Non consistit perfectio & puritas animæ in non sentiendis perferendisque concupiscentiis, pravis inclinationibus, & stimulis peccatorum; hæc enim puritas Angelica est, non humana. Post corruptam & infectam nostræ naturæ massam, post illam Dominі maledictionem, qua dictum est Adæ: *Maledicta terra in opere tuo: Spinas, & tribulos germinabit tibi;* impossibile est homini non pati stimulos, & concupiscentias peccatorum. Unde Job: *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem: Quanto magis qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea*, id est, concupiscentia, quæ de carne nascitur, & ipsam corrodit. Hæc ergo puritas in Angelis, non in hominibus perquirenda est: sed puritas humana in vincendis, superandisque peccatorum passionibus invenitur. Unde Psalmus: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo:* & Apostolus, post illam de lege membrorum querimoniam, ne quis in illa esse noxam & crimen existimaret, adjungit: *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant;* etiamsi carnem sentiant: nam, non sentire carnem in carne, impossibile est. Ne succenseas igitur, ne confundaris, aut paveas, si tentationibus exagitaris, si titillante concupiscentia pulsaris; neque idcirco te jam damnatum, aut a Deo derelictum, & contemptum putes: non enim hæc est differentia inter probos, & impios; sanctos, & malos; perfectos, & imperfectos, quod hi sentiunt peccatorum stimulos, & non illi; nam utrique sentiunt, utrique perferunt: sed quod illi domitis passionibus, subjectis appetitibus, sopitis, & emortuis jejunio, & oratione concupiscentiis, sui cordis, & corporis motibus dominantur, & liberi sunt: hi vero a furentibus passionibus & appetitibus superati, miseram & captivam sub peccato sustinent servitutem. Est enim in eis passio fortis, & resistentia nulla, juxta illud Prophetæ: *Fortitudo vestra ut favilla stuppæ, & opus vestrum quasi scintilla: Et succendetur utrumque simul, & non erit qui extinguat.* Itaque militi Christiano, quamdiu in hoc carnis tabernaculo est, tentationes deesse non possunt: quocumque te vertas, quocumque vadas, quomodocumque vivas, sine tentationibus esse non poteris, sed una superata, alia fortior orietur; & illa devicta expectabis aliam: neque dabitur tibi locus, ut glutias salivam tuam; si quidem, ut ait Job: *Militia est vita hominis super terram.*

Gen. 3. *Job 4.* *Rom. 8.* *Psal.18.*

Isaiæ 1. *Job 7.* *Ibidem.*

III. Non ergo turberis, non dejiciaris, sed confortare & esto robustus: sciens, quia in hoc positus es. Nam Regnum cœlorum a diebus Joannis, *vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Vi armorum superandum & possidendum est: nullus adultus militiæ capax, sine vi introibit in illud. Hujus militiæ omnes viri, mulieres, virgines, pueri, puellæ, anus, & senes milites sumus: & Apostolica illa tuba resonat in castris. *Non* coronabitur *nisi* qui *legitime certaverit.* Videat quisque quomodo decertat; nam pusillanimes, & timidi, desides, & ignavi Regnum Dei non possidebunt. O Christi miles! Regnum, non terræ, sed cœli, non temporale, sed perpetuum, tibi hac pugna conquirendum proponitur, & de pugna conquereris? Pugna momentanea, & perpetua corona: & affligeris? Momentum certaminis tibi datum est ad perpetuam & æternam gloriam consequendam, & illud sine pugna, & molestia transigere cupis? Tu esto judex, ipsemet judica, quam rationabilis & justa sit tua querimonia. Si omnes annos Mathusalem victurus esses, & omnes mundi molestias solus passurus: numquid condignæ essent omnes illæ passiones ad futuram gloriam? Et modo ais: multum est quod patior, grave est quod sustineo. Considera retributionem, & videbis quam nihil est. Unum tantum tibi denuntiat sapientissimus ille Salomon; ut si victus fortassis impetu tentationis, & quasi evulsus fueris, stationem tuam ne dimittas; sed ut fortis miles in ea persistas. Unde ait: *Si spiritus potestatem habentis, ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima.* Ac si dicat: redi ad stationem, sta in ea: fortiter præliare; quoniam modica pœnitentia cessare faciet peccata multa. Non des locum diabolo: non recedas a Religione, non deseras proficiendi propositum. Novit Dominus quia impulsus peccasti: & modica pœnitentia te suscipiet. Sicut scriptum est: *Impulsus eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me.* Cave, ne tibi contingat, quod dicit Apostolus de quibusdam; quod *Desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem inmunditiæ omnis, in avaritiam.* Omni tempore utilis est nobis exercitatio

Josue 1. *Mat. 11.* *2. Tim. 2.* *Rom. 8.* *Eccl. 10.* *Ephes. 4.* *Ps. 117.* *Ephes. 4.*

citatio tentationis, si tamen bene utamur ea. Unde Jacobus: *Omne gaudium existimate Fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Et Ambrosius (*a*): Tolle pugnam, non erit victoria, tolle victoriam, non erit corona.

Jacob. 1.

(*a*)

IV. Sed inter alias, quatuor ex tentationibus commoditates accipimus. Prima: quod tentatio humiliat nos, & in veram nostræ fragilitatis cognitionem adducit: sæpius namque cor nostrum decipit nos, ut Petrum; qui dicebat Christo: *Paratus sum tecum in carcerem, & in mortem ire*, & ad unius puellæ vocem ipsum negavit. Videtur nobis nihil esse tam grave, quod non pro Dei amore æquanimiter toleremus, imo & martyrium pro Christo desiderare videmur, sed si modica injuria pulsati fuerimus, quid virtutis intus lateat innotescit. O ignave! Non vales sustinere convitium, & tolerabis martyrium? Nonnunquam etiam videtur nobis, nos Dei gratia & misericordia purificatos esse a vitiis, & concupiscentiis, atque ab omni peccatorum illecebra liberos puros, & Deo immensas pro hac libertate gratias agimus: sed data occasione, & oblata tentatione, quam falsa sit ista nostra gloriatio liquido cognoscimus: omnes enim illæ viperææ passiones venenatum efferunt caput, & suis stimulis nos pungentes aperte demonstrant, quia sopitæ erant, non mortuæ, absconditæ non extinctæ. Propter hoc Psalmographus rogabat Dominum, dicens: *Proba me Domine & tenta me.* Ut vel sic agnoscam, & sciam quid habes in me, & agnita veritate humiliem me. Secunda utilitas est; quod tentatio unit nos Deo, & quasi a nobis avellendo nos amplius ei conjungit. Ipsa quippe necessitas urget nos, divinum efflagitare subsidium, & illius quærere ac investigare remedium: & dum avelli a Deo timemus, ei fortius inhæremus. Unde cum quidam Monachus (*b*) gravi carnis stimulo pungeretur, & alius senex misericordia motus ei diceret: an vellet orationibus adjuvari, ut discederet ab eo spiritus ille immundus; respondit, se illa tentatione multum proficere, eo quod fatigatus necesse haberet orare, plorare, vigilare, & Dei adjutorium sæpius implorare, qua sublata, otio forsitan, & tepiditate torperet. Tertia utilitas est; quod tentatio nos a mundi hujus gaudiis, & consolationibus separat, & cœlum desiderare compellit. Si enim tot tentationibus pressi, tot tribulationibus fatigati, miseram hanc vitam sic perdite amamus; quid esset si tranquillam & securam, sine molestia possideremus? Quis futuram optaret? Quis ad aliam suspiraret? Volens itaque Deus parvulos suos ab hujus mundi solatiis ablactare, amarum tentationis aloes

Luc. 22.

(*b*)

A uberibus apponit: ut quos terrena amaritudo repellit, dulcedo cœlestis vehementius alliciat. Quarta utilitas est; quod tentatio ad exercitium virtutum, & augmentum meritorum plurimum valet. Nam si anxietatem & afflictionem tentationum auferas, ubi erit patientia, mansuetudo, fiducia, humilitas, constantia, fortitudo, & aliæ virtutes, quarum proprium munus est, eas vincere, aut tolerare? Meritorum quoque immensa seges amittetur, quæ eis perferendis aggregatur. O quomodo nunc lætantur Sancti in cœlo de tentationibus quas vicerunt! Quoties repetunt illud Psalmi: *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Unde cum Dominus plurimas gentes & fortissimas coram filiis Israel contrivisset; reliquit tamen eis ad exercitium Jebusæos, ut in eis erudiret Israelem. Ita & nunc sanctis & electis suis, post plurimorum vitiorum victoriam, reliquit ad exercitium meritorum leve aliquid pugnæ, in quo exerceantur, & humilientur. Ut qui levem illam tentationem vincere nequeunt, ex hoc agnoscant, se graviores non suis viribus, sed Dei gratia superasse. Unde, ut de carnis stimulo Bernardus (*c*) ait: velimus, nolimus, Jebusæus iste habitat in finibus nostris: supprimi potest, exterminari non potest. Sed faciamus eum tributarium: ut scilicet, nobis serviat ad salutem; & reddat ex tentatione proventum. Vides quot, & quanta nobis commoda ex tentatione proveniant?

B

Psal. 89.

Josuæ 15.

C

(*c*)

Ibid. 16.

1. *Cor.* 10.

V. Sed tamen non est a nobis optanda, aut procuranda tentatio. Christus Jesus, quia filius Dei erat & peccare non poterat, per Spiritum sanctum se obtulit tentatori, nobis caducis & fragilibus alia ratio est. Satis est si viriliter perferamus oblatas, fuge eas quantum potes: nam eas fugisse vicisse est. *Qui amat periculum*, ait Sapiens, *in illo peribit.* Et P. Augustinus (*d*), frequentatoribus mulierum, ex ignorantia & superbia dicentibus: volo habere quod vincam, sapienter respondit: imo vis habere quo pereas. Hæc itaque sit lex, ut neque eas præsumendo quæras, neque cum offeruntur timendo deficias. Sunt enim e contrario quidam adeo debiles ac pusillanimes, qui levissima tentatione pulsati, statim fatigantur, anxiantur, dejiciuntur, & innumeras coram Deo proferunt querimonias, & quod pejus est: interdum blasphemias. Se supra vires tentari, gravissimum sibi onus imponi, Deum cum eis crudeliter agere, & suarum afflictionum oblivisci, & similia. Qui cum deberent a Deo petere favorem, his querimoniis illum magis provocant ad indignationem. Quanto satius eis esset, surgere, conari, orare, divinum auxilium implorare, quam resolutos & exa-

D

Eccli. 3.

(*d*)

E

(*a*) Ejus verba dedimus in notis ad Conc. 4. Dom. 1. Quadrag., ubi allegantur. In hac Concione plura reperiuntur in proxime præcedentibus Concionibus, quæ de eodem sunt argumento, tradita. Immo fere tota ex jam dictis constat.

(*b*) Narratur in Vitis Patrum, auctore Ruffino Aquilejensi Presbyt., lib. 3. num. 8. apud Rosweydum pag. 494.

(*c*) Vide notas ad Concion. 4. Dom. 1. Quadrag.

(*d*) Vide notas ad Concion. præced.

nimes jacere, & querimonias istas effundere. De hac Psalmographus pusillanimitate liberatus, gratias agit, dicens: Cantabo ei: *Qui me salvum fecit a pusillanimitate spiritus & tempestate*. Hi non attendunt, quod scriptum est: Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari ultra quam potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum. Honorat te Deus, o piger, cum te istis tentationibus pulsat; si enim non agnosceret in te virtutem, non immitteret tentationem. Nescis, quia diabolus compensato nobiscum agone luctatur? *Expecta Dominum, viriliter age: Confortetur cor tuum, & sustine Dominum*. Nihil diffide: nam qui probat, ipse juvabit. Grandis Deo cura est de militibus suis, atque ideo tyronibus, & novitiis militiam temperat, ne succumbant. Nam si, cum viam perfectionis ingrediuntur, grave aliquid eis a fronte occurreret, statim verterentur in fugam. Unde filiis Israel in ipso egressu de Ægypto, non statim Chananæorum, Amorrhæorum, & Jebusæorum certamina opposuit; sed prius eos pavit in deserto manna, & circumduxit: & legem dedit: & in columna nubis præcessit, ac veluti pullos sub alis suis protexit, & fovit. Ita nunc qui Dei suavitatem gustavit, qui manna suavissimo spiritus pastus est, qui mel de petra, oleumque de saxo durissimo suxit, postmodum tentationibus probat. Nec facile cedit: quia eum suavitas explorata validissime solidavit. Prius itaque milites suos favoribus visitat; & postmodum tentationibus probat. Sicut scriptum est: *Visitas eum diluculo, & subito probas illum*. Qualis enim quisque sit, ipsa tentatio manifestat.

Psal.54. *1. Cor. 10.* *Psal.26.* *Exodi16.* *Ibid. 13.* *Ibid. 24.* *Ibid. 13.* *Deut.32.* *Job 7.*

VI. Sed sunt quidam, qui in tentatione positi Dei auxilium implorare non curant, sed ad seipsos vertuntur, & suo consilio & viribus innituntur, totumque pondus, tentationibus, rationibus, & argumentis superare satagunt. Dicentes intra se; non expedit hoc; quomodo faciam rem tam fœdam? Si hoc perpetravero, stultus & reprobus ab omnibus reputabor: & similia quæ remedium afferre solent tentatis, ne tentationi succumbant. Tamen cum in solo hoc nitantur sicut Propheta ait: Innituntur baculo arundineo, qui confractus innitentem deludet, & ejus manum perforabit. Nam quæ, obsecro, est virtus nostra, ad oppugnandum dæmonum fortitudinem? Sicut pygmæus ad gigantem: sicut pulex ad elephantum: sicut cynips ad aquilam. Non est enim potestas super terram, quæ ei valeat comparari. Unde Job. Non est mihi auxilium in me: desperavi scilicet de me: nequaquam ultra jam vivam. Alii autem multo prudentiores & sapientiores, propriis viribus diffidentes, cum in discrimine & agone tentationis se positos vident, ad Dei favorem & auxilium refugiunt, orationibus, jejuniis, lacrymis, & clamoribus Dei succursum flagitantes. Sic faciebat ille qui dicebat: *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo: meditabor ut columba*. Quid enim faciet pullus hirundinis coram serpente devoraturo, nisi clamare? Unde Propheta: *Quoniam in te eripiar a tentatione, & in Deo meo transgrediar murum*. De his nunc loquitur iste Psalmus: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur*, id est, qui confidit in Deo, protegetur ab eo: & qui ad Deum in tribulatione confugit, sub ejus protectione liberabitur. Decet quippe hoc Divinam majestatem & celsitudinem, ut fugientes ad se non deserat, & sperantes in se non confundat, sed protegat, & defendat. Si enim hoc faciunt Principes terræ, quanto magis faciet cœlorum Rex? Ac propterea, quicumque ad eum confugerit in veritate, *Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum*. Sed sperandi & confidendi rationem attende: *Deus meus sperabo in eum*. Ad quem enim recurret opus, nisi ad Factorem suum? Aut in quo confidet creatura, nisi in Deo Creatore suo? Non deseret, quia Deus est: non confundet, quia Creator est: *Deus meus sperabo in eum*. O verba dulcissima litteris aureis cordibus imprimenda! Sequitur: *Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, & a verbo aspero*. Quos modo liberavit a diaboli laqueo, postmodum eripiet a judicis verbo aspero: *Discedite a me maledicti in ignem æternum*. Sed quomodo eripiet? Qua arte liberabit? Sequitur: *Scuto circumdabit te veritas ejus:* id est: quia undique tentationibus & periculis vallatus es, scuto veritatis undique circumdaberis, ne qua intret ad te, malum inveniat. Et sicut in Euangelio dicitur: Si veritas te liberaverit, vere liber eris.

Psal.17. *Psal.90.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Mat.25.* *Psal.90.* *Jo.8.*

VII. Sed quomodo veritas a tentatione liberet, ex sequentibus notum fiet. Quid namque est omnis tentatio, nisi nebula quædam atra super oculos cordis sparsa, lumen rationis obnubilans & offuscans? Hæc radio veritatis dissolvitur, & in serenitatem placidissimam vertitur. Et sicut nubes spiculo solis percussæ dissolvuntur, sic passiones & perturbationes animæ veritatis judicio redargutæ evanescunt. Unde sequitur: *Non timebis a timore nocturno*. Quam pulchre, quam docte, modum & ordinem quo diabolus in tentationibus utitur, & omnes ejus artes & conflictus expressit. Cum enim quispiam cognita sæculi vanitate, mundum relinquere, vitam corrigere, & Deo vacare de cætero statuit; primo ei timores istos nocturnos opponit, dicens: non poteris religionis asperitatem sustinere; non valebis jejunia, vigilias, disciplinas, & alias regulares observantias portare; fragilis es & delicatus, supra vires sunt, quæ conaris, & perficere nequibis; gaude, & quiesce. Pari forma quoque: si qui in vita sæculari sobrie, & juste, & pie vivere decrevit; mille ei objiciet difficultates mendaces, & fallaces, ut ipsum avocet a proposito. Hi sunt timores nocturni militi Christiano prima acie vincendi & supe-

Psal.90.

Isaiæ36. *Job 7.* *Isaiæ38.*

ſuperandi. Ne timeas a timore hoc, vere mendaci & tenebroſo. O Chriſti miles montes fumoſi & nebuloſi ſunt hi, quos tibi objicit dæmon, penetra nebulam, & videbis non modo, quam leve, ſed & quam dulce & ſuave eſt totum, quod difficile & grave eſſe mentitur. Nulla enim major conſolatio, nulla delectatio gratior, quam ſervire Deo. Vita religioſa, vita quieta, pacifica, ſecura, delectabilis, jucunda, rationalis, amabilis, & gratiſſima. Vita ſæcularis, vita ſolicita, laborioſa, inquieta, periculoſa, amara, curis, & anxietatibus pleniſſima. Qui experti ſunt quod dico, optime norunt, quod qui hæc & ſimilia timent: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor:* imo ubi erat jucunditas, pax, & delectatio magna. Quis hanc nebulam diſſolvit, has tenebras depulit, hanc falſitatem timoris nocturni aperuit niſi veritas? Quæ cum animo præliantis effulſit, falſum eſſe & mendacem, hunc timorem oſtendit. *Pſal.13.*

VIII. Poſtquam igitur miles Chriſtianus, deprehenſa horum timorum falſitate, viam perfectionis arreptam viriliter proſequitur, neque ab incœpto his nocturnis timoribus deterretur, alia eum aggreditur via; nam vitam religioſam, quam impedire non potuit, deludere & fruſtrare conatur. Immittit enim cordi innumeras vanitates, & inanis gloriæ cogitationes multiplicat: exaggerat & magnificat levia quæque pietatis & devotionis opera ſupra nubes, ex calculis montes, & ex pulicibus ingentiſſimos efficit elephantos: ut videlicet dum in hac ſuperbia animus erigitur, a fructu bonorum operum evacuetur. Hæc eſt ſagitta volans in die lucis & ſanctitatis; nam de peccato & crimine quis gloriabitur? Leviter volat, ſed non leviter vulnerat. Hæc novitios & inexpertos maxime pungit, qui theſauros ſpiritus ignorantes, quicquid fervoris, aut devotionis accipiunt, pro maximo ducunt, & jam ſe perfectionis culmen conſcendiſſe arbitrantur. His ſagittis o tyro Chriſti veritatis ſcutum oppone. Aperi oculos, & vide. Primo quam levia ſunt iſta, quæ facis & pateris, quot imperfectionibus admixta, quæ ſuas a te pœnas exigunt. Invenitur etiam in iis quæ facis virtutis & meriti ratio, non abnuo: ſed quid ſunt omnia hæc, ad peccata quæ in eis punis, ad pœnas inferni quas evitas, ad paradiſi gloriam quam requiris, debita quæ perſolvis, ad Dei munera quæ quotidie recipis? Cum omnia hæc, & ampliora multo feceris, quid, obſecro, aliud dicere in veritate poteris, niſi: quia ſervus inutilis es, & quod debuiſti, feciſti. Et utinam quod debuiſti, ſed age magna ſint, grandia ſint, ut fingis: *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quod ſi veritatis lumen mentis aciem illuſtraverit, omnis hæc ſagittarum volitantium multitudo retundetur penitus, & ſubito evaneſcet. Ecce qualiter eadem veritas, quæ nocturnos timores depulerat, volitantes quoque ſagittas ſuo radio repulit, & diſperſit. *Lucæ 17.* *1. Cor. 4.*

IX. Videns tentator quod ſervus Dei lumine veritatis munitus & illuſtratus, a Dei ſervitio neque timore revocatur, neque inani gloria evacuatur, alia via tentat, ut eum ſuperet, vel decipiat. Opponit ei ſolidiora, & appetibiliora, quæ cupiat: ſcilicet, divitias, dignitates, cibos, veſtes, variamque domus ſupellectilem, & alia bona ſæculi temporalia: ut qui inanis gloriæ ventum pro nihilo contempſit, hic ſaltem utilioribus & validioribus incitamentis a ſuo propoſito moveatur. Neque ſolum objicit, ſed & modum quo ad ea pertingere poſſit oſtendit, dicens: Ecce omnes te venerantur, omnes te virum bonum & religioſum credunt, & reputant: ſi ſanctitatem & modeſtiam ſimulaveris, facile poteris obtinere quod cupis. Hoc eſt negotium perambulans in tenebris; ſcilicet, iniqua, & deteſtabilis hypocriſis. Vere tenebroſa & obſcura negotiatio, quæ paupertate divitias, humilitate honores, aſperitate delicias, inedia cibos, palliata & mentita ſanctitate procurat: quam veritas non modo prodit, ſed & proditam rejicit, & confundit. Quid enim hypocriſi magis ipſa veritate contrarium? Hæc quoque veritas, quam inania & futilia ſint hæc temporalia, monſtrat: ut pudeat pro his bonum virum tantam ſimulare fallaciam, palliare nequitiam, exercere proditionem. Hac veritate munitus Chriſti miles, ſicut timores nocturnos, & inanem gloriam, ita quoque noxiam temporalium bonorum cupiditatem devitat.

X. Neque tamen ſic diabolus a moleſtia ceſſat: aperto namque marte aggreditur repugnantem, & graviſſimo eum libidinis, rancoris, livoris, alterius vitii cujuſpiam invadit incurſu. Suſcitat inviſibiliter incendii carnalis igniculum, excitat concupiſcentiæ flammas, & halitu ſuo nativas hominis prunas accendit: ut quem non vicit cupiditas, concupiſcentia dejiciat. O duram nimis & terribilem pugnam! O formidandum periculoſumque conflictum! P. Auguſtinus (*a*): Inter omnia Chriſtianorum certamina, duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi continua pugna, & rara victoria. Cæteræ pugnæ foris aguntur, hoc inteſtinum & internum prælium eſt: cave miles Chriſti, fuge hunc incurſum quantum vales; hoc enim vitium fugiendo magis, quam aggrediendo ſuperatur. Oppone ei veritatis ſcutum, quo ignita diaboli tela extinguere valeas. Vide quam fœda, quam turpia, quam vilia ſunt, quæ tibi objiciuntur: & quod poſt modicum nihil horum remanet niſi pudor & dolor. Vide quam triſtis, & amara ſit iſta voluptas, & litum melle devita venenum: vide etiam, quod pro momentanea voluptate noxium & ſultum (*a*) *Epheſ.6.*

(*a*) Vide notas ad Concion. 4. Dom. 1. Quadrag.

tum nimis est, gaudia amittere sempiterna.

XI. Quid facit dæmon cum protectum a veritate Christianum, neque hoc tam crudeli incursu a sanctitate & justitia potuerit separare? Ad technas & fraudes suas convertitur, ut quem violentia non dejecit, fraudulentia decipiat. *Transfigurat se in Angelum lucis.* 2. Cor. 11. Ut sub specie pietatis, amatorem sanctitatis & probitatis deludat: & jejunantem amplius, magis, ac magis jejunare suadet: orantem, vigilantem, laborantemque, similiter, ut post triduum inutilem jejunio & vigilia reddat, excedere monet, ut deficiat: & currenti, calcaria addit, ut cadat. Quis omnes ejus fallacias & fraudes explicare sufficiat? Religiosum & honestum monachum sub charitatis prætextu, ad pacem inter Fratres componendam, ad solatium infirmis exhibendum, & alia pietatis opera exercenda extra cœnobium ducit, ut sic per plateas vagantem libidine inficiat, curiositate sauciet, ambitione inflet, curis sæcularibus disturbet, & a devotionis fervore distrahendo tepefaciat, & infrigidet. Similiter devotis matronis suadere solet plus nimio orationi vacare, ut familiæ curam negligentius agant, & dum ipsæ in oratorio diutius concluſæ manent, famula peccatis incumbat: & alia similia portentosa stratagemata famulis Dei quotidie ingerit, ut eos pietatis imagine fallat. Omitto nunc ludicra phantasmata quæ orantibus, & contemplantibus objicit, ut eos de se magna credere faciat, & in superbiam erigat, quæ sine discretione spirituum nullus quantumvis sapiens & acutus deprehendere sufficiet. Hoc est dæmonium meridianum, a quo nos divina misericordia liberet: eo periculosius quo minus sentiri, aut discerni potest. Hunc dæmonem veritas prodit, & lucis suæ radio manifestat: hunc deprehendisse vicisse est: statim namque cognitus evanescit, & fugit.

XII. Quis tam immanem pugnam, tot laqueos, tot insidias, vincere, aut declinare poterit, nisi Dei fuerit protectione munitus? Quid faciet homuncio fragilis & ignorans tot venenatorum serpentum cuneis circumvallatus? Unicum ei superest remedium; Divinum implorare subsidium, cœlestem invocare tutelam; Deus enim pius invocantibus eum, statim adest, & ad se fugientibus firmum suæ protectionis munimen impendit. Unde Psalmus: *Quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum.* Psal. 90. In tanto discrimine noli in te confidere homo, non de viribus tuis præsumas. Spera in Deo, & ipse te velut aquila in altissimo collocabit nido, quo non possint venenatorum serpentum conatus pertingere. Sic enim de aquila dicitur: quod pullos suos altissimo nido recondat, quo nullum venenatum irrepere possit. Unde apte subjungitur: *Non accedet ad te malum; & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.* Quare non accedet? Quare non appropinquabit? Nisi quia *Altissimum posuisti refugium tuum?* Si peccati malum non accesserit cordi tuo; *Flagellum quoque non appropinquabit tabernaculo tuo:* corpori tuo: quoniam propter peccata, flagellum a Deo infligi facinorosis consuevit. Devita peccatum, & devitasti flagellum. In hoc ergo supremo refugio a Deo locatus, non modo repentium infra dæmonum incursus, & morsus non formidabis, sed mira eos fortitudine ad dexteram, & sinistram tuam prosternes: id est, in adversis & prosperis superabis. Neque solum ipse te sua gratia proteget & defendet: sed mittet etiam tibi Angelorum subsidium, qui te undequaque in bello muniant, & circumstent. *Angelis* enim *suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Tali autem munitus auxilio, quem poteris formidare? Nulla est tibi homo excusatio si cadis; nulla querelæ ratio si lapsus in peccatum damnaris. Noli causari, noli allegare, quod fragilis & cæcus cum astutissimo & fortissimo serpente conflixisti. Quid mirum si cado, si superor, si prosternor? Quis ego eram, ut cum tanto gigante confligerem? Non æquo marte pugnabam, non cum æquali decertabam. Quæ est hæc justitia, ut tam impari certamine victus perpetua damner abysso, crudeles pœnas luam, & supplicio deputer sempiterno? Audi peccator: aderat tibi Deus a latere, Angelorum subsidium tibi paratum erat. Quare non clamasti? Quare non invocasti? Cur de tuis viribus confidisti? Si talem te noveras, cur solus ad certamen cum fortiori descendisti? Cur solus cum multis certare præsumpsisti? Cur paratos Angelos tecum in prælium advocare neglexisti? Tua culpa, tua superbia, tua inertia victus es; ac propterea justissimas pœnas victus lues.

XIII. Audistis, Fratres, conflictum dæmonis fortissimum, audistis quoque Dei gratiam, & Angelorum succursum protegentem; nostis etiam vestram, ut opinor, fragilitatem & exiguitatem. Quid ergo restat, quid superest, nisi ut in solo Dei auxilio confidatis? Hoc unicum est consilium, unicum remedium, sicut diximus. O quisquis diabolicas fraudes deprehendere, satanicos incursus superare desideras, noli oculos tuos ab isto Protectore deflectere: noli ab oratione cessare, noli a clamore deficere; hoc enim marte Amalecitas tuos, velut alter Moyses in orationis monte positus, superabis. Exodi 17. Unde sequitur. *Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.* Psal. 90. O mirabilem protectionem! O securissimam defensionem! Quo merito,

quo

quo ſervitio, qua cauſa, qua ratione? Nulla certe alia, niſi: *Quoniam in me ſperavit.* Pſal. 39. Vere *Beatus vir cujus eſt nomen Domini ſpes ejus: & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.* Quis enim unquam ſperavit in eo, Eccli. 2. & confuſus eſt? Audiſtis quid in ſe ſperantibus promittat Deus: *Liberabo eum, protegam eum, exaudiam eum, glorificabo eum,* Pſal. 90. *longitudine dierum replebo eum.* Quot favores, quot gratias, quot tutelas! Quoties replicat, ut attingat. *Liberabo eum* a præſenti periculo. *Protegam* a futuro. *Exaudiam eum* in tribulatione, etiam antequam clamet. Neque modo exaudiam: ſed cum ipſo ero, & pro illo ipſe certabo. Quid addi ultra poteſt? *Libera me Domine, & pone me* Job 17. *juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra* A *me. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Cum ipſo,* inquit, *ero in tribulatione, eripiam* Rom. 8. *eum, & glorificabo eum.* Et unde expectabatur confuſio, inde honor accedit. Nam victoria non tam ſua quam mea. Honorabo, exaltabo, & glorificabo eum. Inſuper & poſt tam honorificam victoriam longitudine dierum replebo eum in hac vita. Et quod eſt omnium maximum, & feliciſſimum; *Oſtendam illi ſalutare meum.* Pulchritudinem meam, lucem meam, faciem meam, gloriam meam: ad quam nos perducat, qui ut perduceret mori dignatus eſt, Jeſus Chriſtus B Filius Dei: cui cum Patre, & Spiritu ſancto, eſt honor & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſal. 90. Ibidem.

IN FERIAM QUARTAM
POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ
CONCIO.
DE VIRTUTE PŒNITENTIÆ; ET POSTILLA EUANG.

Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam.
Matth. 12. v. 41.

CONCIO XXXVIII. Pſ. 118.

I. PROPHETA David ex Divinis judiciis magnam ſe capere conſolationem teſtatur, dicens: *Memor fui judiciorum tuorum a ſæculo Domine, & conſolatus ſum.* Sed non video, in quo divina eum judicia conſolari poſſunt. Quid enim terribilius Divinis judiciis, quæ a ſæculo ſunt? Peccavit Angelus, & pro facili Iſaiæ 14. motu ſuperbiæ perpetuo igne damnatus eſt. Gen. 3. Peccavit homo, & pro uno eſu pomi morti & miſeriis addictus eſt. Mundus totus pro D peccato laſciviæ aquis diluvii obrutus eſt: Ibid. 6. & pro ſimili peccato ſulphureo igne Penta- Ibid. 7. polis exarſit penitus, & in lacum redacta Ibid. 19. eſt. Quid, inquam, o Propheta, quid inveniſti in his judiciis, quod te conſolatione afficiat, & non potius terrore, & timore? Pſ. 118. Quanto ſatius ſententia mea dixiſſes: *Memor fui judiciorum tuorum a ſæculo Domine,* & conterritus ſum, & conturbatus ſum: quam, ut dixiſti: *Et conſolatus ſum.* Sed optime dictum eſſe, quis dubitet, quod Spiritu dictante prolatum eſt? Grandius quid ſonuit Spiritus ſanctus per hæc verba, & profundius? Aggrava quantum vis divina judicia, & exagera quantum potes: quo enim graviora ſunt, eo majorem conſolationem inferunt animo. Ex hoc; quod in omnibus illis nunquam Deus ita iratus, nunquam Deus ita furore commotus eſt, ut vel juſtum damnarit cum impio, vel humiliatum C & converſum ad ſe peccatorem deſpexerit. Quis unquam ad Deum toto corde converſus eſt, & rejecit eum? Aut quando Deus pœnitentem, lacrymantemque peccatorem deſpexit, & repulit a ſe? Diſcute ſigillatim a principio ſæculi Divina judicia, & diſcurre per ſingula, & non invenies humiliatum peccatorem, condemnatum, nec dolorem, & lacrymas hominis fuiſſe deſpectas. Grandis hæc conſolatio peccatorum, grande ſperandæ pietatis indicium. In manibus rei judicium ejus poſitum eſt, & in arbitrio peccatoris redire in gratiam offenſi Domini. Quid ſuavius, quid dulcius? *Non eſt ſimilis tui in* Pſal. 85. *diis Domine, & non eſt ſecundum opera tua.* Quis inter Dominos & Principes tam benignus, ut offenſam ſuam & veniam reo committat? Quam longe hoc ab omni humana clementia; & tamen apud Deum quicquid offenderit homo, pœnitentiam adhibeat, & veniam ſperet. Non præteribit legem ſuam Deus, quam filiis hominum dedit, & per Filium ſuum, & Prophetas, & Apoſtolos humano generi promulgavit. Si, inquit, converſus fueris, & ingemueris, ſalvus eris. Ezechiel Et iterum: *Cor contritum & humiliatum Deus* 33. E *non deſpicies.* Hæc lex cum hominibus ſtatuta eſt: *Hæc me conſolata eſt, in humilitate* Pſal. 50. *mea:* id eſt, humiliatione peccatorum: *Quia* Pſ. 118. *eloquium tuum* Domine *vivificavit me,* ut reſpirarem in peccatis, & ſubſiſterem coram te. *Loquetur* enim Dominus *pacem in ple-* Pſal. 84. *bem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos,* qui præcepta illius ſervaverunt: & ſuper peccatores,

res, qui præcepta ejus contempſerunt, ſi tamen *convertuntur ad cor*. Nihil hominibus gratius, nihil lætius hac ſecuritate clementiæ. Merito ergo ait: *Et conſolatus ſum*. De hoc Sanctus Pater Auguſtinus (*a*) in expoſitione Symboli ita inquit: Nunquam Deus ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſimpliciter offeratur, & ſincere. Suſcipit libenter, accipit, & amplectitur, & facit omnia, quatenus eum ad priorem ſtatum revocet. Quodque eſt adhuc præſtantius & eminentius, etiamſi quis non potuerit explere omnem ſatisfaciendi ordinem, quantulamcunque tamen, & quamlibet brevi geſtam non reſpuit pœnitentiam: ſuſcipit etiam ipſam, neque patitur quamvis exiguæ converſionis perire mercedem. Neque mihi nunc objicias de Eſau, qui, ut Apoſtolus ait: *Non invenit pœnitentiæ locum quamquam cum lacrymis quæſiſſet illam:* non enim illi profuerunt lacrymæ ad recuperandam benedictionem: profuiſſent autem ad recuperandam gratiam, ſi de peccato, & non de damno ploraſſet, & fratris odium in corde non reſervaſſet. Simile eſt illud Saulis regis, qui licet increpanti Samueli reſponderit: *Peccavi:* veniam non obtinuit: quia non ſincere & ſimpliciter, ex peccati tædio ita dixit, ſed regno privari magis timuit. Unde ſubjunxit: *Peccavi, ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſrael*. Eodem quoque modo de Antiocho rege dicendum: qui quoniam timore mortis, non peccati dolore ploravit, veniam non promeruit. Non ergo ſimpliciter & ſincere pœnitentiam iſti fecerunt, & propterea gratiam & veniam non obtinuerunt.

Pſal. 84.

(*a*)

Heb. 12.

1. *Reg.* 15.

Machab. 9.

II. Quid vero illuſtre magis & inſigne ad pœnitentiam hominibus commendandam afferri poteſt, quam factum hoc, quod præ manibus habemus Ninivitarum? Singulare omnibus ſæculis monimentum: gens barbara & idololatra, omnibus ſceleribus & criminibus dedita, poſt latam promulgatamque a Deo de urbis excidio ſententiam, pœnitentiam ex corde geſſit, & veniam promeruit. Quando igitur Deus in ſuis cultoribus & fidelibus veram deſpiciet pœnitentiam; qui etiam in hominibus alioqui idololatris & paganis, eam non deſpexit? Et ſi in illis ad revocandam Domini ſententiam, pœnitentia valuit: quomodo in nobis ſententiam nondum prolatam non impediet? Gratias tibi Deus, quia flecteris, quia placaris, quia propitiaris: decet enim tuam celſitudinem hujuſmodi clementia. Et quia omnium Dominus, & omnibus te miſericordem & placabilem exhibes. Sicut igitur ad terrorem peccatorum, in Sodomorum excidio exemplum juſtitiæ omnibus ſæculis Deus dedit, ita quoque delinquentibus in hac Ninivitarum venia exemplum miſericordiæ dereliquit:

Jonæ 4.

Gen. 19.

2. *Petr.* 2.

A ut rigori mixta clementia ſic terreat, ut non dejiciat, ſic allevet, ut non inſolentem faciat. Decebat namque apud homines ex Dei factis utrumque conſtare, & quod ad inſolentes & pertinaces terribilis ſit, & ad humiliatos & morem gerentes miſericors & placabilis: ut ſpe veniæ concepta, ad pœnitentiam agendam ferventius homines invaleſcerent, & de juſtitiæ contemptu in Deum amplius non inſoleſcerent. Sed ſuſtinete modicum, & paucis nunc Ninivitarum hiſtoriam recenſeamus, quæ licet communis ſit, & vulgaris, habet tamen aliquid, quod & B delectare, & inſtruere poſſit auditorem. Quid enim auditu jucundius, quam videre Prophetam a Deo fugientem? O facetam nimis, & lepidam fugam! Quaſi ad ſolum Judææ territorium divina juriſdictio pertineret. Numquid o Propheta non legeras in David: *Quo ibo a ſpiritu tuo? Et quo a facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum tu illic es:* & cætera. Non legeras: *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a deſertis montibus?* Quis non tuam iſtam fugam ſimul & miretur & rideat? Fugit itaque in mare, humanum aliquid paſſus, ſcilicet Pro- C pheta: turbatur mare, projicitur ad fluctus, Propheta ipſomet ſuadente; forte quia, vel ſic Ninivitarum præconium evadere cogitabat marinis fluctibus obrutus. Sed aliter ei evenit; nam illo modo citius ad Niniven pervenit, ventre delatus a piſce. Quis tibi reſiſtet o Deus? Quis tuam poterit ſubterfugere voluntatem? Fugit ne iret, & quia fugit, citius ivit. Medium quod aſſumpſit, ut Domini beneplacitum impediret, factum eſt medium ut impleret. Sicut & quondam Fratres Joſeph ipſum vendiderunt, ne adorarent, & e contrario contigit: ut quia vendiderunt, ideo adorarent; & medio quo vaticinium caſſare volebant, ipſum implerent. Talia ſunt judicia tua Deus in eos, qui tuæ contradicere voluntati conantur.

Pſ. 138.

Pſal. 74.

Jonæ 1.

Ibid. 2.

Ibid. 3.

Gen. 37.

D III. Libet nunc cum Propheta uterino ad modicum jocari. Dic mihi o Jona: quid ſentis in ventre? Nunc poſt canos ad uterum redis, & poſtquam ſenuiſti, iterum partum expectas? Filius hucuſque mulieris, jam ex nunc filius eris piſcis. Securam utique tibi navem paraſti: non timebis fluctus, non cautes, non ventos: nulla tibi poterit nocere procella. Cibus factus es piſcis, ſed E non eris cibus, ſed filius: in ſenectute iterum parieris, & novus advenies homo in mundo, infans annorum quinquaginta. Qualis tibi videtur pugna cum Deo, qui ad talem te impulit ſortem? O grande myſterium quod in hoc hiſtoriæ ſimplici latet facto! Typum enim gerebat Domini Salvatoris, ex utero terræ in novam ſobolem ſuſcitandi: primogeniti mortuorum, ut ipſemet Salvator

Mat. 12.

Apoc. 1.

(*a*) Expoſitio Symboli hic allegata eſt Sermo de Symbolo, in Appendice tom. 6. a PP. Congreg. S. Mauri collocatus. Olim Serm. 181. de temp. tom. 10., poſtmodum 59. in Append. Verba a S. Oratore citata ita leguntur cap. 16. præfati Sermonis: *Nunquam enim ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſincere, & ſimpliciter offeratur*, & uſque ad illa, *perire mercedem*, inde hauſta ſunt.

tor expoſuit. Orat intra uterum Propheta, flexiſque genibus in viſceribus beſtiæ ſe totum Deo commendat, & vovet. Neque minus myſtica eſt ejus oratio: ſed eis accommoda, qui utero antiqui ſerpentis deglutiti, ad Domini gratiam cupiunt reſpirare. Conſonat quoque Redemptori ſepulto, cujus, ut diximus, typum geſſit. Demum mandante Deo, ad littus evomitur, jubeturque implere præceptum. Neque audet obſiſtere: ſed ingreditur civitatem, & voce præconia per ejus plateas declamat: *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur! Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur!* O elegantem oratorem! O mirum eloquentiæ nitorem! Qualis hic ſermonis ornatus? Quæ compoſitio verborum? Quid barbarius? Quid ruſticius ſonare potuit? Et tamen tanta poteſtas in verbo, ut omnium corda transfigeret. Sicut ignis omnia devaſtans per Niniviticos calles procedit, & talem barbarorum cordibus terrorem incuſſit, ut non hominem, ſed cœleſtem aliquam poteſtatem audire videantur.

Jonæ 2. *Ibidem.* *Ibid. 3.*

IV. O quam verum eſt illud Apoſtoli: *Non enim in ſermone eſt Regnum Dei, ſed in virtute.* Diſcant prædicatores populorum, non eloquentiæ ornatum, ſed Spiritus ſancti virtutem magis inquirere. Ipſe enim eſt qui voci ſuæ dat vocem virtutis, & audientium corda verbis prædicantium quaſi jaculis ferit. In vanum namque foris perſtrepit prædicantis ornata locutio, ſi non intus Spiritus ſancti virtute juvatur. Quis, obſecro, Cicero, quis Demoſthenes, ſermone compoſito truces barbarorum animos ita domaret, ut ſimplex hic & ruſtici ſermonis auditus? Quotidie cernimus, ſimplici ſermone propter Spiritus aſſiſtentiam, ſpirituales viros utiliter hominum corda ferire. Alios vero ornato eloquio in ventum verba perflare, ut non coram Deo glorietur omnis orator, & dicat: *Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra a nobis ſunt: quis noſter Dominus eſt?* Dum igitur Propheta in populo declamaret, & cunctus populus amariſſime fleret: ſermo venit ad Regem; qui ſtatim mutato habitu, aſperſus cinere, veſtitus cilicio, hominibus, & infantibus, & jumentis, ſingulare jejunium indixit: mandans homines & jumenta ſacco veſtiri, & quæ non noverant peccare, pro peccatoribus pœnitentiam agerent. Ut ita acervatim hominum & infantum, & jumentorum clamor aſcenderet coram Deo. O mirabilem pœnitentiæ inventionem! O ſapientiſſimum Regem! Et quis tibi dixit, Deum pœnitentia poſſe placari? Ubi legeras divinam flecti lacrymis pietatem? Sententiam abſolute prolatam audiſti, & tamen non diffidiſti de venia, ſperans Deum poſſe mutare ſententiam, cum peccator cœperit mutare conſilium: neque enim audieras a Propheta; ſi non egeritis pœnitentiam, ſi non convertimini, ſi non humiliamini, peribitis coram Deo; ſed abſolute protulerat: *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur.* Neque tamen animum Regis diſſolvit tam dira prolatio, ſed Deo fidens, Dominicum nititur placare furorem; ibi ſperans, ubi nulla ſperandi apparentia videbatur. Unde ait: *Quis ſcit, ſi convertatur & ignoſcat Deus: & revertatur a furore iræ ſuæ, & non peribimus?* Unde o Rex pium eſſe noſti, quem non colis? Quis tibi dixit, quia miſericors eſt Deus ille, quem neque prius audiſti? Quantum placuerit Deo hæc Regis tam animoſa fiducia, & invicta ſpes, populique humilis & lacrymoſa pœnitentia, finis demonſtrat. *Vidit*, inquit, *Deus opera eorum, quia converſi ſunt a via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat ut faceret, & non fecit.* Hæc de hiſtoria.

Jonæ 3. *Ibidem.*

V. Sed plura reſtant adhuc circa hoc factum memoratu digniſſima. Inquiramus igitur primo: quidnam divinæ erga populum indignationis cauſa extiterit, ut civitatem opulentiſſimam, & omnium illuſtriſſimam, maximam, ſubvertere cogitaret. De hoc Scriptura nihil fere commemorat; ſolum ait: *Quia aſcendit malitia ejus coram me.* Sed quænam fuerit iſta malitia non declarat: exiſtimo autem fuiſſe forſitan virulentam carnis laſciviam: quamvis enim civitas illa idololatra, & idololatriæ inventrix antea fuerit, hoc tamen multis ante ſæculis extiterat, neque talis unquam animadverſio audita fuerat in ea. Novum igitur aliquod crimen ſuperveniſſe credendum eſt, quod divinam in eos provocaret vindictam. Et hanc libidinem eſſe ex aliis factis & judiciis, quæ paſſim per Scripturas leguntur, conjectamur (*a*): hoc enim luxuriæ facinus, a Deo præ aliis atrociori vindicta ab initio punitum legimus. Propter hoc: Pentapolis igne & ſulphure deſolata; propter hoc, una Tribus in Iſrael bello crudeli ſubverſa; propter hoc etiam, ut ſuſpicor, Ninive ſicut Sodoma periiſſet, niſi vindictam Domini acerrima pœnitentia præveniſſet. Unde etiam Apoſtolus hujus ſecreti conſcius, quoties fere hujus piaculi mentionem facit, divinam quoque commemorat iram: ut vel timore vindictæ ab hoc crimine homines arceantur. Ad Theſſalonicenſes enim ita inquit: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra: ut abſtineatis vos a fornicatione, ut ſciat unuſquiſque veſtrum, vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore. Non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes quæ ignorant Deum; Et ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum: quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus.* Et ad Coloſſenſes: *Mortificate,*

Ibid. 1. *(a)* *Gen. 19.* *Exodi 32.* *1. Cor. 10.* *1. Theſſ. 4.* *Coloſſ. 3.*

(*a*) Conjecturam S. Oratoris roborant Scriptores, qui Sardanapalum tunc temporis Ninivitarum Regem aſſerunt. Hunc enim effœminatiſſimum fuiſſe conſtat.

ficate, inquit, *membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam: Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis.* Et ad Ephesios adhuc acrius: *Hoc enim*, inquit, *scitote, intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei.* Quid terribilius? Sequitur: *Nemo vos seducat inanibus verbis.* Scilicet: quasi peccata hæc facilia sint, & levia. Dicunt namque: naturalis est ista inclinatio, & ad propagationem humani generis necessaria: si non esset libido, periret generatio: facilis est in naturalibus venia; & cui noceo, si cum libera fornicatus fuero? Cui facio injuriam si delectationibus vaco? Non sum sacerdos, non sum uxoratus, & similia. *Nemo*, inquit, *vos seducat inanibus verbis*, & falsa ista philosophia. *Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ*, id est perditionis. Nolite participes eorum effici in culpa, ne sitis quoque participes in vindicta. Nisi enim Deus gravissime hujusmodi libidinibus offenderetur, numquam tam atroces in libidinosos exercuisset vindictas. Videant ergo qui se hujusmodi impudicitiis addixerunt, & qui venereis voluptatibus brutaliter vacant, quoniam non solum cum venerit ad judicium, visitabit Dominus super viros defixos in sordibus suis, sed etiam nunc, nisi caverint pœnitendo, in eos gravissime vindicabit. Hanc igitur divinæ indignationis, imminentisque Ninivitarum excidii causam fuisse suspicamur.

Ephes. 5.

VI. Sed multo scrupulosior est fuga Prophetæ. Propter quid, obsecro, Propheta sanctus indictam sibi legationem a Deo tam pertinaciter refugiebat? Nunquid timebat periculum, vel mortem, aut aliquod damnum ex prædicatione hujusmodi formidabat? Non utique, non erat timor in causa. Quid ergo? Scripturam super hoc attendite. *Et afflictus est*, inquit, *Jonas afflictione magna, & iratus est: Et oravit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine: nunquid non hoc est verbum meum cum adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupavi, ut fugerem in Tharsis: scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia, &c.* Hæc erat causa mea fugæ. Vadam, inquit, ad civitatem, & prædicabo illis excidium juxta verbum tuum, & una te postmodum lacrymula ab hoc furore placabit. Dimittes eis offensam, & tu Deus misericors eris, & ego Propheta falsus reputabor? Non faciam. Si vere super facinus indignaris, si te eorum malitia perculit; de cœlo super eos sulphur, sicut super Sodomam compluito, & disperdito eos, sicut Gomorrham. Ad quid, obsecro, legatio ista? Quod si inimici sunt, & vere contra eos indignaris, cur suam eis prædicis perditionem? Manifestum certe est, quod misericordiam meditaris. O mirandam, stupendamque Prophetæ indignationem! O singularem viri sancti audaciam! Cum Deo suo super aliorum venia contendere, quasi etiam ipse in hoc ipso facto eadem ipsa non indigeret venia. Oblitus est sui Propheta hic, non meminit quia homo est. Sic solet contingere nonnunquam in humanis: ut Pater quispiam potens, de juvenis filioli insolentiis indignabundus, seniorem famulum vocet, & dicat: Vade: dic furcifero illi, ne intret domum meam, neque amplius faciem meam videat: ego illum exhæredabo. Famulus vero qui patris amorem optime novit, invitus & submurmurans vadit, secum hæc animo volvens. Vidistisne hujus hominis furorem? Adorat puerum quasi Deum, unam falsam lacrymulam, si puer coram eo monstraverit; & se, & omnia quæ habet illi donabit. Non aliter Deo cum suo Propheta nunc contigisse videtur. Jacet ergo Propheta nimio de venia Dei furore indignabundus: astat Deus, desuper placans illum, & leni eum sermone demulcens. O pulchrum & visu digniſſimum spectaculum! O ineffabilem divinæ clementiæ dignationem! Quid dicam Fratres? Quid loquar super tanto prodigio? Stupeo penitus & horreo: vincit omnem sensum, & omnem cogitatum superat parabola ista. Inspicite, obsecro, & contemplamini Creatorem omnium Deum, ineffabilem, illam majestatem, operi suo, servulo suo indignanti de operibus suis, placido vultu rationem reddentem. *Putasne*, inquit, *bene irasceris tu?* Et ille: *Bene irascor usque ad mortem.* Quid insolentius, ut videtur, quid superbius? *Et Dominus* ad illum: *Tu doles super hederam in qua non laborasti, quæ sub una nocte nata est, & sub una nocte periit, neque fecisti ut cresceret. Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginta millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam, & jumenta multa?* Quid mansuetius? Quid clementius? Est ne aliquis temporalis Rex aut Dominus, ita humanus, ita benignus, qui similia faciat servis suis? Qui ita se humiliet servitoribus suis? Et hominibus, ipse quoque homo, talem apud se præbeat locum & familiaritatem? Quid prius admirer, Fratres, ignoro, clementiam Domini, an famuli dignitatem. Grandis authoritas servorum tuorum Domine, altissima dignitas. O qualem apud tuam celsitudinem obtinent locum! Quantam fiduciam, audaciamque illis præbet apud te experta immensitas bonitatis, & clementiæ tuæ! Quam te illis familiarem in omnibus exhibes & amicum! Patris benignitas filios insolentes facere consuevit. An non insolentia illa, quam diximus, indignantis Prophetæ responsio, *Bene irascor usque ad mortem?* An non insolentia illa alterius Prophetæ precatio: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti?* Et illa quoque ulterius divinorum judiciorum objurgatio. Quare respicis contem-

Jonæ 4.

Exodi 32.

Habacuc 1.

temptores, & taces conculcante impio juſtiore ſe? Et aliæ ſimiles in Scriptura. Sed nunquid inſolentia in ſanctis? Abſit. Quid ergo dicemus? Non ſunt hæc utique inſolentiæ verba, ſed profundiſſima & admiranda myſteria: non enim potuit aliter exceſſus ille amoris & benignitatis Dei in ſuos ſanctos, & nimia familiaritas amicitiæ & gratiæ congruentius niſi hujuſmodi exceſſibus propalari. Non melius nobis illa inenarrabilis benevolentia Dei in ſuos, & ſanctorum in illum fiducia, quam excedendo, hujuſmodi apparentibus inſolentiis declaratur. O Deus meus! Quantum me delectat audacia iſta Prophetæ: quam mirifice te cordi meo loquitur exceſſus iſte confidentiæ! Vere beati qui ſerviunt tibi, beati quos tali tantoque amore dignaris.

VII. Simile quodammodo factum legimus de Elia; quem Dominus ad impiiſſimum Achab miſit comminari eum ſuper morte Naboth, quem occiderat propter vineam. *Occidiſti*, inquit, *& poſſediſti: Hæc dicit* 3. Reg. 21. *Dominus: in loco hoc in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum. Et ego inducam ſuper te malum, & demetam poſteriora tua, &c.* Pertimuit Achab, licet iniquus & idololatra. *Sciditque veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam: Jejunavit, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite.* Et Dominus ad Eliam: *Nonne*, inquit, *vidiſti humiliatum Achab coram me?* Ah, ah, ah! Domine Deus meus, ſcio non morietur Achab. Jam miſertus es ſuper illo. Diſpeream, ſi non te una lacrymula ſuperavit: novi ego pietatem tuam, & benignitatem tuam jam pridem. Si indulgere decernis, ut quid Eliam conſulis? Nunquid in Eliam, an vero in te peccavit Achab? Quid Eliæ cum venia? O inæſtimabilem dignationem! Quia ipſum, legatum mortis antea fecerat, ne forte de non impleto vaticinio indignaretur, veniæ illi rationabilem cauſam prius reddit, participemque facit conſilii de remittendo peccato. Nihil Deo amicabilius, nihil urbanius. Audite adhuc aliud ejuſdem rei teſtimonium. Iratus Elias contra populum, dicto ſolo cœlum clauſerat, ne plueret ſuper terram: paſcebat eum Dominus per Ibid. 17. corvorum miniſterium carnibus & pane in deſerto: populo interim fame & inedia pereunte. Propheta bene paſtus a corvis nulla ſuper hoc ſolicitudine tenebatur: at piiſſimi Patris ac omnium Conditoris viſcera ſuper tantam populi calamitatem, quamvis idolo-

A latrantis & prophani, commota fuerant jam dudum viſcera. Ait ergo ad Eliam: *Surge & vade in Sarepta Sidoniorum: præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut paſcat te.* O Domine ſatis opulente paſcor a corvis, viduæ miniſterio non indigeo. Ut quid in Sareptam ibo? O viſcera pietatis Dei mei: ut videret Propheta populi afflictionem, & miſeriæ condoleret, miſertuſque eorum, interdictum aquæ tolleret, miſſus eſt in Sareptam. Noluit enim Dominus interdictam a Propheta pluviam populo ſuo concedere, ſine ejuſdem qui interdixerat beneplacito. Tanta eſt ſervorum Dei authoritas apud ipſum, tantuſque reſpectus Dei in ſuos. Hæc igitur tam multa diximus, ut in his etiam quæ a ratione diſſonare videntur, altiſſimam ſpiritus conſonantiam monſtraremus: nihil enim hac Prophetæ indignatione irrationabilius, ſi in ſola ſuperficie penſitetur: nihil altius, nihil ſapientius, ſi in ea nucleus hauriatur.

VIII. Nunc ad alia procedamus. Non tibi videatur mutabilis Deus; quia flectitur a ſententia: non enim erat illa prædeſtinationis, ſed comminationis Prophetia: nec ideo dicta eſt, ut impleretur, ſed magis ut non impleretur, id eſt, ut reorum pœnitentia impediretur. Quod ſi adhuc circa Prophetiæ veritatem dubitas; quomodo verum eſt: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*, cum non ſit ſecuta ſubverſio? Dicimus tibi cum P. Auguſtino (*a*): Ad ſenſum Domini Prophetiam impletam eſſe, licet humano ſenſui caſſari videatur: Ninive enim moribus ſubverſa eſt, non mœnibus, ut Dominus prætendebat, quamvis ſecuta fuiſſet quoque mœnium ſubverſio, ſi non præceſſiſſet morum tam cita converſio. Vel aliter, & forte argutius: dicimus in hujuſmodi oraculis ſæpius non nudam futurorum, & abſolutam exiſtentiam prænunciari: ſed ordinem magis cauſarum (*b*), ad illos effectus. Hoc eſt cum dicitur. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.* Non, quod ita futurum ſit abſolute pronuntiatur, ſed quod, ut ita in futurum fiat, in præſenti, Divinæ ordinationis & cauſarum diſpoſitio talis ſit; quæ tamen poſſit ſuperveniente aliquo impedimento impediri. Velut, ſi quis Regis conſiliarius a ſecreto aliquid foris futurum prænunciet, quod intus in Regis conſilio novit eſſe diſpoſitum, etiamſi poſtmodum prædicta res non ſequatur, non poteſt redargui fuiſſe mentitus: quia non rem ipſam, ſed rei diſpoſitionem

Jonæ 3. (*a*)

(*b*) Ibidem.

(*a*) Serm. 361. de Reſurrect. Mort. 1. num. 20., alias de diverſis 120. *Sed quid dicemus? Quia Propheta mentitus eſt? Si carnaliter intelligas, falſum videtur dixiſſe: ſi ſpiritualiter intelligas, factum eſt, quod dixit Propheta. Everſa eſt enim Ninive. Attende quid erat Ninive, & vide, quia everſa eſt. Quid erat Ninive? Manducabant, & bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant, perjuriis vacabant, mendaciis, ebrietatibus, facinoribus, corruptionibus: hæc erat Ninive. Attende modo Ninive: plangunt, dolent, contriſtantur, in cilicio, & cinere, in jejuniis, & orationibus. Ubi eſt illa Ninive? nempe everſa eſt, quia non in illis ſuperioribus actibus conſtituta eſt.* Non aliter S. Gaudentius Tract. 3. ad Neophytos. *Adhuc triduum, & Ninive evertetur. Verum prædixit: nam everſa eſt iniquitas ejus.*

(*b*) Eſt S. Thomæ Aquinatis doctrina 1. p. quæſt. 19. art. 7. ad 2. *Sic ergo dicendum eſt, quod Deus aliquando prænuntiat aliquid futurum, ſecundum quod continetur in ordine cauſarum inferiorum, ut puta ſecundum diſpoſitionem naturæ, vel meritorum: quod tamen non fit, quia aliter eſt in cauſa ſuperiori divina.*

apud bene intelligentes denuntiavit. Discamus igitur, Fratres, ab his barbaris pœnitentiam agere, divinum discamus placare furorem: non legerant isti Prophetas, non sacros volverant libros, non illis data lex, non Euangelica eis tuba sonuerat. Ad unam Prophetæ vocem mutati, acerrimam aggressi sunt pœnitentiam. O miram Dei virtutem, miram quoque animorum facilitatem! Signa non petunt, miracula non requirunt: nullus ibi suscitatur mortuus, nullus curatur ægrotus, nullus a dæmonio energumenus liberatur. Sed quid de signis loquor? Cum neque dicti rationem aut causam exquirant, non a quo missus Propheta, aut quare missus, aut quænam in eos tantæ ultionis iram culpa promeruit; solo vocis sonitu, quasi cœlesti quadam tuba commoti, conturbati, conversi, certatim se supplices totos Deo dederunt.

Isaiæ 1. IX. Væ nimium obduratæ cervici! *Væ genti peccatrici, populo iniquitate* gravato, *semini nequam, filiis sceleratis!* Quid dicturi sumus, quos neque divina oracula, neque sanctorum monimenta percellunt? Quot ubique conciones, quot exhortationes, quot libri? Nec minis terremur, neque promissionibus allicimur, nec provocamur exemplis; non promissa nos gloria, non fumans deorsum gehenna, non arridens Dei benevolentia avocat a peccatis. Ubi hodie verum pœnitentem, ubi vel unicum reperies Ninivitam? Dic mihi o pœnitens; si vera est pœnitentia tua, si dolor non fictus, ut quid mollibus vestiris, pretiosis cibaris, blandis foveris, oblectaris ludis, voluptatibus deliniris? Cur amplas erigis domos, amœnos inseris hortos, spectacula curiosus frequentas? Hæcne sunt insignia pœnitentis, hæc opera lacrymantis? Lacrymæ cachinnis immixtæ, risu sociata tristitia, derisorem te monstrant non supplicem: irridentem potius quam pœnitentem ostendunt. Ille verus est dolor, cui comes astipulatur & consonat vita. Si vere pœnitens, cur ergo non vivis ut pœnitens? An non attendis in isto Ninivitarum facto, divinam quid placaverit iram? Numquid jejunium, vel saccus, numquid cilicium, vel cinis, numquid infantum ejulatus, ploratus hominum, ululatus jumentorum? Non hoc utique solum, sed quid potius? Scripturam attendito: *Vidit*, inquit, *Jonæ 3.* *Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est.* Hæc morum conversio, hæc vitiorum correctio verum fuisse dolorem ostendit, qui tot signis se prodebat, & Deum illi placatum reddidit & benignum. Et nos igitur, Fratres, si Deum propitium nobis cupimus invenire, similia faciamus. Quotidie vestras clamamus ad aures: quotidie vestro ingerimus auditui illud Prophetæ: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur:* hoc iterum iterumque repetimus: nolite confidere in mundo, speciem ejus nolite diligere. *Præterit namque figura hujus mundi;* & omnis hæc visibilis pulchritudo cito evanescet. *Ninive* enim *pulchritudinem* sonat. Nolite o fœminæ fucare vultus: nolite corporis pulchritudinem exterius mendicare, fluxam, & labilem carnem nolite curare, blanditiis eam nolite fovere. *Nam adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur:* id est; post modicum universa illius pulchritudo, quam tanto opere quæritis, deflorabitur, & in cineres redigetur, & vermes. Faciat Deus, ut monentem per nos, ipsum istorum exemplo celeriter audiatis, vitam cum moribus solicite corrigatis, ut in præsenti propitium, & in futuro benevolum sentiatis. Ipso præstante cui est in Trinitate perfecta honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Jonæ 3. *Jonæ 3.*

Postilla Euangelii.

Primo. *Magister volumus a te signum videre.* O Juda. Quid petis ab illo, signum? Ipse est signum signorum. Quid enim aliud fuit: serpens æneus virga Aaronis, vellus Gedeonis, &c. Imo, aliqua non solum figuram, sed magis expressa significant. Ut somnium illud Joseph, de sole & luna, & duodecim stellis ipsum adorantibus; de quo Pater ait: *Num Ego & Mater tua, & Fratres tui adorabimus te super terram?* Sed ubi, quæso, impletum est? Rachel non adoravit Joseph. Ubi adoratio lunæ? Vide ergo Christum a sole & luna adoratum. Apostolus: *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Vide de hoc P. Augustinum: *Sermone secundo* (*a*), *post secundam Dominicam Quadragesimæ.*

Mat. 12. *Num. 21.* *Exodi 4.* *Judic. 6.* *Gen. 37.* *Philipp. 2.* (*a*)

Secundo. *Volumus a te signum videre. Generatio mala & adultera signum quærit.* Statim oritur difficultas: nam Achaz dicitur: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo.* Et cum respondisset: *Non petam, & non tentabo Dominum:* dans justam excusationem, ut videtur; tamen reprehensus est ab Isaia, dicente: *Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus?* Ecce, iste Achaz reprehenditur, quia non petit signum, & Judæi petunt signum, & dicitur eis: *Generatio mala & adultera signum quærit.* Similiter, Abraham, Gedeon, & Zacharias petierunt signa, & reprehensi sunt. S. Thomas (*b*) *Secunda secundæ* dicit: Quod signum potest dupliciter peti. Unum, tentando Deum, ut Judæi, aut dubitando; in confirmationem scilicet, alicujus dicti vel promissi, sicut Gedeon & Za-

Mat. 12. *Isaiæ 7.* *Mat. 12.* *Gen. 15.* *Judic. 6.* *Lucæ 1.* (*b*)

(*a*) Sermo iste est 81. de temp., sive secundus in Fer. 6. post Dom. 2. Quadrag. apud Lovanienses; in novissima autem edit. Maur. rejicitur in Append. tom. 5. pag. 27.

(*b*) 2. 2. q. 97. art. 2. ad 3. *Sciendum tamen, quod dupliciter aliquis signum petit a Deo. Uno modo ad explorandam divinam potestatem, aut veritatem dicti ejus: & hoc de se pertinet ad Dei tentationem. Alio modo ad hoc, quod instruatur, quid sit circa aliquod factum placitum Deo, & hoc nullo modo pertinet ad Dei tentationem.*

Zacharias; vel forte vana curiositate, ut Herodes volebat videre signa a Christo; & *Lucæ 23.* isto modo est reprehensibile. Alio modo, in significationem, & mysterium, & utilitatem communitatis; & sic est laudabile, & noluit petere Achaz. O quam utile erat illud signum: *Ecce Virgo concipiet!* Juste ergo *Isaiæ 7.* reprehenduntur Judæi, quia petebant propter calumniam.

Mat. 12. Tertio. *Volumus a te signum videre.* Chry- *(a)* sostomus (*a*): O stulti, quid quæritis signum? *Ibid. 20.* Ubi eratis, quando cæci illuminabantur, *Jo. 9.* quando leprosi mundabantur, quando mor- *Marc. 1.* tui suscitabantur? Numquid ista signa sunt? *Lucæ 7.* Majora petitis? O insani, quæ in terra sunt, *Jo. 11.* & prope vos, vel intra vos, non videtis, *Jacob. 2.* & quæritis in cœlo signum? Dæmones vi- *Marc. 1.* dent, & contremiscunt clamantes: *Quid no-* *Mat. 8.* *bis, & tibi, Jesu Nazarene? Quid nobis & tibi, Jesu Fili Dei?* Et vos adhuc ignoratis? Qui per me perdentur, confitentur; & vos per me redimendi, dubitatis? Cæci, & surdi, & muti vident, & clamant laudantes *Lucæ 3.* Deum, vos autem tentatis Deum? *O geni-* *Mat. 17.* *mina viperarum!* Quam diu vos patiar? Ut *(b)* ait Chrysostomus (*b*): Isti erant stupidi ad signa Christi; sicut quando aliquis est in fenestra meditando, non videt prætereuntes, & licet videat, quia sibi præsens non est, non sentit se illos videre. Ita isti: quando Dominus faciebat miracula, videbant quidem, sed erant cæci, obcæcante eos malitia & invidia, & tunc erant intenti, ut possent calumniari, & non ad miracula. Ideo, quasi excæcati quærunt signum de cœlo.

Ibid. 12. Quarto. *Generatio mala & adultera, signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ.* Et parum hoc tibi videtur Domine? Non dabitur vobis, *Nisi signum Jonæ Prophetæ?* Nec volumus aliud. *Jonæ 2.* Quale est hoc signum Fratres? Ecce Jonas intrat in ventre ceti animo mortuus, & *Mat. 28.* exiit vivus. Christus intrat in terram cor- *Ibid. 12.* pore mortuus, prodiit glorioſus. *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Habes synagoga, habes signum Jonæ figuram. Tibi non dabitur aliud, Ecclesiæ dabitur veritas. Idem ergo signum Ecclesia petit, & synagoga, sed vobis non dabitur nisi unum signum. Sed quid remedii? Divisit hoc per medium: Detur Christus mortuus synagogæ, & vivus Ecclesiæ. Tu synagoga videbis bestiam devorantem, mortem deglutientem Prophetam, tumulum absconditem; sed sola Ecclesia videbit glorioſum, de morte trium- *Mat. 28.* phantem. O præclarum signum, quo mors destruitur, vita donatur, & non sola Ninive, sed universus mundus liberatur!

Quinto. *Viri Ninivitæ surgent in judicio* *Ibid. 12.* *cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ.* Si isti surgent in judicio, quomodo peccatores istos æquiparat Apostolis? Quibus dixit: *Sedebitis & vos super sedes duodecim judican-* *Ibid. 19.* *tes duodecim tribus Israel?* Solutio ex littera. Apostoli sedebunt ut Judices, isti surgent ut testes, & accusatores. Sed non solum judæorum, imo etiam Christianorum, ut ait Hieronymus (*c*), qui tantis vocibus & ser- *(c)* monibus non incitantur ad pœnitentiam; & isti unico verbo. O Fratres! Per reverentiam Dei, non sustineamus tantum opprobrium, ut illi gentiles accusatores nostri sint. Expergiscere peccator: non solum dæmon te accusabit, sed etiam quilibet justus. Qualis autem fuit pœnitentia ista, nisi fletus, & jejunium? Qualis autem debeat esse fletus pœnitentium, dicit Jeremias: Dolebunt sicut doleri solet in morte primogeniti. Nam, de *Jer. 6.* amissione rei temporalis, luctus consolationem recipit, sed in morte primogeniti, dolor est sine consolatione. Sic dolor peccati quo amittitur Christus. Acerbior est mors, qua Christus moritur in anima, quam qua mortuus est pro anima. Nam istam sustinuit, ut illam excitaret, & mortuus est pro anima, ne moreretur in anima, sed viveret in ea.

(*a*) Homil. 30. in cap. 12. Matth. *Signum vultis videre? Ubi eratis, quando dæmones castigati a me non flagello, sed verbo clamabant: Quid nobis, & tibi Jesu Nazarene? veniſti ante tempus torquere nos? Scimus te, quia es filius Dei. Dæmones virtutem meam senserunt, & vos quomodo signum operum meorum non aspexistis? Ubi eratis, quando cæci secus viam sedentes clamabant, Jesu fili David miserere nobis, ut videamus. Tu es virga florens de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendens, & super te requiescent septem Spiritus Dei. Septem Spiritus Beelzebub adorant, & fugiunt a te. Cæci me non videntes viderunt, & vos videntes me non vidistis? Percurre, si vis, & cætera mirabilia ejus.*

(*b*) Loco supra citato. *Ecce si quis exponat tibi res, quas non libenter audis, si tota die audieris, nihil eorum retines, quæ audisti. Aut ambulans in via, si mens tua aliquo cogitatu fuerit occupata, quamvis omnes videas transeuntes, tamen neminem vides. Sic & Judæi frequenter signa videntes, adhuc signum petebant, quia hoc videbant, quod videre nolebant.*

(*c*) Surrecturos in judicio Ninivitas, *non sententiæ potestate, sed comparationis exemplo*, explicat S. Hieronymus in cap. 12. Matth.

IN FERIAM QUINTAM
POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ
CONCIO PRIMA.
DE ECCLESIA MILITANTE, SUPPLICANTE.

Miserere mei Domine fili David, filia mea male a dæmonio vexatur.
Matth. 15. v. 22.

CONCIO XXXIX. *Ezech.* 33.

I. IN Ezechiele legimus: *Terra cum induxero super eam gladium, & tulerit populus terræ virum unum de novissimis suis, & constituerit eum super se speculatorem: Et ille viderit gladium venientem super terram, & cecinerit buccina, & annunciaverit populo: Audiens autem quisquis ille est sonitum buccinæ, & non se observaverit, veneritque gladius, & tulerit eum: sanguis ipsius super caput ejus erit. Sonum buccinæ audivit, & non se observavit, sanguis ejus in ipso erit, si autem se custodierit, animam suam salvabit. Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina: & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: Ille quidem iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. Et tu fili hominis speculatorem dedi te domui Israel.* Officium enim prædicatoris, speculatoris officium est. Unde illi dicitur: *Super montem excelsum ascende tu, qui Euangelizas Sion.* *Isaiæ 40.* Speculator quippe in alto debet esse, non in infimo: perfectionis & contemplationis culmen tenere debet, ut possit populum admonere, ac veluti ex alta specula contemplari quæ populus non videt. Hic cum senserit gladium, id est, Domini indignationem super populum venientem, si non sonuerit buccina, id est, prædicationis tuba intonuerit, præmonendo, arguendo, increpando, obtestando populum, ut agat pœnitentiam, & convertatur; reus erit sanguinis populi. Ad hoc enim positus erat, ut populum præveniret. Si autem præmonuerit, & populus non se custodierit, & ejus monita sequi noluerit: ille quidem liber erit a sanguine populi, & populus in peccato suo morietur. Videtis certe, Fratres, periculum nostrum: attenditis obligationem terribilem. Non ergo succenseatis, non indignemini, si aliquando arguimus aut reprehendimus peccata vestra, & vos acriter increpamus. Incumbit nobis hoc ex officio, sub pœna indignationis æternæ: & si non fecerimus, sanguinis vestri in Dei judicio rei erimus. Unde merito clamabat Propheta: *Væ mihi quia tacui.* *Ibid. 6.* Hujus taciturnitatis culpam nunc ego declinare cupiens, quoniam gladium venientem super populum conspicio, sermonis tuba vos excitare cupio, ut fugiatis, & declinetis ab ira Dei, & periculum evadatis, auxiliante Dei gratia: ad quam impetrandam, favorem Virginis imploremus, offerentes. *Ezech.* 33.

AVE MARIA.

II. Proponit nobis hodie lectio Euangelica mulierem Chananæam paganam & idololatram, sed certe mirabilem & spectabilem; quæ a finibus Tyri & Sidonis egressa pro salute filiæ suæ, quam dæmon male vexabat, Dominum exorabat; cujus eximiam fidem atque constantiam, ut Dominus notum faceret, audire se dissimulabat, & tacendo præteribat: sed non illa a clamore cessavit, donec Apostoli improbis clamoribus simul, & misericordia commoti, pro ea Domino supplicarunt, dicentes: *dimitte eam* obsecramus, *quia clamat post nos*, & clamoribus suis aures nostras obtundit. *Matt. 15.* Quibus Dominus: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Et accedens ac procidens adoravit, & ait: *Domine adjuva me.* Cui Dominus. *Non est*, inquit, *bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* At illa dixit: *Etiam Domine; nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.* O eximiam humilitatem! O perseverantiam singularem! Quid primum in hac muliere laudem, ignoro: fidem, an humilitatem, an constantiam, an fiduciam, patientiam, perseverantiam? Quot virtutum insignia unico exemplo monstravit? Unde Dominus exclamans ad tantam fœminæ probitatem ait! *O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.*

III. Quomodo nobis ob oculos objicit hæc mulier Sanctam Matrem Ecclesiam hoc tempore lugubrem, afflictam, gementem, & dolentem, & pro filia sua plebe Christiana Domino innumeris gemitibus & clamoribus supplicantem, atque dicentem: *Miserere mei,* *Ibidem.* non dico: *Fili David*, sed *Fili Dei vivi.* *Ibid. 16.* Nam filia mea plebs tua, quam verbo tuo & spiritu tuo tibi genui, pro qua ipse de cœlo descendere, & sanguinem in cruce fundere dignatus es, male a dæmonio vexatur; torque-

torquetur, & affligitur: & timeo ne penitus deficiat præ angustia. Inclina bone Jesu pietatis tuæ oculos super populum tuum, miserum & afflictum, & vide tribulationem meam. Quoniam: *Super inimicos* facta *sum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis. Qui videbant me, foras fugerunt a me: Oblivioni* data *sum tanquam* mortua *a corde. Qui non respondit ei verbum.* Quandiu enim clamat, & non auditur, quandiu plorat & non succurritur. Sed ecce tribulatio super tribulationem, afflictio super afflictionem: *Expectavimus pacem, & ecce tribulatio.* Semper in laboribus, in angustiis, in continua calamitate & miseria, quotidie vastatur, quotidie arctatur ab inimicis, & non est qui succurrat, & pro illa respondeat. O longum silentium! O durissimam dissimulationem! *Usquequo*, inquit, *Domine clamabo, & non exaudies: vociferabor vim patiens, & non salvabis? Domine vim patior, responde pro me.* Sed *quid dicam, aut quid respondebit mihi*, cum ipsa fecerim? Proinde timendum ne forte dure respondeat, & dicat: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Hi enim quos tu fideles putas o Ecclesia, respice bene, canes sunt, & latrant contra me verbis & factis: nomen meum blasphemant: solo nomine Christiani sunt, opere Antichristi. Super quo propitius tibi esse potero? Ecce omnes conspiraverunt, & conjuraverunt contra me. Quid clamas ad me super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus. *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. Non est qui judicet judicium tuum ad alligandum: curationum utilitas non est tibi. Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quærent. Plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli. Durus est hic sermo: & quis potest eum audire?* Sed tamen prudens ac humilis Ecclesia a precibus, & clamoribus non desistit, & sæpius repulsa, non diffidit; novit enim viscera pietatis Sponsi sui. Sed instat & supplicat dicens: *Etiam Domine.* Ita est, canis sum, negare non possum; impii sunt & peccatores. Sed tamen: *Et catelli edunt de micis, quæ cadent de mensa Dominorum suorum.* Canes sunt, sed domus tuæ catelli sunt; tibi incumbit etiam catellis tuis de necessariis providere. Non panes filiorum peto, non antiquas illas misericordias, & copiosas gratias, quas in principio fidelibus tuis dedisti; non affluentiam illam spiritus, & donorum redundantiam, quam de cœlo largiter effudisti; non favores illos ampliffimos, quos olim sanctis tuis, filiis tuis, dilectis tuis misericorditer exhibuisti, sed tantum micas, quæ cadunt de mensa tua: ut vel saltem fideles tuos defendas a barbaris, ut eos tuearis ab inimicis, ut plebem tuam pacifices, & scandala populi tui tollas; ut tuorum fidelium oculos illumines, ut videant peccata sua, & flagitia sua, & fœditatem suam, & agant pœnitentiam, & confundantur & convertantur a via sua mala, & redeant ad te Deum verum, Redemptorem & Salvatorem suum. Hæc Domine apud tuam magnificentiam & clementiam micæ sunt; has peto, has efflagito & postulo. Non est tuum Domine negare populo tuo micam, pro quo sanguinem effudisti, & dedisti animam. Sic quotidie pia Mater pro filiis suis ad pedes Sponsi sui provoluta, veluti columba gemens fiducialiter precatur; sic gemitibus inenarrabilibus indesinenter clamat. Felices nos, si aliquando audire mereamur: *O mulier magna est fides tua! Fiat tibi sicut vis.* Hæc de Euangelio.

IV. Duo dicenda sunt. Primo: quam male Ecclesia vexatur a dæmonio, & a ministris suis hoc tempore. Secundo: de remedio hujus vexationis. Sicut ait Pater Augustinus (*a*) super Psalmum: *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.* Ecclesia a principio suæ formationis semper fuit multipliciter impugnata; neque deerunt illi impugnationes usque in finem, quandiu in hac peregrinatione extiterit. Oportet enim Verbum Dei impleri, quod Apostolis suis prædixit: *In mundo pressuram habebitis.* Et iterum: *Mundus gaudebit, vos vero contristabimini.* Et alibi: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Quantos sustinuit persecutionum fluctus tenella illa Ecclesia in Jerusalem a perfidis Judæis, quando primo fundari cœpit, Principibus Sacerdotum & populo contradicentibus illi? Unde ab immanitate persecutionis, cum ordiretur, succisa est, & coacta est dispergi per totum mundum, non sine magna Dei providentia: ut sic illam per totum orbem transplantaret; & plantata dilataret propagines usque ad fines terræ. Sed nec sic cessavit persecutio: sed novo quodam, & inusitato persecutionis genere submissi sunt a Judæis Apostoli, qui Christum falso prædicarent; & sub nomine Christianitatis, ipsum Christianismum perverterent. Hi sunt vulpeculæ illæ callidæ, quas Spiritus sanctus in Canticis capi jubet, ne demoliantur vineas; *Nam*, inquit, *vinea nostra floruit.* Dum enim florere cœpisset in orbe Ecclesia, statim istæ vulpeculæ eam demoliri conatæ sunt: quibus ad omne exitium satis est, si capiantur, & deprehendantur in astutia sua. Nam fraude detecta, non est unde vineæ nocere possint. In quibus capiendis, id est prodendis propalandisque, non modicum sudavit Apostolus. De his enim dicebat: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem: Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego.* Et ad Galatas: *O insensati Galatæ! Quis vos fascinavit non obedire veritati?* Fuerant enim ab istis decepti. Vix ista persecutio transierat, & ecce alia grandior, & immanior exorta est a Tyrannis, & Im-

Mat. 15. Psal. 30. Mat. 15. Jer. 14. Habac. 1. Isaiæ 38. Mat. 15. Jo. 6. Jer. 30. Mat. 25. Mat. 15. Ps. 128. (*a*) Jo. 16. Ibid. 15. Isaiæ 38. Psal. 79. Cant. 2. Job 5. 1. Cor. 3. Philipp. 3. 2. Cor. 11. Galat. 3.

(*a*) In Psal. 128., toto num. 2. & 3., de hoc agit argumento S. Parens.

& Imperatoribus gentilibus, qui ferina crudelitate innumeram Martyrum multitudinem occiderunt, non parcentes ſexui, ætati, aut conditioni, ſed more ferali, omnes in univerſum chriſticolas laniantes. Quos optime exprimit Pſalmus: *Congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos qui probati ſunt argento*. Sed & hæc vix quoque tranſierat: & ecce tertia inſurrexit perſecutionis tempeſtas, ab Hæreticis excitata, quæ toto terrarum orbe Eccleſiam Dei longo quidem tempore vehementer afflixit; qua & aliqualiter ſedata, ultima nunc a Paganis, & Turcis, & infidelibus invaluit, quæ a tempore illius peſtiferi Mahometi ſupra modum Eccleſiam Dei vexavit, neque ceſſat vexare uſque ad diem hanc. Hic eſt enim aper ille de ſylva, & ſingularis ferus, qui vineam Domini quotidie depaſcitur, & demolitur. Has quatuor Eccleſiæ perſecutiones, teſte Bernardo (*a*), deſignat Pſalmus, cum ait: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*. Hæ ſunt quatuor illæ beſtiæ horribiles, quas vidit Daniel, aſcendentes de mari: quarum prima erat quaſi leæna, & alas habebat aquilæ: ſecunda ſimilis urſo, tres ordines dentium erant in ea, & comedens carnes plurimas: tertia ſimilis pardo, habens alas avis & quatuor capita: quarta terribilis atque mirabilis, & fortis nimis, dentes habens ferreos, comedens & comminuens omnia, & cornua decem, quæ merito cæteris præfertur in feritate, quoniam hæc ultima præ omnibus aliis Eccleſiam Dei vexavit. Cujus decem cornua, multos & varios deſignant Mahometicos principatus, qui variis temporibus ſupra modum, Dei Eccleſiam vexaverunt: quorum unus & maximus eſt hic Turcarum, a quo præ cæteris Eccleſia in arcto poſita eſt. Si enim præſentis temporis anguſtias conſiderare voluerimus, inveniemus a mille ducentis annis, hoc eſt a tempore Conſtantini Imperatoris, Eccleſiam Dei nunquam ad tantam miſeriam deveniſſe. Nam etſi plurimas calamitates hoc ſupradicto tempore perpeſſa ſit, toto tamen orbe diffuſa, propriam dignitatem & gloriam retinebat, & omnibus fere nationibus imperabat. Nunc vero in angulo orbis concluſa atque conſtricta, ob peccata noſtra magnam ei partem; Imperium ſcilicet Conſtantinopolitanum, Græciam, Theſſaliam, Macedoniam; & nunc ad ultimum, Rhodum & Hungariam (*b*), Turca ſurripuit: reliquum vero Europæ quod reſtat, ſic ab hæreſi Lutherana & Calviniana corruptum, ac deor-

Pſal.67.

(*a*)

Pſal.79.

Pſal.90.

Dan. 7.

(*b*)

natum eſt, ut vix ejus dimidium in vera fide, & Pontificis obedientia perſiſtat. Sola enim Italia, & Gallia ex parte, & Hiſpania, in pura & ſincera permanent fide: & hæc modica pars in tanta diſcordia, & diſſidio eſt, ut niſi Dei clementia provideat, brevi videatur penitus peritura: tota namque corruit ac labaſcit. Quaſi domus aliqua ruinoſa & veluti navis ruptis compagibus, & amiſſo clavo mergitur in profundum.

V. O miſerandam deplorandamque calamitatem Eccleſiæ! O extremam ſortem ſanguineis lacrymis proſequendam! O antiquam illam majeſtatem & gloriam, ad ultimam confuſionem, & ignominiam devolutam! *Cui comparabo te? Vel cui aſſimilabo te filia Jeruſalem? Cui adæquabo te, & conſolabor te, Virgo Filia Sion, magna eſt enim velut mare contritio tua: Quis medebitur tui?* Ubi eſt illa potentia, & magnitudo tua? Ubi eſt illa gloria & pulchritudo tua, quando ab oriente in occidentem imperium extendebas? Quando toto terrarum orbe diffuſa, tot regnis & provinciis præſidebas? Quando omnes gentes, & nationes tuo protegebas imperio? Heu! *Facta eſt quaſi vidua domina gentium princeps provinciarum facta eſt ſub tributo. Nolite annuntiare in Geth, & ne annuntietis in compitis Aſcalonis, ne forte lætentur & exultent filiæ incircumciſorum*. Quid tibi tantum peccare potuit populus tuus Domine, ut ſic repelleres eum a te, & trades in manus inimicorum, & ſubjiceres dominio paganorum? Memento ſolii gloriæ tuæ, & recordare pretioſi Sanguinis tui, *Et ne repellas in finem*. Sic itaque arctamur, ſic affligimur, & ad hunc ſtatum propter peccata noſtra devoluti ſumus; nec tamen in hoc, maxima afflictio noſtra eſt: ſcimus enim, quia omnia dedit tibi Pater in manus, & tuo nutu omnia diſponuntur, & facile eſt tibi ſalvare cum volueris; tu enim *Conturbas profundum maris*, & procellas perſecutionum ſuſcitas, & cum placet: *Sonum fluctuum ejus tu mitigas*. Sed quod maxime auget dolorem noſtrum, & duplicat afflictionem, eſt expectatio futurorum. *Foris gladius, & intus timores*, ut ait Apoſtolus. Facit autem vehementer timere, videre in tantis malis duritiam & inſenſibilitatem cordis noſtri; non eſt enim qui ſentiat, non eſt qui doleat; *Non eſt qui conſurgat & teneat te*; in ultimo malorum conſtituti profundo ſomno dormimus, jucundamur, & lætamur quaſi phrenetici. Non eſt qui clamet & deprecetur veniam; nulla malorum reformatio, nullus qui peccata defleat. *Percuſſiſti*, inquit,

Thren.2.

Ibid.1.

2.Reg.1.

Pſal.43.

Jo.13.

Pſal.64.

Pſal.88.

2.Cor.7.

Iſaiæ64.

Jer.5.

(*a*) Quatuor Eccleſiæ perſecutiones, ſeu tentationes aliquatenus indicari ex citatis Pſalmi verbis tradit S. Bernardus Serm. decimoquarto in Pſal. *Qui habitat*; ſed diſerte magis idipſum erui ex aliis ejuſdem Pſal. verbis: *Non timebis a timore nocturno, a ſagitta volante in die*, perhibet Mellifluus Doctor Serm. 6. in eumdem Pſal. num. 7., & Serm. 33. in Cant. num. 14. & ſeq.

(*b*) Rhodum expugnavit Solimanus II. Turcarum Imperator anno 1522., ut tradit Spondanus. Lugubrem ejus infortunii hiſtoriam fuſe tribus libris latine comprehendit Jacobus Fontanus, qui eidem interfuit. Hungariam vero pene totam idem Tyrannus occupaverat anno 1543., dum nempe inter vivos ageret S. Orator.

inquit, *eos, & non doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti. Dissipati sunt*, neque *compuncti*. Et alibi: perdidi populum meum, & non est reversus ad me. O stupendum stuporem! O soporem mentium miserandum! Quasi exigua mala sint hæc: cum multo majora sint, quam belli miseria, quam fames, aut pestis; in his enim jactura corporis, in illis est etiam periculum animarum; hæc timemus, illa contemnimus, hoc nostræ perditionis evidentissimum prognosticum. *Prope est dies Domini. Finis venit, venit finis. Nam securis ad radicem arborum posita est*, appropinquat tempus illud, de quo in Apocalypsi legimus: *Et vidi, & ecce nubem candidam & super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Et alius Angelus exivit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora, ut metatur: quoniam aruit messis terræ. Et misit qui sedebat super nubem falcem suam in terram, & demessa est terra, &c.* Vere venit jam messis ad maturitatem, non restat nisi ut metatur triticum, & condatur in horreum Domini; & botri amarissimi, & acerbæ labruscæ inferni torculari calcentur: quod fiet die a Domino præfinito.

Pſal.34. *Iſaiæ 9.* *Ibid.13.* *Ezech.7.* *Mat.3.* *Apoc.14.* *Deut.32.*

VI. Quid ergo faciemus, Fratres, in tanta miseria constituti, nisi quod fecit hæc Mulier Chananæa? Quæ nobis ob id in exemplum objicitur in Euangelio, ut eam in nostris pressuris & tribulationibus imitemur. Primo ergo flagella Domini, & peccata, propter quæ veniunt, agnoscamus: non simus quasi statuæ sine sensu, cor habentes lapideum & induratum. Secundo clamemus ad Dominum clamore valido, corrigendo vitam, & misericordiam postulando, sicut scriptum est: *Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me*. Et iterum: *In tribulatione mea invocavi Dominum, & exaudivit de templo sancto suo vocem meam*. Hoc enim unicum refugium habemus; in hoc tota salus nostra consistit. Sperent alii in curribus & equis, & exercitu forti: *Nos autem in Nomine Domini Dei nostri* invocemus, illum imploremus, ad illum accurramus: arma enim nostræ militiæ spiritualia sunt, potentia Deo; orationes, scilicet, jejunia pœnitentia, lacrymæ. His armis prioribus temporibus Ecclesia omnes diaboli conflictus devicit, omnes mundi procellas superavit. His olim Moyses de monte non pugnando, sed clamando Amalecitas devicit. Quoties ad hæc recurritur, certa est victoria; quoties id negligitur, indubitata est miseria. Tertio: si volumus, quod audiatur in cœlo clamor noster: de Tyri & Sidonis finibus exeamus; relinquamus peccata, & non modo vitia, sed etiam vitiorum fines, id est, occasiones deseramus; in Isaia enim scriptum legimus: *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*. Multa fecerunt Ninivitæ, cum Jonas Propheta civitatis excidium prophetaret; sed quid ait Scriptura? *Vidit Deus quia conversi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit*. O Ecclesiæ reformatio tamdiu desiderata, & nunquam exhibita! O si daretur (*a*) nobis illam videre oculis nostris ante mortem! Credite, Fratres, quamdiu in his moribus Ecclesia vixerit, frustra bellatur in Turcas: prius contra mores quam in hostes pugnandum. Corrigamus itaque vitam, & adhæreamus Deo, & ipse pugnabit pro nobis. Quarto in oratione & clamore perseveremus, & non a clamoribus desistamus, donec impetremus; sicut scriptum est: *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*. Magna virtus perseverantiæ, quæ etiam ubi merita desunt, locum obtinet impetrandi.

Mat. 15. *Iſaiæ 1.* *Jonæ 3.* *Pſ. 122.*

(*a*)

IN FERIAM QUINTAM
POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ
CONCIO SECUNDA.
De Imitatione Sanctorum.

Miserere mei Domine Fili David, Filia mea male a Dæmonio vexatur.
Matth. 15. v. 22.

Concio XL.

I. UT quis perfecte acquirat de re aliqua scientiam, tria illi sunt necessaria: ars, usus, & imitatio. Ars, quæ regulas & documenta tradat, usus, qui ea exerceat, imitatio, quæ exempla oculis objiciat. Exemplum est in pictore, qui ut perfecte artem suam acquirat; Primo indiget arte, quæ doceat regulas conficiendorum colorum, & proportionem servandam in eis componendis, & in depingendis imaginibus rationem. Secundo indiget usu: nam si non pingit, nunquam erit pictor. Tertio indiget exemplaribus insignibus, in quibus omnes illæ regulæ optime videantur. Ita in musica & in cæteris artibus. Est autem tam potens imitatio, ut sola sine arte, ut Tullius (*b*) ait; vel cum modica arte sufficiat facere rhetorem, assidue legendo & exercendo;

(*b*)

(*a*) Vehemens hoc, piissimumque desiderium explere non potuit S. Præsul, quandoquidem nonnisi post ejus mortem publicata sunt Concilii Tridentini decreta, quibus optata ab ipso Ecclesiæ reformatio reddi cœpit, ut diximus in notis ad Concion. 1. Dom. 4. Advent., ubi Ecclesiæ damna iterum plorat, & reformationem optat.

(*b*) Cicero de Orat. lib. 2. *Ergo hoc sit primum in præ-*

do; quod etiam in pleriſque facultatibus evenire ſolet. Ars artium eſt ſervire Deo, ſuprema ſapientia ſcire bene vivere: ſi hanc noſti, etiamſi cætera neſcias, ſapientiſſimus es: qui hanc neſcit, quicquid ſciat, ignorantiſſimus eſt. Hanc omnes Chriſtiani profitemur. Quid enim aliud eſt Chriſtianiſmus, niſi ars docens homines pie vivere, placere & ſervire Deo? Unde Paulus: *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo.* Hujus artis regulas, & præcepta tradit Euangelium, & Scriptura ſacra: ſed nihil proderit iſta ſcire, niſi ea opere exerceas: peritia enim Scripturæ poteſt te facere bonum Theologum, ſed non bonum Chriſtianum. Sed juvabunt ad hoc valde Sanctorum exempla, quæ ſunt, quaſi quædam exemplaria perfecta, in quibus tota Chriſtianitatis ars perfecte depicta cernitur. Nihil enim aliud eſt quilibet Sanctus, niſi Euangelium vivum, & Euangelica inſtitutio; perfectius videtur in Sancto, quam legitur in libro. Solet geometra rudibus tyronibus depingere geometricas quaſdam figuras, in quibus oculo, practice videant, quod aure, theorice non intelligunt. Ita & Deus perfectionem tradit in Euangelio: deſcribit in Sancto, ut qui virtutum formam legendo non intelligit, videndo ſciat. Quantum in cœnobiis, & in cæteris Chriſtianis congregationibus vita unius viri Sancti inſpecta alii proficiant, experientia demonſtrat. Vere exemplum, quam verbum homines amplius movet, ac propterea Spiritus ſanctus hujus artis traditor, & inventor, ſciens quantum ad bene vivendum proficiat imitatio, fere per totam Scripturam varia Sanctorum exempla paſſim ſparſit, & fidelibus imitanda propoſuit, ut Abrahæ obedientiam, Joſeph caſtimoniam, Moyſi manſuetudinem, Job patientiam, David humilitatem, Eliæ zelum, & alia ſimilia: in quibus veluti exemplaribus, & ſpeculis omnis bene vivendi ars relucet, & ſplendet.

Tit. 2.

Gen. 22. Ibid. 39. Num. 12. Job 2. 2. Reg. 6. 3. Reg. 19.

II. Hæ ſunt virgæ quas noſter Jacob ovibus ſuis objicit in canalibus, ut eis configurentur. Omnes noſtis hiſtoriam; non tamen erit inutile, propter ſimplices, ſi eam diffuſius pertractemus. Jacob Patriarcha, poſtquam diu ſocero ſuo Laban ſine aliquo ſtipendio ſervierat, convenit cum eo, ut pro ſervitii ſui mercede, maculoſi fœtus qui ex gregibus naſcerentur, in partem ſuam cederent, reliqui vero, qui vel albi vel nigri prodirent, ſoceri ſui eſſent. Placuit ſocero conventio, quia raro hujuſmodi fœtus varii naſci ſolent, ſed S. Jacob, ut debitum ſibi pro ſervitio ſalarium obtineret, ſicut bonus philoſophus, quamvis paſtor, uſus eſt cautela quadam pulchra & prudenti: tollens namque virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticavit eas, atque ita color earum factus eſt varius, ex viridi alboque commiſtus, poſuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua, ut cum veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent: factumque eſt ut in ipſo calore coitus, oves intuerentur virgas, & parerent maculoſa, & varia, & diverſo colore reſperſa: itaque, ſic grex ejus multiplicatus eſt valde, ac in brevi tempore factus eſt dives.

III. Hanc figuram pulchre exponit Gregorius (*a*) *vigeſimo primo Moralium*, fere ad hunc modum. Paſtor paſtorum, fortis luctator & verus Jacob, qui triginta tribus annis duriſſimo ſervitio Patri ſervivit in vita mortali pro Rachele formoſiſſima, Eccleſia ſancta Dei, ut exhiberet eam ſibi ſine macula, & ſine ruga, & qui omnium laborum ſuorum ſtipendium in animarum fidelium grege recepit Chriſtus Dominus eſt, cui a Patre dicitur: *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Hic Paſtor totum gregem ſuum vult varium, pulchrum, maculoſum, non unicolorem, ſed vario colore reſperſum. Non enim tibi ſufficit una virtus, ut ſis ovis Chriſti: non ſatis eſt ut humilis, vel caſtus, vel manſuetus, vel pius inveniaris, ut electorum ovili adjungaris, ſed ex pluribus aut ex omnibus virtutibus oportet eſſe decoratum. Talis erat illa, de qua dicitur in Pſalmo: *Aſtitit regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Virgines illæ fatuæ, quia unicolores erant, & ſolo virginitatis candore coloratæ, audierunt a Domino: *Neſcio vos.* Ac ſi diceret: non eſtis vos ex ovibus meis: varium geſtate colorem, & ſuſcipiam vos. Phariſæus ille qui de ſe ſola jejuniorum, & pœnitentiæ nigredine gloriabatur, aliena ovis erat, non erat de Chriſti ovili; non enim erat maculoſus, ſed multa ſuperbia maculatus. Ut igitur oves ſuas plurima virtutum varietate decoraret optimus Paſtor, in ſacræ Scripturæ canalibus multicolores virgas, id eſt, varia Sanctorum exempla, eis objecit contemplandas, & contuendas, quibus ſe per omnia conformarent & configurarent. Et partim quidem

(*a*) *Epheſ. 5.*

Pſal. 2.

Pſal. 44.

Mat. 25.

Luc. 18.

eas

---

præceptis meis, ut demonſtremus, quem imitetur, atque ita ut quæ maxime excellunt in eo, quem imitabitur, ea diligentiſſime perſequatur, tum accedat exercitatio, qua illum, quem ante delegerit, imitando effingat, atque ita exprimat. Præclare ut in omnibus, ita hac in parte S. Parens Auguſtinus lib. 4. de Doctr. Chriſtiana cap. 4. *Quapropter cum ex infantibus loquentes non fiant, niſi locutiones diſcendo loquentium, cur eloquentes fieri non poſſunt nulla eloquendi arte tradita, ſed locutiones eloquentium legendo, & audiendo, & quantum aſſequi conceditur imitando? Quid quod ita fieri ipſis quoque experimur exemplis? Nam ſine præceptis Rhetoricis novimus plurimos eloquentiores plurimis, qui illa didicerunt.*

(*a*) Moral. lib. 21. cap. 1. Cohærent cum expoſitione S. Gregorii, quæ tradit S. Orator a verbis illis, *ut igitur oves ſuas*, uſque ad illa, *in ſua viriditate reliquit*. Reliqua ex ingenio ſuo deprompſit, & eleganter expreſſit.

eas decorticavit, partim vero in ſua viriditate reliquit: virgæ namque decorticatæ Martyrum exempla deſignant, qui amore Chriſti, & zelo fidei, carnis corticem tormentis, & duriſſimo Martyrio exuerunt: virides vero Virginum, & Confeſſorum exempla ſunt, qui in illo virtutis, & virginitatis virore Deo placuerunt & ſanctam Eccleſiam illuſtraverunt. Ovis ergo quæ inſpectis hujuſmodi exemplorum coloribus, veluti chamæleon in eos ſe transformat, & tranſfigurat, fœtuſque ſanctorum deſideriorum & bonorum operum, varios ac multiplices ad earum ſimilitudinem intus gignit, & foris parit, ovis eſt Jacob, id eſt, Chriſti. Quæ autem ab inſpectis Sanctorum exemplis in nullo variatur, ſed in antiquo & ſimplici colore inolitæ vetuſtatis permanet, ovis eſt Laban, id eſt, dæmonis. Quiſque ergo in ſe oculos penitus vertat, & cujus ſit ovis exploret. Ecce quotidie ad bibendum in Chriſti canalibus convenitis, varias vobis ſententiarum, & exemplorum virgas in ſermonibus objicimus. Quidam vario deſideriorum bonorum, & ſanctarum affectionum ſchemate in cordibus ſuis juxta propoſitas, & objectas ſibi ſententias, afficiuntur & colorantur; alii autem quales intraverunt, tales exeunt (quam duro corde!) & objecti virtutum colores nullam penitus in eis faciunt impreſſionem. Ecce ovis Chriſti ſignum, ecce characterem quo filii lucis a perditionis filiis diſcernuntur. Qui bonum quod videt æmulatur, & imitatur, Chriſti eſt: qui contemnit, & negligit, Laban eſt. Sed quorſum hæc omnia? Attendite, Fratres, litteram Euangelii.

IV. Opponit nobis hodie ſacra Euangelii lectio virgam quandam ſatis variam, & multicolorem, id eſt, exemplum quoddam inſigne quod imitemur. Non Patriarcham, non Apoſtolum, non Prophetam, aut Martyrem, ſed mulierculam quandam peccatricem, gentilem, idololatram, ſimpliciſſimam, ſine lege. Ne enim cauſari poſſis, quod Sanctos imitari nequeas, quod illorum vires, & ſpiritum non habeas; hæc muliercula tibi proponitur, ut vel illam ſaltem imiteris, vel ſi non, ab illa erubeſcas, & confundaris; juxta Iſaiæ vaticinium: *Erubeſce Sidon, ait mare*. Hæc legem non habebat, prophetas non noverat, myſteria ignorabat: & tamen bone Deus! quot virtutum inſignia in ea ſubito emicuerunt? Quanta fides, quanta fiducia, quanta patientia, quanta humilitas, quanta perſeverantia? Non viderat Chriſti miracula, non mortuos reſurgentes, cæcos videntes, ſurdos audientes, claudos ſaltantes inſpexerat, ſed ad levis cujuſpiam rumoris auditum, ſic pia ejus viſcera fides repleverat, ut abſentem, ſolo verbo dæmoniacam filiam curare poſſe firma animi adhæſione teneret. Fiducia vero impetrandi tam multa, ut neque rejecta conticeret, neque deſpecta negligeret. Patientia magna clamaverat, & ſiluit Dominus. Sequebatur, & non reſpondebat: interceſſores Apoſtolos rejecerat, deprecantem atque proſtratam conviciatus fuerat, & non eſt tot exploſionibus laceſſita, non eſt dedignata, non eſt irritata. De humilitate quid dicam? Cum vocata canis, ipſa quoque convicio ſuo addiderit, & catellam ſe nominaverit? Perſeverantia vero ſupra humanam facultatem fuit: nam toties irritata atque deſpecta, clamare non ceſſavit, donec obtinuit. O miram hujus virgæ viriditatem! O mirabilem fœminam, prius in fide firmiſſimam quam fidelem: ante virtutibus conſummatam, quam ſacris initiatam. Quid tu dictura es anima fidelis, quæ ab initio vitæ Sacramentis imbuta, inter tot ſacrarum Scripturarum rudimenta, inter tot Prophetarum, & Apoſtolorum oracula, inter quotidiana Sacrorum ſolemnia, & aſſiduas Dei laudes, inter frequentatos Divinæ Legis ſermones, & juges prædicantium exhortationes, alges & friges? Ab hac idololatra, diſce fervorem, diſce fidem, diſce virtutem. Quid enim in ea intus lateret, Salvator agnoverat. Siluit ut innoteſceret, improperavit ut luceret, diſtulit ut augeret. Ut Eccleſiæ fœminam iſtam imitationis exemplum, & virtutum omnium exemplar futuris ſæculis relinqueret, quam ipſe non exteriori verbo, ſed interiori radio ſubito confirmaverat. Unde merito eam modo pœnitentibus objicit Eccleſia, ut in ea videant, quod ſequantur, attendant, quod imitentur. Fac tu o peccator pro anima tua, quod fecit illa pro filia ſua; conſimili enim morbo laborat, pari ægritudine gravatur, ſic a dæmonio male vexatur; curre ad medicum, inquire medelam, clama, obſecra, inſta, fac quod fecit, & liber eris, ſicut & filia ejus liberata eſt.

V. Primo itaque egredere de finibus tuis, ſicut illa de ſuis egreſſa eſt: relinque non ſolum peccata, ſed etiam occaſiones peccatorum, & elongare ab eis quantum potes, & ſic obviabis Salvatori ſicut ſcriptum eſt: *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus*. Nam intra peccatorum fines Chriſtum invenire non poteris. Tolle a domo tua concubinam, dimitte fraudes, uſurarias cautiones diſrumpe, ceſſa a taxillis & ludo, & omnem peccandi occaſionem effuge, & ſtatim aderit tibi Chriſtus. Quid enim tibi proderit in mediis peccatorum fluctibus clamare, & inter medias inferni leges animæ tuæ ſalutem optare? Si vere liber eſſe cupis, longe fac a te vitiorum omnium ſervitutem. Egredienti a Sodomis Lot, tria præcepit Angelus. Primo: ne ſteteris in omni circa regione. Secundo: noli reſpicere poſt tergum. Tertio: ſalvum te fac in monte: hæc omnia cuilibet peccatori neceſſaria ſunt: ut non ſolum vitiorum Sodomam, ſed & ejus ſuburbana, & omnem regionem proximam egrediatur, neque ad præterita peccata quæ dimiſit redeat, & ad virtu-

Iſaiæ 23. *Epheſ. 5.* *Gen. 19.*

virtutum, & perfectionis culmen, quantum valeat citato greſſu conſcendat. Secundo: cognoſce o peccator nimiam vexationem diaboli, captivitatem duram, & miſeram ſervitutem; & divinam miſericordiam invoca continuis clamoribus, ſicut iſta Chananæa, *Mat. 15.* dicens: *Miſerere mei Domine Fili David*. Anima *mea male a dæmonio vexatur*. Et quam male! Quis explicare ſufficiat? Nulla eſt ſervitus, nulla captivitas, quæ vitiorum ſervituti valeat comparari. O quam humiliatum & concatenatum detinet iniquitas peccatorem! Si quis tyranno quantumvis ſævo & crudeli deſerviat, & diebus ac noctibus catenis & ferro ligetur, quantum eſt hoc? Manus & pedes ligare potuit, ſed mens & voluntas libera ſunt. In peccatorum mancipio non ſic: ſed mens, ſenſus, ratio, judicium, voluntas, affectus, deſiderium, & quicquid in homine præcellit, ligatum eſt: amiſit quod eſt hominis, & fere totus obbrutuit. Unde Dominus per Prophetam ad *Jer. 3.* hujuſmodi animam ait: *Leva oculos tuos in directum & vide ubi nunc proſtrata ſis:* quam vilis facta es, nimis iterans vias tuas. Sed & amaritudo & triſtitia immenſa, vexatio & inquietudo maxima: nulla pax, nulla quies, continuum diſſidium, inceſſabile bel- *2. Cor. 7.* lum; foris gladius, intus timores. O tormentum malitiæ importabile, quam male miſeras animas torques! Alter infernus eſt anima impii. Miror quomodo tam crudelis vexatio ultro toleretur. Unde Propheta: *Pſal. 85.* *Libera Domine animam meam ex inferno inferiori*. Innuens per hoc, alium eſſe ſuperiorem in corde malo, priori anxietate & ſupplicio quam ſimillimum.

VI. Denique ſtatum peccatoris miſerrimum *Lucæ 15.* in Euangelio deſcriptum reperies in illo Filio prodigo: qui cum eſſet nobilis, & delicatus, inter delicias, & purpuras in domo Patris enutritus, poſtmodum ad hanc calamitatem devenit, ut infimo cuipiam ex civibus ſerviret, & porcos paſceret nudus, & famelicus, tam ingenti eſurie, ut ſiliquas porcorum avide concupiſceret, & nemo illi daret. Quanta humiliatio, quanta dejectio! Utinam Deus peccatorum oculos illuminaret, ut infelicitatem ſuam viderent & ſentirent! Deterior utique eſt animæ vexatio a dæmone, quam corporis; & multo infelicius eſt dæmoniacum eſſe corde, quam carne. Tamen ſi poſſeſſum a dæmone energumenum aliquando cernimus, cuncti miſeremur, omnes dolemus, eum liberare conamur; & energumenum mente nemo curat, nemo juvat, nemo miſeratur; cum multo citius, ac facilius poſſit hic a dæmonio liberari. Tertio, ſi forte non audiris, ſi non admitteris, interpella viros juſtos, & ſanctos qui pro te deprecentur & orent, ut fecit iſta. Sic legis in Pſalmo: *Pſ. 120.* *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*. Et ite- *Pſal. 31.* rum: *Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno*. Quantum apud Deum valeat pro peccatoribus juſtorum deprecatio; teſtis eſt Abraham, qui ſuis precibus impor- *Gen. 18.* tunis, illarum quinque nefandarum civitatum ſalutem pro decem juſtis dumtaxat, a Domino obtinuerat; teſtis etiam Moyſes, cujus deprecationibus placatus eſt Deus, ne *Exodi 32.* funditus totam illam multitudinem in deſerto proſterneret. Sicut Pſalmographus ait: *Dixit ut diſperderet eos, ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione in conſpectu ejus.* *Pſ. 105.* Quarto: ſi forſitan & ſic patiaris repulſam, inſta, clama, perſevera, non deſiſtas, donec obtineas: ora, clama, invoca, plora, memor illius verſiculi: *Sicut oculi ancillæ in* *Pſ. 122.* *manibus Dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum*. Sed quamdiu? Utique: *Donec miſereatur noſtri*. Et tu ſimiliter non ceſſes, donec miſericordiam conſequaris. Unde idem Propheta: *Si introiero in* *Pſ. 131.* *tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei. Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem. Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob*. Tu quoque non des requiem tibi, non des ſomnum oculis tuis, neque dormias aut quieſcas, donec expulſo dæmone, intra te invenias locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. De quo Apoſtolus: *Templum Dei ſanctum eſt, quod* *1. Cor. 3.* *eſtis vos*.

VII. Sic Fratres, ſic animarum ſalus procuranda eſt, ſic pellendus ab anima dæmon, ſic miſerabilis illa ſervitus vitiorum evitanda: non facile jugum iſtud a cervice excutitur: non leviter hujus Pharaonis ſervitus declinatur. Decem plagis Ægypti interdum percutitur peccator, & non modo non eva- *Exodi 7.* dit liber, ſed quo amplius a Deo percuti- *Ibid. 8.* tur, eo deterius induratur, donec pietate multa ejus primogenitos Deus occidat, & rubrum mare ſiccatum dividatur. Primoge- *Ibid. 9.* niti peccatorum appetitus ſenſuales, in qui- *Ibid. 10.* bus originatur omne flagitium: mare rubrum *Ibid. 11.* concupiſcentia carnis, quæ niſi Dei beneficio extinctis illis primogenitis exſiccetur, fruſtra exterius peccator verberatur. Manus Dei potens & extenta jugum hoc Pharaonis ab animæ cervicibus ſola excutit, & de peccatorum tenebris animam educit. Et nos ridendo, & jocando, putamus ab hac ſervitute liberari? Pudet dicere, quam lente, quam frigide, peccatorum noſtrorum negotia procuramus, quam pro nihilo ducimus a dæmone tam dire, & miſere poſſideri. Semel in anno, & præcepto coacti ad confeſſionem accedimus, remiſſe & tepide pro peccatis oramus, lacrymas & gemitus raro fundimus. Ita ſcilicet, ita certe pellitur dæmon, ita illius duriſſima ſervitus declinatur? Quid de illo dicebat beatus Job audiamus. *Reputabit quaſi paleas ferrum, & quaſi li-* *Job 41.* *gnum putridum, æs. Non fugabit eum vir ſagittarius, in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ. Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam*. Vides quam perti-

pertinax, & proterva ſit iſta beſtia? Quam pro nihilo fortia jacula pendat? Et ariſtis & paleis ipſam expugnare contendis? Quid agis miſer, tot negotiis implicitus, & animæ tuæ oblitus? Et quod majus negotium, quam eximere te a tam miſera ſervitute? Animam leproſam, lividam, turgidam geſtas, & oblitus tui, aggregandis opibus inhias? *Redite* Iſaiæ 64. *prævaricatores ad cor*, clamat Dominus per Prophetam. Intuemini corda veſtra. Ut quid miſera anima diſſimulas ulcera tua, & plagas tuas? Ut quid in tanto diſcrimine poſita, a te ipſa exulas curioſa & vaga? Redi ad te, inſpice te, tecum habita.

VIII. Sed ad Chananæam noſtram redeamus: *Qui non reſpondit ei verbum*. Poteſt hic Mat. 15. non inepta quæſtio elucidari. Cum Deus ſit pius, & miſericors, & animarum noſtrarum ſalutem nimis cupiat; cur aliquando petitiones noſtras, non dico temporales & ſtultas, ſed ſpirituales & pias, aut omnino neget aut differat? Quod enim ita ſit, non opus eſt teſtimoniis: nam experientia quotidiana hoc ſatis probat. Sed & Prophetarum oracula non deſunt. *Uſquequo*, inquit, *Do-* Job 19. *mine, clamabo & non exaudies? Vociferabor* Habac. 1. *ad te vim patiens, & non ſalvabis?* Et alius: *Clamabo per diem, & non exaudies, &* Pſal. 21. *nocte, & non ad inſipientiam mihi*. Reſpondeo: Unum e duobus eſt in cauſa. Aut enim nos quod petimus, impedimus: aut nobis prodeſt ipſa dilatio. Impedimus autem multipliciter: cum quia forte ſumus in aliquo vitio occulto, propter quod petiti muneris incapaces efficimur; unde Propheta cum dixiſſet: Iſaiæ 38. *Domine vim patior, reſponde pro me;* ipſe prius ſibi reſpondet, dicens: *Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerim?* Ac ſi dicat: Quid mihi facturus eſt Deus, aut qua ratione me a vitiorum meorum violentia liberaturus eſt, cum ego libens, ac volens volvar & involvar in eis? Tum, quia forte acceptis beneficiis ingrati fuimus, unde nova accipere non meremur; aut quia forſan adverſus nos præteritorum flagitiorum nimia magnitudo reclamat, quorum vehementiſſimus clamor orationum & lacrymarum noſtrarum clamorem obtundit. Sic Dominus per Prophetam ait: *Cum extenderitis* Ibid. 1. *manus veſtras, avertam oculos meos a vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Et per alterum Prophetam apertius: *Pro-* Jer. 30. *pter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta ſunt peccata tua. Quid clamas ſuper contritione tua, inſanabilis eſt* plaga tua. Et iterum: Ibid. 2. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith*, tamen *maculata es in iniquitate tua coram me; dicit Dominus*. Durum Jo. 6. eſt verbum illud & quis poterit illud audire? Sed ne detur locus deſperationi, poſt Jer. 30. modicum, prioribus verbis adjungit: *Obdu-*

cam cicatricem tibi, & a vulneribus tuis ſanabo te.

IX. Pluribus quoque aliis viis & modis interdum petitionibus noſtris ipſi obſtamus, & ne fiat, quod anxie petimus, impedimus. Aut nobis prodeſt, quod differtur petitio, & hoc multipliciter. Primo: ad probandam patientiam, & fiduciam quam habemus in eo, & an amore puro, propter ſeipſum magis quam propter dona diligamus eum. Secundo: ad augendum deſiderium, ut creſcente deſiderio, creſcat etiam donum. Tertio: ut petendo promereamur quod petimus, quod prius forſitan non promerebamur. Quarto: ne ſit vile quod præſtat; ſicut ait Sanctus Chryſogonus (*a*) Beatæ Anaſtaſiæ. Quinto: quia forte non expedit nobis quod poſtulamus, quamvis ſpirituale videatur. Sexto: quia forte dedit, & ignoramus. Petebas ſpiritum, dedit crucem: flagitabas devotionem, dedit tribulationem. Tibi forſitan magis hoc expedit: quia licet in illa plus ſit ſolatii, in hac plus eſt meriti. Propter has & ſimiles cauſas Deus aliquando differt petitiones noſtras, juſtas & pias: nam alioquin, cum ipſe ſit piiſſimus, benigniſſimus, liberaliſſimus, magnificus, ſumma bonitas, ſumme deſiderans communicare ſeipſum, noſtri etiam amantiſſimus, & benevolentiſſimus; qua ratione credendus eſt filiis ſic dilectis negare petita, ſi expediant? *Qui proprio Filio ſuo non pepercit,* Rom. 8. *ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis* donabit? Et ipſe Filius qui pro nobis ſanguinem, vitam, animam poſuit, & ut gratiæ, & gloriæ ſuæ divitias nobis communicaret, naſci & mori dignatus eſt; quomodo nobis dona ſua negabit? Mortuus eſt ut daret: & negabit? Procul dubio noſtra eſt culpa, ſi non obtinemus: hæc enim amoris & liberalitatis ejus in nos validiſſima ſunt teſtimonia. Habentes igitur hujuſmodi dilectionis ejus inſignia, quomodo diffidemus? Qua ratione deficiemus?

X. Eja igitur: *Conſurge conſurge, excute-* Iſaiæ 52. *re de pulvere: ſolve vincula colli tui captiva Filia Sion*. Abjice jugum, rumpe catenam, projice onus, declina ſervitutem, egredere a peccatis, elongare a miſeria, clama poſt Jeſum, non ceſſes a clamore, donec audias: *Magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis*. Non deficias non diffidas; nam, *Væ bis qui perdi-* Mat. 15. *derunt ſuſtinentiam! Obtrivit*, ait Propheta, Eccli. 2. *Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis proſperum*. O magnum confidentiæ meritum! Jer. 2. His præcipue qui in abyſſo peccatorum ſunt. Quanta efficacia, quanta acrimonia Iſaias Propheta hujuſmodi fiduciam peccatoribus ſuadet, dicens: *Quis ex vobis timens Deum* Iſaiæ 50. *audiens vocem ſervi ſui? qui ambulavit in tenebris, & non eſt lumen ei*. Quod das conſilium?

(*a*) Epiſt. ad Anaſtaſiam, quam refert Surius poſt Acta ejuſdem Sanctæ tom. 6. pag. 1072. *Dominus enim beneficium ſuum, ob hoc protrahit per adverſa, ut non ſit nobis vile, quod præſtat.*

filium? Sequitur: *Speret in nomine Domini, & innitatur ſuper Deum ſuum.* Hoc faciat, & quicquid petierit obtinebit. Quia enim ſperaſti o peccator, ubi non erat ſpes, & ubi nulla erat fiduciæ ratio confidiſti, quia in abyſſo malorum poſitus a Dei tui bonitate oculos non avertiſti, quia ſic Dei pietatem, & miſericordiam ſublimaſti: *Fiat tibi ſicut vis.* Ecce peccata dono, dæmonium ejicio, libertatem præſto, gratiam ſuperaddo, daturus inſuper poſt hujus vitæ curſum, & gloriam: ad quam nos perducat ipſe Dominus, & Redemptor noſter Jeſus, cui cum Patre, & Spiritu ſancto eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Mat. 15.

IN FERIAM SEXTAM
POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ
CONCIO PRIMA.
DE SPIRITALI CURATIONE, SEU JUSTIFICATIONE PECCATORIS.

Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Joann. 5. v. 8.

CONCIO XLI.

I. MIRACULA Domini Salvatoris noſtri myſteria fuiſſe notum eſt, ex ſententia P. Auguſtini (*a*), & Gregorii (*b*), unde curatio hujus infirmi aperte ſignificat juſtificationem peccatoris, de qua erit ſermo. Et dicemus tria. Quam magnum beneficium facit Deus peccatori quem juſtificat: modum quo illum juſtificat: & ſignum perfectæ juſtificationis. Propheta David late enumerat miſericordias & beneficia, quæ fecit Dominus peccatori, quem juſtificat a peccato, dicens: *Benedic anima mea Domino.* Non ſolum labiis, ſed toto corde, & animo, totis præcordiis, & medullis, & oſſibus. Hoc eſt quod ait: *Et omnia* interiora *mea nomini ſancto ejus.* Sed propter quod? Quoniam ſanctus eſt, quoniam bonus, propter ſuam excellentiam, & gloriam, & plenitudinem. Quamvis nihil contulerit Deus, nihil ſperetur ab eo, propter ſe magnus eſt, & laudabilis nimis, & omni laude digniſſimus. Iterum: *Benedic anima mea Domino;* quoniam debes ei omnem laudem, propter immenſa beneficia quæ ſuſcepiſti ab eo. Hoc eſt quod ait: *Et noli oblivi ſci omnes retributiones ejus.* Non ait, dona, miſericordias, beneficia: plus dicit retributiones. Quia ſcilicet, pro inferno retribuit cœlum, pro morte vitam, pro tormento lætitiam. Sicut ſcriptum eſt: *Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis:* ſcilicet, veniam & gratiam; non enim ſolum pepercit, ſed benefecit tibi. Sed quæ ſint illæ retributiones, attendite:

(a)
(b)

Pſ. 102.

Pſal. 47.

Iſai. 40.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Qui replet in bonis deſiderium tuum, renovabitur ut aquilæ juventus tua. Pſ. 102.

II. Sex Beneficia enumerat, quæ Deus præſtat in juſtificatione peccatoris. Primo: dat veniam remittendo culpam, & offenſam maximam in prævaricatione peccatorum: eſt enim terribilis contemptus, quod formica de terra audeat tranſgredi legem, quam angeli, & omnis creatura cuſtodit, & rebellare contra ſuum Creatorem. Secundo: abluit maculam, & turpitudinem, & fœditatem, quam peccatum cauſat in anima: facit enim peccatum animam turpiſſimam, fœdiſſimam, viliſſimam, leproſam, & male inclinatam. Tertio: liberat ab inferno, quem promeruit peccando, & a morte perpetua. Hæc enim tria ſunt in peccato, culpa, macula, & reatus. Ab omnibus iſtis liberat animam Deus, eam juſtificando. Hoc eſt quod ait: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis:* ſcilicet, remittendo culpam; *Qui ſanat omnes infirmitates tuas:* ſcilicet, curando & radendo maculam: *Qui redimit de interitu vitam tuam:* ſcilicet, auferendo reatum. Hæc omnia ſe tenent ex parte remiſſionis. Sufficiebat peccatori tanta miſericordia, ſed Deus non contentus hoc beneficio, non ſolum remittit offenſam, ſed etiam dat gratiam: & de inimico facit amicum, de filio perditionis facit filium Dei, & ex reo damnationis æternæ, facit illum hæredem cœleſtis regni, & ſuæ gloriæ participem. Hoc eſt quod ait: *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.*

Dando

(*a*) Serm. 98. de Verb. Euang. Lucæ num. 3., alias 44. de Verb. Domini. *Dominus enim noſter Jeſus Chriſtus ea, quæ faciebat corporaliter, etiam ſpiritualiter volebat intelligi. Neque enim tantum miracula propter miracula faciebat, ſed ut illa, quæ faciebat mira eſſent videntibus, vera eſſent intelligentibus.*

(*b*) In Euang. Homil. 2. num. 1. *Sed miracula Domini, & Salvatoris noſtri ſic accipienda ſunt, fratres chariſſimi, ut & in veritate credantur facta, & tamen per ſignificationem nobis aliquid innuant. Opera quippe ejus & per potentiam aliud oſtendunt, & per myſterium aliud loquuntur.*

Dando ſcilicet gratis ex puro dono, & miſericordia gratiam, quæ eſt cœleſtis regni corona, quoniam per illam habemus jus ad cœleſte regnum. Et non contentus quoque tollere maculas, & malas inclinationes quas diximus, dat etiam cum gratia virtutes infuſas, quibus anima decoratur, & ornatur, & inclinatur ad bonum. Hoc eſt quod ait: *Qui replet in bonis deſiderium tuum:* id eſt, appetitum tuum, inclinando illum ad bonum per virtutes infuſas: implens ſcilicet balſamo ſpiritus pretioſo, & cœleſtis regni deſiderio, quæ erant prius plena ſtercore & veneno peccati. Et ſic remota omni vetuſtate & fragilitate animæ reducit illum in priſtinam pulchritudinem & virtutem, imo aliquando in majorem, quam habuerat ante peccatum. Hoc eſt quod ait: *Renovabitur ut aquilæ juventus tua.* Non attendis quam immenſum opus divinæ miſericordiæ eſt juſtificatio peccatoris, in qua tot & tanta beneficia præſtantur homini? Nunquid non merito peccator juſtificatus totus ſolvetur in laudem ſui juſtificatoris? Omitto cætera. Quantum beneficium eſt, quod anima indurata & inveterata peccatis, enormis & turpis, in priſtinam redeat juventutem? Certe ſi eſſet aliquis, qui quavis arte, quovis ingenio hoc præſtaret corporibus, ditior ac potentior eſſet omni Rege, & nullum pretium exceſſivum ad tantum beneficium obtinendum homines judicarent, & poſt eum totus mundus abiret. Si ergo moriturorum corporum renovationem ſic æſtimarent, quanto magis incorruptibilium animarum renovatio deberet æſtimari? Sed quomodo hæc renovatio fiat attende. Ut aquilæ inquit. Aquila, ut ait (a) P. Auguſtinus (a), cum ſeneſcit aſcendit in altum volando, donec calefit vehementer in meridie, in æſtu ſolis, & ſubito deprimit ſe in fontem frigidiſſimum, in quo ſe immergit, & ſubita hac alteratione plumas mutat, & virtutem, & viſum hebetatum ſenectute, recuperat.

III. Ad inſtar aquilæ anima renovatur: ſcilicet, volatu, calore, balneo: volatu contemplationis, calore charitatis & contritionis, balneo lacrymarum. Hic eſt fons puriſſimus & potentiſſimus, tantæ virtutis, ut omnes animæ maculas tollat, & illam purificet, & mirabili potentia renovet, & rejuveneſcere faciat. Hæc illa piſcina ſalubris, in qua quicumque ægrotus ex quacumque infirmitate lotus fuerit, proculdubio curabitur & ſanabitur: piſcina ſcilicet lacrymarum & pœnitentiæ. Unde P. Auguſtinus (b): *De fide ad Petrum.* Omni homini in hac vita poteſt eſſe utilis pœnitentia quocumque tempore geſſerit quantumlibet iniquus, quantumlibet annoſus, ſi toto corde renunciaverit peccatis præteritis, & pro eis in conſpectu Dei non ſolum corporis, ſed & cordis lacrymas fuderit, & malorum operum maculas bonis operibus diluere curaverit, peccatorum indulgentiam mox habebit. Hoc enim nobis Dominus Prophetico promittit eloquio, dicens: Si converſus fueris, & ingemueris, ſalvus eris. Hæc P. Auguſtinus: & Ambroſius (c): Nullum eſt peccatum adeo grave, quod lacrymis non diluatur, & eleemoſynis non extinguatur. De hoc lavacro ait Pſalmiſta: *Aſperges me* Domine *hyſſopo & mundabor.* Sed ad hoc ut piſcina iſta mundet & ſanet, oportet ut ab Angelo, id eſt, a Domini Spiritu moveatur; ſicut ſcriptum eſt: *Flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ.* Nam ſi timore ſolo inferni, aut dolore alicujus incommodi, aut infamiæ quam incurriſti, aut alio ſimili reſpectu ploras, non habet aqua iſta ſanandi virtutem: ſed quando amore Dei, & ſpiritu Dei, & dolore offenſæ, prodeunt fontes & rivi lacrymarum, omnem lepram peccati mundant. O Domine! Quando moves piſcinam iſtam, quomodo conturbas? Quomodo revolvis cor, & ab imo pectore ſuſpiria ſuſcitas? Quomodo æſtuat pectus præ gemitibus, vix potens ſuſtinere ſingultus, quaſi rumpi velit præ dolore? Dico vobis non eſt ægritudo, non eſt peccatum adeo grave, quod non iſto balneo diluitur. Unde Pſalmiſta: *Converte Domine captivitatem noſtram ſicut torrens in auſtro:* nam auſter ventus ab imo, & ab infimis arenis conturbat mare: & deſignat Spiritum ſanctum, ſic ab imo pectore conturbantem peccatorem.

(b) *Ezech. 33.* (c) *Pſal. 50.* *Pſ. 147.* *Pſ. 125.*

IV. Erant autem juxta piſcinam quinque porticus, in quibus jacebat magna multitudo languidorum. Iſti ſunt quinque ſenſus corporales, in quibus ægrotat omnis multitudo peccatorum. In porticu viſus jacet magna multitudo ſuperborum, cupidorum, curioſorum, mundanorum. In porticu guſtus jacet multitudo guloſorum, & ebriorum, & delicatorum. In porticu tactus jacet ingens multitudo lubricorum, & voluptuoſorum, carnalium. In porticu auditus jacet multitudo illorum, qui delectantur nu-

(a) Aquilæ renovationem aliter deſcribit S. Parens Enarr. in Pſal. 102. num. 9., nempe quod roſtrum in ſenectute exuberans ad petram excutiat, ut cibum capere poſſit. Colliſo, & contrito roſtro, *accedit*, inquit, *ad cibum, & omnia reparantur: erit poſt ſenectutem tamquam juvenis aquila; redit vigor omnium membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum, volat excelſa ſicut antea, fit in ea quædam reſurrectio.* Modus aquilinæ renovationis, quem ſub Auguſtini nomine laudat S. Præſul, hauſtus eſt ex Epiſtola falſo Hieronymo attributa, quæ inſcribitur: *ad Præſidium de Cereo Paſchali:* hanc tom. 5. Hieronymi Operum inſeruit Martianæus pag. 146., ibi autem ſic legere eſt non procul a fine: *Aquila quando ſenuerit, gravantur ipſius pennæ, & oculi, quæritque fontem, & erigit pennas, & colligit in ſe calorem, & ſic oculi ejus ſanantur: & in fontem ſe ter mergit, & ita ad juventutem redit.*

(b) De fide ad Petrum num. 39. In Append. tom. 6. rejectum eſt opus, cum S. Fulgentio non Auguſtino tribuendum ſit. Paucis differunt verba hic recitata.

(c) Serm. 2. de Natal. Dom. num. 2. in Append. noviſs. edit.

gis, & detractionibus, & cantilenis. Omnis fere ægrotus jacet in his: per has enim
Jer. 9. feneſtras ingreditur mors, & omnis virulentia, quæ animam inficit & inquietat. Quam quieta & pacifica eſſet anima, ſi nullis ſenſibus uteretur. Hæc eſt illa ancilla oſtiaria,
Mat. 26. caro ſcilicet, quæ Petrum, id eſt animam fortem, facit negare Chriſtum. Unde viri ſpirituales magnam habent cuſtodiam ſenſuum: ſcientes quoniam in hac ſalus & pax animæ conſiſtit. Ægrotus autem ille qui per triginta octo annos jacebat in lecto, deſignat peccatorem induratum, & obſtinatum in aliquo peccato, qui languidus eſt corde ad cogitandum, ore ad laudandum, manibus ad operandum; & cum ſit juxta piſcinam, nunquam ſanatur, quia non deſcendit
(*a*) in eam. Bernardus (*a*): O peccator non difficilis eſt cura tuæ ægritudinis, non petit Deus a te grandia ut cureris; non ut peragres maria: prope eſt verbum in corde tuo,
Rom. 10. & in ore tuo. Dic tu prius iniquitates tuas, ut juſtificeris. Quantum eſt hoc, ut contemnas facere? Væ miſeris qui ſuorum vulnerum medicinam habentes ad manus, neglexerunt curare ſe, & damnantur! O quomodo dolent in inferno de hoc, & fremunt contra ſe dentibus ſuis! Quam juſte ardent in inferno, qui contempſerunt tam levem adhibere medicinam. Infelix anima, quæ tam longo tempore vivit ſine Deo facta habitaculum dæmoniorum, a quibus captiva tenetur ad ſuam voluntatem. O cor quod talia ſuſtinet! O quanta audacia! Ardet infernus ſub pedibus, & expectat ore aperto; e ſolo capillo vita pendet animæ, ne cadat in illum, & ridet, & dormit. Plus eſt per diem in peccato manere, quam aggredi viginti homines: quia non vita corporis, ſed animæ in periculo eſt.

V. Hujuſmodi peccatores raro ſanantur: non quia piſcina ſalubris non ſit, ſed quia non deſcendunt in illam. Rariſſime enim hujuſmodi peccatores convertuntur ad pœnitentiam, illa enim induratio æternæ damnationis indicium eſt. Unde Dominus per Prophetam ait: *Super tribus ſceleribus Damaſci,*
Amos 1. *& ſuper quatuor non convertam eum.* Quod non debet intelligi, quaſi Deus ſolum expectet peccatorem uſque ad quartum peccatum,
Mat. 18. & non amplius: cum ipſe dicat: *Septuagies*
(*b*) *ſepties*; ſed ſecundum Hieronymum (*b*): Quatuor ſunt peccata. Primum in corde, ſecundum in opere, tertium in conſuetudine, quartum in contemptu. Tria genera peccatorum Deus ſæpe convertit, & ſalvat per pœnitentiam: quartum rariſſime & per miraculum. Ille enim contemptus contemptibilem facit: & contemptor meretur contemni. Et ideo dicit: *Super quatuor non convertam eum:* quia rariſſime qui tales ſunt, *Amos 1.* convertuntur. Audiant concubinarii, raptores, luſores, uſurarii, & cæteri qui in iſtis, & aliis peccatis diu male ſecuri dormiunt, & paveant & contremiſcant. Nam ſicut iſte ægrotus non deſcendendo in piſcinam ut cæteri, non niſi ſpirituali privilegio ſanatus eſt; ſic hujuſmodi peccatores obſtinati & indurati in peccatis; quaſi miraculo ſalvantur. Unde & ſæpe dicunt hujuſmodi: *Hominem non* *Jo. 5.* *habeo*. Humanitatem enim exuentes, in brutales verſi ſunt: longa enim peccandi conſuetudine, ratio in eis depravata & corrupta, lumine judicii amiſſo, fere totaliter obbrutuit, & in aliam natura degeneravit.

VI. Sed quod Dominus hunc ægrotum interrogaverit: *Vis ſanus fieri?* Hoc proculdubio deſignat, quod nullus peccator ſalvatur invitus. A principio namque mundi uſque nunc nemo adultus a peccati reatu ſine propria voluntate ſanatus eſt. Deus enim, teſte Bernardo (*c*), neminem ſalvat invitum, (*c*)
ſed facit volentem. Unde & Paulus Apoſtolus, *Act. 9.* in illa ſubita & mirabili converſione, quando proſtratus, & cæcatus eſt corpore, ut exurgeret & videret mente, non ſine propria voluntate converſus eſt. Cujus rei teſtimonium perhibent verba ejus cum proſtratus reſpondit: *Domine quid me vis facere?* Ac ſi dicat: paratus ſum facere quicquid volueris: jube quod vis. Non petit a te Deus o peccator, niſi ut velis ſanari. Si enim vera, & prompta, & efficaci voluntate ſalutem animæ tuæ volueris, ſine dubio ſanaberis. Quid facilius, quid levius, quam velle ſalutem? Tuum eſt velle, optare, petere, ac deſiderare: Dei eſt præſtare: ſicut ſcriptum eſt: *Domini Domini exitus mortis.* O ſi me- *Pſal. 67.*
dicus corporalis nihil aliud peteret ab ægroto, niſi ut vellet ſanari; quis ad horam ægrotaret? Sed Domino hoc interroganti quidam reſpondent ſe nolle: reſpondent, inquam, non verbis, ſed factis. *Qui dixerunt* *Job 21.*
Deo: Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Qui inierunt fœdus cum mor- *Iſaiæ 28.*
te, & pactum cum inferno fecerunt. Aliqui reſpondent: Vellem. Hi ſunt qui ſanari cupiunt, ſed vitia, & peccata non deſerunt: lacrymas pro peccatis fundunt, ſed ad ea quæ fleverant, ſtatim redeunt, non tam voluntate, quam veluti quadam neceſſitate peccantes. Hi ſunt qui ſub peccati jugo, & duriſſima

(*a*) Serm. 6. de Advent. Dom. num. 7., & Serm. 1. de Advent. Dom. num. 10.

(*b*) Ita vero apud Hieronymum legimus in Amos cap. 1. v. 3. *Juxta Tropologiam vero hoc poſſumus dicere: Primum peccatum eſt, cogitaſſe quæ mala ſunt. Secundum, cogitationibus acquieviſſe perverſis. Tertium, quod mente decreveris, opere compleſſe. Quartum, poſt peccatum non agere pœnitentiam, in ſuo ſibi complacere delicto.*

(*c*) Hæc habet Bernardus Opuſc. de Gratia, & Libero arbitrio cap. 11. *Nemo quippe ſalvatur invitus. Nam quod legitur in Euangelio, nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum, item in alio loco, compelle intrare, nihil impedit: quia profecto quantoſcumque trahere, vel compellere videatur ad ſalutem benignus Pater, qui omnes vult ſalvos fieri: nullum tamen judicat ſalute dignum, quem ante non probaverit voluntarium.* Vide ejuſdem Bern. Tract. de Gratia, & Libero arbitrio cap. 1.

riſſima ſervitute peccati tenentur captivi, non tam miſeri quam miſerandi. Quorum eſt illa vox. *Non quod volo bonum hoc ago, ſed* Rom. 7. *quod odi malum illud facio.* Quid autem refert voluntate, an neceſſitate pereas, dummodo pereas? Neceſſitate dico, non abſoluta: ſed de qua dicit Pater Auguſtinus (a): Quod conſuetudo peccandi vertitur in neceſſitatem. Et Pſalmiſta: *De neceſſitatibus* Pſal. 24. *meis* eripe *me*. Pauciſſimi ſunt, qui libera voce reſpondeant: Volo. Hujuſmodi enim voluntatem ſtatim ſequitur ſalus. Nam qui ſic efficaciter vult, facit quod in ſe eſt: facienti autem quod in ſe eſt, Deus dat gratiam. Unde Dominus talibus ait: Si vis, *Surge,* Pſ. 118. *tolle lectum tuum & ambula*. Surge a peccato, ſurge a ſepulchro & a cœno iſto, in quo quaſi porcus volutaris, relinque peccatum, fuge vitium, odio habe iniquitatem, ſicut ait Pſalmus: *Iniquitatem odio habui & abo-* Pſal. 96. *minatus ſum*. Et rurſus: *Qui diligitis Domi-* Epheſ. 5. *num, odite malum*. Sicut ait Apoſtolus: *Sur-* 1. Tim. 4. *ge qui dormis, & exurge a mortuis, & illu-* Tit. 2. *minabit te Chriſtus*. Jaces in cœno, & petis mundari? Surge a cœno, mundabit te Chriſtus. Secundo: tolle lectum tuum in quo jacebas: quod erat voluptati, ſit jam oneri: porta ſuper te peccatum tuum: age pro illo pœnitentiam vel leviſſimam, & ambula: profice in virtutibus, in bonis operibus, exerce te ipſum ad pietatem, & ſanus eris. Hæc enim tria ſigna ſunt perfecte ſanitatis. Quandiu aliquod horum deeſt non es omnino ſanus, licet aliquo modo ſis ab ægritudine curatus, ſurgendo ſolummodo, tamen manes debilis & infirmus, facile recidis: ſicut quando ceſſat febris, & humor non eſt evacuatus.

VII. Quod ſi hæc omnia feciſti, adhuc unum tibi deeſt. *Ecce jam ſanus factus es, jam* D Jo. 5. amplius *noli peccare*. Noli recidere, *ne de-* 1. Cor. 10. *terius tibi aliquid contingat. Qui ſtat videat* Hebr. 13. *ne cadat. Optimum eſt enim gratia ſtabilire cor*. Nam ſi recideris, pejus erit propter tria. Propter ingratitudinem, propter conſuetudinem, propter diaboli dominium. Quia Lucæ 11. fortius figitur, & teſte Euangelio: *Adducit alios ſeptem nequiores ſe, & fiunt noviſſima pejora prioribus*. Sed valde notandum eſt, quod non ait. *Jam noli peccare* ne damneris, ne judiceris. Non illi minatus eſt judicium, neque infernum, quia mundani homines hæc parum timent; ſed fortiorem ægritudinem. Audiant hoc contemptores inferni, ſæculi amatores: non differt Deus vindictam peccatorum, etiam hic terribiliter punit. Unde per Prophetam: *Et ſi ulci-* Joel. 3.

A *ſcimini vos contra me, cito velociter reddam viciſſitudinem vobis ſuper caput veſtrum*. Non exiſtimetis, quod differam ad infernum: hic conteram, & in æternum damnabo. Sicut ſcriptum eſt: *Duplici contritione contere eos.* Jer. 17. O quales vindictas, Fratres, vidimus ſuper peccatores! Quam terribiles, & quam crudeles! Sed miſeri non attendunt, non agnoſcunt; putant caſu factum. Aperta ſunt ſæpius Dei judicia habentibus oculos, ſicut ſcriptum eſt: *Verumtamen oculis tuis conſide-* Pſal. 90. *rabis, & retributionem peccatorum videbis.* O quam juſta, & quam jucunda ſunt judicia B tua Domine! *Lætabitur*, inquit, *juſtus cum* Pſal. 57. *viderit vindictam: manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris*. Quomodo mundant manus, niſi quia purificant opera? Quia erudiuntur alieno damno? Timeamus ergo, Fratres, judicia Dei, & ſi in peccato huc uſque fuimus, deſcendamus in piſcinam ſalutarem hoc tempore ſancto Quadrageſimæ, ut purificati & ſanati obtineamus hic ſalutem, & gratiam, & poſthac gloriam: ad quam nos perducat Chriſtus Jeſus, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

C

IN FERIAM SEXTAM
POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ
CONCIO SECUNDA.
De Contritione.

Movebatur aqua, & qui prior deſcendiſſet in Piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.
Joann. 5. v. 4.

I. SErmo erit de Contritione. Fundamentum totius ſermonis Pſalmus: *Com-* * Concio XLII. *moviſti terram, & conturbaſti eam:* Pſal. 59. *ſana contritiones ejus, quia commota eſt*. P. Auguſtinus (b): Diverſis viis vocat Deus peccatorem. Sponſa: *Ecce iſte venit ſaliens in mon-* (b) Cant. 2. *tibus*. Ideo ſaliens, quia diverſimode tangit corda Spiritus ſanctus. Et ſicut bonus citharœdus, non unam tantum, ſed diverſas chordas diverſimode tangens facit harmoniam. Modo ergo allicit Deus dulcedine, modo conſtringit flagello, modo inflammat amore, E modo terret timore, modo pungit dolore, modo blanditur beneficio. Sed timor conturbans principium eſt. Sic Joannes terrore allicit ad pœnitentiam Phariſæos dicens: Genimina viperarum: quis poterit vos de infer- Lucæ 3.

(a) Lib. 8. Confeſs. cap. 5. *Et dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo. Et dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas*. Et diſp. 2. contra Fortunatum Manich. num. 22. *Cum autem iſta libertate fecerimus aliquid, & facti ipſius tenuerit animam pernicioſa dulcedo, & voluptas, eadem ipſa ſua conſuetudine ſic implicatur, ut poſtea vincere non poſſit, quod ſibi ipſa peccando fabricata eſt.*

(b) Hæc habet S. Parens Enarr. in Pſal. 102. num. 16. *Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam conſolationis*. Vide S. Gregorium Homil. 36. in Euang. num. 10., ubi ſimilia habet.

no eruere? Ecce *jam enim ſecuris ad radicem* Mat. 3. *arborum poſita eſt. Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Sic Joannes parabat viam Domino Lucæ 3. in cordibus hominum. Unde, ſicut Angelum Mat. 11. præmiſit parare viam Chriſto venienti in mundo; ita etiam Chriſto venienti ad cor hominis, præcedit Angelus turbans aquam contritione, & movens piſcinam dolore ad pœnitentiam, ut ſalvetur unus, adventu ſubſequentis ſalutis. Sed, ut quid Domine ad ſalutem turbatur piſcina cordis, ut ſanetur unus? Ut quid opus eſt, ut commoveatur terra, ut ſanetur? Non poterat ſanari ſine commotione? Utique: ſed juſtum eſt, ut voluntas, quæ ſua pravitate averſa eſt a ſummo bono, ſua commotione iterum convertatur ad ipſum. Non quod tali converſione ipſe ſe ſanet, ſed diſponit ad ſalutem. Exemplum ponit hic P. Auguſtinus (*a*) de homine clauſo intra cellam obſcuram, qui poteſt ſe illuminare: non quia poteſt creare lumen, ſed quia poteſt aperire feneſtram. Ita peccator removere poteſt prohibens auxilio Dei: ut facienti quod in ſe eſt, Deus infundat gratiam. Apoſtolus: *Humanum dico, propter infirmitatem: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.* Ut eiſdem telis, quibus anima ſe vulneravit peccato, ſe etiam tueatur ab adverſario, & faciat inſtrumenta juſtitiæ ad ſalutem, quæ fuerunt inſtrumenta peccati ad mortem. Sed o Apoſtole non amplius præcipis? *Humanum dico, propter infirmitatem?* Parum eſt hoc; ſed infirmitas noſtra amplius non ſuſtinet. Commoviſti ergo terram, ſi terrena corporis membra in vaſa juſtitiæ commutaſti. Sponſus in Canticis ait: *Revertere, revertere Sunamitis*, id eſt mortificata. Ecce duo *Revertere. Commoviſti terram.* Sunamitis, id eſt miſera, afflicta. Ecce ſecundo: *Revertere. Conturbaſti eam.* Commovetur peccator dolore, commovetur peccati deteſtatione. Et quid ſequitur? *Ut intueamur te:* id eſt, ut ſic fias digna conſpectu Dei, mundata ſcilicet lepra faciei tuæ. Sana ergo Domine *contritionem*, quoniam *commota eſt*. Quæ eſt enim alia ſalus præter te Domine, qui veniſti mederi contritis corde? Iſaias: *Spiritus Domini ſuper me. Ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis aperitionem... Ut conſolarer omnes lugentes.* Pondera verbum: *Ut conſolarer omnes lugentes.* Quomodo ergo beatificat lugentes, dicens: *Beati qui lugent?* P. Auguſtinus (*b*). Utique mater dicit filio: Ut quid ploras? ut amplius ploret: ſic Dominus dixit ad Mariam: *Quid ploras?* Sed cum penitus vult ipſum plorare, accipit eum in brachiis, & ponit ad ubera. Ita Dominus; ea ipſa ſua conſolatione, nos amplius provocat ad lugendum, donec accipiat ad gloriam ſuam. Et tunc, *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum.* Apoc. 7. Ibid. 21.

II. Sed, ut aliquid de iſta piſcina tangamus, nota, quod Deus de terra fecit animalia, ſed de aqua fecit piſces natantes, & aves volantes. Sed piſces repunt in aqua, ibi manentes; & aves levantur ad aera, aquam exeuntes. Sic eſt hodie: una natura eſt bonorum, & malorum, una caro, una infirmitas corporalis, licet ſtatus diverſi. Aliqui in infimis hærentes, aliqui in altum ſublimati. Non dicat peccator, repens in pelago vitiorum: ecce de aqua factus ſum, quomodo poſſum mutari? *In iniquitatibus conceptus ſum;* caro iſta fragilis eſt, quomodo poterit ſtabiliri? Ponderoſa eſt, quomodo poterit elevari de terra? Non ergo accuſet naturam, ſed culpam; nam de eadem natura facta eſt etiam avis, id eſt, Juſtus qui non ut piſcis maris perambulat ſemitas maris, ſed ut nubes volat. Et quantumcumque juſtus ſit, & volet, fuit aliquando in piſcina peccati. Sed hæc eſt differentia: avis volavit de aqua, piſcis manſit in aqua. Ploravit hic, ploravit ille, ſed hic exivit, ne iterum committeret, quod ploraverat. Ille autem ploravit, & rediit. Videte avem volantem de piſcina, Magdalenam de laſcivia. Sed nunquid reverſa eſt ad eam, quam fleverat, libidinem? Nunquid profuiſſent lamenta non mutata vita? Utique, *Commoviſti terram, & conturbaſti eam*, quia nec ſatis eſt moveri recedendo, niſi turbetur etiam dolendo, nec ſatis eſt conturbari dolore, ſi non moveatur recedendo. Vultis aliam avem oſtendam? Negavit Petrus Chriſtum: in piſcina eſt. Sed nunquid piſcis? Non, ſed avis; nam avolavit de piſcina. Exivit foras, & flevit amare. O Petre cur foras exis? Mane, mane: ſit teſtis doloris gallus, qui annuntiavit negationem. Non oportet: ſed exire, & flere. Sed cur hoc? Reſpexiſti illum Domine, & *commoviſti terram, & conturbaſti eam*. Ecce commotionem, & conturbationem! *Egreſſus foras, flevit amare.* Sunt etiam aliæ parvæ congruentiæ ad hoc: nam piſcis ſub aqua vivit de rapina, & vita ejus eſt aqua. Aqua autem piſcinæ non marinalis eſt, ſed pluvialis ex alto: ita etiam peccator, ex alto expectet pluviam gratiarum & donorum; quæ, ſi ceſſaverint, ſiccabitur piſcina, & morietur piſcis. Vivit etiam de rapina: *Nam regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Vult quidem Deus ut vivamus de rapina, non latrocinii, ſed gratiæ. Item: piſcis abſconſus eſt: ita etiam peccatores, nunc latent; quia *Filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus.*

Cant. 6. Pſal. 5. Cant. 6. Iſaiæ 61. Lucæ 4. Iſaiæ 61. Mat. 5. Jo. 13. Rom. 6. Jo. 5. Gen. 1. Pſal. 50. Pſal. 8. Iſaiæ 60. Lucæ 7. Pſal. 59. Lucæ 22. Pſal. 59. Mat. 26. Ibid. 11. 1. Jo. 3. Mat. 26.

(*a*) Aliquid ſimile habetur Serm. 126. num. 3., ad quod fortaſſe alludit S. Orator, nam in idem cap. 5. Jo. eſt, ipſe autem dicit, *exemplum ponit hic.*

(*b*) In Joan. Tract. 121. num. 1. de Angelis Mariam alloquentibus ſic habet: *Ita enim dixerunt quid ploras? ac ſi dicerent noli plorare.*

erimus. Neſcimus enim inter fluctus & undas inundantes ſæculi, quales evademus in finem. Quod dæmon videns hominem contectum non cognoſcit; dicens: Quis eſt iſte? Quid hoc? mutatus eſt iſte homo. Utique: *Commoviſti terram*.

Pſal.59. III. *Tolle grabatum tuum, & ambula*.

Jo. 5. Admonitio pœnitentiæ iſta eſt. Quod grabatum, niſi de quo dicitur: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam?* *Sap. 9.* Noli ergo in vili ſtrato carnis jacere, per carnis concupiſcentias allectus, & quaſi ineſcatus: ſed tolle grabatum ſuſtinentiæ, carnis moleſtias ſuſtine, carnis gravedines porta humero virtutis. Noli ergo in carne jacere, ſed carnem portare. Apoſtolus: *Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*. *Rom. 8.* Pater Auguſtinus (*a*): Nunquid non placuerunt Sancti Prophetæ? Apoſtoli? Martyres? &c. Et nunquid illi in carne fuerunt? Quomodo ergo dicit: *Qui in carne ſunt?* Utique non erant illi in carne, ſed geſtabant carnem; ideo Deo placuerunt. Nunquid non tollit grabatum carnis, qui die ac nocte moleſtiſ- A ſimas carnis, mortificationes, & libidines patienter tolerat, qui iraſcentem mitigat, deficientem fortificat, laſcivientem frænat, ſitientem potat? Aliud ergo eſt eſſe in carne, aliud ſecundum carnem, & carnaliter. Alii jacentes, alii ſuſtinentes. Quantum proſit dolor & gemitus, qui non ſolum ſanat diſpoſitione animam, ſed etiam liberat a morte; nota figuram Ezechielis: *Et ecce ſex viri veniebant de via portæ ſuperioris, quæ reſpicit ad aquilonem: & uniuſcujuſque vas interitus in manu ejus: vir quoque unus in medio eorum veſtitus erat lineis, & atramentarium ſcriptoris ad renes ejus ... Et dixit Dominus ad eum: Tranſi per mediam civitatem, in medio Jeruſalem: & ſigna Tau ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus, &c.* .... Et ſequitur: *Omnem autem ſuper quem videritis Tau, ne occidatis*. Vide expoſitionem, & quære. Chriſtus eſt vir veſtitus lineis, non lana corporali, ſed lineis, id eſt, carne mundiſſima, ſine corruptione. Tau autem eſt ultima littera alphabeti. *Ezech. 9.*

(*a*) Contra Fauſtum lib. 11. cap. ult. *Hinc ſimiliter alibi dicit. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Et ne putaret quiſquam eos dictos, qui nondum mortui ſunt, ſtatim ſubjecit. Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu. Ideſt qui in ſpe carnalium bonorum ſunt, Deo placere non poſſunt, vos autem non eſtis in ſpe carnalium, ſed in ſpe ſpiritualium, ideſt Regni cœlorum, ubi & ipſum corpus per illam mutationem, in ſuo quodam genere ſpiritale erit, quod modo animale eſt.*

IN DOMINICAM SECUNDAM QUADRAGESIMÆ

CONCIO PRIMA.

DE TRANSFIGURATIONE DOMINI.

Duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos.
Matth. 17. v. 1.

CONCIO XLIII.

I. CIRCA Domini Transfigurationem duo dicturi ſumus. Primo: propter quid transfiguratus eſt. Secundo: quomodo transfiguratus eſt. Non vacat myſterio, quod ille qui tota vita mortali abjectus & pauper haberi voluit, *Pſal. 87.* ſicut ipſe ait in Pſalmis: *Pauper ſum ego & in laboribus a juventute mea;* hodie tam magnificus, & glorioſus apparuit. Opus, inquam, tam novum tam inſigne, ratione non caret. Quæramus igitur, quæ neceſſitas, quæ D ratio, quæ cauſa fuit, quod Dominus ſuam hodie majeſtatem monſtrare voluerit. Et quamvis Dei conſilia agnoſcere difficile ſit, tamen hujus rei ex Sanctorum dictis, cauſas potiſſimas elicimus. Prima: ad fidei noſtræ robur, & confirmationem. Licet enim ex miraculis & factis, tum propter multitudinem, tum propter magnitudinem, tum ex C modo quo fiebant, & ex Scripturis, & virtutibus, & vita innocenti, homini non protervo Dominus ſufficienter Divinitatem ſuam probaverit, ſicut ipſe ait: *Opera quæ ego facio, hæc teſtimonium perhibent de me;* tamen, *Jo. 5.* ut tantum myſterium mundo perſuaderetur, evidentiori adhuc teſtimonio, & fortiori opus erat. Inter omnia autem teſtimonia quæ mundus acceptat, maximum omnium & fortiſſimum teſtimonium eſt viſus: teſtis enim oculatus maximus, & acceptiſſimus apud omnes habetur. Hoc igitur teſtimonio Chriſti Divinitas carere non debuit. Dicerent namque pagani: Si Chriſtus Deus erat, indicaret hoc aliquando ſenſibus, & aperte monſtraret, ut ei crederetur. Unde Philippus: *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit* *Ibid. 14.* *nobis*. Quaſi diceret: Ad quid tot multiplicas teſtimonia de te ipſo? Oſtende Divinitatem quam prædicas, & ſufficiet. Fecit itaque hoc hodie Chriſtus, ut ad Divinitatis & gloriæ ſuæ plenam fidem nihil deeſſet.

BIBLIOTECA PROVINCIALE

Quantum putas ex hoc facto fides invaluit? Quantum ad fidei robur opus hoc contulit? Audeo dicere: nihil supra. Licet enim Christi resurrectio latius innotuerit, hæc tamen transfiguratio Divinitatem illius clarius evidentiusque monstravit. Unde quia testibus fide dignis Divinitatis suæ gloriam ostendit, nullum de hoc mentibus nostris dubitandi locum reliquit. Decuit itaque summum mysterium summo testimonio confirmari; ut nulla mundo incredulitatis excusatio relinquatur. Testes ipsos super hoc audiamus: *Vidimus*, inquit unus eorum, *gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ & veritatis*. Et rursus: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt, de verbo vitæ testamur & annuntiamus vobis*. Quasi dicat. Non fabulas, non somnia, non figmenta narramus, sed rem apertam, & notam: quam non unico, sed pluribus sensibus comprobavimus. Unde alius testis in epistola: *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem, & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis*. In tanto igitur talium virorum testimonio, quis ambiguitatis locus etiam durissimo cordi relinquitur? Sed objicit quispiam: Quare ergo non publice in plateis Jerusalem transfiguratus est, ut a pluribus firmius testimonium haberetur? Quare vel omnibus Apostolis & Discipulis, sicut resurrectio, hæc gloria monstrata non est? Sed in promptu est responsio: Quia hoc non esset fidem confirmare, sed destruere: non esset homines credendo ad se allicere, sed rei evidentia convincere. Quis enim locus fidei, ubi sensus adest? Aut quale esset meritum credere, quod uni civitati notissimum haberetur? Unde quanto testimonium visus majus, & evidentius est cæteris, tanto debuit paucioribus exhiberi; ne rei evidentia & testium multitudine, fidei meritum destruatur.

Jo. 1.

1. *Jo.* 1.

2. *Petri* 1.

II. Neque te moveat, quod non est ibi visa Divinitas: nam etsi visa non fuit, tamen per visum certissime cognita. Plura namque visu addiscimus, quæ non videmus. Video fumum, agnosco focum, video lumen, & agnosco solem, video vitam, & agnosco animam: neque etiam animam tuam oculis corporeis video, sed animatum te esse omnino non dubito. Sic autem Deus videtur in corpore glorioso, sicut anima in corpore vivo: non secundum se quidem, sed secundum indubitabiles effectus suos. Præsentiam ergo Deitatis Apostolos agnovisse non dubito, sed non clare, & aperte Christum esse Deum; hoc enim evidenter videre non poterant, non visa Christi Divinitate. Item quia, ad quid audirent a Patre, quod oculis aperte viderant? Si Christum esse verum Dei Filium oculis inspexerant? Quid opus erat ad hoc vocis testimonio? Ad hoc namque videtur vox illa sonuisse, ut quod visui deerat, auditus suppleret. Sed ex alia parte Joannis authoritas hoc videtur innuere, cum ait: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*. Nisi dicatur: quod viderint quidem gloriam corporalem unigeniti: sed quod esset unigeniti Filii Dei non viderunt. Sed utcumque res se habeat, existimo eos tunc de Christo eminentissime fidei cognitionem habuisse, & Divinitatis ejus omne testimonium possibile visui mortali percepisse. Quod autem Petrus Apostolus in epistola ait: *Habetis firmiorem propheticum sermonem*. Non hoc dicit; quasi dubium ipsi testimonium acceperint: sed quia Propheta falli omnino non potest, sensus autem deludi potest. Unde debilius est testimonium oculi, quam oraculi, quantum est de se, licet quo ad homines firmius habeatur. Mundus enim aliam visionem non novit, præter oculi visionem, ideo illam maxime acceptat. Unde si mente dicerent se hæc omnia vidisse, non ita eis fides adhiberetur a mundo, quamvis in veritate visio intellectus firmior, & certior sit, quam sensus. Hæc igitur, ut opinor, prima, & potissima causa hujus ostensionis fuit, ut ex hoc, & Christi Divinitas probaretur, & fides nostra confirmaretur.

Jo. 1.

2. *Petri* 1.

III. Alia autem non minus necessaria ratio videbitur. Ut per hoc tepiditas nostra in opus bonum excitaretur; nihil enim sic animum ad opus inflammat, ut nota operis retributio; minus etiam audita movent quam visa: licet ergo sæpius audierimus: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*: supra modum tamen expediens, & utile fuit ad provocandos animos, hujus ignotæ gloriæ specimen aliquod oculis demonstrari, ut avidius, & diligentius procuretur. Decuit etiam Euangelicam doctrinam mundo novam, & rigidam, talis ac tanti præmii specie confirmari, ut ab omnibus acceptetur. Raro enim, quamvis excelsa virtus, futuris præsentia commutat; neque facile suadetur quispiam, ut spem periculis emat, ut ait Ambrosius (*a*). Quando ergo persuaderetur mundo carnali, ut præsentes sæculi delicias contemnat, si potiores alias certo indicio non noviset? Semetipsum abnegare, crucem suam tollere, præsentem vitam contemnere, sæculi honores, & delicias negligere, minas hominum, & tormenta calcare, & relinquere quod jam es, spe sola essendi quod nondum es, quæ Euangelica institutione consuluntur, non ita facilia sunt; imo ita difficilia sunt, ut vix ea quispiam amplexaturus sit, nisi potioris multo, & majoris spei notissimo fuerit testimonio roboratus. Nunquam enim agricola triticum suum seminando dispergeret, nisi illud in messe multi-

Ibidem. 1. *Cor.* 2.

(*a*)

Mat. 16.

Luc. 12.

(*a*) Expos. Euang. sec. Luc. lib. 7. num. 1. *Difficile quippe videtur hominibus, ut spem periculis emant: damnoque præsentium futuræ lucrum mercentur ætatis.*

multiplicatum reddi, oculata fide comprobaſſet.

IV. Erat etiam opus hoc Eccleſiæ Dei maxime neceſſarium, ad paganorum, & gentilium injurias propellendas. Bone Deus! Quibus a principio ſannis & ludibriis improperatum eſt ei, & improperatur hodie, quod Hominem Crucifixum, morti a diſcipulo traditum, mortuum, & ſepultum; & Deum credat, & ut Deum veneretur, & colat? Unde Pſalmus: *Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobraverunt commutationem Chriſti tui.* Pſal.88. Quid iſtis reſponderi poterit, quod eorum proterviam ignorantiamque confundat? Si miracula, ſi virtutes, ſi doctrinam, ſi reſurrectionem objicias, pio quidem animo ad fidem hæc ſufficiunt, protervo autem, efficaciori opus eſt argumento. Quid ergo blaſphemis iſtis reſpondebimus, quod convincat, & aperte confundat? Audi gentilis, audi pagane. Si te Chriſti paſſio ſcandalizat, confirmet te gloria. Idem enim ipſe, qui in Calvariæ monte patitur, crucifigitur, & moritur, in Thabor ſuper ſolem rutilat, ſuper nivem candet, & ſuper omnem pulchritudinem decoratur. Qui in Calvariæ loco latronum medius in cruce pendet: Jo. 19. in Thabor Prophetarum medius ſuper aſtra lucet. Mat. 17. Qui a Sacerdotibus in Calvariæ loco velut ſeductor capitis motione ſubſannatur: Ibid. 27. in Thabor voce de cœlo allata, Filius Dei unigenitus appellatur. Ibid. 17. Cujus veſtes in Calvariæ loco ſorte dividuntur: Ibid. 27. ejuſdem veſtes in Thabor ſuper nivem dealbantur, & candent. Ibid. 17. Cujus facies turgida in Calvariæ loco pallet: Ibidem. ejus eadem facies in Thabor mira pulchritudine pollet. Quid miraris o ſtulte, quid irrides, quid ſubſannas, quod talem ac tantum Crucifixum adorem? Quin potius tu eum o miſer reſipiſcens, mecum adora. Tranſi mecum a monte in montem, & cognoſce, quia nulla poteſt paſſio obſcurare, quem tantæ majeſtatis, & gloriæ ſplendor illuſtrat. Unde enim tibi apparet contemptibilis, inde mihi maxime videtur amabilis. An non tibi videtur, quod merito amem, & colam talem, ac tantam majeſtatem ejus, qui pro me ipſo tanta, ac talia paſſus eſt?

V. Factum eſt etiam hoc ad firmandos diſcipulorum animos poſt reſurrectionem in fide: graviter enim fuerant a paſſione commoti. Si enim tanta fuit paſſionis ignominia, ut etiam hi, qui ejus gloriam viderant turbarentur, ſicut ipſe Dominus prædixerat illi: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte.* Ibid. 26. Quid de reliquis putandum eſt? Unde, & Petrus in prætorio requiſitus, jurejurando reſpondit: *Non novi hominem.* Ibidem. Mira oblivio. O Petre non noſti hominem illum, qui te ex piſcatore piſcium, fecit hominum piſcatorem? Ibid. 4. Qui te a retibus tractum, Eccleſiæ Apoſtolum, & Principem conſtituit? Ibid. 16. Qui regni cœlorum claves tuæ voluntatis arbitrio tradidit? Hunc, inquam, hominem ignoras? O Petre certe lethargum pateris, profundo ſomno teneris, merito te excitat gallus, redi ad cor, recordare, quia hic ipſe eſt, quem in monte ſancto ſuper ſolem ſplendidum tuis oculis aſpexiſti, cui paulo ante commoriturum te promiſiſti. Mat. 26. Ibid. 17. Luc. 22. O quomodo doluit, quam acerbe lacrymatus eſt, quando aſpiciente Chriſto, hæc omnia in memoriam redierunt! Mat. 26. Tu quoque o anima mea, obſecro te: *Tranſmigra* a monte *in montem, ſicut paſſer:* in his duobus montibus aſſidua eſto. Pſal.10. Conſidera diligenter qualia ſunt, quæ patitur in Calvariæ monte: inſpice vulneratum, lividum, afflictum, multo cruore perfuſum, compatere Domino ſic male tractato; condole Mariæ, & Sanctis mulieribus multo lacrymarum imbre perfuſis; & cum ibi compaſſionis, & doloris fueris acerbitate gravata, tranſi inde ad verticem Thabor, & tantæ gloriæ contemplatione reſpira. Ibi dignationis, hic decoris: ibi amoris, hic fulgoris inſignia recole: ibi videbis unde ames, hic unde deſideres: ibi unde ſequaris, hic unde læteris: utrobique tamen tibi magnificus apparebit Dei Filius, hic inter Prophetas gloriam oſtentans, & ibi inter latrones eandem gloriam præſtans. Unde Pſalmiſta: *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt. Tuum brachium cum potentia.* Pſal.88. Hermon, inquam, mons modicus de terra Jordanis, ipſe typum gerit Calvariæ: modicus quidem magnitudine, ſed myſterii virtute præclarus. Thabor, & Hermon montes clari, montes deſiderabiles. In horum montium uno brachium Domini, id eſt, Filius Dei majeſtatis ſuæ gloriam oſtentat: & in altero magna cum potentia de hoſte triumphator exultat. Diximus cauſas, propter quas transfiguratus eſt Dominus. Quomodo transfiguratus ſit, nunc dicamus.

VI. Ex Diſcipulis ſuis tres chariſſimos, Petrum, Joannem, & Jacobum ſecreto convocat, eoſque ſecum ad montis Thabor culmina trahit. Mirantur taciti rei novitatem inſolitam prius. Quid eſt quod velit, ut quid eos ſeparatim in ſublimia ducit? Jam vero ſupra ſacri verticem montis conſtitutus, ſic eos alloquitur: Mirabimini forſitan Filioli mei, quod vos in hunc locum ſeparatos eduxerim, ſed hujus rei finem, & cauſam modo ſcietis. Volo vobis innoteſcere, quis ſum: volo monſtrare, quid ſub hujus carnis velamine latet, cui adhæſiſtis, quem ſequimini, cum quo editis, & bibitis, & verba miſcetis. Non omnes hæc viſio decet, vobis ſolis hæc gratia donatur. Attendite, quæ nunc vobis pandentur, nam mundo quandoque neceſſaria erunt. His dictis, retentam in ſuperiori mentis portione, grandi miraculo, gloriæ & claritatis abyſſum ſolvit, & exteriora corporis, velut ruptis meatibus inundare permittit. Scaturit foras ſubito immenſitas illa gloriæ, totumque corpus mira claritate venuſtat. Rutilat ſuper ſolem facies ejus fulgore mirifico: candet veſtis ſuper nivem,

nivem, novumque induit forma decorem: adumbratur ejus claritate ſolaris radius, totuſque mons undique claritate refulget. Spectaculum viſu digniſſimum, quale unquam a ſæculo non eſt viſum. *Egredimini & videte filiæ Sion.* Cant. 3. Egredimini devotæ animæ, egredimini in montem foras, & *Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum* Pater ſuus. Videte Regem pacificum, Regem ſapientiſſimum, Regem potentiſſimum cunctis gentibus deſideratum, ſuper aſtra ſplendentem: *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* 1. Petr. 1. *Benedic* tu quoque, o *anima mea Dominum. Domine Deus meus magnificatus es vehementer.* Pſ. 103. *Confeſſionem, & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento: Extendens cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora ejus.* Illam enim interiorem animæ tuæ gloriam ab initio tuæ conceptionis intus latentem, ad corporis tui ſubſtantiam, ſicut pellem foras extendiſti, ut corporeis oculis videri poſſet. Quid vero intus gloriæ lateat, quis agnovit? *Tegis* quippe *aquis*, id eſt, immenſa abyſſo Deitatis tuæ, *ſuperiora ejus:* id eſt animæ tuæ ſuperiorem portionem: una quippe gloriæ tuæ gutta Apoſtoli tui inebriati ſunt. Quid ſi interiora vidiſſent? Solam corporis gloriam inſpexerunt, quid ſi gloriam animæ, unde ſcaturiebat illa? Quid ſi fontem Deitatis perennem, & primam ejus originem inſpexiſſent? Attendite, Fratres, videte qualem nobis gloriam paravit Pater, conſiderate, qualia nos præmia manent. Si talis erit gloria carnis, qualis erit gloria mentis? Si talis eſt rivus, qualis erit fons, unde ille rivus emanat? Quis interiorem animæ jubilum, lætitiamque mentis comprehendere valeat, quæ tales ex ſe foras ſplendores emittit? O quam vere dictum eſt: Quia *oculus non vidit, Deus abſque te, quæ* Iſaiæ 64. *præparaſti diligentibus te.* 1. Cor. 2.

VII. Splenduit quandoque facies Moyſi, cum de monte deſcenderet; uſque adeo, ut non poſſent in eum intendere filii Iſrael propter gloriam vultus ejus: ſed non ſicut Domini, ita & ſervi gloria: amplioris enim gloriæ Chriſtus præ Moyſe dignus habitus eſt, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit eam. Moyſes quidem fidelis erat in domo Dei tamquam famulus; Chriſtus vero tamquam Filius in domo ſua. Moyſi ſola facies rutilabat, Chriſtus totus ſuper ſolem ſplendebat. Moyſes faciem ſuam velo tegebat, Chriſti claritas veſtimento non poterat operiri, ſed veſtes ipſas fulgore ſuo ſuper nivem dealbabat. Major quippe fuit ſplendor in veſte Chriſti, quam in facie Moyſi. Fulgor ille Moyſi inſpicientium lædebat obtutus: Chriſti autem claritas mira ſuavitate ſine nocumento aliquo cernebatur. Ponit ille velum in figuram, quia cæco populo loquebatur: nos autem non velamine aliquo, *Sed revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur.* 2. Cor. 3. Unde, & ipſe Moyſes illius gloriæ ſpeculator, & teſtis affuit cum Helia Chriſto Domino aſtantes, & illi teſtimonium perhibentes, quod ipſe ſit verus Dominus, & Meſſias, quem lex præfiguravit, quem vaticinia promiſerunt. Et ſicut Euangeliſta ait: *Erant loquentes cum Jeſu.* Sed quid, obſecro, tali tempore loquebantur? Valde hoc Marc. 9. audire geſtimus. Dic nobis Euangeliſta quid loquebantur? Loquebantur, inquit, de exceſſu quem completurus erat in Jeruſalem. O vere exceſſum maximum! O ecſtaſim potentiſſimam! Exceſſiſti metas omnis rationis, & intellectus Domine in Jeruſalem; ſupra modum in me amando exceſſiſti Deus meus. Quid reddam tibi pro tanto amore tuo? Omnia in numero, & pondere, & menſura feciſti, ſed ſine numero, pondere, & menſura amaſti. Pſ. 115. Sap. 11. In hoc Redemptionis noſtræ opere nullus eſt numerus, nulla eſt cuſtodita menſura, ſed prorſus exceſſus nimius, & nimietas exceſſiva. In omnibus alioquin moderatus, & menſuratus, in ſolo amore fuiſti nimius. An non nimietas grandis, an non exceſſus nimius, ut Deus moriatur pro homine, pro opere ſuo Conditor, Creator pro factura? O ecſtaſim exuberantis amoris! O ferventis charitatis exceſſum! *Factus eſt Dominus, tanquam potens crapulatus a vino.* Pſal. 77. Plantavit vineam, & ex ea bibit, & inebriatus eſt, & nudatus grandem ecſtaſim paſſus eſt. Gen. 9. Sed quam ecſtaſim? Quid dicam, Fratres, quam ecſtaſim? Deus in ligno pendet, Omnipotens latronum medius crucifigitur, irridetur, blaſphematur, ſpuitur, flagellatur, occiditur. Ubi eſt Deus ſapientia tua, ubi eſt potentia tua, ubi eſt gloria tua, ubi eſt divinitas, majeſtas, & æternitas tua? Noli quærere; ecſtaſim paſſus eſt. Deus alienatus eſt a ſeipſo, ut tu redeas ad te ipſum; ſicut ſcriptum eſt: *Reminiſcentur, & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ.* Pſal. 21. Quid eſt dicere: *Reminiſcentur;* niſi redibunt ad ſe, qui erant alienati a ſe? An non alienati idolorum cultores, lapidum adoratores? Ecſtaſi ſua noſtram deſtruxit; ecſtaſim amoris paſſus eſt, ut tolleret ecſtaſim oblivionis. Amor namque, teſte Dionyſio (*a*), facit ecſtaſim; ponit enim amantem extra ſe, & ſui facit oblivionem. (*a*) Videas gallinam pro pullis aquilam fieri: & equam mitiſſimam pro filio fieri leænam, manſuetiſſima ovis vertitur in feram, & nihil tam mite, quod non amore inſaniat. Exponitur mater pro filio oblita ſui. Unde hoc, niſi quia ſuſtinet ecſtaſim præ amore. Hæc eſt ecſtaſis, quam pro nobis paſſus eſt Deus; hic eſt exceſſus, quem completurus erat in Jeruſalem, de quo vates cum Chriſto Domino loquebantur. Sed quid de hoc exceſſu loquebantur, Euangeliſta

(*a*) De Divinis nominibus cap. 4. §. 13. *Eſt propterea Divinus amor ecſtaticus, qui non ſinit eſſe ſuos eos, qui ſunt amatores, ſed eorum, quos ament.*

gelista reticuit. Pro illo gratias agebant, aut si fieri posset, ne illum pateretur, orabant; neque abs re in tanta gloria passionis memoratur excessus. Ut videlicet: eundem esse constaret, qui penderet in cruce, & qui splenderet in monte; ne forsitan alius subrogatus putaretur, ut nequiter Mahoma suspicatus est. Et ut nobis præberet exemplum, ut in die bonorum memores simus
Eccl. 11. quoque malorum, & lætitiam nimiam, objectis tristibus temperemus. Dum hæc agerentur, Petrus, & alii Discipuli grandi nimis admiratione tenentur.

VIII. Sed non juvat Petrum præfati excessus audire sermonem; fervet intus gaudio, conceptumque non valet tenere sermonem. Accepta igitur copia fandi; Quid, inquit, tecum Domine de quodam nescio quo excessu Prophetæ loquuntur? Mihi si creditur, meo si creditur voto: *Faciamus hic tria*
Mat. 17. *tabernacula: Tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* Hoc satius est, hic stemus, hic cunctos vitæ nostræ dies agamus. Quid ultra quæritur? Inferiora cur ultra lustramus? Nesciebat enim quid diceret præ amore: sic
Marc. 9. enim totam ejus mentem præsentis candoris, & gloriæ amor, & jucunditas occuparat, ut nihil aliud vellet, nihil aliud cuperet, & hoc sibi ad plenam felicitatem satis esse cogitaret. Sed non es te digna locutus o Petre. Falleris, graviter falleris o Pastor Ecclesiæ. Prius condendum est Euangelium, prius hominum genus cruoris effusione redimendum est, prius te *alius cinget, & ducet*
Jo. 21. *quo tu non vis*, quam hoc gaudio potiaris. Itane sine certamine victor, sine victoria triumphator evades? Quid rerum ordinem pervertis? Quid meritis præmia præponis? Tu ne, inquam, solus mundi salutem, & gloriam possidebis? Tibi soli Salvator assistet? O insignis latro tibi cœlestem margaritam usurpas. Dic nobis o Petre. Ubi Virgo, ubi Fratres, ubi Euangelium, ubi fides, ubi gratia, ubi generis humani redemptio, ubi cœlestis Jerusalem reparatio? Hæcne omnia propter te cessabunt? Tuis cedent omnia lucris? Sed ardenti parcatur amori; extra se enim positus, quid diceret nesciebat. Quæ sua sunt Petrus quærebat, nam esse cum Christo melius est. Sed quia sine merito præmium, sine labore gaudium cupit, hic error, hæc culpa est. Neque tamen solus hoc errore tenetur; volumus & nos sæpe similia Petro; gaudium cupimus, laborem fugimus; prius volumus gaudere quam pati: sed fatue, sed stulte. An nescimus, quia scriptum est: Quia
Rom. 8. si compatimur, & conregnabimus? Et quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? Sed Petrum nunc omittamus: satis enim ab omnibus hoc in loco ignorantiæ reprehenditur. Quod ad nos attinet Fratres; si videtur: *Bonum est nos hic esse.* Habeat sibi sua solatia mundus, concupitis homines voluptatibus perfruan-
Psal. 72. tur, nobis *adhærere Deo bonum est, & po-*

nere in Domino Deo spem nostram. Quid nobis, & gaudio, qui futura quærimus gaudia? In hoc monte cum Christo constantes perseveremus; montis hujus culmina stabiles teneamus, quæ enim infra sunt, tristia sunt, & amara, pestifera omnia, & lethali tincta veneno; hic pax, hic securitas, hic salus, hic requies, & si quid veri boni, aut gaudii in vita est, in hoc solo monte plenius possidetur. Sed quid in monte agemus? Nunquid otiosi cum Christo manebimus? Non quidem; sed faciamus & nos hic intra nos tria Domino tabernacula, Patri unum, Filio unum, Spiritui sancto unum; tabernaculum corporis, tabernaculum mentis, tabernaculum spiritus: tabernaculum æternum, perpetuam mansionem quam inhabitet Deus; sicut scriptum est: *Ad eum veniemus, & mansionem* *Jo.* 14. *apud eum faciemus.* Beatus qui huic struendo tabernaculo totam offert vitam, omnem impendit operam. Ego quidem Fratres (ut de me ipso interim aliquid loquar): si quandoque, & hoc rarissime, indigno concessum est; non meo quidem merito, sed Christi optimi maximi gratuito beneficio, in montem altum cum ipso conscendere, & ibi gloriam vultus ejus, vel ad modicum, & a longe prospicere; O quibus ardoribus, o qualibus lacrymis clamito: Domine mi, *bonum* *Mat.* 17. *est nos hic esse!* Non me permittas ultra descendere de monte isto; sufficit mihi hoc gaudium, sufficit mihi hæc præsentia tua: ne discedas, obsecro, ne abeas a me; in hoc tota vita mea, in hoc omnes dies mei expendantur. Quid ultra quæritur? Hoc solum volo, hoc solum cupio, hoc solum desidero, hoc solum peto. Sed heu heu! Evanescit subito gloria illa, pax illa, dulcedo illa, & plenus mœrore relinquor. Deserit illico lugentem animam, & sicut fulgur transiens ita præterit splendor ille. O si duraret!

IX. Sed ad historiam redeamus; Petro verba ista loquente; *Ecce nubes lucida obum-* *Ibidem.* *bravit eos, & vox de nube facta est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Vox ad Patrem, nubes ad Spiritum sanctum refertur: ut tota Trinitas Christo homini testimonium perhibuisse noscatur. Sicut scriptum est: *Tres sunt* *1. Jo.* 5. *qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est; hoc est* autem *testimonium Dei quod majus est*, quia *testificatus est de Filio suo.* Sed quid testificatus est? *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene* *Mat.* 17. *complacui.* Filius, inquam, non adoptivus, non adventitius, sed naturalis, sed ex substantia mea genitus. Sicut scriptum est: *Ex* *Ps.* 109. *utero ante luciferum genui te.* Dilectus, non sicut alia: sed, *in quo mihi bene complacui.* Placent, alia, in illo ipse mihi complaceo, quia in illo substantialiter ipse sum: & quicquid in me ipso mihi placet, in illo est: eadem enim est virtus, eadem magnitudo, eadem

dem pulchritudo, eadem gloria, eadem substantia. *Dilectus* itaque *ex dilecto*, sicut in Canticis nuncupatur, quia non solum ipse diligitur, sed in eo omnis ratio diligendi est: quicquid enim diligitur in ipso, & per ipsum diligitur. Unde Apostolus: *Gratificavit nos*, inquit, *in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, in remissionem peccatorum*. *Dilectus* igitur, quia diligitur: *ex dilecto:* id est, in quo primo dilecto omnia diliguntur: hoc est, dilectus in quo complacui, non frustra enim hæc repetitio posita est, sed ut ostendatur, quia dilectus, & primo dilectus est, & prima ratio diligendi. Sive enim Angelus, sive Archangelus, sive Throni, sive Principatus, sive Cherubim, sive Seraphim, sive cœlum, sive terra, sive homo, sive brutum, si placet, in ipso placet: quia in ipso sunt omnia secundum ideas: non sicut in seipsis finita, sed sicut in exemplari suo infinita. Quid enim est cœlum, quid terra, quid homo, quid Angelus, ut coram Deo magnus, & per se diligibilis appareat? Omnia hæc quasi non sint, sic sunt coram eo; & quasi nihilum, & inane reputata sunt ei, teste Propheta: quippe quia ex nihilo facta in nihilum verterentur, si non conservarentur ab eo. Quid ergo creatum magnum, aut bonum, aut pulchrum est in conspectu ejus, ut per se ametur ab eo?

X. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. Sed unde bona? Nunquid a se? Non utique: nam, *Nemo bonus, nisi unus Deus;* sed propter artem quæ in ipsis est, quia perfectissimo consonant exemplari. Non materia commendatur, sed ars; nos enim artem quærimus propter opera: in Deo non sic, sed opera propter artem commendantur, quia ars in illo omni opere melior est. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Sed quomodo facta per ipsum? Utique sicut per artem, sicut per exemplar primum, in quo omnia ab æterno lucent, & ab æterno placent. Non quod opera non placeant in seipsis, sed non per seipsa, sed propter artem. Diligitur creatura in Verbo, diligitur etiam in seipsa, quia & ipsa bonum quoddam est, sed participatum, & non essentialiter bonum. Sicut ergo participat bonitatem, ita participat dilectionem. Diligitur ergo in seipsa, sed non per seipsam, neque propter seipsam, sed propter conformitatem ad artem, quæ in ipsa est, id est, quia suæ consonat arti: sicut in vasis fictilibus sola artis forma placet, nam materia lutum quoddam est. *Hic est*, inquit, *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*. Fallere enim, aut falli non potest, quia veritas est. Ipsum ergo audientes non fallemini, quia veritas est: ipsum sequentes non decipiemini, quia via est: ipsum amplectentes non moriemini, quia vita est: ipsum imitantes non obscurabimini, quia lux est. Ipsum ergo audite, ipsum sequimini, ipsum amplectimini, ipsum imitamini. Hic est enim

Cant. 5.

Ephes. 1.

Jo. 1.

Mat. 17.

Jo. 14.

Ibid. 8.

Doctor ille justitiæ, qui orbi missus est in magisterium omni carni; *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*. Ut doceret hominem scientiam, & justitiam *His, qui recto sunt corde*. Sicut Propheta prædixerat: *Filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem justitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum, & serotinum sicut a principio*. Omnes igitur, qui vitam, & veritatem diligitis, qui viam salutis, & pacis inquiritis, qui æternam felicitatem obtinere desideratis, ipsum audite: hic enim a Deo, sicut *constitutus* est *Rex*, ita promotus est magister, & doctor *super Sion montem sanctum ejus*, *prædicans* in gentibus *præceptum ejus*, & in populis gloriam ejus: ut notas nobis faciat vias vitæ: sicut in Psalmo prophetatum est. Hac voce audita exterriti Apostoli super faciem corruerunt: non enim tantam poterant sustinere majestatem. Quos pius Dominus a terra levatos suaviter admonuit, ne cui dicerent hanc visionem, donec a mortuis Filius hominis resurgeret. Decuit enim ita fieri: tum ne hac audita gloria, passioni offendiculum poneretur: tum ne Fratres adhuc infirmi, quia hæc non viderant, æmulationis aculeo pungerentur: tum etiam ad nostram eruditionem: ut si quandoque nobis cœlestis cujuspiam visionis secreta panduntur, non eam in vita palam efferamus, sed cum Propheta dicamus: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi*. Sed cur o bone Jesu, hanc tuam gloriam tuæ Genitrici non monstrasti? Quis enim illa dignior? Quis tibi charior? Quis amore tuo flagrantior? Quis purior? Sed quia Mater erat, testimonio Filii minus idonea forsitan visa est: aut Filii pietate potius sic dispositum est, ne videlicet, & a rememorata gloria, in passione sua doloris stimulo gravius urgeretur. Hactenus de historia.

Luc. 1.

Psal. 35.

Joel. 2.

Psal. 2.

Psal. 95.
Psal. 15.

Mat. 17.

Isaiæ 24.

XI. Hæc nos gloria expectat, Fratres, talia nos præmia manent? Toto conatu, toto desiderio properemus ad illa; pudeat vinci a carnalibus, pigeat a sæcularibus superari. Quid pro brevissima voluptate non sustinet lubricus? Quid pro modico lucro non portat avarus? Nobis autem pro æterno, & inenarrabili gaudio quippiam grave, aut difficile reputabitur? Atteratur ad modicum inedia caro, vigiliis & laboribus ad momentum frangatur, ut perpetuo hoc decore venustetur, & tali gloria, & splendore vestiatur. O si eam semper præ oculis haberemus! Unde enim ista maledicta tepiditas? Unde tanta cordibus nostris segnities, nisi ex oblivione mortifera? O anima mea! Quid aliud cupis, quid aliud agis, quid aliud prætendis? Ut quid terrenis lucris, & negotiis implicaris? Væ mihi hominum stolidissimo, qui a tanta felicitate mentis oculos ad terrena deflecto. Quanto aliter faciebat qui dicebat: *Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni de-*

Ps. 136.

tur

zur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Si non proposuero te *Jerusalem, in principio lætitiæ meæ.* O ignitum eloquium! O flagrantissimum desiderium! Et alius Propheta: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat. Ut requiescam in die tribulationis: ut ascendam ad populum accinctum nostrum*, populum nobilissimum, populum pulcherrimum, populum glorioſum, populum felicem, populum gloria, & honore coronatum: quam nobis coronam præstet, qui eam nobis hodie in seipso monstravit Jesus Christus Filius Dei, cui cum Patre, & Spiritu sancto est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Habac. 3.

IN DOMINICAM II. QUADRAGESIMÆ

CONCIO SECUNDA.

De Christi Transfiguratione.

Et post dies sex: Assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum: Et transfiguratus est ante eos. Matth. 17. v. 1.

* Concio xliv.

I. LIcet Dominus noster pluribus signis & miraculis monstrasset quis esset Apostolis & mundo, suscitando mortuos, sanando ægros, imperando elementis: tamen, quia jam imminebat tempus passionis, in qua scandalizandi erant multi; ut eisdem Apostolis ipse prædixit. Ideo voluit aperte monstrare, quoniam Deus esset, ostendendo gloriam suam visibilem Apostolis, per quos cæteri confirmari poterant. Assumpsit ergo tres Discipulos, majoris authoritatis & crediti; *Et duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Ut qui Prophetarum oraculis, & virtutum sive operum prodigiis, & cœlorum testimonio, & Angelorum dicto, fuerat monstratus Deus, jam visibili testimonio id probaretur & Patris testimonio. Ut nihil sit excusationis pertinaciæ infidelium tam attestatæ veritati non credentium, nec relinquatur locus erroris. Non parvum etiam mysterium, nec parva est quæstio: cur Dominus, qui in vita ista semper secutus est abjectionem, & paupertatem, hodie divitias suæ majestatis aperuit tribus, qui in populo semper voluit esse abjectus? Hoc ergo etiam fecit, ut animaret ad tolerandas sæculi passiones ostenso præmio; pro nobis fecit non pro se. Dic: Quomodo præmium minuit laborem. De mercenario tolerante sudorem pro denario. De milite pro stipendio. Christus novus homo, veniens in mundum nova præcepta dedit mundo. Difficile est contemnere quod es, ut speres esse quod non es, labores presentes, præmia futura. Ait stultus apud Salomonem: *Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias.* Ideo, quantum nostra fragilitas patitur, voluit ut præmium etiam videretur. Nam, ut ait Psalmus: *Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras.* Qualis est gloria; Isaias, *per totum fere caput trigesimum tertium.* Apostolus libertatem laudat, dicens: *Quæ sursum est Jerusalem, quæ est mater nostra, libera est.* Job: *Parvus & magnus ibi sunt, & servus liber a Domino suo.* Non dico: servus peccatorum, sed servus timoris, liber de timore: Gregorius (*a*). Alius laudat societatem. Habacuc: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat. Ut requiescam in die tribulationis: ut ascendam ad populum accinctum nostrum.* Alius satietatem. Psalmus: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: Et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Sed melius dici non potuit; quam: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Bernardus (*b*): Cogita quidquid potes, &c. In fine Declamationis. *Duxit ergo eos in montem excelsum.* Dic modum, quomodo locutus est Apostolis suis: ut cognoscatis me, & sciatis, quia a Patre exivi; notate quæ visuri estis, ut in tempore tentationis recordemini; ostendam vobis quid in hoc corpusculo clausum sit. Et aperuit thesauros gloriæ, & dona pretiosissima; & claritatem quam retinebat compressam in parte superiori per miraculum, ne influeret ad inferiores vires, & corpus maneret passibile ad mysterium Incarnationis complendum: data licentia naturali effluxit ad corpus: Non tota qua potuit esse, ut ait Chrysostomus (*c*); sed qua potuit visu corporeo sustineri. Quamvis forte non erat ejusdem speciei cum ista, nec oculos lædebat. Pondera hic historiam Joel: *In illa die stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte.* O Filiæ Jerusalem egredimini & videte Regem Salomonem. Egredere Sponsa, & vide Sponsum tuum decorum super filios hominum. In quem desiderant Angeli aspicere.

II. Relicta historia, dices modo, exclamando

Jo. 5. Ibid. 12. Marc. 6. Mat. 8. Ibid. 26.

Ibid. 17.

Eccl. 6.

Psal. 16. Isaiæ 33.

Galat. 4.

Job 3.

(*a*)

Habac. 3.

Psal. 35.

1. Cor. 2.

(*b*)

Mat. 17.

Jo. 16.

(*c*)

Joel. 3. Cant. 3.

Psal. 44. 1. Petr. 1.

(*a*) Moral. lib. 4. cap. ult. num. 71. *Servus ergo hic jam fugit Dominum, sed liber non est: quia peccatum suum homo jam corrigendo, & pœnitendo deserit, sed tamen adhuc districtum judicem de ejus retributione pertimescit. Ibi ergo servus a Domino liber erit, ubi jam de peccati venia dubietas non erit.*

(*b*) Tom. 3. Oper. S. Bernardi, juxta edit. Mabillonii, ita legimus sub num. 71., seu ultimo Declamationum Gaufridi Abbatis ex Bernardo. *Cogita quidquid vis, quidquid potes exopta, excedit cogitatum omnem, desiderium omne exsuperat illa felicitas, æternitas illa, beatitudo illa.*

(*c*) Epist. 5. ad Theodor. lapsum, circa medium. *Verum in monte tum aperuit tantum lucis, quantum ferre potuerunt citra læsionem aciei, atque afflictionem oculorum contuentium in illud, quod tamen aliter cecidit: prociderunt enim in faciem.* Et Homil. 57. in cap. 17. Matth. post medium: *Nam tunc discipulis parcens, tantum splendorem adaperuit, quantum illi percipere poterant.*

mando contra mundum. Nunquid habes o munde talia præmia? Habes talia dona pro dilectoribus? Quæ sunt tua stipendia pro laboribus? Dices: Quomodo, obsecro Fratres, a corde decidunt tanta præmia æterna? Ecce fulgore alienæ vestis inflaris: cur non fulgore tuo? Hæc bona variantur, nihil referunt. Hæc omnia exaggera, ut poteris. Sed cur, obsecro, in monte? Cur cum Jacobo, Joanne, & Petro? Nota, quod datur intelligi transfiguratio cordis in exemplum, quæ debet fieri in monte perfectionis. Isaias: *Isaiæ 58.* *Sustollam te super altitudinem terræ.* Ut est (*a*) in Gregorio (*a*): Ille est in monte, qui terræ altitudinem calcat, id est, prospera. Nam impossibile est, ut in Deo figatur, si non de sæculo prius eradicetur. Ideo sic transfigurandus prius est Jacob, id est luctator; & victis tentationibus erit Joannes: id est gratus Deo. Sed non erit perfecta transfiguratio, nisi sit Petrus: id est, in gratia confirmatus. Ut dicat: *Rom. 8.* *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus, superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino Deo nostro.* Ut in Apostolo. Et tunc poterit dicere: *Galat. 2.* *Vivo autem jam non ego: vivit vero in me Christus.* Ecce perfectam transfigurationem. Apostolus: *Coloss. 3.* *Spoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, qui secundum Deum creatus est.* *Rom. 13.* *Non in comessationibus & ebrietatibus, sed induimini Dominum nostrum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis.* Seneca (*b*) in Epistolis: *Major sum, ad majora natus, quam ut mancipium sim sensuum meorum. Post sex dies,* inquit Euangelista. *Mat. 17.* Hominis reformatio concordat formationi. Prima dies cognitio sui. *Lux.* Noverim te (*c*), noverim me. Agnoscit conditionem, miseriam, peccatum,

A & super omnia finem suum. Psalmus: *Notum fac mihi Domine finem meum, ut sciam, &c.* *Psal. 38.* Hæc vera sapientia. Vide P. Augustinum *super hunc versum.* De peccatoribus, Psalmus: In tenebris habitant, & *in tenebris ambulant.* Secunda: discernere delectationes *Psal. 81.* terrenas ab spiritualibus. *Fiat Firmamentum,* id est cor, *in medio aquarum. Ut dividat* *Gen. 1.* *aquas, ab aquis.* Quæ supra, &c. Id est cœlestes delectationes a terrenis voluptatibus. Tertia dies: quæ corde concepta, opere manifestantur. *Producat terra, &c. Juxta genus* *Ibidem.* *suum.* Ambrosius (*d*): Pudeat hominem: cum (*d*)
B alia juxta genus suum producant, solus homo degenerat.

Non habet aliud hic quippiam Sanctus Thomas de sex diebus.

III. *Resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix.* Quis princeps sic indutus est? Qualis gloria? In tribus cognoscitur homo esse nobilis. In vultus colore, in veste pretiosa, in generis nobilitate, & erat in istis defiguratus. De colore: *Vidimus eum, & non erat ei species.* *Isaiæ 53.* De habitu; Apostolus: *Et habitu inventus* *Philipp. 2.* *ut homo.* De genere: *Quia Filius fabri est.* *Mat. 13.*
C Color autem reformatus excellentiam ejus ostendit. Nam, *Resplenduit facies ejus sicut* *Ibid. 17.* *sol:* Imo sol est tenebrosus respectu illius luminis. De veste autem: *Vestimenta autem* *Ibidem.* *ejus facta sunt alba sicut nix.* Eadem veste gloriæ, qua vestitur in cœlo, vestitus est in monte. Vestis eadem, sed modus non idem: Quia ibi permanenter, hic vero in transitu. Ibi per modum habitus, hic per modum passionis. *Amictus lumine sicut vestimento.* O si *Ps. 103.* talis erat gloria corporis! Qualis erat Animæ gloria de qua procedebat? Si tali decore vestitur limus terræ, quali pulchritudine decorata est Anima, Spiritus ille cœlestis? Intra amplius, & vide, qualis erit gloria Verbi. Totus glorioſus, totus decorus. *Deco-* *Psal. 92.* *rem induit* Deus Angelorum. S. Thomas (*e*) (*e*)
D putat decorem corporeum ex animæ decore procedere: ita ut, pro majori gloria animæ, major esset, sic corporis splendor. Siquidem, anima est transparens, & redundat ejus gloria in corpus. Gregorius (*f*) super illud: (*f*) *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* Et *Job 28.*

Joan

(*a*) Regist. Epist. lib. 1. Epist. 5. *Sustollam te super altitudinem terræ, super enim altitudines terræ sustollitur, qui & ipsa quæ alta, & glorioſa præsentis videntur sæculi, per mentis despectum calcat.*

(*b*) Epist. 65. in edit. Veneta an. 1658. *Major sum, ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis.* In edit. autem Basileensi an. 1573. est Epist. 66.

(*c*) Verba sunt S. P. Augustini Soliloq. lib. 2. cap. 1. *Deus semper idem, noverim me, noverim te.*

(*d*) S. Ambrosii verba recitavimus in notis ad Conc. 1. Dom. 3. Adv., ubi primo allegantur.

(*e*) 1. 2. q. 4. art. 6. *Consequenter vero quia ex beatitudine animæ fiet redundantia ad corpus, ut & ipsum sua perfectione potiatur. Unde Augustinus dicit in Epist. ad Dioscorum: Tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex ejus plenissima beatitudine redundet in inferiorem naturam incorruptionis vigor.* Est autem Epistola hic laudata ordine 118., alias 56., & ita leguntur recitata verba sub num. 14. *Tam potenti enim natura Deus fecit animam, ut ex ejus plenissimæ beatitudine, quæ in fine temporum Sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, quæ fruentis, & intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, idest incorruptionis vigor.*

(*f*) Moral. lib. 18. cap. 48. *Quia enim Sancti omnes summa in ea beatitudinis claritate fulgebunt instructa auro dicitur. Et quoniam ipsa eorum claritas vicissim sibi in alternis cordibus patet, & cum uniuscujusque vultus attenditur simul, & conscientia penetratur, hoc ipsum aurum vitro mundo simile esse memoratur. Ibi quippe uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi.* Ita S. Gregorius post allata Jobi, & Joannis testimonia hic indicata.

Joannis in Apocalypsi: *Et erat structura muri*
Apoc. 21. *ejus, ex lapide jaspide, ipsa vero civitas ex auro mundo, similis vitro mundo.* Aurea ergo & vitrea est beata anima, aurea propter gloriam, vitrea propter transparentiam. O Domine, quomodo latebant intra vasculum illud carnis tantæ divitiæ! O quomodo stupuerunt Apostoli videntes tantam gloriam! Ecce! Quocum versamur; quid gestas in pectore? De genere vero, quid dicunt Judæi? *Filius fabri est.* Ita est: nam
Mat. 13. Pater ejus fecit terram, fecit cœlum, fecit
Gen. 1. stellas; ipse dedit Moysi formam tabernaculi;
Exodi 26. ipse dedit ordinem arcæ Noe. Vide Ambro-
Gen. 6. sium (*a*): *Tertia parte in sermone Nativitatis.* O Judæe quid ais? *Filius Joseph est?* Attende quod dicitur: *Hic est Filius meus dilectus, Filius Dei vivi.* Patrem habet fabrum, sed Deum. *Resplenduit facies ejus*
Lucæ 4. *sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt al-*
Mat. 17. *ba sicut nix.* Nota, quod vultus habent præ-
Jo. 11. lati, vestes habent plebei. Sat est populo quod albescat ut nix, sed prælatus oportet, ut fulgeat ut sol. Item: de splendore vultus, nascitur vestis candoris.

IV. *Et ecce duo viri loquebantur cum illo.*
Lucæ 9. *Erant autem Moyses & Elias visi in majesta-*
Mat. 17. *te: & dicebant ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* Sed erant ibi Moyses & Elias, ut ostendatur, quia utriusque Testamenti Mediator est, quando ipsi Lex & Prophetæ testimonium perhibent. Sed etiam ex alia causa apparuit Moyses. Quia illi fuerat promis-
Exodi 33. sum: *Cum pertransierit gloria mea, videbis posteriora mea.* Nota: quomodo Deus terribilis, invariabilis, solus habet immutabilitatem, id est, invariationem. *Tu autem*
Ps. 101. *idem ipse es.* Non est ibi hodie & cras, nunc & post. Dies ejus non habet occasum: æternitas Dominus ejus est: est enim tota simul,
(*b*) ut ait Boetius (*b*). Similiter Adam, quamdiu adhæsit, non variabatur tempore. Nam, licet defluueret natura, sed non vita: sed non incurreret substantia detrimentum infirmitatis, & debilitatis, & fœditatis in senio. Cum autem desiit esse immutabilis, cœpit ire cum tempore, ut ait Gregorius (*c*). Psalmus: *Dies nostri sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui. Dies nostri* autem capit hic; esse infirmum, humanum, cum quo pertransitur cum doloribus & passionibus. Cum pertransiero, id est, cum habuero vitam, quæ cum tempore minuitur, & crescendo decrescit, & labitur. Ipse qui sum in me vita constans & perpetua, tunc, priusquam videas faciem meam, id est Divinitatem meam, posteriora mea, id est, humanitatem glorioſam videbis: vel posteriora, id est, umbram meæ gloriæ in corpore. Sed, *Ecce duo viri loquebantur*, inquit. Desiderabile est audire de quo loquebantur in tanta gloria. Quid ibi loquebantur? Magnum profecto quod inter tales personas tractabatur. *Principes* enim *populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Elias & Moyses, Duces synagogæ: Petrus, Joannes, & Jacobus, Principes Ecclesiæ. De quo loquebantur? Multum debemus Lucæ Euangelistæ, qui id expressit, dicens: *Dicebant excessum.* Sed amplius debitores essemus, si verba ipsa narrasset. Quis iste excessus nisi mors tua? Loquebantur de excessu amoris. Propter nimiam charitatem, vel passionem; quia sufficiebat gutta. *Dicebant*, inquit, *excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* Omnia fecisti Domine mensurata. Modo excedere vis? Cœlum & terram, stellas, arenam in mensura fecisti, nunc excedis? Quis iste est excessus? Passionis, inquit, non creationis. O quantus excessus, imo quot excessus ibi! Dicat Paulus: *Qui cum in forma Dei*
Philipp. 2. *esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Pater Augustinus (*d*) mirabiliter prosequitur gradus a Paulo signatos, dicens: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Quanta Majestas! *Semetipsum exinanivit, formam servi acci-*

(*a*) Sermo hic allegatus sextus est in Append. Operum S. Ambrosii edit. PP. Congr. S. Mauri, quartus autem *de Natali Domini*, & fortasse S. Maximum auctorem habet. Num. 7. sic habemus: *Nonne hic, &c. In hoc quoque adverte mysterium. Faber Pater dicitur Christi. Et plane faber Pater Deus, qui totius mundi opera fabricatus est: & plane faber, sed qui in diluvio Noe arcam fabricare disposuit. Faber inquam est, qui ordinavit Moysi tabernaculum, arcam testamenti instituit, templum Salomonis erexit. Fabrum dixerim, qui mentes rigidas emollit, cogitationes superbas rescindit, humilia facta sublimat.* Similia leguntur Serm. 135. in Append. tom. 5. Operum S. Augustini.

(*b*) De Consolat. Philosophiæ lib. 5. prosa 6. initio. *Æternitas igitur est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.*

(*c*) Moral. lib. 9. cap. 50. *Fixum etenim statum hic habere non possumus, ubi transituri venimus: atque hoc ipsum nostrum vivere quotidie a vita transire est. Quem videlicet lapsum primus homo ante culpam habere non potuit, quia tempora eo stante transibant. Sed postquam deliquit, in quodam se quasi lubrico temporalitatis posuit.* Et Moral. lib. 25. cap. 3. *Primus vero homo ita conditus fuit, ut manente illo decederent tempora, ne cum temporibus ipse transiret. Stabat enim momentis decurrentibus, quia nequaquam ad vitæ terminum per dierum incrementa tendebat... At ubi vetitum contigit, mox, offenso Creatore, cœpit ire cum tempore. Statu videlicet immortalitatis amisso, cursus eum mortalitatis absorbuit. Et dum juventute ad senium, senio traheretur ad mortem, transeundo didicit, stando quid fuit.*

(*d*) Serm. 304. in solemn. Laurentii Mart., alias de diversis 37. Ita apud S. Patrem usque ad ea verba: *Quanta humilitas:* tum sequitur. *Humiliavit se Christus: habes Christiane quod teneas. Christus factus est obediens. Quid superbis? Quousque factus est obediens Christus? usque ad incarnationem Verbi, usque ad participationem mortalitatis humanæ, usque ad trinam diaboli tentationem, usque ad irrisionem populi Judæorum, usque ad sputa, & vincula, usque ad alapas, & flagella: si parum est, usque ad mortem; & si adhuc aliquid etiam de genere mortis addendum, mortem autem crucis. Habemus tale humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum.* Prout in textu, pauculis immutatis, ut vides.

accipiens: in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Quanta Humilitas! *Humiliavit semetipsum, factus obediens.* Habes Christiane quod teneas. Christus factus est obediens. Quid superbis? Quousque factus
Lucæ 2. est obediens Christus? Usque ad incarnationem Verbi; usque ad participationem mor-
Mat. 4. talitatis; usque ad trinam diaboli tentatio-
Ibid. 27. nem; usque ad irrisionem populi Judæorum, usque ad sputa & vincula, usque ad alaphas & flagella. Si parum est; usque ad mortem: etsi adhuc aliquid de genere mortis deest:
Jo. 19. *Mortem autem crucis.* Ideo enim crucifigebatur, non ut vita, sed ut mors protenderetur diu, quam moreretur vivendo: ecce excessus.
Thren. 1. Fuit etiam excessus doloris. *O vos omnes qui transitis per viam*, scilicet vitæ hujus, *Attendite:* sistite, saltem *videte*, saltem compatimini. Non transeas homo celeriter dolores meos. Hoc solum te peto pro tantis pœnis, ut videas, ut consideres.

Mat. 17. V. *Respondens autem Petrus dixit ad Jesum.* Quid tibi videtur Petre, qualis es, cui os ad os loqueris, cum quo conversaris?
Ibidem. Dixerat Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis?* Ecce Petre quid erit vobis. Non bene tibi videntur soluta tua retia? Tantus sapor nonne omnia contemnit? Sed si gutta hic in corpore tanta tibi videtur; quid si ipsam animam, aut ipsam abyssum luminis Verbi videres? Aut si ipse tu talem lucem haberes, qualem credis voluptatem? Non solum Petre ut videas facio, sed ut habeas ipse. Ergo non ista Petre, sed
Psal. 83. alia quære. Psalmus: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Concupiscit & deficit anima mea.* Expone ut Gregorius (*a*) *in*
(*a*) *Moralibus.* Ideo opus est descendere. Non est bonum nos hic esse; nam quem modo vides
Mat. 17. circumdatum nube, videbis ligatum ad co-
Jo. 19. lumnam: quem vides decorum lumine, vide-
Mat. 17. bis perfusum sanguine: ad cujus pedes mo-
Lucæ 22. do Prophetæ adorantes genua flectunt, ipsum
Mat. 17. videbis flectere genua ad pedes carnificum:
Ibidem. quem modo Pater vocat Filium, tunc Cai-
Ibid. 26. phas dicet blasphemum. O Domine! Quam
Lucæ 9. differens est transfiguratio, ab illa quam fa-
Isaiæ 53. cies in Jerusalem. *Vidimus eum, & non erat*
Mat. 26. *illi species, neque decor.* Petrus: *Non novi*
Ibid. 17. *hominem.* Quomodo Petre? Non agnoscis illum qui splendebat in monte? De quo Pa-
Ibid. 16. ter dedit testimonium? Non agnoscis illum, qui tradidit tibi claves regni cœlorum? Vere dormis: excitet te gallus. Novi novi eum. Si non agnosco, mutavit faciem suam coram Achis. *Transfiguratus est ante eos.*
1. Reg. 21. Dic figuram David, & Achis. Putandum est, Petrum in negatione recordatum fuisse. Et ideo: *Flevit amare.* Gregorius: O quot remorsus sensit cor Petri, quando respexit Dominus post peccatum, & recordatus est gloriæ, quam viderat in transfiguratione! *Domine bonum est nos hic esse: Si vis, faciamus hic tria tabernacula. Tibi unum, Moysi unum, Eliæ unum* Petrus ait: Domine, si condescendas voto meo, possessionem hic sumo cum Elia. *Domine bonum est nos hic esse.* Quid amplius quæritur? *Nesciebat quid diceret:* de suo loquebatur Petrus. Placuerat illi quod viderat. O Petre prius laborabis, prius crucifigeris; non expedit etiam tibi, non mundo. Lucernam vis abscondere, non implebitur ad quod venit? *Non sapis quæ Dei sunt.* Non cupis salutem mundi, non zelas honorem Domini tui. Amor ejus te facit ista dicere, sed, *Honor Regis judicium diligit.* Quid ais Petre? Mundus totus in tenebris est, & lucernam abscondis? Mundus ruit, & columnam sustinentem dejicis? Non est bonum nos hic esse; alioquin, quomodo tu & alii liberamini? Quomodo eripietur peccator de laqueo? Non expedit etiam tibi, quod sic maneat: alias, quomodo dabitur tibi potestas clavium illius thesauri absconditi? Nondum cæci illuminati sunt, nondum effusus est sanguis, nondum communicata potestas. O quomodo patrissas! Sine labore vis adipisci gloriam? Ut Adam prius morieris. Item: dato quod ibi sitis; quare adæquabis servos Domino suo, ut dicas: *Tibi unum, Moysi unum.* Sufficit Moysi angulus Tabernaculi Domini. Siquidem ipse inventus est fidelis in Domo ejus. *Bonum est nos hic esse.* Sic dicunt contemplativi, nolentes ex monte contemplationis descendere, ad fraternum regimen & vitam activam; sic etiam dicunt omnes amantes sæculi volentes hic finem constituere.

Luc. 22. *Mat. 17.* *Ibidem.* *Psal. 98.* *Mat. 17.*

VI. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Ita ut filius placeat sine aliqua displicentia, in quo etiam placet esse quod placet. Qui *Gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Dixit Dominus de primo homine: *Pœnitet me fecisse hominem.* Quid de secundo Adam dicitur? *In quo mihi bene complacui.* Hugo de S. Victore *in fine Didascalon capitulo decimo sexto libri septimi* optime ponderat ad longum istam authoritatem: *Hic est Filius meus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Vide ibi. Et summa suæ ponderationis stat in hoc, quod ait: *In quo mihi bene complacui.* Non ait, qui mihi complacuit, ut daret intelligere, quoniam de meo habet, ut placeat, & in ipso ego mihi placeo. Quia unum est, quod in me placet de

Ibidem. *Ephes. 1.* *Gen. 6.* *Mat. 17.* *Jo. 16.*

(*a*) Ita in Moralibus lib. 4. cap. 33. Psalmum exponit S. Gregorius. *Hinc Psalmista amoris sui robore fessus dicebat, defecit in salutari tuo anima mea. In salutare enim Dei proficiendo defecerat; quia æternitatis lucem desiderans, a carnis jam fiducia fractus anhelabat. Hinc rursum dicit, concupivit, & defecit anima mea in atria Domini. Qui nimirum cum diceret concupivit, recte subdidit, & defecit: quia valde minor est divinitatis concupiscentia, quam non mox etiam proprius sequatur defectus. Qui enim ad appetenda æternitatis atria accenditur, dignum profecto est, ut ab hoc temporalitatis amore lassetur: ut tanto frigescat ab studio sæculi, quanto surgit ardentior in amorem Dei.*

de me, & quod in ipso mihi placet de ipso; & a me habet ipse quod placet, & una est complacentia, quia una Bonitas, quia una Divinitas. In ipso mihi complaceo, in ipso omnia placent, quæ feci per ipsum. Nihil enim mihi potest placere, nisi per ipsum, quia
Jo. 1. per ipsum omnia feci, & in hoc placent, quod exemplari, pro quo facta sunt, conformia sunt. *Ipsum audite* magistrum, quia ipse prototypon.
Mat. 1. Ipsum habete doctorem, quem habuistis exemplar. O homo ad imaginem Dei factus es, per peccatum deformatus es. Imaginem agnosce, & illi conformare, ut reformeris deformatus; *Ipsum audite*. Quis di-
Ibidem. gnius audiri debeat quam sapientia? Quis utilius quam exemplar? Quis commodius quam Creator? *Ipsum audite*. Nam omnia mecum creavit. Omnia mecum ipse fecit.
Prov. 8. *Quando Æthera* formabam *sursum*, & librabam *fontes aquarum*, *quando* appendebam *fundamenta terræ* mecum erat. Non complacui mihi in cœlo, non in astris, non in Angelis, sed in ipso mihi bene complacui. Non ipsam sapientiam propono, opera diligo, sed omne opus quod feci, in ipsa sa-
Gen. 1. pientia quam feci approbo. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*; quia huic conformia. Notabis ultimo, quod ad sonum vocis ceciderunt in facies suas. Job:
Job 26. *Et cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Ecce vocem blandam de dilecto Filio admonentem, non sustinet auris humana: quanto magis vocem horribilem
Mat. 25. de supplicio æterno: Ite maledicti *in ignem*
Ibid. 17. *æternum*, sustinere non poterit? *Ceciderunt in faciem suam*. Quid est, quod facies coo-
(a) peritis? Gregorius (a) super illud Ezechielis:
Ezech. 2. *Et vidi & cecidi in faciem meam*, ait: O magna miseria! Homo creatus ut gloriam Dei speculetur, eandem gloriam non sustinet. Sed apparente gloria Dei, statim cooperit se, ut non videat, quia non potest oculus sustinere.

VII. Nota aliam transfigurationem in monte Sanctuarii: & altiorem in utero Virginis; quando Verbum factum est caro; quan-
Jo. 1. Psal. 18. do exivit gigas geminæ substantiæ, tanquam sponsus de thalamo suo, cum incredibili alacritate ad currendam viam mortalitatis vitæ. Sicut enim filii Israel miserunt aurum
Exodi 32. in fornace, & exivit vitulus, ita ex auro illo divino in fornace Virginis exivit *Agnus*
Jo. 1. *Dei qui tollit* peccata *mundi*. Figura hujus
4. Reg. 4. transfigurationis in Elisæo, qui mensus est super puerum mortuum. O Elisæe, ad quod propositum metiris? Quid facit ad resurrectionem? Si dicas ut calefiat caro; adhibe carbones, & citius facies. Figura certe fuit. Puer humanum genus. Mensus est Deus suam magnitudinem cum parvitate pueri. Os cum

A ore: idest, substantiam cum substantia, cum unione hypostatica, quam postulat Ecclesia, dicens: *Osculetur me osculo oris sui*.
Cant. 1. Oculum cum oculo, quia sapientiam cum sapientia nostra. Adjungit manum cum manu, quia potestas cum infirmitate. Ecce incurvatus est magnus Propheta, nam puer parvus est tempore. Psalmus: *Magnus Do-*
Ps. 144. *minus*, & magna virtus ejus, & *magnitudinis ejus non est* numerus. Oportet ergo incurvetur. Vis videre quantum? Apostolus:
Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.
Philipp. 2. Pondera multum verbum, *Exinanivit*: ut
B videas, quanta fuit incurvatio. Ecce Adam voluit in principio transfigurari in Deum: *Eritis sicut dii*. Et modum credidit: si oculum suum levaret ad Deum, & manum suam
Gen. 3. extenderet ad manum Dei, idest, potentiam ad potentiam. O Adam. Deus in hominem, non homo in Deum transfigurari debet, ut postea per gratiam homo Deo configuretur. Non tu ascendes ad me, sed ego descendam ad te, ego incurvabor; non tu levabis oculum tuæ sapientiæ, ad oculum meæ sapientiæ, ut attingas eam; sed ego deprimam oculum, & curvabo, ut descen-
C dat ad oculum tuæ sapientiæ. Fuit autem in hac nostra substantia alia transfiguratio facta in monte crucis. *Speciosus forma præ fi-*
Psal. 44. *liis hominum*. In quem desiderant Angeli
1. Petr. 1. contemplare. Visus est, & non erat decor,
Isaiæ 53. non species: imago putredinis est imago ista. Nam in præcedente, naturam est videre in-
Lucæ 2. ter animalia, sed non minus videre ipsum
Isaiæ 1. inter latrones. Multum est in præsepio, sed non minus in ligno. Multum est, quod cœ-
Mat. 27. lum emisit stellam, non minus, quod sol ab-
Ibid. 2. scondit radios. Multum est, quod fugit lac in brachiis Matris, non minus, quod bibit
D fel in brachiis crucis. Multum est videre
Lucæ 23. ponentem oculum pro oculo, os cum ore, manum cum manu, non minus videre *red-*
Mat. 27. *dentem oculum pro oculo*, *dentem pro dente*, *manum pro manu*, *sciffuram pro sciffura*. Ut videre est *in Deuteronomio*, & *Levitico*. Red-
Deut. 19. Levit. dit oculum pro oculo. Nam *vidit mulier quod*
24. *bonum esset lignum ad vescendum*, & *pul-*
Gen. 3. *chrum oculis aspectuque delectabile*, & *tulit de fructu illius & comedit*. Vidit Deus quod esset amarum lignum crucis, & bibit in eo fel. Mulier extendit manum, ipse etiam extendit. Et manus ejus perforantur, ut red-
E dat manus terebrationem pro manus extensione. Mulier fregit mandatum, Christo apertum est latus, ut reddat sciffuram pro
Ibidem. Jo. 19. sciffura, sciffuram lateris pro sciffura præcepti.

VIII. De hac intelligi debet, *Transfiguratus est ante eos*, scilicet, ante Martyres de
Mat. 17. quibus etiam agitur. Nam, quid præcipit, quod ipse prius non faceret? Dicit: *Vade*,
Ibid. 19. *vende*

(a) In Ezechiel. lib. 1. Homil. 8. num. 32. *Cujus similitudinem gloriæ, quia nos per spiritum prophetiæ videre non possumus, hanc assidue cognoscere, & sollicite contemplari in sacro eloquio, in cœlestibus monitis, in præceptis spiritualibus debemus. Qui cum aliquid de Deo conspicimus, in faciem nostram cadimus, quia ex malis erubescimus, quæ nos meminimus perpetrasse. Ibi enim cadit homo, ubi confunditur.*

Mat. 8. *vende omnia quæ habes*. Implet: *Filius hominis non habet ubi reclinet caput ſuum*. Dicit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus*. *Ibid.* 10. Implet: *Surgite, eamus*. Job: *In occurſum pergit armatis*. *Ibid.* 26. Dicit: *Orate pro perſequentibus vos*. *Job* 39. Implet in terra: *Pater* ignoſce *illis*. *Mat.* 5. Dicit: *Qui vult poſt me venire tollat crucem ſuam*. *Luc.* 23. Ecce Joannes quid ait? *Jeſus bajulans ſibi crucem, exivit*. *Ibid.* 9. O Domine! Cur tu bajulas? Sine ſaltem ut ipſi imponant: ſufficit quod ipſe portas. *Jo.* 19. Cur Domine conaris ipſam levare de terra? Ecce, non poteris præ fragilitate & laſſitudine membrorum; ſine, ut faciant tibi hoc triſte ſervitium; ſaltem ut imponant humeris tuis crucem. O! Non oportet! Dixi: *Tollat crucem*. Ego feram; implere oportet quod dixi. Si fructuoſa debet eſſe crux, non neceſſitate ſuperpoſita, ſed voluntarie debet accipi pro ipſa mortificatio. Omnia ergo quæ ſuis præcepit, prius in ſe adimplevit. O Martyres! Sequimini veſtrum Capitaneum ac Ducem: ipſe præcedit vos, nolite timere. *Habac.* 3. Pſalmus: *Viam fecit in mari equis ſuis, in luto aquarum multarum*, id eſt, in paſſionibus & tormentis: ipſe facit viam ſuis equis agilibus. O quam aſpera via martyrii! Sed videte, quam planam fecit. Tranſeunt per eam delicatæ puellæ, tranſeunt & parvuli pueri. Ecce *Juſtus* & *Paſtor* (*a*) ex ſchola litteraria procedunt ad martyrium. In altera ſchola Spiritus ſancti didicerant certe ſapientiam veram. Ecce offeruntur duo Agni, lupo Daciano, ut eos devoret, & qui ſolebant timere ferulam, non timent modo aſpera tormenta, & mortem: ſiquidem in viris ſtrenuum fuit pro Chriſto audacter mori, ſed erat in eis vigor rationis, ut darent ſanguinem pro ſanguine, mortem pro morte. Vos autem o Pueri decori valde, eo clariores, & admirabiliores apparetis, quo minor extitit rationis vigor. Supplevit Spiritus, quod deerat rationis: & ideo opus perfectius; ſemper enim Deus & homo concurrunt. Quanto magis eſt de concurſu Dei, & minus eſt de concurſu hominis, tanto opus eſt perfectius. Transfiguratus eſt prius Dominus ante eos per paſſionem, tranſiguratus eſt in eis per gratiam, & ipſi transfigurati ſunt in ipſo per gloriam: ad quam nos perducat.

(*a*)

IN FERIAM QUARTAM
POST DOMINICAM II. QUADRAGESIMÆ
CONCIO.
DE TRIPLICI HIERARCHIA DOMINI.

Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram tuam in regno tuo. Matth. 20. v. 21.

* CONCIO XLV.

I. UNIVERSA iſta mundi machina in tres dividitur regiones. Prima eſt ætherea, quæ eſt habitatio Spirituum Beatorum. Secunda eſt terrena, quæ eſt habitatio hominum. Tertia eſt infra, quæ eſt habitatio dæmoniorum. Apoſtolus *cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*. *Philipp.* 2. In omnibus iſtis regionibus regnat Deus, ſed differenter. Nam in inferno regnat per juſtitiam, in terra per clementiam, in cœlo per potentiam. Primo: dico quod Deus regnet in inferno per juſtitiam, quoniam ibi oſtenditur rigor & ſeveritas magna. Ibi oſtenditur pondus furoris Dei, & quam terribilis ſit Deus, & quam *horrendum eſt incidere in* *Heb.* 10. *manus Dei viventis*. *Pſal.* 89. Pſalmus: *Domine quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo, iram tuam dinumerare?* Ecce per innumera ſæcula ibi ſunt gemitus ſingultuoſi, incendia animarum, nec tantillum Deus flectitur, nec flectetur in æternum, ut vel modicum tormenta minuantur. O quam plene vindicat ſe Deus de malis! Quam ſatisfactionem recipit de offenſis! Tranſivit momentanea culpa, ſecuta ſunt æterna ſupplicia. *Confige timore* *Pſ.* 118. *tuo carnes meas* Domine, metuam tranſgredi mandatum, pro quo tale redditur ſupplicium. Deſcendamus, obſecro, Fratres in *Pſal.* 54. infernum viventes, ne deſcendamus morientes. Libeat viſitare, ut liceat evadere tam dira tormenta. O infelix anima, quæ pro levi & momentanea delectatione, æternum *Ibidem.* non timuit ſubire cruciatum! Dum heſterna die per clauſtrum deambularem, caſu reſpexi ad aggeriem oſſium mortuorum, & vidi ibi decalvatas, & exoculatas facies, deformes vultus, oſſa deformia; ſteti parumper & conſideravi. Ecce filios tranſgreſſoris! Ecce iſta oſſa, ſi Adam non peccaſſet, in cœlo nunc fulgida regnarent! O ecce quales ſunt prævaricatores mandati! Si ſic Deus meus, ſic oportet eſſe eos, qui te contempſerunt. O quam bene repenſum eſt iis! O quam juſte! Et ſi talis eſt vindicta corporum, qualis erit animarum? Si in arido ligno

(*a*) De his Martyrolog. Rom. ad diem 6. Auguſti.

gno ista fiunt, in viridi spiritu quid erit? Ex pœna, quam video, cruciatum conjicio, quem non video. Si tale est corpus, qualis erit animus peccatoris? Regnat ergo Deus in inferno: & inviti dæmones coguntur servire Divinæ justitiæ, ministri, & ultores offensarum Dei. Et ignis ille vindex est Dei. O quam pulchra, quam decora creatura ignis, quæ vindicat injurias Creatoris sui! Quantum decet, ut sit infernus, qui & malorum peccata puniat, & Dei severitatem, & terribilitatem ostendat!

II. Sed cum Deus non minus sit benignus, quam severus, non minus pius, quam justus; sicut decet, ut in aliquo reluceat ejus severitas, ita etiam decuit, ut agnoscatur & pietas; quæ maxime in secunda regione propalatur. Quis enim dicere poterit, quanta sit benignitas, quanta clementia Conditoris erga peccatores in vita mortali? Ecce creatura quam suis manibus condidit, cui regnum cœleste præparavit, non veretur blasphemare Creatorem suum, & præcepta ejus parvipendere, & Deum irritare, & de peccato suo gloriari. Pro nihilo pendit offendere Deum, & habere ipsum inimicum. Videt hoc Deus & dissimulat, vocat ad se, inspirat ut convertatur, exspectat, invitat, & interim pascit ipsum, incolumem servat, dat ei plurima bona; quem superbus peccator contemnit, nec invitantem ad se curat. Fugit, & Deus ipsum sequitur, ut convertatur, quem posset statim vel æterno igne damnare, vel in nihilum in puncto redigere. Et quod amplius est; si post multum temporis, & longos annos peccator unam lacrymulam compunctus ejiciat, statim parcit, statim recipit, statim amplectitur; & oblitus omnium peccatorum præcedentium, bona spiritualia multiplicat, dona largitur, & veluti amicum multiplici gratia decorat, ac si perpetuo per totam vitam sine offensa ei subserviisset. O magna pietas! O magna benignitas! O quam differens, ista tua conditio ab illa quam in prima regione ostendis! Alius certe appares hic, & ibi. Ibi nulla te flectunt tormenta, hic una flecteris lacrymula. Ibi omnia vindicas, hic omnia dimittis. Hic uno agitur suspirio, quod ibi non agitur æterno supplicio. Agnoscamus tempus nostrum, Fratres, agnoscamus tempus benignitatis, non pertranseat hoc momentum indulgentiæ: adhibete vel modicam diligentiam in pœnitendo. Nunc dies salutis est, nunc tempus acceptabile. Vindicemus nos parum de nobis, ne ipse se multum vindicet de nobis. Modica vindicta propria & voluntaria, de manu tua plus satisfacit Deo, quam æterna vindicta coacta manu tortoris. Fac nunc judicium & justitiam de peccato tuo, ne tradaris calumniantibus te superbis. Præveniat judicium nostrum Dei judicium, & nostra de nobis sententia divinam præoccupet sententiam. Quoniam: *Si nos metipsos dijudicaremus, non utique* a Deo dijudicaremur. Nemo igitur, Fratres, succenseat, si Deus in hoc mundo tolerat peccatores, & sustinet. Quoniam decet, ut sicut in inferno relucet magnitudo severitatis, sic etiam in terra reluceat magnitudo benignitatis: omnia enim propter se creavit Altissimus, ut tanquam per vestigia quædam, virtus impressa manifestetur conditoris.

2.Cor. 6.

Ps. 118.

1. Cor. 11.

III. Tertia regio est ætherea, in qua Deus regnat per potentiam & magnificentiam. Ibi enim opes & divitias suas ostendit Deus. Ibi ingentes thesauros, & opulentiam, & magnitudinem suam dilectis suis ostendit Deus. Felix regio, & vere glorioſum regnum in quo cum Christo perenni gaudio exultant omnes Sancti. Quis mihi det o civitas regis, a longe limina tua quotidie salutare, & stationes tuas devotis affectionum gressibus quotidie percurrere, donec soluto pondere hujus miseræ carnis, concedatur divinæ dulcedinis tuæ torrente inebriari? *Si oblitus fuero tui Jerusalem oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero* te *Jerusalem in principio lætitiæ meæ*. Quantus ibi numerus cœlestium militum! Quanta ibi differentia, & diversitas Angelorum! Quis ordo ministrantium, qualis decor, quæ pulchritudo spirituum, quæ majestas, quæ lætitia, quod gaudium, quæ securitas, quæ pax! *Beati qui habitant in domo tua Domine.* Unusquisque habet donum secundum statum suum, officialis, deinde scutarius, deinde eques, deinde comes, dux, deinde Imperator. In domo Imperatoris magnus est strepitus. O Fratres! Qualis erit domus Dei, & quanta opulentia! Psalmus: *O Israel quam magna est domus Dei!* Non videmus, Fratres, nisi fæces creaturarum; creaturæ istæ corporeæ, quæ sic pulchræ apparent, respectu spirituum sunt quasi fæces & stercora.

Psal. 35.

Ps. 136.

Psal. 83.

Baruch 3.

IV. Sed redeamus ad propositum. Tribus ergo locis Deus regnat: in inferno per justiam, in terra per clementiam, in cœlo per potentiam. In quo ergo istorum regnorum putamus istam sanctam matrem petere filiis suis thronum, cum ait: *Dic ut sedeant in regno tuo?* Si in inferno. Utique ibi non est datum sedere; omnia turbatione plena sunt. In terra vero. Sed quid vidit in Redemptore, unde eum temporaliter regnaturum possit conjicere? Quam familiam, quem fastum, quem regium apparatum? Quis te docuit o mulier; quoniam Rex esset, qui alienis sustentabatur eleemosynis? Qui ubi reclinet caput, non habet, cujus omnia exteriora indicant paupertatem? Ubi ampla palatia, ubi vestes sericæ, ubi purpura? Quis strepitus servientum? Valde admiror tuam prudentiam. Non habet domum, & habet solium? Non habet palatium, habet sceptrum? Quis tibi dixerat regnaturum? Unde nosti? Sed esto, Rex sit ipse. Quales quæso duo filii tui piscatores, ut solium teneant, & ad dexteram Regis sedeant? Nimium est ad te, nimium

Mat. 20.

Luæ 9.

nimium est quod petis. Qualis transitus ab hamo ad regnum, a retibus ad thronum? Nescis quid dicis, & multum dicis. Quod si ad cœleste regnum adspiras; superbum hoc, & ultra quam dici potest elatum. Ad dexteram Omnipotentis sedebunt filii piscatoris? *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* *Dan. 7.* Omnes stant, & nullus sedet, & filii tui sedebunt? Non satis est latus Dei omnipotentis petere, nisi etiam ad latus sedeant? Quam est hoc non solum superbum, sed & præsumptuosum? Non audisti quid dixerit Lucifer? *Sedebo*, inquit, *Isaiæ 14.* *in monte testamenti, in lateribus aquilonis.* B Quid sequitur? *Quomodo cecidisti Lucifer?* Cecidit miser, quoniam male fixit sedem in lateribus aquilonis; non fixit in lateribus: ad hoc aspiras, quo Lucifer ille Angelorum ante pulcherrimus nequivit attingere. Nescis quoniam latus Patris ille habet, cui dictum est: *Sede a dextris meis?* *Ps. 109.* Latus vero sive dextera Filii illius est: de qua dicitur: *Astitit Regina a dextris tuis.* *Psal. 44.* Altissimas habes cogitationes. Valde multum est, nescis quid petas. Nescitis quam magnum est quod petitis. Tamen ne omnino rejiciam petitionem vestram, ne omnino vos a regno petito cohibeam: quæro: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* C *Mat. 20.* Hic forte in calice est via & ascensus ad regnum; socii vultis esse throni; dicite: poteritis esse etiam consortes passionis? Si enim compatimini mecum, & regnabitis mecum. *Rom. 8.* Diligo vos, & vos nostis; sed nullam vobis facio injuriam: regnum meum vobis libenter tribuam: in hoc enim creati estis, & ad hoc creavi vos. Sed tamen *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, &c.* *Lucæ 22.* Porrigitis petitionem, suscipite conditionem: non est servus *Mat. 10.* supra Dominum suum: recipiat servus conditionem, quam recipit Filius. Et quomodo disposuit mihi Pater regnum? *Dominus*, *Isaiæ 9.* inquit, *regnavit a ligno.* *Lucæ 24.* Iterum: *Cujus imperium super humerum ejus.* Et clarius: Oportet *pati Christum, & sic intrare in gloriam suam.* Per passionem intrat Filius, per passionem intret servus. Calicem bibiturus sum, ut regnum meum possideam. Calicem & mecum bibite doloris, ut regnum possideatis dulcedinis. Crux mihi ingressus ad regnum, a ligno regno. *Hæc porta Domini,* *Ps. 117.* *justi intrabunt per eam.* Ingressus Dominus prius per istam portam: deinde ingrediantur justi. Non dedignetur quantumvis justus intrare portam, per quam ingressus est Dominus. Participes vultis esse throni, estote consortes tormenti.

V. Ad nos, Fratres, ad nos convertatur oratio, & responsionem istam Domini solicita attentione ruminate. Quotidie petimus, quod ista sancta fœmina filiis suis postulavit. Quotidie dicimus: *Adveniat regnum tuum.* *Lucæ 11.* Et quod exspectatis ab eo responsum aliud, nisi quod istis responsum est: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* *Mat. 20.* Pudet me & tædet, tædet & dolet videre stultitiam, ignaviam, cæcitatem nostram: & quod non nisi cum lacrymis dicendum esset, deliratissimum cordis nostri errorem. Si Christiani sumus, & vere simus, & Christi doctrinam veram esse usque ad apicem credimus. Cur toto animo, pleno fervore, ardentissimo, ut dicimus, desiderio non anhelemus ad regnum? Calicem cur respuimus? Cum ex ore Domini non sit ingressus ad vitam nisi per calicem? *Potestis*, inquit, *bibere calicem.* Quis nostrum, Fratres, aliud quærit in mundo, nisi quomodo ditetur, quomodo honoretur, quomodo abundet, quomodo quiescat, quomodo lætetur? Quis nostrum ad aliud suspirat, aliud tam anxie quærit, nisi divitias, opes, fundos, officia, delicias? Hoc est pro quo tam duri subeuntur labores, pro quo totis noctibus non dormitur, pro quo omnia discrimina, pericula, etiam maria aggredimur. Et tamen cœlorum regnum quærimus, petimus, desideramus. Quis umquam iturus aliquo oppositam arripit viam? Aut per contrariam viam gradiendo, se putat perventurum? Per asperitatem, per laborem, per tribulationes, & per inopiam itur in cœlum. Et tu delicias, mollitiem, gaudia, divitias arripis? Contraria via hæc: non est hic calix quem Dominus bibiturus est: non salutis, sed mortis & indignationis calix iste est. Nolite seduci, Fratres, *Nolite errare, Deus non irridetur*, sed irridetur petitor. *Galat. 6.* Aut ergo, Fratres, reatum deponite, aut vias facite rectas. Inferni via ista, non cœli. Descensus hic est in barathrum, non ascensus in paradisum. Quis unquam elongando se putat apprehensurum bravium?

VI. Currite Fratres, currite: sed *sic currite, ut comprehendatis.* D *1. Cor. 9.* An putatis quod novam vobis legem, novam prærogativam, & singulare privilegium Dominus facturus sit? Quod Sanctis, quod dilectis suis Dominus non concessit tibi concedet? Novam vero faciet vobis viam salutis? Ut viventes voluptuose, & deliciose in abundantia regnum cœleste possideatis? Non faciet, utique non faciet. Per calicem Jacobus præcipitur intrare regnum: sic ingressus Petrus, sic ingressus Paulus, sic Andreas, sic omnes Electi Dei Sancti. Illi per laborem, & tu per desidiam ingressurus es? Quam stolidum, quam fatuum est putare hoc! Socius vis esse Sanctorum? E Calicem bibe Sanctorum. Quantum putamus, Fratres, Jacobum in prædicatione Euangelii desudasse? Quæ itinera peragrasse, quæ probra, quam inopiam, quantum frigoris, famis, fatigationis sustinuisse? Ubique peregrinus, ubique persecutionem passus. Ad gentem exteram, gentem barbaram, gentem asperam, crudelem; novam, & inauditam, & appetitui mundi contrariam prædicans legem; quantas injurias, quæ verbera, quas vapulationes sustinuisse credendus est. Nec enim omnia enarrare potuit

tuit hiſtoria. Plura, & multo plura perpeſſi ſunt, quam ſcribi, vel etiam credi poteſt. Quam bene, quam multipliciter Apoſtolus Paulus loco omnium Apoſtolorum ſuos enarrat labores! *Puto enim quod Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit tamquam morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus mundo & Angelis & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Uſque in horam & eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris. Maledicimur & benedicimus, perſecutionem patimur & ſuſtinemus, blaſphemamur & obſecramus. Tamquam purgamenta hujus mundi, facti ſumus omnium peripſema uſque adhuc.* Expone illam particulam: *Tamquam morti deſtinatos.* Dic quomodo illi qui ſunt ſententiati ad triremes, etiamſi flagellantur nullus dolet. Dicunt enim: ecce jam per decem vices ſuffurcatus deberet eſſe iſte: vapulet, patiatur, &c. Sic Dominus tanquam morti deſtinatos, oblitus Apoſtolorum ſuorum, eos ad ſuam voluntatem toti mundo tradidit cruciandos. Sic enim ipſe ait: Ite, *Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum.* Et iterum: *Ego mitto ad vos: & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis.*

1. Cor. 4.

Mat. 10.

Ibid. 23.

VII. Sed ad propoſitam Euangelii ſeriem redeamus. Quid ad hoc Apoſtoli dixerunt? Quid reſponderunt? Numquid audito nomine calicis turbati ſunt? Numquid contriſtati abierunt, ſicut adoleſcens ille Euangelicus, cui præceptum eſt vendere poſſeſſiones? Non utique: ſed veluti ſtrenui & ingenui duces, & fideles comites recepto animo reſponderunt: *Poſſumus.* Magnum eſt quod deſideramus, quantum vis laborem non reſpuimus: modo conſequamur, nihil eſt quod non poſſumus, nihil eſt quod non aggrediemur. Parati ſumus, tecum in mortem ire, ut eamus in vitam. Non nos terret amaritudo calicis, quia allicit ingens gloria ſedis. Sic etiam nos reſpondemus, ſed non ſic implemus. Quæritur ab Epiſcopis, curatis, beneficiatis: ecce magna multitudo animarum vobis committitur, tot millia hominum pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Videte bene: poteritis vos reddere rationem iſtarum animarum vobis commiſſarum? *Dicunt ei: Poſſumus.* Similiter a Regibus & Ducibus; ecce magnum eſt & arduum, tanta terrarum ſpatia regere & gubernare pacifice, nulli inferre moleſtiam, non gravamina, non rapinas. Num poteritis tantum onus ſubire? *Dicunt ei: Poſſumus.* Et tu o Religioſe, qui ſancte, caſte & devote in clauſura & pœnitentia vivere promiſiſti, vide quid promittis: poteris teipſum negare, alterius mandato ſemper obedire? *Dicunt ei: Poſſumus.* O qualem redditurus es rationem! O quam ſtricte petetur a nobis hoc, quod tam ſtolide & tam arroganter uſurpavimus! *Exiguo enim conceditur miſericordia*, & ei qui ſuæ fragilitatis conſcius ſe ad omnia inſufficientem putat. *Potentes vero potenter tormenta patientur.* Qui potentes? Niſi qui ſuperba præſumptione omnia ſuis viribus injuncta ſuſcipiunt, & ad omnia quantumcumque ponderoſa & gravia regiminis injuncta, cum omni fiducia, non Dei, ſed ſui, dicunt: *Poſſumus.* Quam dolendum eſt hodie, Fratres, in tanto periculo tantam eſſe ſecuritatem. Ad januam inferni habitant, & ſine cura & ſolicitudine lætantur, & ſecuri ſunt. Multo major, credite, eſt miſeria, quæ minus ſentitur, & ægritudo cum perdiderit ſenſum, vicina morti eſt. Phræneticos hos dixerim in ſua ægritudine; animas ridentes, & jucundantes, de quibus optime ait Pſalmus: *Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Sunt oves utique, quia ſine prudentia, cum quadam innocentia, vel potius ignorantia, dum herbas comedunt, & foveam non reſpiciunt, ſubito demerguntur. *Mors depaſcet eos.* Non deglutiet, non devorabit; quoniam ibi vita, ideo in æternum non finitur, ut mors in perpetuum continuetur. Perpetuo vivit, ut perpetuo moriatur. Depaſcit eos, perpetuo depaſtura, numquam finitura. Oves ſunt, ſed non paſcuntur, ſed mors depaſcet eas. Infelix vita, cui, *non eſſe*, præmium putabitur. Sequitur: ait illis; *Calicem quidem meum bibetis.* Regnum petitis, calicem vobis promitto: quod meum eſt do vobis. De regno vero ad Patrem vos remitto. Dura nimium prima facie videbitur reſponſio: ſed ſi bene iſta conſideretur, plena fuit petitionis conceſſio. Qui enim ponit antecedens, non dubium eſt, quin ponat & conſequens. Per calicem igitur ad regnum. Quid ergo eſt calicem meum bibetis, niſi regnum meum poſſidebitis?

Sap. 6.

Pſal. 48.

VIII. Sed ſolerter nobis tractandum eſt, quod dicitur: *Sedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis.* Cujus ergo? Ad quem magis quam ad te pertinet regni cœleſtis collatio? Aut quis id magis proprium habet, quam Tu? Noli Domine noli te excuſare, dare nobis regnum tuum; quoniam propter hoc de cœlo deſcendiſti, ut ipſum nobis dares. Tuum eſt Domine, & maxime tuum; tuis non contradicendo veriſſimis ſermonibus, eſt dare nobis regnum. Multiplici enim jure tuum eſt. Tuum eſt primo; quia id condidiſti. Secundo tuum eſt; quia illud hæreditaſti, quia es unicus Filius, Princeps gloriæ paternæ hæreditarius. Omnia enim quæ habet Pater tua ſunt. Tuum eſt etiam quoniam ipſum emiſti non auro & argento, ſed ſanguine tuo pretioſo. Omnino ergo tuum eſt Domine, quod tam multiplici jure tuum eſt. Quid ergo ais: *Non eſt meum dare vobis?* An tunc non erat tuum dare, quoniam adhuc non illud emeras? Pretium ejus Patri non reddideras? Nondum dixeras: *Data eſt mihi poteſtas in cœlo & in terra?* Nondum ergo *eſt meum dare vobis?* Quia nondum

Mat. 20.

Petr. 1.

Mat. 20.

Ibid. 28.

emi

emi illud vobis, nondum pro vobis pretium reddidi, futurum tamen est aliquando, ut dem illud vobis? Noverat, ut videtur, tuam istam excusationem piissimam Psalmographus ille Propheta, & quasi providens, & anticipans, & præveniens orabat dicens: *Da imperium tuum puero tuo: Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam Filio Regis*. Ac si diceret Deo Patri tuo: Pater optime Deus, scio Domine, scio quoniam misericors es, & misericordiæ tuæ non est finis. Sed *potens es, Domine, & veritas tua in circuitu tuo;* Mihi sola misericordia opus est. Quoniam *In veritate tua humiliasti me*, ut damnares me; *Fiat* autem *misericordia tua, ut consoletur me*. Veritas ergo quæ in circuitu tuo est, a tuo tribunali deterret me: solam ergo Veritatis tuæ, Verbi tui, Filii tui misericordiam desidero. Misericors es Domine fateor, sed fragilitatem meam non es expertus, non gustasti meos dolores, non meos sudores bibisti, non cognovisti figmentum meum per experientiam: ideo judicium tuum formido, ideo tribunal tuum expavesco.

Psal. 85. *Psal.* 71. *Psal.* 88. *Ps.* 118.

IX. Da ergo imperium puero tuo. *Judicium tuum Regi* nostro *da*. Ipse me judicet qui me salvavit, ipse sit meus Judex qui fuit meus Redemptor, ipse meam ferat sententiam, qui meam pertulit causam, ipsi adstare volo, illi volo præsentari. Si aggravaverit mea peccata, allegabo ei sua vulnera, si criminatus fuerit meos reatus, proponam ei suos cruciatus, si invenerit in me damnationem, in se inveniet liberationis causam. O quanta mihi fiducia est Domine Jesu in hoc, quod per te sententiandus sum, & tuo judicio committendus! Quomodo damnabit me confugientem ad se, qui pro hoc mortuus est, ut salvaret me? Non est unde pereat, qui ad salutem ipsam confugit; non ideo pereunt peccatores, solum quia peccatores sunt; pro peccatoribus enim mortuus est Deus, quomodo damnabit peccatores, pro quibus mortuus est, ne damnaret? Sed ideo pereunt peccatores, quia tibi Redemptori suo non adhærent. Dicente Propheta: *Ecce homo qui non posuit Deum Adjutorem*. Est quod Paulus intonat dicens: *Quis accusabit adversus electos Dei. Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Christus qui mortuus est?* Quasi dicat: non utique. Quomodo enim accusabit justificans? Aut damnabit morte sua redimens? Non ergo ante tribunal paternæ majestatis, sed ante solium tuæ pietatis o bone Jesu judicandus assisto. Scio enim quoniam impletum est, & concessum, quod tam longe ante, nomine omnium Propheta petierat. Et unde sciam, nisi quia Tu ipse unigenitus, qui sedes in sinu Patris, mihi revelasti? Tu enim ais, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio: Et potestatem dedit ei judicium facere quia Filius hominis est*. Quam conformia sunt ista, quam similia verbis Propheticis. O quomodo Propheta consonat Euangelio? Quid Propheta petebat? *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam Filio Regis*. Hoc Euangelium annuntiat: *Pater omne judicium dedit Filio suo*. Quod petebatur impletum est. Datum est judicium: pro quo ut daretur fiebat deprecatio. *Potestatem dedit ei judicium facere quia Filius hominis est*. Non quia ut homo, & a solo homine judex est, sed quia Filius hominis est. Id est, quia homo est, homines judicet. Quisque recte judicat quæ novit, & eorum bonus est judex ait quidam. Hominum ergo conditionem & fragilitatem expertus, quia Filius hominis es, homines judicas. Homo ergo homines judicet. Quoniam *quis* novit *quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis?* Noli ergo jam Domine dicere: *Non est meum dare vobis:* Tuum est dare regnum, quoniam ad hoc fecisti ut dares, ad hoc venisti ut dares, pro hoc mortuus es ut dares, & tibi a Patre commissum est ut dares. A mea petitione non desisto, de tua pietate non diffido. Sed genibus tuis provolutus, cum fiducia, cum spe magna, clamo quotidie, quotidie peto: *Adveniat regnum tuum*, possessio tua, gloria tua: ad quam nos perducat ipse Jesus Mariæ filius.

Rom. 8. *Jo.* 5. *Psal.* 71. *Jo.* 5. *1. Cor.* 2. *Mat.* 20. *Luc.* 11.

IN

IN FERIAM QUINTAM
POST DOMINICAM II. QUADRAGESIMÆ
CONCIO.
DE DIVITE AVARO, ET PAUPERE LAZARO.

Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, quia crucior in hac flamma. Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua.
Lucæ 16. v. 24. & 25.

* CONCIO XLVI. *Psal.* 48.

I. PSALMUS: *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem.* Quid est hoc, tam magnum tam mirificum, ut omnes convoces ad audiendum? *Quique terrigenæ & filii hominum, simul in unum dives & pauper.* Audite; scilicet: *Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.* Nescio quid est hoc, tam ponderandum a Propheta? *Inclinabo in parabolam aurem meam.* Estote attenti, quoniam parabolice locuturus est. Propone jam, & audiamus a te: Quid est hoc, tam sapientiæ plenum? *Cur timebo in die mala?* Proponit, quorsum, & statim solvit. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Sed unde ista iniquitas, quæso? *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* P. Augu-
(a) stinus (a), *secundo libro de Quæstionibus Euangeliorum:* Comparat divitem, qui gloriatur de divitiis, plagato, qui gloriaretur de emplastris. Vide ibi. Ecce; tu dives gloriaris de tua ignominia, quando te jactas de tua affluentia. Quid enim magis homini indi- C gnum, & defectuosum, quam, cum cætera a natura vestita sint, vel plumis, vel pilis; ipse solus alieno egeas vestimento, & petas ab ovibus vellera, & mendices viscera vermium? Laudas te de tua indigentia, publicas tuas necessitates, qui etiam animalibus vilibus eges. Sed quæ, obsecro, causa, quare sic fatue homines opulenti glorientur? Audi: *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes: simul insipiens & stultus peribunt.* Stultus simul & insipiens, qui nec præsentia sapienter disponit, nec futuris prudenter providet. Inflatur de ven- D to, sicut solet inflari lac appositio igne, quo deposito, evanuit ille: ita appositio igne cupiditatis inflatur superbus, si deponas, statim deceptum se inveniet. Iste ergo qui simul stultus est & insipiens, inflatur & glo-

A riatur, quia non videbit interitum. Si cogitaret quam cito relicturus esset, quam cito periturus, quam amare discessurus; non diligeret, non ambiret. Oblitus ergo interitus, quasi perpetuas, possessiones amat. Oblivio ergo mortis, & ignorantia finis, causa est inflationis.

II. Veniet ergo dies ille asper, & evomet quod corroserat cum fatuitate. Dic de infelici interitu divitum. Instant hinc filii hæredis optantes mortem. Dies optimus quando moritur proavus, & abavus. Instat inde uxor querula, instat ægritudo, accusat B conscientia, nec valet restituere. Videt, quod vadit in ignem perpetuum propter divitias, quas relinquit maledicentibus filiis. Dolet, nec ei prodest: & restitueret, sed, prohibet fama, pompa, filii, &c. Lugens descendit in infernum miser. *Quid prode-* *Prov.* 11. *runt divitiæ in die ultionis.* Malus socius qui in extrema necessitate amicum deserit. *Non videbit ergo interitum, &c.* Mala quæ se subsequuntur. Et quæ causa cæcitatis? Sequitur: *Cum viderit sapientes morientes.* Vide sequentia optime in P. Augustino (b), & valde ád propositum. Dic totum (b) Psalmum. Figura Abraham: dedit filio suo *Gen.* 21. Isaac hæreditatem: sed Ismaeli utrem aquæ. Ismael advena est. Apostolus vocat *Hospites testamentorum*, non cives sanctæ civitatis *Ephes.* 2. Jerusalem, quoniam hic hæreditatem acceperunt. Alienati a conversatione Israel, *Num.* 32. non transierunt Jordanem ad terram promissionis cum filiis Israel, sed delectati fertilitate terræ manserunt trans Jordanem. Ita ipsi, delectati voluptatibus præsentis vitæ non transierunt Jordanem pœnitentiæ: advenæ ergo sunt hic radicati. Apostolus: *Jam non estis hospites, & advenæ.* Istis ergo *Ephes.* 2. Dominus dedit utrem aquæ. Uter divitiæ sunt: aqua voluptates. Dedit ergo bona temporalia, quibus delectationibus incumbunt. In Euangelio: Væ vobis divitibus, *Lucæ* 6. qui habetis hic consolationem vestram. Sed finitur aqua, cessant in morte omnia. Vide *Gen.* 21. sitien-

(a) Quæst. Euangel. lib. 2. quæst. 28. *Primo enim hæc ad necessitatem implendam homo quærit: cum autem hæc abundaverint, incipit & superbire de talibus. Tale est hoc, ac si se vulneratus quis jactet, quia habet multa emplastra in domo, cum hoc illi bonum esset, ut vulnera non haberet, & ne uno quidem indigeret emplastro.*

(b) Plura habet S. Parens in Psal. 48. Serm. 1. a num. 12. ad finem usque sermonis, quæ huic argumento mire aptantur.

sitientem Ismaelem. Ecce dives iste guttam aquæ desiderabat, & nemo illi dabat. Gregorius (*a*): Justo Dei judicio desiderat guttam aquæ, qui noluit dare micam panis. Isaac autem non de utre, sed de fonte bibit. *Quoniam apud te est fons vitæ*, ait Psalmus. *Tibi derelictus est pauper*. Diviti provisti. Pauper tibi relictus est. Melius provisum est.

III. *Fili, recordare, quia recepisti bona.* Non ait: quia egisti mala. Nolo ista bona. Dominus in Euangelio. Væ vobis divitibus qui habetis hic consolationem vestram; signum est, quod non habebitis ibi. Psalmus: *Renuit consolari anima mea*. Bernardus (*b*): Non rapiebat iste aliena, sed ideo damnatus est, quia non largitus est propria. Agnoscite divites, quia non domini, sed dispensatores estis. Non inquam, Deus illi: *Recordare*, quia fecisti mala, sed *quia recepisti bona*. Ergo, ut dictum est, bona hujus sæculi & consolatio, æterna bona, æternam consolationem excludunt. O vere mala bona! Nolo vos. O miseri homines, quare quæritis perditionem? *Quis sapiens*, & intelligit *hæc?* Quis dabit huic sermoni auditum? *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi*. Omnes quærunt bona. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei*. Apostoli: *Et quis potest salvus fieri?* O Apostoli, plures pauperes sunt! Sed optime dicunt: nam, qui non habent divitias, optant, & voluntate divites sunt. Pauperes quidem multi sunt, sed heu! Omnes sunt divites vel re, vel voluntate. Quis ergo poterit salvus fieri? Sequitur solutio: *Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum*. Apud homines impossibile est. Sic dicitur infirmis desperatis, & quorum non jam est remedium a medicis; dicunt: Apud homines impossibile est, sed non apud Deum. Videtis qualem consolationem? O quantum ista solutio magis terret nos. Gregorius (*c*): Miraculose ergo salvandus est, si salvari debeat dives. Nam secundum communiorem cursum, non habet unde salvetur. Videtis quantam consolationem? Per miraculum salvabitur dives, ordinarie non salvabitur dives. Numquid Dominus dixit, exponens de his qui confidunt in divitiis, & qui non confidunt? *Beatus*, inquit, dives *qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris: Quis est hic & laudabimus eum?* Quasi dicat: Rara avis in terra stat. Apostoli sententia: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes & in laqueum diaboli. Unum superest: date eleemosynam. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*. Ut sicut isti illos faciunt consortes bonorum temporalium, sic illi faciant æternorum. Quoniam mensuram supereffluentem dabunt in sinum eorum. *Date eleemosynam:* si enim qui dispensatores estis, in alieno & modico fideles non fueritis, quomodo in magno eritis? Quis dedit vobis? Alienæ & modicæ sunt divitiæ: & si in furfure fideles non fueritis, gemmas quis credet? *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis; quod vestrum est, quis dabit vobis?* Apostolus, aliud consilium: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, &c.* Daniel: *Peccata tua eleemosynis redime*. Aliud: *Qui habent, tamquam non habentes sint*. Hoc est optimum: sic possidere, quasi non habeantur. Sed spinæ sunt, difficile est, non pungi.

Luc. 16. (*a*) *Pſal.* 35. *Pſal.* 10. *Luc.* 16. *Ibid.* 6. *Pſal.* 76. (*b*) *Luc.* 16. *Pſ.* 106. *Philipp.* 2. *Luc.* 18. (*c*) *Eccli.* 31. 1. *Tim.* 6. *Luc.* 11. *Ibid.* 16. *Ibid.* 6. *Ibid.* 11. *Ibid.* 16. 1. *Tim.* 6. *Dan.* 4. 1. *Cor.* 7.

IN

(*a*) In Euang. Homil. 40. num. 5. *Dives enim iste, qui vulnerato pauperi mensæ suæ vel minima dare noluit, in inferno positus usque ad minima quærenda pervenit: nam guttam aquæ petivit, qui micas panis negavit.*

(*b*) Seu Gaufridus Abbas in *Declamationibus* ex Bernardo tom. 3. Declam. 23. *Forte enim aliqui dicant. Quid peccamus? ... nostris utimur facultatibus, a rapinis, & latrociniis abstinentes ... Ego sane divitem illum, cujus Salvator meminit in Euangelio, in nullo horum audio accusari. Induebatur purpura & byſſo, quotidie epulabatur splendide; sed crudelitatis arguitur, quod substantiam mundi habens, & videns fratrem suum egere, clauserit viscera sua ab eo.*

(*c*) Moral. lib. 4. cap. 3. *Rarum valde est, ut qui aurum possident, ad requiem tendant, dum per semetipsum Veritas dicat, difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum. Nam qui hic multiplicandis divitiis inhiant, quæ alterius vitæ gaudia sperant? Quod tamen, ut Redemptor noster valde rarum, & ex solo divino miraculo evenire posse monstraret, apud homines, inquit, hoc impossibile est, apud Deum autem possibilia omnia sunt.*

IN FERIAM SEXTAM
POST DOMINICAM II. QUADRAGESIMÆ
CONCIO.
DE VINEA, ECCLESIA DEI; ET POSTILLA.

Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus.
Matth. 21. v. 43.

CONCIO XLVII.

I. SENSUS litteralis hujus parabolæ planus est: pater familias, Deus: vinea, synagoga: sepes, lex: torcular, altare sacrificiorum: turris, templum: agricola, Judæi: nuntii, Prophetæ: Filius, ipse Christus. Itaque Filium Dei ejecerunt extra civitatem, & hæredem regni cœlorum occiderunt: propter quod impleta est in eis sententia eorum: *Malos male perdet, &c.* Mat. 21. Et ablatum est ab eis regnum Dei, & datum est Ecclesiæ facienti fructus ejus. Circa hoc dicemus duo. Primo: quam juste ablatum est ab eis regnum Dei. Secundo: quomodo etiam timendum est, ne forte similiter auferatur a nobis. Admiranda, & tremenda sunt judicia tua Domine. Ecce elegisti populum illum, eduxisti eum de Ægypto in manu valida, fecisti portenta magna in populo Ægyptiorum affligente eos, occidisti primogenitos, siccasti mare, obruisti in eo exercitum Pharaonis, pavisti populum per desertum cœlesti pane, duxisti eos in nube, & in columna ignis, dedisti eis legem in Sina, siccasti Jordanem, & destruxisti gentes, & plantasti eos, & plantatos in medio orbis contradicente toto orbe protexisti, & defendisti eos, misisti eis ex suo genere Prophetas, & Sanctos, & ad ultimum, ne quid deesset honoris & dignitatis, ex eis carnem assumpsisti: & post tot beneficia & favores indignatus, odisti, abjecisti, destruxisti repulisti eos, & toto orbe miseros dispersisti, non minori odio quam fuerat ante dilectio. Sicut scriptum est: *Vendidisti populum tuum sine pretio.* Quis non timebit te, o Rex gentium? Quis gloriabitur coram te? Quis a judiciis tuis non formidabit? Sicut Psalmographus: *Elevans*, inquit, *allisisti me.* Et Job: *Elevasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valide. Nunquid sicut dies hominis dies tui*, aut *anni tui sicut humana sunt tempora?* Ut modo quid placeat, & modo displiceat? Nunc acceptes, & post modicum, quod acceptaveras, refutes? Absit hoc a te Domine. *Ego*, inquit, *Dominus, & non mutor.* Scriptum est: *Non repellet Dominus plebem suam:* scilicet, quam præscivit. Ut Apostolus optime exponit. Quos elegerat ab initio, & præscierat. Verum Israel, non littera, sed spiritu, non repulit Dominus, nam reliquit sibi ex illo populo semen electum ad propagandas, & convertendas gentes, alios vero repulit, quos tamen numquam legerat, æquissimo & justissimo sapientiæ, & providentiæ suæ judicio, exigentibus atque exposcentibus hoc eorum meritis atque operibus. O si liceret nunc a principio omnia gesta illius populi evolvere, & in singulis malitiam, pertinaciam, duritiam, pervicaciam, ingratitudinem illius populi ostendere. Vere non miraremur, quia eum repulisti, sed magis, quod tam longo tempore tantam eorum nequitiam sustinuisti. Noverat eos optime Dux eorum Moyses: qui in dulcissimo illo, & sublimi cantico, quod quasi cygnus jam jam moriturus præcinuerat, mores eorum, & vitam describens, sic ait: *Hæccine reddis Domino populo stulte & insipiens*, gens *prava atque perversa*, *gens absque consilio*, & absque *prudentia. Uva eorum uva fellis*, & botrus amariissimus; *Fel draconum vinum eorum & venenum aspidum insanabile.* Omitto nunc murmurationes & rebelliones in deserto, omitto idololatriæ frequentata scelera, omitto proclivem animum eorum ad omnia vitia, & deflexam ad terrena & temporalia mentem. Quot Sanctos, & Prophetas, qui eorum saluti consulebant, & bonum eorum ferventi animo zelabant, variis tormentorum ac pœnarum suppliciis affecerunt, & crudelissima morte necarunt, replentes Jerusalem civitatem sanctam innocentium sanguine usque ad summum. Et hæc omnia perpetrarunt coram oculis tuis.

Rom. 11. Deut. 32.

II. Tu Domine sustinebas eos in multa patientia propter patres eorum, & quoniam invocatum est nomen tuum super eos, ne gloriarentur gentes, & dicerent: *Manus nostra excelsa fecit hæc omnia:* & non tuæ indignationi, sed suæ virtuti adscriberent illius populi perditionem; donec offenderunt in lapidem offensionis, & cecidit super eos, ut dicitur in Euangelio, & comminuit eos; tunc enim consummata est, & completa eorum nequitia, & non potuit amplius jam portari; sic illis idem Dominus dicebat: *Implete mensuram patrum vestrorum:* venit jam ad cumulum nequitia vestra, *ut veniat super*

Ibidem. 1. Petr. 1. Mat. 21. Ibid. 23.

Psal. 79. Psal. 43. Ps. 101. Job 30. Ibid. 10. Mat. 3. Psal. 93. Rom. 8.

per vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Ita *dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam;* consummata namque eorum malitia luent simul omnia mala, quæ gesserunt ab initio. O scelus importabile! O flagitium summum, & ultimum! Hæredem extra vineam ejecerunt, & occiderunt, Filium Dei Salvatorem mundi, Messiam toties ipsis promissum, & tamdiu desideratum crucifixerunt, & morte crudeli & probrosa, gratis sine causa, imo post multa & grandia miraculorum signa, & sanitatum ingentia beneficia, quæ illis præstiterat, post cœlestis sapientiæ doctrinam, & salutis eorum ferventissimum zelum, peremerunt: propter quod descendit super eos ira Dei, & sicut delictum eorum maximum fuit, ita ultimo supplicio affecti sunt. Dici enim non potest, aut exprimi [teste Josepho (*a*)] quanta fuerit eorum clades, & calamitas in eversione Jerusalem, a quo tempore usque nunc per mille quingentos annos dispersi in populis vivunt in omni opprobrio, & contumelia, sicut mundo liquidum & manifestum est. Unde modo vos ego convenio Judæi & interrogo. Quid egistis? Quid commisistis, propter quid tam longo tempore dispersi estis, sine Rege, sine Sacerdotio, sine Templo, sine Sacrificio? Sicut Propheta prædixerat. Facti in opprobrium, & contumeliam populorum? Quanta gesseratis prius peccata, quoties idololatrastis, & Deum blasphemastis, & irritastis, & nunquam sic fuistis rejecti, nunquam sic puniti? Sed si ad modicum indignatio Dei grassabatur in populum, & affligebant vos inimici vestri, statim mittebat vobis Salvatorem. Scrutamini Scripturas, legite librum Judicum, & Regum, & Prophetias. Magna illa captivitas sub Nabuchodonosor, septuaginta annis, non amplius duravit, quæ tunc post alia idololatriæ & occisionis Prophetarum scelera supervenit. Quid ergo modo egistis, quod sic dejecti estis? Non per septuaginta, sed mille quingentos annos, sine remedio, sine solatio: advertite saltem, & ex supplicio agnoscite delictum. Quid, inquam, feciistis, nisi quia Christum Dominum occidistis, Filium peremistis? Sicut scriptum est: *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, alienati sunt retrorsum.* Unde & ipse Christus, & hoc scelus perpetrandum ante in hoc Euangelio prædixerat, & vindictam quoque futuram, cum ingrederetur Jerusalem pius, & misericors ante deploraverat. Quid apertius, quid notius, si non essent obstinati?

Psal.77.

(*a*)

Psal.78.

Judic. 3. 4. Reg. 24.

Isaiæ 1. Ibid. 5. Lucæ 19.

III. Sed jam ad nos nostra convertatur oratio. Exemplum terribile nobis objectum est, Fratres, ante oculos; timeamus & nos, ne similia patiamur: audiamus Apostolum ad Romanos de hoc judicio subtiliter differentem, & terribiliter comminantem: dum enim in hoc pelago judiciorum, quasi immersus & absorptus, disputans laboraret, coactus est exclamare: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Quis enim non admiratus exclamet, si consideret, quod relicto illo populo electo, & in quo tot Sancti, amici Dei, Patriarchæ, & Prophetæ præcesserant, in quos Dei lex vigebat; & eligitur alius idololatra, blasphemus, prophanus, immundus, vitiosus, brutalis pro eo, & loco ejus subrogatur? Esto quod primus ille Hebraicus malus erat, nunquid ille Gentilis melior erat? Quare hæc? Propter quid hoc? Audiamus Apostolum exponentem: *Nolo*, inquit, *vos ignorare Fratres, mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium subintraret:* nam delictum eorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum gentium plenitudo. Fracti sunt rami olivæ, ut oleaster inseratur in olivam uberem, & fructiferam. Ad illorum enim æmulationem, & invidiam exaltatæ, & acceptatæ sunt gentes; veluti si quispiam Dominus, ad contumeliam cognatorum, & domesticorum superborum, & male servientium, rejectis illis a domo sua, exteros suscipiat famulos, & beneficiis ditet, atque sublimet. Quam bene prius hoc in illo supradicto cantico famulus Dei Moyses prophetaverat, atque prædixerat, dicens: *Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, & ego provocabo eos, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos:* Ut scilicet videant, & contabescant oculi eorum. Unde Joannes Baptista comminans atque reprimens eorum insolentiam, dicebat illis: *Facite fructum dignum pœnitentiæ & ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quia potens est Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Videtis certe propter quid relicto illo populo gentilitas vocata est: non quia melior erat, sed in illius invidiam, & contumeliam. Unde, quo vilior, eo illius contumelia major. Et post hæc: vertit Apostolus ad populum Christianum ex gentili assumptum sermonem, & utiliter comminans ait: Si ergo *cum oleaster esses insertus* in bonam olivam & *pinguedinis olivæ* consors *factus es, noli altum sapere, sed time: Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte* neque

Rom.11.

Ibidem.

Ibidem.

Deut.32.

Mat.3.

Rom.11.

(*a*) De Bello Judaico lib. 7., præsertim cap. 7. & seq. Capite laudato ita Josephus scribit: *Eorum vero, qui per civitatem fame corrumpebantur, infinita multitudo moriebatur. Inenarrabiles autem clades eveniebant.* Et paulo infra: *Et quid opus est famis improbitatem ex rebus anima carentibus demonstrare? factum enim relaturus sum neque apud Græcos, neque apud Barbaros cognitum, & dictu quidem horrendum, auditu vero incredibile, &c.* Tum de muliere narrat, quæ filium occidit, & in cibum sibi paravit, coctumque medium comedit.

que *tibi parcat*, & fiat in te ſimile quid.

IV. Non quod ſimilem repulſam timere debeat Eccleſia, ut ſcilicet rejecta, alia ſubrogetur: non enim fiet hoc; ſcriptum eſt: Hic ſanguis novi, & æterni teſtamenti. Et iterum: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et iterum: *Ego rogavi pro te* Petre, *ut non deficiat fides tua.* Et in Pſalmo: *Si reliquerint filii ejus legem meam, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo.* Non itaque timemus repulſam, ſed translationem. Quis enim ſcit, ſi propter delicta populi Deus Eccleſiam ſuam, & fidem transferat ad aliam gentem iſta relicta? Auget autem timorem noſtrum hæc nova alterius orbis apud Indos revelatio: quæ gens barbara (*a*), cum fidem amplexari jam cœperit, merito eſt timendum, ne propter noſtram malitiam tranſeat ad illos Deus nobis repulſis. Sic enim ab oriente jam diu ficcari fides, & ad occidentem fluere cœpit: ut timeri poſſit, ne etiam deſerto occidente tranſeat oceanum. Nunquid non apud Iſaiam legimus, unde hoc juſte timeamus? Nam de iſtis temporibus loquens ait: *Legem ejus inſulæ expectabunt.* Et poſtea: *Ponam*, inquit, *flumina in inſulas, & ſtagna arefaciam. Laudate habitatores petræ. Ponent Domino gloriam, & legem ejus in inſulis nunciabunt.* Quid amplius? Vidimus oculis noſtris, & cunctis innotuit, qualiter his temporibus, veluti aperto foramine Græciæ, Angliæ, Germaniæ, fides quaſi aqua ad inſulas hoc ipſo tempore repertas defluxerit, ſiccatis prorſus illorum regnorum, & provinciarum ſtagnis.

V. Ac proinde timendum merito, ne in reliquas Chriſtiani nominis provincias, propter peccata noſtra, ſimile quid fiat. Nam etſi modo non idololatramus, & Chriſtum, & Prophetas corporaliter non occidimus, plura tamen alia peccata, & facinora, odio, & indignatione Dei digna committimus. Hodie namque ſicut ait Propheta: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Non eſt veritas, non eſt miſericordia, non eſt ſcientia Dei in terra. Propter quod*, inquit, *lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea.* Non enim ſola infidelitas & idololatria everſionis populi cauſa ſunt; ſed & alia peccata. Unde ante primam everſionem illius gentis, quæ facta eſt a Chaldæis, cum Dominus apud Jeremiam Prophetam indignationis ſuæ erga populum, & futuræ everſionis cauſas prædiceret, non ſolum idololatriam, ſed & alia multa peccata enumeravit. Ait enim: *Super quo propitius tibi eſſe potero? Filii tui dereliquerunt me, & jurant in his qui non ſunt dii.* Ecce idololatriam. Sequitur: *Saturavi eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores* in fœminas, *& emiſſarii facti ſunt. Unuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat.* Ecce luxuriam. Et infra: *Quia inventi ſunt in populo meo impii inſidiantes, quaſi aucupes laqueos ponentes, & pedicas, ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, ſic domus eorum plena dolo, ideo magnificati ſunt, & dilatati, &c.* Ecce avaritiam. *Cauſam viduæ non judicaverunt, & cauſam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt.* Ecce injuſtitiam. *Prophetæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia.* Ecce fallaciam. Et adjungit: *Numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? Aut ſuper gente hujuſcemodi non ulciſcetur anima mea?* Vides certe, quod ultio illa everſionis, non propter ſolam idololatriam, ſed propter luxuriam, avaritiam, injuſtitiam, & fallaciam in populo ſuo futura deſignetur. Hæc autem omnia, idololatria excepta, in populo Chriſtiano ſatis abundant. Quis maritus hodie uxori ſervat fidem? Quis non hinnit ad uxorem proximi ſui? Quot aucupes in civitatibus noſtris laqueos parant, & pedicas ad venandas pecunias proximorum? Quando pauperes magis oppreſſi ſunt? Quando minor cura pupillorum, & viduarum? De erroribus vero, & falſa doctrina Lutheranorum, quantum hodie vigeat, quantum invaluerit in populo olim fideli, non opus eſt dicere. Proinde verendum nimis, ne impleatur in nobis quod de illis dictum eſt: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Avertat Deus tantum malum a populo ſuo, & illuminet oculos cordis noſtri, ut videamus peccata noſtra, & corrigamus, vitamque noſtram in melius emendemus, & orationibus, lacrymis, & jejuniis iram Dei mitigemus, ut inſtantia mala evitemus, & futuram gloriam conſequamur, ad quam nos perducat Chriſtus Jeſus. Amen.

Poſtilla Euangelii.

Proponitur in Euangelio ſimilitudo hominis, qui plantavit vineam, & locavit eam agricolis, & miſit ſervos tempore vindemiæ,

Heb. 13. Mat. 16. Luc. 22. Pſal. 88. Iſaiæ 42. Oſee 4. Jer. 5. Mat. 21. Ibidem.

(*a*) Et quidem magna earum gentium pars Chriſti fidem amplexa eſt, ſtrenue apud illas laborantibus Ordinis Auguſtiniani alumnis, qui in varias novi orbis partes ſacram expeditionem ſuſceperant. Plura de his ad regnum Peruanum ſpectantia narrat Brulius in libris octodecim Hiſtoriæ Peruanæ Ord. Eremit. S. P. Auguſtini. Quæ vero ad Mexicanum regnum referenda ſunt, enarrat Griſalva. Porro Mexicanæ Provinciæ Ordinis S. P. Auguſtini erectio S. Præſulis Thomæ ſolertiæ debetur, ejus enim & naſcentis, & adultæ curam in ſe ſuſcepit, neque illam, quoad vixit in Ordine, umquam dimiſit, ut Baxius in ejus vita teſtatur. Sed & partem in Peruana expeditione ſibi vendicat S. Thomas, nam duo ex Mexicana Provincia in Peruanum regnum ab ipſo miſſi ſunt, ut refert Brulius lib. 4. cap. 9. ex Baxio in Vita S. Thomæ.

demiæ, tempore, quo oportebat vineæ solvere fœturam. Vinea hæc, nullus dubitat, quin sit domus Israel: Psalmus: *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, & plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu ejus.* S. Thomas: In hoc cognoscitis quantum Deus offenditur de peccato. Quia omni tempore quo Israel non peccavit, ipse fuit dux ejus. Sed postquam peccavit, curam illius Angelis commisit. Ambrosius (*a*) declarat similiter, dicens: Quod æstimatur, in magno pretio æstimatur: *Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Si capilli, a fortiori animæ. Deus ergo numeravit Angelos, & invenit centesimam ovem scilicet, humanam naturam minus. Venit ergo sicut optimus pastor quærere ovem, quæ perierat. Et ut ostenderet iter ad pascua gloriæ, ipse dux itineris ejus fuit. *Notas mihi fecisti vias vitæ:* dum persecutiones, blasphemias, pœnas, tormenta sustinuisti: istæ sunt viæ vitæ; sustinendo ducis me ad vitam per arctas semitas. O peccator saltem propter hoc devita peccatum, ne amittas talem curatorem. Ad vineam, scilicet populum Israel. *Misit servos suos.* Misit Deus Prophetas, & Viros sanctos; & interfecerunt eos. *Et agricolæ apprehensis servis ejus, alium cæciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.* Misit ergo Filium suum in fine. *Novissime autem misit ad eos Filium suum.* Chrysostomus (*b*): O magna Dei benignitas! Mittis Prophetas, & occiduntur, & in ultionem ac punitionem tantæ injuriæ mittis Filium tuum. Multiplicantur facinora, & tamen innovas, & auges dona. O Domine! Quid pretiosius habes, quam Filium tuum unicum, tibi consubstantialem, & coæternum? Crescit peccatum, & multo amplius crescit beneficium. Oportuisset destinare quæstorem, & mittis Filium. Sed ad quid venit Filius? *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Venit ut admittat, ac remittat per pœnitentiam, non ut ferat sententiam. Sed, o Domine! Unica comparitione simul ac semel exequere duo. Venis ad redimendum, etiam judica, & excusabis secundum adventum. S. Thomas: Ad diversos effectus diversa tempora requiruntur. Tempus salvandi, tempus judicandi. Venit in fine perfectionis ad salvandum, veniet in fine temporum ad judicandum. Modo præbet se ducem, postea præbebit se judicem. *Dux ergo itineris fuisti in conspectu ejus.* Ecce non mittit nubem, non columnam, non Moysen, sed Filium Unigenitum. Pater Augustinus (*c*), *in Quæstionibus novi & veteris Testamenti:* Quid fecit Deus de illa columna quæ præcedebat filios Israel? Quod fuerit, quod præcesserit, lego; sed quando, vel quomodo disparuerit conjecturare possum. Quam diu fuit in populo illo Moyses, fuit columna, fuit etiam nubes. Cum obiit Moyses, disparuit & nubes, & loco nubis & Moysis, successit in populo Jesus Nave. Et Arca, quæ prius ad motum columnæ & nubis movebatur, jam ad præceptum Jesus Nave movetur: & ipse jubet, ut populus moveatur, & stet. Quid hoc? Nisi quod in tempore & statu gratiæ non erat ductura, nubes, & velamen. Cessavit lex; ruptum est velum templi. Quale? nisi velamen Scripturarum, Christo aperiente Scripturas ruptum est? Non sequimur nubem, non velamen, sed ad dictum ejus movemur. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* O quam culpabilis est Christianus, qui gaudens tali Ductore illum non sequitur, illum non imitatur; & quidem tanto ferventius, quod resciat esse Filium Regis, Principem gloriæ. *Hic est Hæres.*

Isaiæ 5. *Psal.79.* *Deut.32.* *Exodi 32.* *Lucæ 12.* *Ibid. 15.* *Psal.15.* *Lucæ 24.* *Mat.7.* *Ibid. 21.* *Ibid. 33.* *Joh. 3.* *Psal.79.* *Exodi 13.* *Ibid. 3.* *Deut.24.* *Josue 3.* *Mat.27.* *Lucæ 24.* *Ephes.5.* *Mat.21.*

IN

(*a*) Legendum: *quod numeratur, in magno pretio æstimatur.* Nam præterquamquod si legatur, prout jacet, propositionem fere identicam reddit, magis cohæret lectio nostra cum his, quæ apud Ambrosium habentur hac de re Expos. Euang. secund. Luc. lib. 7. num. 112. *Bene tamen numerari dicuntur, quia illa, quæ volumus servare, numeramus.*

(*b*) Homil. 69. in cap. 1. Matth. ita Chrysostomus: *Alios deinde super alios misit, ut istorum protervia, & mittentis clementia omnibus fieret manifesta. Sed cur inquies Filium non continuo misit? ut a multis jam male factis possent se ipsos cognoscere, & superbia omissa, Filium vererentur.* Et Comment. in idem cap. 21. Matth. *Propterea autem secundos misit, ac tertios, ut mittentis quidem benignitas, ac patientia; agricolarum vero protervia, atque malignitas palam fieret. Novissime autem misit ad eos Filium suum. Non autem misit illum primo, sed post servos, ut eorum quæ in illos fecerant pœnitentia ducti, dimissoque ibi, hoc est in servorum cæde, omni furore, adventantem Filium verentur.*

(*c*) In Quæstionibus veteris, & novi Testamenti, quæ tamen Augustini non sunt, nihil invenio de hujusmodi argumento. Aliquid legere est in Quæstionibus in Josue, quæ genuini S. Patris sunt fœtus. Ita enim lib. 6. quæst. 3. sic habetur: *Ex hoc facto intelligendum est, quod columna illa nubis, quæ solebat movendis castris signum dare, & iter ostendere, jam recesserat, nec eis apparebat, hinc factum est, ut etiam triduum illud ex humana dispositione prædiceretur. Nunc ergo duce Jesu arcam Domini sequentur nube subtracta tamquam velamine ablato.*

IN DOMINICAM TERTIAM QUADRAGESIMÆ

CONCIO PRIMA.

DE CONFESSIONE: CUR ILLA NECESSARIA SIT AD REMISSIONEM PECCATORUM. CUI QUÆSTIONI RESPONDETUR.

Cum ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.
Lucæ 11. v. 14.

CONCIO XLVIII.

I. SANCTA Mater Eccleſia in hoc tempore Quadrageſimæ, præcipue intendit pellere ab animabus dæmonium. Hoc fit per pœnitentiam, quæ habet tres partes, ſcilicet confeſſionem, contritionem, & ſatisfactionem. Tractabimus hodie de confeſſione, juxta thema: de qua dicemus tria. Primo: quid opus fuit confeſſione ad peccati remiſſionem. Secundo: de maxima utilitate in frequentatione confeſſionis. Tertio: de conditionibus bonæ confeſſionis, ut pellatur dæmon. Job loquens in perſona peccatoris dolentis de peccato commiſſo, & cupiens quærere illius remedium, ſic loquitur Deo: *Peccavi: quid faciam tibi o cuſtos hominum?* Et quidem, ſi poſſibile fuiſſet me non peccaſſe, hoc maxime vellem: nam pro toto mundo nollem peccaſſe: ſed peccavi, factum eſt, impoſſibile eſt jam non eſſe factum peccatum. *Quid* ergo *faciam tibi o cuſtos hominum?* Id eſt: quam ſatisfactionem, quam compenſationem reddam tibi pro peccato meo? Jube quicquid vis, ſtatue quod libet: nihil mihi erit grave, nihil difficile, ut peccatum meum deleas, & in gratiam, & amicitiam tuam redeam. Scio Domine, & vere ſcio, quia propter peccatum meum expoliatus ſum gratia tua, factus ſum tibi inimicus, & odioſus, ſpoliatus ſum etiam regno æterno gloriæ tuæ, & inferni cruciatibus mancipatus. Quid mihi grave fieri poteſt, aut aſperum, ut tantum malum effugiam, & ad gratiam tuam redeam? Quanta ſuſtinent homines pro evitanda morte temporali? Et ego non omnia ſuſtinebo, pro fugienda morte æterna? De hac re diffuſius Propheta Michæas loquitur, dicens: *Quid dignum offeram Domino* pro peccato meo: *Curvabo genu Deo excelſo?* Sed hoc quantum eſt ad tam enormia peccata? *Offeram ei holocauſtomata, & vitulos anniculos.* Et quidem Domine: *Si voluiſſes ſacrificium* pro peccato meo *dediſſem utique:* & ſi opus eſſet, omnem meam ſubſtantiam, & facultates in ſacrificiis expendiſſem: ſed ſacrificiis *non delectaberis. Impoſſibile enim eſt, ſanguine taurorum & hircorum deleri peccata.* Quid pecato, & hircorum ſanguini? Unde ait: *Numquid placari poteſt Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Numquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Et offeram tibi filios meos in holocauſta pro peccatis meis? Abſit hoc a me: talibus enim piaculis, & maleficiis non placatur, ſed offenditur Deus. Hoc dæmones peſſimi humano generi inimici a ſuis cultoribus exigebant, ſanguinem humanum ſitientes. Quod ſi Abrahæ hoc præcepit Deus, ſed ſolum tentando dedit: propterea non permiſit expleri præceptum. Quid ergo dignum offeram Deo pro peccato meo? Ad hanc inquiſitionem mundo neceſſariam, & utilem reſpondet idem Propheta, dicens: *Indicabo tibi o homo, quid ſit bonum; & quid Dominus requirat a te: Utique facere judicium, diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo:* tria hæc. Primo: *Facere judicium:* ut ipſe te judices, ne judiceris ab eo; ſicut ſcriptum eſt: *Si nos utique dijudicaremus, non utique judicaremur.* Secundo: *Diligere miſericordiam*, & facere eam cum proximo: ut ſic promerearis conſequi miſericordiam a Deo de peccatis; ſicut ſcriptum eſt: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Tertio: *Solicitum ambulare cum* Domino *Deo tuo:* ut de cætero caveas a peccatis; ſicut ſcriptum eſt: *Et ero immaculatus cum eo, & obſervabo me ab iniquitate mea.* Hæc fac, & vives. Dices forſan: & quale judicium debeo facere de me? Utique ut cognoſcas peccatum, & doleas de peccato, & confitearis te peccatorem, ſicut David fecit, dicens: *Miſerere mei Deus: quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.*

Mich. 6. Mich. 6. Gen. 22. Mich. 6. 1. Cor. 11. Mat. 5. Pſal. 17. Pſal. 50.

II. Hæc ſunt homo, quæ Deus requirit a te pro peccato tuo, & non amplius. Non utique hoc ſufficit tibi ad veniam? O leviſſimam ſatisfactionem! O facillimam compenſationem! Quid, obſecro, magnum eſt, ut cognoſcat, & confiteatur peccator ſe eſſe quod eſt? Quid grande, ut ei diſpliceat peccatum ſuum tam fœdum, & malum? O ſi nullam aliam ſatisfactionem exigeret juſtitia

sæcularis a reis pro criminibus, nisi ut cognoscerent delicta, & secreto confiterentur judici se fecisse flagitium, & dolerent, & absoluti abirent. Quis reus ad horam maneret in carcere? In foro sæculari qui confitetur occiditur. O duritiem, o perversitatem, o pertinaciam iniquorum! O infernum justissimum his, qui tam levem satisfactionem Deo facere renuunt pro peccatis. Et quidem si Deus pro peccatis exigeret, ut carnes tuas flagris laniares, aut tota vita in pane, & aqua jejunares, vel relicto mundo in solitudine viveres, & in fovea Deo tota vita servires, utique facere debueras, pro evitando illo perpetuo inferni igne. Quanto magis tam levia, & facilia? Hoc est, quod nimis cruciat damnatos, & furere facit contra seipsos, & se suis morsibus consumere, cum recordantur, quod uno suspirio, & una lacryma, & brevi confessione peccatorum suorum, totam illam pœnam æternam evadere potuerunt. Gratis, Fratres, & scienter perdimus nos, qui tam facile salvari poteramus. Psalmus: *Pro nihilo salvos facies illos*. Utique pro nihilo; nam agnoscere peccatum, displicere sibi de peccato, & confiteri te esse quod es, qualis est satisfactio pro delicto? Utique de se nulla: sed Dei misericordia dignatur salvos nos facere pro nihilo, quia pro peccatis nostris debitam satisfactionem suscepit in Filio. In foro naturali, Divino, & humano justissimum est, ut qui petit veniam, culpam suam agnoscat, & confiteatur se male feciss: nam neganti, aut defendenti peccatum quis ignoscet? Videlicet: si reus dicat, non feci hoc; aut dicat, feci quidem, sed bene feci. Ut ergo reus sit capax veniæ, oportet ut peccatum suum agnoscat, & eum peccasse pœniteat: non quod pœnitendo satisfaciat, sed quod nisi pœniteat, locum veniæ non concedat. Qui agnoscit peccatum, & dolet, jam coram Deo fatetur se peccatorem.

Psal.55.

III. Quantum vero profuerit ab initio coram Deo ad veniam impetrandam confessio peccatorum, & quantum e contrario obfuerit nolle confiteri peccatum, ostendit satis luculenter Beatus Chrysostomus (*a*) *in Sermone de pœnitentia*, pluribus exemplis sacræ Scripturæ. Peccavit Adam: venit ad eum Dominus deambulans in paradisum. Videte qua pace, & tranquillitate; exemplum præbens judicibus, ne furore commoveantur contra reos: ne forte aggravent sententiam odio, sed solo zelo justitiæ in pace, & tranquillitate judicent. *Ubi es* Adam? Nunquid nescis Domine? *Non ignorantis*, inquit Glossa (*b*): *Sed ad confessionem adducentis verba sunt*. Sed miser ille, qui prostratus in terram confiteri debuerat peccatum suum, & dicere: Peccavi Domine miserere mei; se potius cum muliere excusavit, & quodammodo in Deum culpam suam retorsit, dicens: *Mulier quam dedisti mihi dedit mihi de ligno, & comedi*. Mulier quoque interrogata: *Quare hoc fecisti?* In serpentem culpam rejecit, dicens: *Serpens decepit me*. O si humiliati fuissent, & confessi peccatum! Proculdubio, ut ait Bernardus (*c*), *in Libro de Præcepto, & Dispensatione:* minori, & leviori multo pœna mulctati fuissent. Sed propter impœnitentiam, morte cum sua posteritate damnantur. Ecce quantum obfuit mundo nolle confiteri peccatum. Simile contigit Cain: nam post occisionem fratris sui Abel, venit ad illum Dominus, & interrogavit: *Ubi est Abel frater tuus?* Cui respondit: *Nescio: Numquid custos fratris mei sum ego?* Quanta impudentia! O sacrilege fratricida! Sic respondes Altissimo? Non eras custos. Numquid homicida? Propter hanc obstinatam impudentiam, a facie Dei projectus, perpetuo tremore membrorum mulctatus, exemplum omnibus positus a suo abnepote occisus, perpetuo inferni igni damnatus est. Qui si peccatum suum confessus fuisset, & pœnitens misericordiam postulasset, proculdubio mitiorem sententiam accepisset. Ecce proterviæ fructum. E contrario; attendite quantum confessio profuerit in Propheta David; quem Dominus ex pastore Regem fecerat, & Prophetam; & oblitus tantæ dignationis, & dilectionis, gravissimis peccatis peccavit; homicidio, scilicet, & adulterio. Venit ad eum Nathan: & ut sapiens medicus, non intrat domum exclamando: O inique! O perverse! O ingrate! Sed blande opposuit illi parabolam de homine divite, & paupere: & cum ipse Rex contra se nesciens dedisset sententiam, ait: *Tu* Rex *es ille vir*. Conversus ad se Rex, videns reatum suum, statim intulit: *Peccavi Domino:* Mira res! Propheta illico respondit ei: *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris*. Exclamat hic Chrysostomus (*d*): O celerem pœnitentiam! O celeriorem veniam!

(*a*)

(*b*) *Gen. 3.*

(*c*)

Ibid. 4.

Ibidem.

2. Reg. 12.

(*d*)

(*a*) Sermone de confessione peccati tom. 5. edit. Paris. an. 1570. pag. 773. *Denique Ninivitæ confitentur, & vivunt: Sodomitæ obdurantur, & pereunt; illos impendens supplicium provocat confiteri; hos vicinus interitus non confitendo efficit aboleri. Filii Israel quoties peccant hostibus traduntur; quoties se peccasse fatentur de eorum manibus liberantur. Ita enim nullus unquam peccatum evasit, ut nullus confitendo indulgentiam Dei non mereatur.*

(*b*) In Genes. cap. 3. v. 9. *Verba increpantis, & ad confessionem cogentis, & non ignorantis.* S. P. August. de Genesi ad litteram, lib. 9. cap. 34. *Increpantis vox est, non ignorantis.*

(*c*) Lib. de Præcept. & Dispens. cap. 9. num. 26. *Arbitror tamen & ipsam primam gravissimamque prævaricationem, aut non aliunde, aut inde maxime judicatam gravissimam, hoc est ex rebellione defensionis, quæ secuta est: quando Deo causam requirente peccati, ut peccatores ad pœnitentiam provocaret (nolebat quippe mortem eorum, sed magis ut converterentur, & viverent) ipsi maluerunt declinare cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.*

(*d*) De Pœnitentia Homil. 5. paulo ante medium: *Differt ergo furibundæ passioni auxilium addens, tantumque post temporis correptio procedit, uno in temporis momento pœnitentia, & remissio. Et Dominus dimisit*

niam! Duobus verbis tam gravia facinora diluit. Similiter publicanus ille humiliatus dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Et hac sola confessione *descendit justificatus in domum suam*. Vides certe quam grata, & accepta Deo fuerit ab initio confessio peccatorum, & quam utilis peccatori.

Luc. 18.

IV. Sed dicit aliquis: quod justa, & necessaria sit confessio peccatorum ad veniam obtinendam, bene video: sed Deo, non homini. *Tibi soli peccavi*. Tibi soli confiteor. Ad quid opus fuit peccatum contra Deum commissum homini revelari, maxime cum hoc sit nimis onerosum, & verendum? Ut quid, inquam, voluit Christus legislator benignus, & suavis fideles suos ad hoc onus tam molestum obligare? Difficile enim est, ut homo omnia sua peccata, & desideria mala, & cogitationes pravas homini manifestet: neque videtur hoc fuisse peccatori necessarium. Respondetur breviter: Quod quamdiu Deus non fuit homo, non opus fuit peccatum homini verbo confiteri: sed postquam Filius Dei factus est Homo, jam *Pater* non *judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio, & potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Ipse enim est*, ut ait Petrus: *Qui constitutus est a Deo judex vivorum ac mortuorum*. Ex tunc ergo peccator, hominis Christi a Deo Patre foro commissus est, in illo reddere rationem peccatorum suorum tenetur. Sed, quia Christus ascendit in cœlum, & non est ubique præsentia corporali visibili, ut ei homo rationem possit reddere de peccatis; ideo, antequam ascenderet in cœlum, commisit vices suas Sacerdotibus, & eos subdelegavit ad audienda, & judicanda peccata, dicens: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, &c. Ecce propter quid ex tunc homo peccata sua Sacerdoti a Christo subrogato confiteri tenetur. Ad aliud, quod dicis, de gravitate istius præcepti. Utinam utinam intelligeres, quam grande beneficium, & quam grandis misericordia fuit hæc! Duas super hoc invenimus commissiones in Euangelio: primam, quæ facta est Filio a Patre: secundam, quæ facta est Sacerdoti a Christo: utraque fuit in magnum favorem peccatoris. Quis enim tam mirandus favor, quæ major clementia, quam ut causa nostra committeretur fratri nostro, qui est *os de ossibus* nostris, *& caro de carne* nostra? Quis in cœlo & in terra invenire potuit Judicem favorabiliorem, quam hominem Christum Jesum, qui propter hoc descendit de cœlis, propter hoc judicatus, & crucifixus est, ne homines damnarentur? Quomodo me nimio rigore gravabit, quem suo sanguine pretioso redemit? Quomodo me damnabit, qui propter hoc mortuus est ne damnaret? Unde Apostolus: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat?* Si est justificator, quomodo erit accusator? *Quis est qui condemnet? Christus qui mortuus est?* Si Salvator est, & Redemptor, quomodo erit damnator? Propter hoc obnixe Psalmographus orabat, dicens: *Deus judicium tuum regi da, & justitiam tuam filio regis*. Ille me judicet, qui pro me mortuus est. Ille sit Judex, qui fuit & Salvator.

Psal. 50.

Jo. 5.

Act. 10.

Jo. 20.

Gen. 2.

Rom. 8.

Psal. 71.

V. Secunda quoque commissio nimis favorabilis, & stupenda supra modum fuit; nam, quod Pater Filio suo, tam sublime judicium committeret licet pio, & misericordi, recto tamen & justo, & Patris zelatori commisit: sed quod Filius Sacerdoti peccatori tantum judicium committat, hoc vehementer mirandum, & stupendum. Numquid, si humano more loqui liceat, poterat Pater dicere Filio: Quid est hoc quod fecisti Fili mi? Ego honorem meum, & offensarum mearum judicium, & peccata dimittendi potestatem, quam non habet Angelus, neque Archangelus in cœlo tibi commisi, sciens tui judicii rectitudinem; & tu illam homini peccatori commisisti? Tam facile meas remittis injurias, & pro nihilo offensas meas donas? Quid namque faciet ille Sacerdos peccator cum peccatore alio, nisi quod vellet secum fieri de peccatis suis? O mirabilem commissionem! O ineffabilem dignationem! Quod veniat peccator peccatis onustus, ad alium peccatorem sibi similem, & ille judicet eum, & absolvat, & deducat de inferno, & restituat paradiso: & quod iste facit in terra, ratum & firmum habeatur in cœlo! Benedictus Dominus, qui talem potestatem hominibus dedit. Hoc est onus? Ita est: onus est mirabile, & onus est maximum, sed immensi beneficii, inenarrabilis clementiæ, ineffabilis obligationis. O si intelligeremus illud vere! Si solus Papa hanc haberet potestatem in mundo, omnes ad ipsum quantumcumque separatum, & distantem cum maximo fervore, ac desiderio, pro tanto beneficio consequendo, sæpius in vita ire debuissemus, & pro maximo beneficio reputaremus. Quanta ergo gratitudine prosequendum, quod ubique terrarum Sacerdotes abundant, qui non solum confessiones peccatorum libenter acceptant, sed etiam peccatores ad hanc veniam suscipiendam provocant, & invitant? Vere, ex quo Filius Dei descendit ad homines; *Misericordia Domini plena est terra*. Nec mireris, si Deus tam facile donat injurias peccatori; *Qui Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum*. De cætero ergo quid miraris, si cum illo nobis cœlum, paradisum, gratias, dona, peccata, injurias, & omnia donavit? Sed hoc vide peccator, ne tanta Dei pietate, & misericordia abutaris, & facilitas veniæ tibi incitamentum præbeat delinquendi, aut in peccato permanendi.

Mat. 9.

Psal. 118.

Rom. 8.

misit peccatum tuum. O minantis dispensationem! Cernis quod ad salutem velox. Idem & in aliis fecit tardans ad demolitionem, ad reparationem properans.

VI. Intellexerunt hoc tantum, & tam immensum beneficium priores illi Christiani, qui venerunt ad fidem; unde videntes tantum donum, & tantam potestatem in terris, cum incredibili fervore cordis per singulas Dominicas, Sacramenta Dei frequentabant, tanto Dei munere, & beneficio fruentes: & si tot habuissent Presbyteros, forte quotidie confessi fuissent. Sed postea omnis ille fervor, & devotio illa refrixit, & venerunt homines ad tantam cæcitatem, & ignaviam, ut per multos annos non confiterentur. Itaque videns Ecclesia hominum negligentiam, in re quæ tantum ad salutem animarum spectat, dedit præceptum de confitendo semel saltem in anno. O confusionem, & verecundiam nostram! Ad tantum bonum, & tantam salutem, opus fuit præcepto. Væ miseris, & cæcis, & induratis, qui præcepto indigent ad fugiendum infernum, & veniam obtinendam, & præcepto ad annum! Quis hoc potest audire pius, & verus Christianus? Ad annum ego expectabo veniam? Ad annum differam vitam meam? Pro perditis hominibus, & profanis meretricibus, & lenonibus sit hoc præceptum. Quando enim fit macula in veste, statim abluo: neque possum sustinere maculatum pallium per diem. Fit vulnus in carne, & quæro statim medicos, & chirurgos; neque ad alium diem differo: & maculas animæ meæ, & vulnera cordis mei lethalia, ad annum purificanda, & curanda differam, animamque meam plagosam, ulcerosam, imo mortuam, & fœtentem deferam in corpore vivo, sicut in loculo, & circumferam intus, post integrum annum suscitandam? Ubi sensus, ubi judicium, ubi fides talium? Ubi timor Dei, ubi spes regnandi cum Deo?

VII. Hoc est quod miseros inficit, & replet peccatis, & vitiis, & criminibus. Hoc est, sicut scriptum est: *Joel. 1.* *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Et indurantur in peccatis suis, & veniunt ad ultimum malorum; quia non statim adhibent remedium plagis suis. Sicut fit in plagoso corpore, cui non adhibetur medela. Unde Isaias: *Isaiæ 1.* *Vulnus*, inquit, *& livor, & plaga tumens, non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo.* O qualis audacia! Quæ oblivio! Quod mentis gelicidium! Quis stupor! Ecce ardet infernus sub pedibus inhians, atque ad devorandam miseram animam apertus, & jam peccator ipse deputatus est ad illum, & solum pendet ex tenui filo vitæ præsentis, quod tam facile rumpitur; & miser ridet, comedit securus, & gaudet, neque est ei cura de remedio. Major certe audacia est hæc, quam si centum armatis congrediatur. Nam in hoc solo vita mortalis exponitur, quæ aliquando perdenda est; ibi autem, anima perpetuæ damnationi, & ardoribus sempiternis objicitur, & perpetua ibi gloria ponitur in discrimine. Nolite itaque Fratres mei, nolite in tantam incidere negligentiam: sed de salute vestra soliciti, si quando, prout est humana fragilitas, in peccatum ceciderit is, illico surgite: statim ad confessionem properate. Hoc Dominus per Prophetam peccatoribus suadet, dicens: *Numquid qui* *Psal. 40.* cadit, *non adjiciet, ut resurgat?* Et Beatus Hieronymus *in Regula* (*a*). Nihil, inquit, *(a)* homini utilius, nihil salubrius, quam ut peracto delicto confessionis medelam non differat. Neque mihi dicatis: sufficit mihi ad veniam contritio, cum proposito confitendi: sufficit, fateor. Sed unde scis, quod plene, & ad sufficientiam doleas? Cur efficaciorem medelam morbo tuæ animæ non appones? Numquid in morbo corporali, & periculoso non tutius, & securius remedium quæris? Communis Doctorum sententia est: quod per confessionis Sacramentum, attritus in contritum transeat. Propter quid in tanto discrimine constitutus tantam Dei misericordiam, & gratiam contemnis, & solo doloris remedio uteris? Quot, & quantas utilitates peccatoribus confessio afferat, dicere proposuimus, sed hora non patitur, in sequentem sermonem tractandum differamus. Alacres convenite, & orate, *Ut detur mihi* *Ephes. 6.* *sermo in aperitione oris mei:* ad salutem animarum nostrarum, & gloriam Jesu Christi Domini nostri, qui cum Patre vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

VIII. Attende mutum: *Quoniam tacui,* *Psal. 31.* *inveteraverunt ossa mea.* Ergo, dic tu prior iniquitates tuas ut justificeris. Dices quam difficile sit ejicere dæmonem de corde hominis. S. Thomas (*b*) ait: Duplex est confes- *(b)* sio, laudis, scilicet, & criminis. Utraque non cadit in consortio dæmonis. Ecclesiasticus de prima: *Non est speciosa laus in ore* *Eccli. 15.* *peccatoris.* De secunda: *Confitebor adversum* *Psal. 31.* *me injustitiam meam Domino.* Secunda confessio animam mundat. *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Prima decorat, & pulchrificat. Psalmus: *Confessionem & decorem* *Ps. 103.* *induisti.* Et iterum: *Confessio & pulchritudo* *Psal. 95.* *in conspectu ejus.* Est confessio rationabilis. Nam, non confitenti se reum, quis ignoscat? Pro nihilo prætendit misericordiam, qui non confitetur delictum. Dices: Sufficeret corde. Respondeo. Opus est hoc ma- *Levit. 4.*

nife-

(*a*) Nimirum ex S. Doctoris scriptis per Lupum de Oliveto collecta. Ita vero tit. ult. *Non tam peccati crimen arguitur, quam velox conversio in pœnitentiæ celeritate laudatur.* Ad hæc puto S. Oratorem respicere, neque enim aliud magis argumento affine invenio.

(*b*) 2. 2. q. 3. art. 1. ad 1. *Dicendum, quod triplex est confessio, quæ in Scripturis laudatur. Una est confessio eorum, quæ sunt fidei; & ista est proprius actus fidei, utpote velata ad fidei finem, sicut dictum est. Alia est confessio gratiarum actionis, sive laudis; & ista est actus latriæ. Ordinatur enim ad honorem Deo exterius exhibendum, quod est finis latriæ. Tertia est confessio peccatorum; & hæc ordinatur ad deletionem peccati, quæ est finis pœnitentiæ: unde pertinet ad pœnitentiam.* Alibi quoque eandem insinuat divisionem Angelicus Doctor, ut initio Comment. in Psal. 9., & in cap. 10. Epist. ad Rom. lect. 2.

nifestare testimonio exteriori. In Lege veteri, sacrificio; nunc autem sermone. Dices: Sufficit, quod fiat Deo. Non: nam ex quo Deus factus est homo, Pater omne judicium dedit Filio: *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Si ergo tamquam Deo confessio fit corde, & in secreto cordis, sed tamquam homini debet fieri exterius. Et quia ipse, licet sit præsens ut Deus, ut homo non ubique est præsens; & licet esset, tamen voluit Vicarios homines relinquere, quibus dedit vices suas, & judices eos fecit animarum, quas ut homo redemit. Et hæc est possessio manifesta, quam habet de isto mundo, ut homo. Oportet autem ut confessor habeat jurisdictionem ultra claves; nam alias non absolvit. Hanc habet Papa in omnes, & Prælatus in sua diœcesi, & Curatus in sua parochia. Et Religiosi ex privilegio tamquam Pœnitentiarii Pontificis. Tenetur autem homo confiteri de jure divino, sed tempus de jure positivo semel in anno, postquam ad annos discretionis venerit. Patres, quia tempus discretionis filiorum nescitur, faciant ante tempus confiteri cautela. Et prodest, ut assuefiant operibus christianitatis, & cum lacte fidem bibant. Non requiritur, quod statim confiteantur, sufficit propositum cum tempore; sed melius est statim.

Jo. 5.

IX. Confiteri tenemur sola mortalia: sed audite consilium salubre; ut omnia confiteamur. Quoniam periculosum, & difficile est discernere inter mortale & veniale. Inquam: modico contrahitur consensus, quidem maxime interpretativus. Quis novit quantitatem culpæ? Psalmus: *Scrutati sunt iniquitates*, & *defecerunt scrutantes scrutinio*. Et iterum: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me*. Nam sicut ait Gregorius (*a*): Bona opera aliquando mala fuisse, publicabuntur in judicio Dei. Psalmus: *Ego justitias judicabo*. De his audi, & nota authoritatem Job: Behemot, inquit, *dormit sub umbra, in secreto calami, & in locis humentibus*. Diabolus, licet vigilet, ad perniciem nostram aliquando dormire se simulat. Duplices sunt peccatores: quidam, qui in præparatione cordis sunt ad omne flagitium; qui fecerunt pactum cum morte, & fœdus cum inferno. Et in eis, vigilat Behemot: aperta enim opera faciunt diaboli. Alii vero sunt, qui habent propositum non peccandi mortaliter, nec discedere a Deo, & tamen hoc propositum negligenter exequuntur per infirmitatem. Et in istis frequenter jam dæmon est, & tamen occultus, & dormiens, & nescitur ibi esse, quoniam dolose subintravit. In tribus autem, ait, dormire. Primo: *In umbra*. Significat negligentiam (*b*) aliquorum mortalium. Exemplum, de Sacerdote, desidiose recitante horas, &c. Tepiditas frequenter inducit mortem. Apocalypsis: *Utinam frigidus esses, aut calidus: Sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo*. Non quia frigiditas non sit pejor, sed quia habet propinquum remedium contritionis: quia apertus peccator. Alter autem non terretur inferno, nec compungitur reprehensione, quia latet dæmon ei, non putat se peccasse. Pondera verbum: *Incipiam te evomere*. Quod evomitur, numquam iterum comeditur. Ita evomitur a Deo peccator, quia amplius non justificabitur. Sed non ait, evomam: sed, *incipiam:* quoniam usque ad mortem remedium est peccatori ne evomatur omnino. Secundo: *Dormit in secreto calami*. Calamus vana gloria levis, omni vento agitatus, sine soliditate boni. Intus sæpius latet dæmon, & dormit, quia non putatur crimen, sed levis vanitas: & est criminalis. Intra arundines habitare bestias noverat, qui dicebat: *Increpa feras arundinis:* Psalmus. Nihil melius arundini, quam ignis comburens, scilicet, devotionis. *Tamquam scintillæ in arundineto discurrent*. Quia mundum cum suis pompis invadunt per doctrinam. Tertio, *dormit in locis humentibus;* id est, luxuria. Quia sæpe est consensus in tentatione carnis, quando non putatur esse. Ideo confitens caveat judicare, vel discurrere, an consensit vel ne. Difficile admodum est ejicere dæmonem de corde. Cassianus (*c*), *Collatione undecima in fine:* Revera majus miraculum est, de propria carne fomitem eradicare luxuriæ, quam expellere spiritus immundos de corporibus alienis. Job: *Non fugabit eum vir sagittarius*. Expone spiritualiter. Quantumvis viriliter perseveret in proposito, precibus etiam jaculatoriis in Deum pius & assiduus persistat, de corde suo dæmonem non fugabit immundum spiritum, ita ut non revertatur, vixdum ejiciet.

Job 40. (*b*)

Apoc. 3.

Job 40.

Psal. 67.

Sap. 3.

Job 40.

(*c*)

Ibid. 41.

Psal. 63.

Psal. 18.

(*a*)

Psal. 74.

Job 40.

Isaiæ 28.

IN

(*a*) Pluries hoc tradit S. Gregorius: ut unum asseramus testimonium, ita Moral. lib. 3. cap. 13. num. 24., & lib. 5. cap. 7. num. 12. *Est autem & alia viæ nostræ absconsio: quia nonnunquam ea ipsa, quæ recte nos agere credimus, an in districti Judicis examine recta sint, ignoramus. Sæpe enim, sicut & longe superius diximus, opus nostrum causa damnationis est, & provectus putatur esse virtutis. Sæpe unde placari Judex creditur, inde ad irascendum placidus instigatur, Salomone attestante, qui ait: est via, quæ videtur homini recta: Novissima autem ejus ducunt ad mortem.*

(*b*) Similem hujus loci habet interpretationem S. Gregorius in Moral. ad cap. 40. Job v. 16.

(*c*) Collat. 15. cap. 8. *Et revera majus miraculum est de propria carne fomitem luxuriæ eradicare, quam expellere immundos spiritus de corporibus alienis.* Idipsum repetit Collat. eadem cap. 10. *Major quippe est virtus, ac sublimior gratia internam libidinem carnis extinguere, quam nequitias dæmonum extrinsecus irruentes, signo Domini, ac virtutis Altissimi potentia subjugare, vel de obsessis corporibus, nominis divini invocatione, propellere.*

IN DOMINICAM III. QUADRAGESIMÆ CONCIO SECUNDA.

DE FRUCTIBUS CONFESSIONIS FREQUENTATÆ.

Locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ.
Lucæ II. v. 14.

CONCIO XLIX. (a)

I. ECce adsum promissioni meæ (a): de Fructibus Confessionis dicere hodie proposui, hoc prosequamur auxiliante Dei gratia, ad quam impetrandam Sanctam Virginem salutemus. Inter multos & eximios confessionis fructus placuit hodie charitati vestræ septem præcipuos exponere. Nam omnes quis sufficeret? Non quidem ut sciatis tantum; non hoc intendo: sed, ut eis cognitis, Exomologesin frequentetis. Hic erit sermonis finis, hic fructus, hoc intendimus, hoc quærimus, hoc rogamus, & obsecramus. O quis mihi concederet, ut possem tam salubre consilium toti regno persuadere, & in pristinam illam consuetudinem Christianum populum revocare! Vere si hoc me præstare posse confiderem: huic soli negotio vacarem: sed jam ipsos fructus attendamus.

II. Primus est: æternæ vitæ, ut ita dixerim, aliqualis certitudo, saltem conjecturalis. Nam major citra miraculum haberi in hac vita non potest. Nam quamdiu peccator non confitetur, in magno periculo est: sed si doluit, & cum proposito firmo non iterandi peccatum, ad confessionem accessit, jam fecit quod in se est: & facienti quod in se est, Deus dat gratiam. Non quod plenam de hoc securitatem quispiam habeat in hac vita; sed si non plenam habet securitatem, certe multam consequitur confitendo fiduciam. Hoc enim solum Deus postulat pro peccato, neque suæ deerit promissioni Deus. Et licet contritio sola cum proposito confitendi sufficiat ad veniam, tamen sicut superiori sermone diximus: non est omnino tuta conscientia, si confessio negligatur. Scriptum est: *Deus non judicat bis in idipsum.* Si ergo hic in foro Christi a Sacerdote judicandus accesseris, in futuro Christi tremendo judicio, pro his quæ in hoc foro dimissa fuerint, proculdubio non damnaberis. Quis renuat astare Sacerdoti judicandus in secreto, ne ad Christi tribunal severo & terribili examine judicetur in publico? Audistis sæpissime in Euangelio nobis a Domino commendatum: *Vigilate, estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Nisi hoc nostra multum interesset, non esset consilium hoc toties a Domino repetitum. Et quænam est, obsecro, ista hominis ad mortem præparatio, nisi cum dolore peccatorum frequentata confessio? Qui hoc agit, in tuto est; qui negligit, in periculo. Sed in quo periculo? Non vitæ temporalis, sed damnationis æternæ. O quantum interest inter mortem & mortem! Sed tu saltem sic esto pro æterna, quæ potest fugi, solicitus, sicut pro temporali, quæ evitari non potest, homines solicitantur.

Nahum 1.

Mat. 24. Lucæ 12.

III. Secundus fructus est quies animæ: nam confessio maxime pacat & extinguit illum remorsum, & vermem intus rodentem conscientiam: qui si modo extinctus non fuerit, postea in æternum animam morsibus lacerabit. De quo Isaias: *Vermis eorum*, inquit, *non morietur*, hunc autem experientia teste, nihil mortificat sicut confessio peccatorum. Etiamsi doleas, & pœniteas, & jejunes, & innumeras eleemosynas facias, non sic quietatur conscientia, & peccatorum onere sublevatur, sicut si ad hoc Sacramentum contritus accedas. Unde in hoc apparet virtus hujus Sacramenti, quod nihil sic animam oneratam allevat sicut ipsum. Sicut enim stomachus corruptis humoribus & putridis plenus, donec evomat anxie laborat; sic donec per confessionem peccata sua homo evomuerit, conscientia non quietatur. Ac propterea qui frequentare confessionem consueverunt magnum tormentum, & incredibile pondus sentiunt, si aliquo impedimento vel occasione differatur. Unde vel hæc ipsa conscientiæ allevatio & quietatio sola sufficere debuerat ad ejus frequentationem.

Isaiæ 66.

IV. Tertius fructus est facilitas veniæ. Tanto enim graviora sunt peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, teste Gregorio (b). Et sicut ait Chrysostomus (c) *in libro de Reparatione lapsi.* Cecidisse non ita malum est, sicut post lapsum jacere, & non resurgere, & cum quadam veluti voluptate jam ac resolutione peccare. Peccare enim fragilitatis est, in peccato vero perseverare, & nolle remedium quærere, contemptus. Plus ergo interdum Deo displicet illa negligentia, quam culpa. Unde & ipse quasi de hoc increpans peccatorem per Prophetam ait: *Numquid qui cadit non adjiciet ut resurgat?* Et per Jeremiam: *Hæc dicit Dominus* Deus. *Numquid qui*

(b) (c)

Psal. 40.

Jer. 8.

(a) Argumentum hoc se tractaturum pollicitus est Sermone præcedenti, non procul a fine, his verbis: *Quot, & quantas utilitates peccatoribus confessio afferat dicere proposuimus, sed hora non patitur: in sequentem Sermonem tractandum differamus.*

(b) Vide Gregor. in Ezechiel. lib. 1. Homil. 11. num. 24.

(c) Ad Theodorum lapsum Paræneſ. Epiſt. 5. tom. 5. edit. Pariſ. an. 1570. pag. 838. *Neque enim grave est hominem cecidisse, sed lapsum jacere, nec resurgere conari: ultro perferre malum, torpereque ob desperationis sermonem, & morbum corrupti judicii prædicare grave est, contra quos exardens Propheta dixit: Num qui cadit non resurgit, nec qui avertitur nunquam revertitur?*

qui cadit non resurget? Et qui aversus est non revertetur? Quare ergo aversus est populus ille aversione contentiosa? Id est, dura & pertinaci? Unde hoc maxime curandum est nobis, ne pereamus. Facilius enim est in ægritudinem non incidere, quam morbum curare: sed ex quo fragiles sumus, & ad cadendum proclives, secundum consilium est, ut simus etiam diligentes ad resurgendum: hæc enim pœnitentiæ acceleratio nobis a Deo reputabitur ad justitiam. Scriptum est enim: *Septies* in die *cadet justus*. Si justus, quomodo toties cadet? Et si toties cadit, quomodo justus? Utique, quia non meretur nomen justi amittere, teste Hieronymo (*a*), qui licet ita fragilis fuit, ut septies caderet, sic tamen diligens fuit, ut septies in die resurgeret. Et P. Augustinus (*b*) *in Regula* præfert illum, qui sæpius irascitur, & veniam petit illico, illi, qui tardius irascitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur.

Prov. 24.

(a)

(b)

V. Quartus fructus est evitatio culpæ. Nam, ut ait Gregorius (*c*): peccatum, quod per pœnitentiam cito non deletur, suo pondere ad aliud trahit. Et Joannes in Apocalypsi. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Anima enim peccato sordida, non veretur amplius sordidari; sed postquam mundam se viderit a malis, peccatorum sordes multum refugit; sicut in Canticis dicitur: *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Unde evenire solet, ut qui peccata commissa curare negligunt, quasi rupto rationis & timoris muro, malitia, nequitia repleantur usque ad summum. *Abyssus enim abyssus invocat; Et pilosus* clamat *alter ad alterum*, sicut ait Isaias. Virtus quoque nostra ad resistendum peccatis per se fragilis est, sicut idem Propheta ait: *Erit fortitudo vestra, sicut favilla:* & nisi juvetur a gratia, diu vitiorum impulsum sustinere non valet; quo fit, ut anima quæ in peccato est a gratia destituta, diu evadere ulteriora peccata non possit.

(c)

Apoc. 22.

Cant. 5.

Psal. 41. Isaiæ 34. Ibid. 1.

VI. Quintus fructus est examinatio conscientiæ. Quomodo enim potest bene examinari conscientia ad annum? Ecce quod hodie facimus, cras obliviscimur, & eorum quæ gessi anno præterito nunc recordabor? Quod si crimina opere perpetrata in memoria fuerint; de his tamen quæ perperam cogitavi & desideravi, quomodo reminiscar? Propter hoc qui ad annum differunt confessionem, vix decimam suorum peccatorum partem recordantur. Quod si dixeris, peccata quæ in memoriam non veniunt, Deus ignoscit; fateor, ita est, si debitam in peccatis rememorandis diligentiam adhibueris; alias peccatum per Sacramentum Pœnitentiæ non deletur. Unde autem scis, si sufficientem & debitam pro tempore reminiscendorum peccatorum diligentiam adhibuisti? Quis novit quanto examine opus sit, ut recorderis ad annum? Inde ergo timor, & scrupulus non modicus remanet in conscientia confessionem differentis, qui in frequentantibus locum non habet; ac propterea, non est ita securus de venia qui confessionem differt, sicut qui frequentat.

A

VII. Sextus fructus est conservatio meritorum. Nam, dum homo est in peccato, bona opera ei nihil conferunt ad gloriam, sed vitam cum operibus perdit; cum enim ipse sit abominabilis, etiam ejus opera Deo non placent; sicut in Genesi legimus: *Quod respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Ad Cain vero, & ad munera illius non respexit.* Et quanta perditio hæc? Si autem confiteatur statim, & exeat a peccato, totum quod vivit lucratur, & Dei amicus efficitur.

B

Gen. 4.

VIII. Septimus fructus est augmentatio gratiæ hic, & postmodum gloriæ. Nam cum ex doctorum sententia Sacramentum ex opere operato gratiam conferat; quoties digne suscipitur, toties gratia augetur, & ex consequenti gloria. Quantum putas lucrum unum gradum gloriæ acquirere in perpetuum? Unde propter hoc, etsi mortalia peccata deessent, salubre consilium esset frequentare confessionem; Deus enim pius & magnificus, dolentibus pro commissis & confitentibus, non solum veniam peccatorum, quam expostulant, concedit, sed etiam gratiam superaddit. Hos & alios fructus ex usu, & frequentia Sacramentalis confessionis accipimus, quando vere pœnitentes ad hoc pœnitentiæ Sacramentum accedimus. Utinam, utinam, velletis experiri quod dicimus! Probate, obsecro, & videbitis quanta sit animæ consolatio, quanta conscientiæ securitas & tranquillitas, quanta reformatio vitæ, quanta veniæ apud Deum fiducia, quod levamen cordis, quæ personæ mutatio, quanta denique utilitas in resistentia peccatorum, in facilitate bonorum operum, in correctione morum, in devotionis augmento, in plenitudine spiritus, in vivacitate intellectus, in puritate conscientiæ, in lætitia animæ, in spiritus pinguedine, in omnibus denique spiritualibus bonis, quæ conferunt ad æternam salutem. Quid namque deesse potest menti, quam Deus semper inhabitat? Quæ tota animæ intentione quotidie se purificat, & scopis confessionis se emundat, ut Dei habitaculum fiat? Sicut Propheta ait: *Memor fui Dei, & scopebam spiritum meum.* Denique, ut uno verbo omnia concludam; quantum distat inter Templum Dei purum & sanctum, & stabulum diaboli fœtidum, & sordidum; tantum

C

D

E

Psal. 76.

(*a*) De hoc actum jam est in notis ad Concion. 6. Dom. 4. Advent., ad quem locum Lectorem remitto, ne eadem iterum repetamus.

(*b*) *Melior est enim, qui quamvis ira sæpe tentetur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam, quam qui tardius irascitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur.*

(*c*) Moral. lib. 25. cap. 9. num. 22. *Peccatum namque, quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit.*

tantum intereſt inter illum, qui aſſidue animam ſuam purificat, & renovat Sacramentis, ut Dei munda inhabitatio fiat, & illum, qui toto anno in ſordibus peccatorum ſordeſcit.

IX. Sed dum hos confeſſionis fructus tam multis ediſſero, atque vobis commendo, ut unuſquiſque veſtrum eos mente pertractet; dicetis forte in cordibus veſtris: Quare iſta de confeſſione multiplicat? Numquid non plurimos videmus frequenter peccata ſua confitentes, & aſſidue etiam celebrantes, tepidos, vitioſos, diſſolutos, nihil tale vita monſtrantes, quale hic de frequentantibus confeſſionem promittis? Certe, ut dicitis, ita eſt: & valde doleo, quia ita eſt. Sed & quemadmodum ego dixi: iſti Sacramentum Pœnitentiæ frequenter ſuſcipiunt, ſed ejus fructum non percipiunt, quia indigne, & tepide, ſine dolore & compunctione accedunt. Hi Sacerdoti ſuorum peccatorum hiſtoriam, quaſi per otium narrant: nullus gemitus, nulla lacryma, nulla compunctio, ſed ſicut Propheta ait: *Ephraim vitula docta diligere trituram:* qui profecto, ſi cum vero animi dolore, & conſequendæ veniæ deſiderio, & firmo emendationis propoſito confiterentur, multo plura ac majora, quam promiſimus dona conſequerentur. Unde operæ pretium eſt, oſtendere, qualis debeat eſſe confeſſio, & quales conditiones habere debeat, ut hujuſmodi fructibus pœnitens potiatur.

Oſee 10.

X. Has autem conditiones Propheta uno verſu comprehendit, quando ait: *Dixi: Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino: Et tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Dixi: id eſt; ſtatui, propoſui: quo verbo, prima confeſſionis conditio innoteſcit. Scilicet: quod ſit præmeditata. Unde, qui veniunt impræmeditati, dimittendi ſunt, ut examinent prius conſcientias apud ſe, & ſic revertantur ad Sacerdotem. Nam, qualis erit illius confeſſio, qui ſolum confiteri cogitat, quod ad Sacerdotis pedes memoriæ ſuæ occurrerit? Hoc autem peccatorum ſcrutinium, ſecundum tempus quod dilata eſt confeſſio, & perſonæ qualitatem, adhibendum eſt, ſicut in negotio arduo & momentoſo. Neque ſolum prius rememoranda ſunt delicta, ſed etiam contritio procuranda: ad pedes enim confeſſoris rarus eſt qui pœniteat, prout debet. Neque ſufficit propoſitum pœnitendi, ſed oportet, ut confeſſionem ipſam aut præceſſerit, aut comitetur dolor delictorum. Oportet etiam tertio, ante confeſſionem firmum, & verum continendi a peccatis propoſitum perquirere, & an vere illud habeas diſcutere. Quo naufragio multæ animæ ſubmerguntur. In his tribus debita præparatio ad confeſſionem conſiſtit. Scilicet: in ſcrutinio, & dolore peccatorum, & propoſito non peccandi, quæ ante confeſſionem diligentiſſime procuranda ſunt. *Confitebor:* ſecundum hic intellige conditionem.

Pſal. 31.

A Scilicet: quod ſit clara, nuda, & aperta, non velata, non aliquo fuco colorata confeſſio pœnitentis: ſic, ut nudum, ſi poſſet, cor ſuum Sacerdoti monſtraret, ut animæ ſuæ vulnera, ſicut ipſe novit, agnoſcat. *Confitebor*, inquit. Tu confitere, tu revela, non Sacerdoti hoc munus committas. Sunt enim plerique in rebus ſæcularibus diſertiſſimi, ad ſola confitenda delicta muti. *Adverſum me.* Hic tertia conditio datur intelligi. Scilicet: quod ſit accuſatoria. Aggrava, exaggera quantum potes peccata tua; numquam enim pro merito te accuſabis: excedit B enim eloquii noſtri facultatem omne delictum, ſi bene penſetur. Unde Job: *Dimittam*, inquit, *adverſum me eloquium meum*, & ſolvam linguæ meæ habenas, ut contra me accuſando loquatur. *Loquar in amaritudine animæ meæ, & dicam Deo, noli me condemnare.* Ego enim mihi non parco, ſed prout poſſum, condemno; ego me judico, ne me judices. Cave cave, *Ne declines cor* tuum *in* malitiam, *ad excuſandas excuſationes in peccatis:* ne culpam tuam in mulierem, vel in ſerpentem rejicias, ut Adam; hoc eſt in carnem, vel diaboli ſuggeſtionem. C Exemplum mihi Adam, ait Propheta. In illo diſce quantum obeſt excuſatio delictorum. Numquid non accuſaturus veniſti? Ut quid excuſas? Quid pallias? Ne ergo dixeris: diabolus me decepit, circumventus ſum a Satana, graviſſima fuit tentatio, intolerabilis impulſus, carnis meæ paſſio, ſenſualitatis impetus me dejecit, ſed accuſationis cuſpidem verte in te, dicendo: *Peccavi.* Ut malus & iniquus, ut ingratus & impius; quia Dei amorem & timorem non habeo, & non ſum dignus levare oculos meos in cœlum præ multitudine peccatorum meorum, D & ſimilia. *Injuſtitiam meam*, non alienam.

Job 10. *Pſ.* 140. *Zach.* 13. *Luc.* 18.

XI. Neminem in confeſſione prodas, neminem accuſes, niſi peccati tui circumſtantia neceſſario confitenda id requirat. Et in quantum ſat eſt, & apud eum, qui perſonam non noverit, quam revelas, ſi poſſibile eſt. Quidam, dum ſe juſtificare prætendunt, fiunt proximi detractores, & ubi quærebant remedium delictorum, peccata accumulant; & diſcedunt a confeſſione deteriores: dicunt enim: Odi hominem & merito, quia pravus eſt, & iniquus: nullus eum poterat tolerare: hæc mala mihi fecit: E & ſimilia. *Injuſtitiam meam*, inquit, non alienam. Non virtutes, non gratias, non eleemoſynas. Accuſare te venis; quare te commendas? *Injuſtitiam meam:* non longas hiſtorias, non fabulas, &c. *Domino.* In hoc verbo multa tanguntur; ſcilicet: quod confeſſio ſit integra, lacrymoſa, & ſecreta. Cum confeſſio fit, pœnitens non cum homine, ſed cum Deo ſe loqui putet: nam confeſſor ibi loco Dei eſt. Caveat igitur, ne ex hominis verecundia aliquot peccatum occultet: nam ſic confeſſio non proderit, imo novum peccatum fit, & tenetur iterum confiteri. Hoc

magnum

magnum est periculum animarum. Multi enim propter hoc toto fere tempore vitæ suæ in peccatum vixerunt, quia juventutis tempore ex verecundia nonnulla peccata tacuerunt, quæ postmodum confiteri neglexerunt. Propter quod, ad resarciendas juventutis ignorantias, & plurimos defectus, qui in confessione fiunt a juvenibus, saluberrimum judico in adulta ætate, quando jam viget sensus & intelligentia hujus Sacramenti aliquam facere generalem confessionem ab exordio vitæ suæ, cum debito studio & solicitudine. Sit etiam lacrymosa, & dolore affecta. Sic geme, sic plora, sicut si solus coram Deo in oratorio loquereris. Sit etiam secreta, non solum ex parte confessoris (Domino enim confiteris non homini; & si homini, non quasi homini, sed quasi Deo: & qui audit, non quasi homo: unde nulla ratione, nulla violentia, nullo casu Sacerdoti licet confessionem revelare) sed ex parte etiam pœnitentis reprehensibile est vulgo prodere. Nonnulli enim si non absolvuntur, vel de aliquo peccato reprehenduntur, conqueruntur postea de confessario; & quæ ad illorum salutem in confessione illis dicta sunt, produnt: quod numquam faciendum est. Si talis fuerit confessio, si his conditionibus fuerit ornata, attende, quid sequitur.

XII. *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Jo. 20. Non solum levia, & facilia peccata, sed *impietatem peccati mei:* id est, peccata impia, & criminosa. Nullum est enim peccatum adeo grave, quod hujus Sacramenti virtute non deleatur. Nam, qui dixit: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis;* non dixit: ista vel illa, sed indifferenter omnia. Sit vera confessio, non desit dolor, & omnia dimittentur: non solum dum confiteris, sed etiam dum confiteri cum dolore proponis. *Dixi*, inquit, *Confitebor:* id est proposui confiteri; *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* O eximia pœnitentiæ virtus, o forte lixivium, quod omnes peccatorum maculas tam facile diluis! O unctio salutaris, quæ lepram animæ tam suaviter sanas! O theriaca potentissima, quæ omne virus cordis extinguis. Hoc est unguentum illud Nardi Ibid. 12. pistici pretiosi, quo anima ungitur & sanatur, & tota domus repletur ex odore unguenti. Ibid. 5. Hæc est illa aquæ vivæ piscina, quam movet Angelus per dolorem in corde: in quam qui intrat, per hujusmodi aquæ motum sanatur & mundatur ab omnibus plagis & infirmitatibus suis. Exodi 14. Hæc est illa virga Moysi, qua percussum mare concupiscentiarum exæstuans dividitur in divisiones, ut Electi Dei sicco pede promissionis in terram pertranseant. 4. Reg. 4. Hæc est illa farinula Prophetæ, dulces faciens colocynthidas pœnitentiarum amaras. Ibid. 2. Hic sal ejusdem Prophetæ aquas 2. Reg. 14. salsas lacrymarum potabiles faciens. Hæc sapiens illa mediatrix inter Regem & filium Absalon, id est Deum & electum ejus, ipsum reconcilians & reducens ad patrem. Hæc filium prodigum miserum, elongatum a patre, porcos corporalium sensuum pascentem, post consumptam cum meretricibus concupiscentiarum, spiritualium donorum substantiam, post famem & miseram servitutem verecundantem, reducit ad patrem: & vestibus splendidis, & novis induit gratiarum, quibus peccando fuerat ante nudatus, & vituli saginati, splendidique convivii, in quo mira resonat symphonia, participem facit, & paternæ hæreditatis, id est cœlestis regni honorem, & dignitatem restituit, & supernorum civium in æterna illa beatitudine facit consortem; quam nobis præstare dignetur ipse Jesus Christus. Luc. 15.

IN DOMINICAM III. QUADRAGESIMÆ CONCIO TERTIA.

De Recidivo Peccati.

Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Lucæ 11. v. 26.

I. Dic succincte historiam Euangelii. Sancta Mater Ecclesia hoc tempore maxime prætendit curare in hominibus lepram peccatorum, & eximere homines a peccato. Ideo hac dominica docet nos, si ceciderimus, quomodo exeamus a peccato, & si liberati fuerimus, non iterum reincidere, proponens Christi documentum de Reincidentibus; ut ostendat periculum. De hoc erit sermo: scilicet; de Recidivo peccati, auxiliante Dei gratia; ad quam impetrandam ponamus Virginem intercessorem offerentes. * Concio 1.

Ave Maria.

II. Triplex est Recidivum; scilicet: culpæ, servitutis, infidelitatis. Primum est, quo quis liberatus a culpa relabitur in culpam. Exemplum: commiserat furtum vel adulterium; confessus est: relabitur in illud. Secundum est, quando quis liberatus, non solum a culpa, sed etiam a servitute peccati, relabitur in eandem, & aliam servitutem. Exemplum de concubinario, vel usurario longi temporis. Tertium est, quando quis illuminatus fide redit ad infidelitatem, vel hæresim. Secundum pejus est priori. Et tertium, pejus secundo. De secundo loquemur in isto sermone. Maxime loquemur, de miseria grandi quæ est in servitute peccati; de difficultate grandi quæ est exeundi ab illa servitute. Satis notum est, quod postquam Deus ex sua misericordia liberat aliquem a tanto malo, eripiens eum de potestate tenebrarum, & transferens in regnum Filii dilectionis suæ, quanta cæcitas, quanta negligentia, quanta malitia, quanta ingra- Coloss. 1.

titudo

titudo est, iterum se subjicere servituti peccati. Et quidem antequam nosceret peccati servitutem, & justitiæ pacem, nil mirum: sed postquam novit utrumque statum, commutare justitiæ delicias pro sentibus peccatorum, magna cæcitas est, & culpa gravior. Peccatum hoc dignum est omni supplicio, indignum misericordia. Exemplum. Si quis pater filium maximis sumptibus eriperet de servitute Turcarum, & ille se iterum objiceret servituti. Quis miserebitur ejus? Quis non dicat: moriatur stultus in sua servitute, ex quo sic voluit? Unde Apostolus, ostendens quam difficulter hujusmodi pœniteant, ait: *Hebr. 6.* *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Impossibile: idest valde difficile propter malitiam, propter contemptum, propter ingratitudinem. Propter malitiam: noverant enim jam miseriam servitutis peccati; non possunt allegare ignorantiam. Propter contemptum: quia experti utrumque statum, delicias justitiæ pro voluptatibus commutaverunt. Propter ingratitudinem: quia liberati misericorditer & potenter, neglexerunt. Non, quia si pœniteant, non recipiantur, sed est eis difficilis pœnitentia: quia justo Dei judicio deserti traduntur in reprobum sensum; *Rom. 1.* & quasi contemptores contemnuntur, & fiunt pessimi. Nam, sicut ait Euangelium, non redeunt ad idem peccatum solum, sed etiam ad septem alia pejora, quibus indurantur; *Lucæ 11.* *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus:* sicut Judas. Talis etiam fuit Julianus; quia Judas aliquo tempore malus fuit: & vocatus ad Apostolatum, aliquo tempore resipuit; sed rediit ad priorem avaritiam, & habuit finem quem scitis. Isti significantur & similes sunt illis, quos Dominus in manu *Exodi 14.* valida eduxit de servitute Pharaonis, & postquam gustaverunt manna, desiderabant cæpas, & pepones, & allia, & ollas Ægypti, *Num. 11.* & optabant redire in Ægyptum. *Quibus juravi, inquit, in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Sic isti liberati a servitute peccati gustaverunt bonum Dei verbum, & delicias sæculi futuri, & commutaverunt pro cæpis & alliis, voluptatem; reprobi, & indigni sunt cœlesti patria. *Psal. 94.*

III. Quam gravis sit illa ingratitudo, & quantum Deus odit illam, ostendit verbo, & exemplo. Verbo Ezechielis 16. *per totum*. Exemplo: *In Genesi*. Monstravit exemplo mirabili & vindicta terribili uxoris Lot; *Ezech. 16.* *Gen. 19.* cui præcepit Deus tria: ne steteris in omni circum regione: noli respicere post tergum: in monte salvam te fac. De primo & tertio mandato transeat; sed de secundo miror. Propter quid Domine non vis ut respiciat post tergum? Propter quid non vis ut videat ultionem justam pessimorum, quorum vidit peccata? Numquid non melius ut videat justitiam tuam, quam facis de reprobis, & laudet te? Imo, ut videtur, præcipere debueras, ut a longe posita ea videret, & narraret postea illis, qui non viderunt, ad terrorem & correptionem. O durum præceptum! Ecce mundus post terga ardet, & fragor, & tonitrua horribilia, & ululatus ingens pereuntium, & mulierculis infirmis præcipis, ne redeant ad videndum? Quis vir adeo constans, & fortis, ut non retrospiciat? Et quod magis mirandum; quia illa misera uxor respexit retro, cum haberet tam magnam occasionem; *Versa est in statuam salis.* Illa, inquam, quam misericorditer liberaveras de incendio, uxor justi tui propter tam levem culpam, tam duram vindictam excepit. Et quare Domine non occisa est? Ut quid versa est in statuam? Et quare salis & non lapidis? O mysteriorum pelagus! Jam cernitis, Fratres, quia juxta historiam non erat, propter quid illud præciperetur, neque propter quid talis fieret vindicta; totum hoc factum, ut monstraret Deus, illis quos eduxit de Sodoma vitiorum, quantum detestatur non solum redire ad Sodoma, id est, ad vitia præcedentia a quibus liberati sunt: sed neque respicere, neque memorari, nec desiderare, nec concupiscere. Propter hoc, terribile illud exemplum reliquit mundo in illa muliere. Non mea est expositio, Fratres, non P. Augustini, vel Hieronymi, sed Christi, qui ait in Euangelio: Mementote uxoris Lot, qui reditis ad vomitum Sodomæ, illam attendite, illam statuam præ oculis habete. Timete ne fiat in vobis spiritualiter, quod in illa factum est corporaliter. Hæc enim est justissima pœna retrospicientium, & redeuntium. Scilicet: ut fiant statuæ amisso sensu, amisso judicio, amisso lumine rationis. Ex persona facta est statua, amisso corde. Statua non sentit minas nec flagella. Ista non sentit minas inferni, non Dei flagella, non ignominiam, non infamiam. Sunt statuæ omni motu, omni sensu spirituali cordis amisso. O gravissima pœna! O secunda post infernum vindicta, eo periculosior quo minus sentitur! Isti viventes mortui sunt sine sensu & sine spiritu. Unde propter hoc difficilior eorum conversio, quia non habent dolorem neque contritionem, neque sensum miseriæ in qua sunt. Unde pro eis oportet ut intercedat sancta Mater Ecclesia, & viri apostolici, si forte horum precibus aliquando sanentur, suscitentur, & vivificentur. Statua ad terrorem igitur nostrum, & ad eruditionem, in mundo relicta est. Relictum est mundo hoc exemplum, & propter hoc versa est in statuam, non lapidis, sed salis; id est cautelæ & sapientiæ, qua mundus erudiatur. Quamvis in hoc, quod illam statuam bestiæ lambunt, significari etiam potest, quod peccator recidivans sit statua insensibilis, & pabulum bestiarum

Gen. 19. *Luc. 17.*

infer-

infernalium, juxta illud: *Erit cubile draco-*
Isaiæ 34. *num, & pascua struthionum.* Nam, juxta
Lucæ 11. Euangelium, non unus, sed plures dæmones illam miseram animam inhabitant, & rodunt sensum, rationem, intellectum, & quidquid in ea reliquum est. Pater Augu-
(a) stinus (a) *in Libro Soliloquiorum:* Vulnus iteratum sanatur tardius.

IV. Hæc omnia diximus, Fratres, de gravitate recidivi: non ut diffidatis, sicut mox dicemus; sed ut timeatis recidivare in peccata. Scientes, quia non solum culpa gravior, sed periculosior: quia reddit hominem statuam, truncum, & insensibilem; ma-
Psal. 67. xime, qui relabuntur in servitutem. Videant nunc qui ambulant in delictis suis, qui post confessionem statim redeunt ad peccatum suum, quam male securi sunt. Non enim fuit illa vera pœnitentia, sed falsa.
(b) Unde *in Decretis* (b) *de pœnitentia distinctione* dicitur: Irrisor est, & non pœnitens, qui hoc agit, quando pœnitet. Neque videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. Vera enim pœnitentia est; præterita mala plangere, & plangendo iterum non committere. Nam, qui ad mala quæ ploraverat redit, hic agere pœnitentiam aut nescit, aut dissimulat. Non quod ad veram pœnitentiam requiratur, quod peccator numquam amplius redeat ad peccatum: sed requiritur propositum verum & firmum non redeundi: quod utique non est in illis, qui tam leviter, tam facile, tam cito relabuntur. De quibus Psalmus: *Doloſe* agit in cor-
Psal. 35. de suo, *ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.* Id est: inveniret iniquitatem, & odisset. Et licet dicant in confessione quod vere proponunt, non credas. Sequitur enim: *Verba oris ejus iniquitas & dolus.* Sed neminem decipiunt, nisi seipsos. Unde de hujusmodi, consulo confessoribus, ut mittant eos in domos suas, & cum invenerint correctos & emendatos, tunc absolvant. Melius est enim differre, quam decipere eos. Pater Augu-
(c) stinus (c): Pœnitentes quid agitis? Quid prodest quod humiliamini, si non mutamini?

V. Ex his quæ dicta sunt, colligo, quod tota vita, tota salus nostra, principaliter pendet ex correctione vitæ. Da mihi hominem correctum, & ego eum dabo tibi sal-

A vum. Nam, licet ad culpam abluendam non sufficiat sola correctio vitæ, sicut probat Pater Augustinus (d) *in Sermone: Ex illo Ec-*
Eccli. 21. *clesiastici: Fili, peccasti? Non adjicias iterum:* (d)
sed pro præteritis deprecare; (Requiritur enim cum hoc, displicentia, & confessio peccati) quantumvis malus, & inveteratus, facile satisfacit Deo. Est enim tanta Dei clementia, ut etiam pro magnis modicam exigat satisfactionem: quia cupit salvare animas, modico dolore contentus est ad remit-
B tendum infernum, dummodo peccator sit correctus, & cesset. Psalmus: *Pro nihilo salvos*
Psal. 55. *facies eos.* Habemus de hoc præclarum testimonium Dei in Isaia dicentis: *Quiescite age-*
Isaiæ 1. *re perverse, discite bene facere, & venite, & arguite me, dicit Dominus,* si non pepercero, si non salvavero. Unde sequitur: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Et si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Tantum cessate *agere perverse,* & correcti agite bene. O mira virtus pœnitentiæ! Quæ non solum animam purgat & mundat a peccatis gravissimis, sed etiam super nivem dealbat! Juxta alterum Prophetam: *Asperges me Domine hys-*
C Psal. 50. *sopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.* Quamvis, si ad verba Prophetiæ vultis attendere, non dicit quod conscientia dealbabitur a peccatis; sed quod peccata illa rubra, sanguinolenta, sicut nix dealbabuntur. Mira res! Quis unquam vidit alba peccata? Sed sic fiunt aliquando a Deo omnino peccata alba justi: propter quæ fit de cætero ferventior, & patientior, & humilior. Videas justum factum ex peccatore, quotidie deflere peccata, quotidie agere gratias Deo pro remissione, humiliatum coram Deo, indignum se judicantem aqua, quam
D bibit; patienter omnia sustinentem, quia peccavit; die ac nocte Deo servientem pro peccatis, fervidum, devotum. Dic mihi; huic peccata nonne facta sunt alba? An Mariæ Magdalenæ peccata non fuerunt alba, propter quæ & tantam invenit sanctitatem? Nonne illi monacho album fuit homicidium casu factum, quod fugiens, factus est excellentissimus monachus, sicut dicitur *in Paradiso Heraclidis* (e)? O quam verum est, quod ait (e)
Apostolus: *Diligentibus Deum omnia coope-* Rom. 8.

(a) Allegantur quidem ea verba a Gratiano Can. 12. dist. 3. de Pœnit. *Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum sanatur tardius; frequenter peccans, & lugens, vix veniam meretur.* Notant tamen ibi Gratiani Emendatores, caput hoc non esse inventum in S. Augustino, haberi tamen apud Isidorum, pene eadem verba, in Dialogo, sive Synonymis, non longe ante C. *de castitate.*

(b) Apud Gratianum Can. 1. dist. 3. de Pœnit. *Irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet, nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus: canis reversus ad vomitum, est pœnitens ad peccatum.* Allegantur hæc ex Isidoro de Summo Bono lib. 2. cap. 16.

(c) Serm. 392. ad Conjugatas, alias 49. inter Homilias 50., ita num. 6. *Pœnitentibus dico, quid est, quod agitis? Scitote nihil agitis. Quid prodest, quia humiliamini, si non mutamini?* Et Serm. 393. de Pœnitentibus, alias 41. ex Homil. 50. *Pœnitentes, Pœnitentes, Pœnitentes (si tamen estis Pœnitentes, & non estis irridentes) mutate vitam, reconciliamini Deo.* Allegatur a Gratiano Can. 10. dist. 3. de Pœnit.

(d) Serm. 60. de Verbis Euang. Matth. 6. cap. ult., alias de tempore 50. *Parum est itaque recedere a peccatis, si præterita curare neglexeris: sicut scriptum est: fili, peccasti, ne adjicias iterum. Et ne hoc solo securum se esse putaret: & de pristinis, inquit, deprecare, ut tibi dimittantur. Sed quid proderit deprecari, si te non dignum feceris exaudiri, non faciendo fructus dignos pœnitentiæ?*

(e) Heraclidis Eremitæ Paradisus incerto, sed veteri Interprete editus est seorsim primo Parisiis 1503., tum

(a) *rantur in bonum!* Pater Auguſtinus (*a*) & (b) Bernardus (*b*): Etiam, ſi fas eſt dicere, ipſa peccata; nam converſis, correctis, & emendatis, non ſolum delentur, ſed etiam proficiunt aliquando; Deo ſic diſponente, qui ex malis elicit bona: id eſt, Deo dealbante, occaſio magna virtutum.

VI. Conemur ergo quantum poſſumus corrigere vitam, nec demus nobis requiem, donec a Deo obtineamus virtutem reſiſtendi, & continendi nos a peccatis: nam ſine hac non ſumus ſecuri. Hoc vere donum amici. Non putemus in gratiam Domini redire, donec hoc obtineamus. Etiamſi omnia dona habeant, cum peccatis non quieſcunt. In Euangelio dicitur: *Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Quinque enim ſunt ſtatus hominum. Quidam ſemper fuerunt boni. Quidam ſemper mali. Quidam fuerunt mali, & ſunt boni. Quidam ad tempus ſunt boni, & ad tempus ſunt mali. Quidam fuerunt boni, & ſunt mali. Hi ſtatus ſunt innocentium, perverſorum, converſorum, fragilium, impiorum. Videat quiſque in quo ſtatu eſt. Primus, optimus. O felices quibus tanta gratia collata eſt! Iſtorum pauci ſunt in mundo. Tertius ſtatus etiam tutus eſt, id eſt, converſorum. Pſalmus: *Loquetur pacem in plebem ſuam; Et ſuper ſanctos ſuos & ſuper eos qui convertuntur ad cor*. Non minores Sancti de tertio ſtatu quam de primo. Hi duo ſtatus ſignificantur per duos filios ſeniorem, & prodigum. Secundus ſtatus perverſorum malus. Ezechiel: Omnis juſtitiæ ejus non recordabuntur. Quartus ſtatus, fragilium; qui odiunt peccata, ſed ſunt fragiles & luctantur cum morte & inferno: & licet ſint fragiles ad cadendum, ſunt diligentes ad ſurgendum, & non diu in peccato perſeverant. Hic ſtatus dubius & periculoſus; ſed tamen multi ex his, ut opinor, ſalvantur. Quintus ſtatus impiorum; qui quaſi tota vita ſunt in peccato. Ad Paſcha confitentur, & ſtatim redeunt, & toto anno cum ſumma incuria permanent in peccato. De eis, ut exiſtimo, pauciſſimi ſalvantur. Nam, quomodo fiet hoc? Tota vita ſunt fere habitatio dæmoniorum, & poſt mortem erunt cum Deo & Angelis? Non credo.

Lucæ 11. Pſal. 84. Lucæ 15. Ezech. 33.

VII. Nec mihi opponas, quod in morte pœnitent multi, & recipiunt Sacramenta, ut ait Sylveſter (*c*) *in Sermone Septuageſimæ*; nam illa pœnitentia periculoſa eſt, & valde incerta; tum, quia qui rariſſime pœnitent; quomodo illo tempore habebunt dolorem, quando ſunt tot ægritudines & impedimenta? Tum etiam, quia ſi habeant, non jam ex amore, ſed ex timore procedit. Ideo non eſt tuta pœnitentia illa. Pſalmus: *Multiplicatæ ſunt, non congregabo*. Et Bernardus (*d*): In toto Canone unum ſolum lego, id eſt Latronem. Unde, cum in communi vita habetur tanta incuria, timeo, quod de communi vita pauci ſalvantur. Interrogaverunt de hoc Dominum Diſcipuli; Domine ſi *Pauci ſunt qui* ſalvantur? Sicut interrogaremus nos. Non quærebant de gentibus & paganis; quia notum erat, quod de illis nullus ſalvatur, ſed de populo fideli. Audite Domini reſponſionem, & expaveſcite: *Contendite intrare per anguſtam portam*: nam arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci vadunt; ſed amplexantur viam, quæ ducit ad perditionem, & multi ambulant per eam. Contendite ergo agere pie. Contendite timere, & peccata vitare, & habere rationem cum conſcientia, & eſſe ſolliciti: ſi cecidiſtis, ſtatim ſurgere. Non confidatis de multitudine; quia, ut ait P. Auguſtinus (*e*): Non minus ardebunt qui cum multis ardebunt. Donec det nobis Deus gratiam, ut ſic a peccatis contineamus, ut præteritorum veniam promereamur, & ad vitam perveniamus æternam. Ultimo ponitur documentum ſalubre de recidivantibus, cum ait Chriſtus Dominus: *Cum immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem: & non inveniens, dicit: Revertar in domum meam unde exivi*. Adviſamentum eſt, ut nemo peccator ſecurus ſit, ſi ad tempus vim continendi recipit a Deo: timeat autem relapſum. Quoniam, ut ait Caſſianus (*f*): Vitia ad tempus veluti latrunculi abſconduntur, & in tempore exeunt

(c) Pſal. 15. (d) Lucæ 23. Mat. 7. (e) (f) Lucæ 11.

---

tum ſub nomine Palladii a Lipomano tom. 3. de Vitis Sanctorum inſertus; deinde a Roſweydo in Appendice librorum de Vitis Patrum collocatus. Cæterum Hiſtoriam hic memoratam in hoc libello invenies cap. 4. ejuſdem Paradiſi hoc titulo: *Vita Macarii Monachi Homicidæ*.

(*a*) Lib. de Corrept. & Grat. num. 24. *Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum; uſque adeo prorſus omnia, ut etiam ſi qui eorum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores*. Similia habentur in lib. Soliloquiorum eidem olim adſcripto, & in Append. tom. 6., in noviſs. edit. rejecto, cap. 28., ubi de his, qui ſcripti ſunt in libro vitæ: *Quibus omnia cooperantur in bonum, etiam ipſa peccata*. Quæ verba habet etiam Gloſſa.

(*b*) In Pſal. *Qui habitat* Serm. 2. num. 2. *Juſtus vero ſuper manum Domini cadit, & miro quodam modo etiam ipſum ei peccatum in juſtitiam cooperatur. Scimus enim, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Nonne cooperatur nobis ille caſus in bonum, unde & humiliores efficimur, & cautiores?*

(*c*) De Prierio Ord. Prædic. in lib., cujus titulus: *Aurea Roſa*, ſeu Expoſit. in Euang. totius an. tom. 1. in 4. Venetiis 1579., & antea edito.

(*d*) Serm. 75. de diverſis. *Si bene memini, in tota canone Scripturarum unum Latronem invenies ſic ſalvatum. Noli ergo huic tam periculoſæ expectationi credere temetipſum*.

(*e*) Serm. 351. de Pœnitentia num. 11., alias Homil. ult. inter 50. Homil. *Non ergo illi, quos monemus agere pœnitentiam, quærant ſibi comites ad ſupplicium, nec gaudeant quia plures inveniant. Non enim propterea minus ardebunt, quia cum multis ardebunt*.

(*f*) Collat. 5. cap. 25. *Si ſuperatus Gaſtrimargiæ*, ideſt Gulæ, *ſpiritus cœperit tibi ſua humiliatione blandiri, rogans quodammodo, ut aliquid relaxans a cœpto fervore, impertias ei, quod continentiæ modum, & menſuram juſtæ diſtrictionis excedat, ne reſolvaris ejus ſubjectione, nec arridente impugnationis ſecuritate, qua videris*

exeunt de caverna corporis vel ſenſualitatis, & improvidum animum & ſecurum obruunt. Dic: contra eos, qui ſtatim poſt lacrymas redeunt ad peccata; quorum finis pejor principio. Contra illos qui confitentur, & retinent domi concubinas. Iſidorus (*a*): Iraſcens eſt, & non pœnitens.

IN DOMINICAM III. QUADRAGESIMÆ

CONCIO QUARTA.

POSTILLA EUANGELII.

Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.
Lucæ 11. v. 15.

* CONCIO II.

I. POſtilla Euangelii brevis eſt: quod Phariſæi calumniabantur opera Chriſti. Sanavit Dominus dæmoniacum, cæcum, mutum, & ſurdum. Hoc quotidie facit. *Mat.12.* Cæcus eſt omnis peccator, quia non videt turpitudinem vitii, periculum minæ, paratum ſibi ſupplicium, & rationem ſtrictiſſimam ſuorum operum, quam redditurus eſt. Item: ſurdus eſt ad vocem Domini, & inſpirationem, ſurdus ad hominum increpationes, ſurdus ad clamorem conſcientiæ, quæ clamitat. O peccator ſurge. Mutus etiam ad Dei laudes, & ad confeſſionem ſuorum peccatorum. Sed expulſo dæmone recuperati ſunt ſenſus in illo dæmoniaco. Ita & in nobis, Fratres: nullum ſignum majus expulſi dæmonis, quam, ſi in homine eſt ſenſus Dei, ſi guſtamus de Deo, ſi delectamur in illo, ſi placent ſpiritualia, ſi cum gaudio auditur verbum Dei, ſi cum devotione oramus. Videte, Fratres, malitiam. Audite, obſecro. Quid potuit fieri magis glorioſum, magis pium, magis admirandum, quam expellere dæmonem, reſtituere viſum, liberare captivum? Et tamen hic adinvenit malitia quid diceret. Quid hic notari potuit, quid accuſari? Tamen invidia non quærit propter quid, ſed quid dicat. Alii dicebant: quod oſtentaret ſe in rebus & factis vilioris momenti; quaſi parum eſſet curare ægritudines. Diſcamus ex hoc, quoniam, quantumcumque ſis circumſpectus in opere tuo, quantumvis prudens, tamen non evitare poteris calumniam perverſorum. Ideo contemnendæ ſunt voces & murmurationes hominum, & ſoli Deo placendum. Quoniam, ut ait Pſalmus: *Deus diſſipat oſſa eorum, qui hominibus placent: confuſi ſunt, quoniam* *Pſal.52.*

A *Deus ſprevit eos.* Solus Judex, ſoli placendum Deo. Sic ſunt tamen hodie multi Phariſæi: ſi quis hodie humiliter, & ſimpliciter vivit, ſi quis dæmonem curat a ſe expellere, ſtatim hypocrita vocabitur & fictus. Adeo perverſum eſt ſæculum noſtrum, ut plurimos pudeat bene vivere, ne inhonorentur a cæteris, & fere non ſit licitum, bonum eſſe apud ſæculares; aut culpant opera bonorum, aut contemnunt.

II. Alii vero, ejus virtutem tribuebant Satanæ. Dominus non rejicit injuriam contra illos, ut faciunt nunc plurimum; ſed tri- *Mat.12.*
B bus rationibus oſtendit, quod non ſit Satanæ, & oſtendit falſam eſſe calumniam quam imponunt. Et rationes ſunt claræ in Euangelio. Prima: quia regnum ejus deſtrueretur. Secunda: quia filii veſtri in quo ejiciunt. Item: fortis armatus cuſtodit; ſed fortior ego vinco. Fortis diabolus, ſed fortior Dominus. De fortitudine dæmonis. *Sub ipſo erunt radii ſolis, & faciet lutum ex auro.* *Lucæ 11.* *Job 41.*
Quis radius ſolis niſi Juſtus ſplendens ſplendore ſapientiæ? Exemplum Salomonis curvati ante Idolum. Aurum eſt, pretioſa anima rutilans fulgore juſtitiæ. Facit lutum, *3. Reg. 11.*
C cum facit eam peccare. Exemplum David ſanctiſſimi. Hoc lamentatur Jeremias: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus!* *2. Reg. 11.* *Thren.4.*
Et poteris deducere per omnes ſtatus: jam non eſt devotio illa antiqua in ſtatu religioſorum, non eſt pietas & clementia in ſtatu regali, & potentium, non eſt fides in mercimonio, non eſt puritas in ſtatu eccleſiaſtico. Quare hoc? Quia lutum fecit ex auro. Sed *ſi fortior eo ſupervenerit;* audia- *Lucæ 11.*
mus Chriſti fortitudinem. Omnia quæ ſunt perfectionis in creaturis eminentiori modo ſunt Deo tribuenda, remota imperfectione.
D Exemplum, de eſſe: remota dependentia, mutabilitate, corruptione. Eſſe Dei independens, invariabile, æternum. Ideo dicebat: *Ego ſum qui ſum.* Hæc dices Pharaoni. *Exodi 3.*
Sed & Pharao dicet: ego ſum, qui ſum: independenter, & immutabiliter. Ad propoſitum, fortitudo in nobis eſt in perferendis periculis, & cum perſtamus immobiles in rectitudine juſtitiæ oblatis tormentis. Chriſtus, ſecundum Divinitatem non habet pericula. Ideo in eo fortitudo eſt ipſa conſiſtentia, & permanentia invariabilis. Sed ſecundum carnem habet, unde ſimiliter ad
E nos ſit fortis. Duo autem actus fortitudinis. Aggredi, & ſpectare. Secundus eſt eminentior. Ideo ipſi tribuendus. Spectando vicit, ſuſtinendo, moriendo, patiendo vicit. Habacuc: *Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit mors.* Exſpecta me o mors, *Habac.3.*

deris paulliſper a carnalibus incentivis factus quietior, ad priſtinam remiſſionem, vel præteritas gulæ concupiſcentias revertaris. Per hoc enim dicit ſpiritus ille, quem viceras: revertar in domum meam, unde exivi, & procedentes ex eo confeſtim ſeptem ſpiritus vitiorum erunt tibi acriores, quam illa paſſio, quæ in primordiis fuerat ſuperata, qui te mox ad deteriora pertrahent genera peccatorum.

(*a*) Cenſeo eandem repeti Iſidori ſententiam, quam ſupra ex Gratiano dedimus, *irriſor eſt, non pœnitens;* Typographi vero inadvertentia pro *irriſor*, aut *irridens*, editum fuiſſe *iraſcens:* tum quia in Iſidoro nihil de hoc reperio, tum quia *irridens* melius argumento quadrat, quam *iraſcens*.

nam mori paratus sum. *Et egredietur diabolus ante pedes ejus.* Victus est, qui est sub pedibus, quia fortior eo supervenit. Victa est mors, quæ fugit ante faciem; victus diabolus, qui exit a pedibus ejus. Omnia arma ejus disrumpet. Psalmus: *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum.* Luc. 11. Psal. 75.

III. O peccator jam post passionem confracta sunt arma. Quid times aggredi dæmonem? Hostem ipsum invisibilem, visibilis ipse vincere poteris, tu similiter confringes potentiam ejus. Arcum velociter sagittantem, id est, cogitationem subito percutientem appositio scuto resistentiæ. Confringes etiam gladium jugulantem. Gladius: *Rhomphæa bis acuta, omnis iniquitas.* Si tu scutum consensus opposueris sagittæ veloci: alias, si sagitta scutum debile perforaverit, anima jugulabitur. Maxima ergo culpa nostra est jam vinci a dæmone victo & superato. *Custodit atrium suum.* Quod atrium? Figura Joseph: *Do tibi partem unam quam tuli de manu Amorrhæi, in gladio & arcu meo.* Bernardus (*a*), *in parvis Sententiis folio centesimo vigesimo quarto.* Pars tua sumus, bone Jesu, quam tulisti de manu Amorrhæi, in gladio & arcu tuo. Gladius tuus, sermo vivus, & efficax. Arcus tuus, Incarnatio tua, &c. Pars tua ergo sumus, & *Populus acquisitionis.* Populus acquisitionis ejus sumus: suam creaturam acquisivit. Pro ea, quam creaverat, pretium sanguinis dedit. Sui eramus; sed per peccatum alienati ab eo, carius emit redimendo, quam fecerat creando. Psalmus: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Duplici ergo jure sui sumus: sui, quia facti: sui, quia empti. Acquisivit nos gladio verbi prædicationis, & arcu incarnationis. In isto arcu humanitas est brachium, Divinitas est chorda. O quantam extensionem, quantam torsionem in cruce corpus illud delicatum & tenerum sustinuit! Tandem fractum est brachium. Id est, dissolutum est in corpus, & animam: sed chorda adhæsit crenæ arcus. Id est unita animæ in inferno, & corpori in sepulchro. Sed iste fortissimus David pastor, de faucibus leonis diripiebat prædam, & maxillas leonis confringebat. Amos *tertio: Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israel.* Ecce, cum leo ille pessimus, omnia bona hominis gratuita devoraverit, & deglutierit Gen. 48. Heb. 4. (*a*) Ecc. 21. Luc. 11. 1. Petri 2. Psal. 2. 1. Reg. 17. Amos 3.

omnes animæ virtutes; valde lætatur pastor Christus, si tum inveniat de ove sua, duo crura, & extremum auriculæ. Quæ sunt duo crura in quibus sustentamur, nisi timor & spes? Quid extremum auriculæ, nisi velle audire verbum Dei? O! Non est diffidendum de anima etiam devorata a leone, si tamen vel ad minus sumpserit duo ista crura, & auris fuerit sana; per ipsam enim aurem intrabit medicina salutis ad animam, & recuperabitur. Hic est enim gladius Dei acutus, *& penetrabilior omni gladio ancipiti*, quo liberat de manu Amorrhæi. Surdus & mutus erat hic, quem Dominus curavit. Expulsus est dæmon, curata est surditas auris, & tunc apertum est os. Heb. 4. Luc. 11.

IV. O homo, si surdus es, ne contemnas aperire aures, ut recipias verbum Dei. Ipsum enim aperit claustra oris, ut confitearis. Psalmus: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Hugo Cardinalis (*b*): O magna repugnantia! Quomodo tacebat, si clamabat tota die? Aut quomodo clamabat tota die, si tacebat? Tacebat delictum, & clamabat delictum, quo magis peccator tacet de peccato, eo magis clamant peccata. O quam magni clamores sunt clamores peccatorum! Sic clamor Sodomorum, sic clamor sanguinis Abel. Magnus clamor homicidium, magnus clamor adulterium, clamat hypocrisis, clamat paupertum oppressio, omnia ista clamant contra te, & tu taces? Omnia petunt a Deo vindictam, & justitiam. Vide quanta adversum te adducunt testimonia. Et taces tu? Clama tu, silebunt illa. Taces tu, clamant illa. Convince clamorem peccatorum, clamore gemituum. Tacente ergo ore, clamat conscientia, aggravata pondere delictorum. *Inveteraverunt ossa*, id est, virtutes infirmatæ sunt. Peccator, ut ait Gregorius (*c*), liberatur de lacu peccati, sicut Jeremias missis funibus præceptorum, & pannis exemplorum. Si durum est præceptum appone pannum antiquum exempli. Quoniam homines erant etiam illi, qui sic fecerunt pœnitentiam. Psal. 31. (*b*) Gen. 18. Ibid. 4. (*c*) Jer. 38.

V. Post istas rationes dedit illis documentum corrigens eos, & ostendens periculum illorum, dicens: *Ideo dico vobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis* Mat. 12.

(*a*) In Sententiis, quæ extant vol. 2. pag. 523. num. 13. in edit. Mabillonii: neque enim ad manum mihi est antiqua editio a S. Oratore allegata.

(*b*) Aliter exponitur ab Hugone Card. vers. 3. Psal. 31. *Quoniam tacui*, inquit, *non confitendo peccata, vel tacui olim a confessione peccatorum ... Et ideo de ostentatione adjungit, dum clamarem per jactantiam tota die. Quasi dicat: in his duobus inveteratus, & debilitatus sum, quod mali copiam habui, utpote quod servavi occultum, & boni a contrario inopiam habui, quod pro laude vana venale exposui, & hoc non in parte, sed in toto: unde dicitur tota die, idest quidquid ibi lucidum, & pulchrum erat ostentavi.* Clamorem hunc de vana ostentatione exposuit pariter Incognitus cum Glossa. S. P. Augustinus vero de excusatione peccatorum illum intelligit.

(*c*) Moral. lib. 25. cap. 7. num. 17. *Quod autem divinis admonitionibus, & præcedentium exemplis adjuti, de hujus vitæ profundo liberamur, bene etiam Propheta Jeremia in puteum misso signatum est, qui ut levetur e puteo, funes ad eum, & panni veteres deponuntur ... Si ergo levari de hoc profundo festinamus, ligemur funibus, idest præceptis Dominicis adstringamur. Interstint etiam panni veteres, cum quibus melius teneantur funes, idest præcedentium confortemur exemplis.*

nis remittetur ei: Qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo neque in futuro. Vide ibi (*a*) expoſitionem hujus. Nota, quod ut ait Iſidorus (*b*), *de Summo Bono:* duplices ſunt peccatores. Quidam enim peccatum faciunt, & oderunt: in quorum perſona Apoſtolus: *Non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum illud facio.* Faciunt autem compellente eos paſſione, victi & ſuperati a tentatione ex infirmitate, aut ex ignorantia: quibus venia facilior, quia culpa excuſationem quandam habet. Pſalmus: *Impulſus, everſus ſum ut caderem, & Dominus ſuſcepit me.* Iſti enim ſtatim confunduntur; quia diſplicet eis malum quod fecerunt: amatores enim ſunt boni, quamvis ex infirmitate, & violentia operatores ſunt mali. Alii vero ſunt peccatores, qui non ſolum faciunt, ſed & diligunt peccatum. Adeo in eis malitia perverſa per exercitium peccatorum, & corrupta ratio eſt. O quot ſunt hodie peccatores, cum contemptu & riſu facientes deteſtabilia crimina, & cum plauſu & riſu gloriantes! Qui *lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis?* In quibus pejor eſt ipſe contemptus Dei, quam ipſum peccatum, quod committunt. Vilipendunt & pro nihilo habent minas Dei, & ſupplicia, & iram Dei incurrere. Et, quoniam progenies viperarum ſunt, venenum habent malitiæ in operibus ſuis: malum ſignum reprobationis. Iſti difficulter pœnitent; quoniam non odiunt malum neque deteſtantur. Quibus Dominus per Prophetam ait: *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Dic adverſus murmuratores, & detractores per gratiam. Adverſus gloriantes in ſpurcitiis. O miſerabilis, quid rides? Cui rogus ardet, deglutiturus te. O miſeri, quid dicetis *in die viſitationis, & calamitatis de longe venientis?* Quid dices blaſphemator? Quid perjure? Quid avare ſpoliator pauperum? Quid luxurioſe vivens in cœno? *Ad cujus confugietis auxilium?* Quia ſi ad Deum; iratus, contemptus. Si ad conſcientiam, ipſa pellet remorſibus, & foras mittet punitoribus. Si ad Chriſtum, plagæ teſtimonium dicent contra vos. *Ubi reponetis gloriam veſtram?* Pſalmus: *Qui diligitis Dominum odite malum.* Nam ſuum eſt, cuſtodire a malo, veſtrum eſt odiſſe. Pſalmus: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Uſque ibi: *Propterea deſtruet te.* Exaggera. Summa malitia diligere malitiam. Adeo, ut volens peccare venialiter, ſub ratione peccati, mortaliter peccet. Iſti ſunt, qui peccant contra Spiritum ſanctum; quoniam peccant ex malitia, & gratis faciunt peccatum, & ex contemptu. Sed quomodo intelligitur Littera: *Qui dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro?* Nota tres expoſitiones; Prima: quod non remittetur eis; quoniam Deus non permittit eos facere pœnitentiam, ſed ſicut Deum contemnunt, ita etiam a Deo contemnuntur. Secunda expoſitio: peccatum ex infirmitate vel ignorantia remittetur, id eſt, dignum eſt venia. Sed peccatum ex malitia non eſt dignum venia. Tertia eſt P. Auguſtini (*c*) dicentis: Quod ſcilicet finalis impœnitentia, eſt peccatum in Spiritum ſanctum, de qua notum eſt quod non remittetur. Vide Carthuſianenſem (*d*).

VI. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum.* Fortis iſte homo per arbitrium. Vide quanta fortitudo! Totus mundus non poteſt facere vim arbitrio. Bernardus (*e*): Hac quippe dignitatis prærogativa, &c. Sed tamen ipſa ſe mutat e loco ſuo, propter damnum quod recipit, ſi non armetur. Arma autem ſunt triplicia in homine. Naturalia, acquiſita, gratuita. Naturalia: ſyndereſis. Semper enim ratio ad optima deportatur, & bona inclinatio in pluribus. Acquiſita: virtutes. Apoſtolus, *ad Epheſios*: Lorica juſtitiæ, ſcutum fidei, galea ſalutis, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Ecce arma gratuita ſunt dona Spiritus ſancti, & virtutes infuſæ. His armis arbitrium tela ignita inimici ſuperat, ut ait idem Apoſtolus.

(*a*) Legendum *vide infra*, nam paulo poſt affertur interpretatio.

(*b*) De Summo Bono lib. 2. cap. 21. *Quidam & diligunt peccatum, & faciunt. Quidam diligunt tantum, & non faciunt: plerique vero faciunt tantum, & non diligunt. Nonnulli peccatum non faciunt, & tamen juſtitiam odiunt. Gravius autem peccat, qui non ſolum peccatum diligit, ſed & facit, quam qui non facit, & diligit; graviuſque interdum, qui diligit, & non facit, quam qui facit, & odit. Graviſſimum eſt non ſolum facere, ſed & diligere peccatum, nam ſunt quidam, qui confeſtim peracto flagitio confunduntur, & ſunt, qui non ſolum non dolent geſſiſſe malum, ſed etiam de ipſo malo opere gloriantur. Sicque ad comparationem mali fit deterius, dum de vitiis gratulantes extolluntur in pejus. De talibus ait Salomon, qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.*

(*c*) Serm. 71. de Verb. Euang. Matth. 12. cap. 12. num. 20. *Contra hoc donum gratuitum, contra iſtam Dei gratiam loquitur cor impœnitens. Ipſa ergo impœnitentia eſt ſpiritus blaſphemia, quæ non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro.*

(*d*) In Euang. Matth. cap. 12. verſ. 32. art. 24. *Qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, ideſt Chriſtum blaſphemaverit quantum ad ejus divinitatem ex pura malitia, dicendo quod in Beelzebub ejiciat dæmones, & dæmoniacus ſit, cæteraque opera Deitatis adſcribendo diabolo: non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro, ideſt numquam, quia nec in præſenti, nec poſtea, in inferno namque non eſt remiſſio, & talis in infernum demergitur, non in purgatorio collocatur.*

(*e*) Tract. de diligendo Deo cap. 2. *Dignitatem in homine liberum arbitrium dico, in quo ei nimirum datum eſt cæteris non ſolum præeminere, ſed & præſidere animantibus.* Et Serm. 81. in Cant. num. 7. *Hanc vim a natura ſolus homo non patitur, & ideo ſolus inter animantia liber. Et tamen interveniente peccato, patitur quamdam vim & ipſe, ſed a voluntate, non a natura, ut nec ſic quidem ingenita libertate privetur... Voluntas enim eſt, quæ ſe, cum eſſet libera, ſervam facit peccati, peccato aſſentiendo: voluntas nihilominus eſt, quæ ſe ſub peccato tenet, voluntarie ſerviendo.*

lus. Si vero non ſit armatus non poteſt diu conſiſtere ne labatur. Quoniam ſine gratia non poteſt homo diu evitare peccatum: ut (a) ait S. Thomas (a). Dices Originale Apoſtoli, *ad Epheſios ſexto: Propterea accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, &c.* Atrium proprie eſt primus aditus. Primum ingreſſum peccati devita, & facile vinces. Alias, forte eſt poſt primum ingreſſum. Pſalmus: *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos ſuos*. Scilicet; cogitationes primas, ad petram Chriſtum. Oportet decapitare pigmæos, ne fiant gigantes contra animam. Dominus ad Cain: Peccatum tuum in foribus: *Geneſis quarto*. Atrium, animæ, ſenſus: iſti ſunt quinque feneſtræ, per quas virus intrat ad animam. Mors intravit per feneſtras tuas: per has latrones quaſi per ſcalas aſcendunt, & deprædantur animam. Jeremias: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus urbis noſtræ*. Non ſolum autem per feneſtras dæmones intrant, & rapiunt animam, ſed & ipſa exit foras, extra ſe vagabunda, & ſic rapitur. Figura hujus: Dina filia Jacob, egreſſa eſt ut videret mulieres: oppreſſa eſt a Sichem filio Hemor. Ita anima curioſa, exiens ad creaturarum ſpecies curioſe ſpeculandas, ab aliquo appetitu, turpitudine vel cupidine elata rapitur & opprimitur.

(a) Ephes.6. Gen. 4. Jer. 9. Thren.3. Gen. 34.

VII. Caute ergo vigilare debet homo, & cuſtodire ſenſus ſuos. Habacuc: *Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum in munitionem*. Pondera verbum: *Super cuſtodiam*. Bona vigilia; vigilare ſuper ſe ipſum, eſt admodum neceſſarium. Comparatio. Si totus theſaurus Imperatoris traderetur uni præſidi fortalitii arietati, & inimici undique aſtarent, ut per porticus furarentur; quantum vigilare deberet. Fratres mei, quilibet noſtrum eſt præſes fortalitii ſui ipſius. Illi datus eſt in cuſtodiam theſaurus Regis. Attendite, Fratres, quod dico. Videte quam potens eſt Deus, quam opulentus conditione nimis. Et tamen totum ſuum ſtatum & perſonam poſuit & dedit pro anima tua. Apoſtolus: *Empti enim eſtis pretio magno*. Et habes eam illi reddere. Et habes in caſtello corporis quinque porticus reſeratas. Scilicet: quinque ſenſibus. Apoſtolus: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*. Iterum: *O Timothee, depoſitum cuſtodi*. Sequitur: *Ut videam quid dicatur mihi*. Id eſt: præceptum intelligam ad ſervandum. Pſalmus: *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam*. Sequitur: *Et quid reſpondeam*. Id eſt: ſi trangreſſus fuero præceptum, providebo quid reſpondeam ad argumentum in judicio. Scilicet: pœnitentiam pro quolibet peccato. Fratres mei, hoc ſapientis, & prudentis eſt; de quo ſcimus rationem ſtrictiſſimam quam reddituri ſumus Deo, ante providere ipſam. Diſcurrere per vitam, numerare peccata, & pro quolibet ſigillatim facere pœnitentiam, ut poſſimus reſpondere ad argumentum. Exemplum hujus de monacho prope mortem reſpondente diabolo accuſanti. Duo puncta. Primum: quare nullus eſt agitatus ſicut dæmoniacus. Secundum: quare, cum dæmon, plus animam quam corpus deſideret, ab anima tam facile, & a corpore tam difficile exeat? Ad ſecundum: ne ſit excuſatio peccatorum, quia tam facile potuit liberari. Et ut credo, hoc damnatis maximam triſtitiam, & furiam conſcientiæ cauſat. O quàm præpotens eſt una lacrymula, unum ſuſpirium! Et nos iſtos gemitus volumus devitare: tam facile remedium tanti mali.

1.Cor.6. 2.Cor.4. 1.Tim.6. Habac.2. Pſ. 118. Habac.2.

IN FERIAM TERTIAM
POST DOMINICAM III. QUADRAGESIMÆ
CONCIO.

Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?
Matth. 18. v. 21.

* CONCIO LII.

I. TRACTATUR in lectione Euangelica, quomodo nos debeamus habere cum proximis noſtris in injuriis ſive corripiendis, ſive dimittendis. De correptione ait: *Si peccaverit in te frater tuus*; noli conqueri, noli diffamare: *ſed increpa eum inter te & ipſum ſolum*. Separa in ſecreto & dic ei blande: hoc agitis contra me inique & injuſte: non tam doleo de meo damno, quam de veſtro peccato. Non procedatis ultra. *Si te audierit lucratus es fratrem tuum*. Patet, inquit Pater Auguſtinus (b), quod non propter te, ſed propter ipſum corripis. Non ait: ſi te audierit, remediaſti damnum tuum. Unde Jacobus: *Qui con-*

Mat. 18. (b)

(a) Id probat Angelicus Doctor 1. 2. q. 109. art. 9.
(b) Serm. 82. de Verb. Euang. Matth. 18. cap. 4. num. 7. *Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam non pro nobis, nam glorioſum eſt injurias obliviſci: ſed obliviſcere injuriam tuam, non vulnus fratris tui. Ergo corripe eum inter te, & ipſum ſolum, intendens correctioni, parcens pudori.*

Jacob. 5. *converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſcire debet, quoniam ſalvabit animam ejus a morte, & operit multitudinem peccatorum ſuorum.* Quæ duo lucra tam grandia, liberare animam, & reperire indulgentiam. *Si te non audierit. Adhibe tecum adhuc unum, vel*
Mat. 18. *duos* teſtes propter duo. Primo: ne ille ſtatim prodatur omnibus. Secundo: ad tuam cautelam; ut cum accuſaveris non habearis calumniator. *Quod ſi non audierit, dic Eccleſiæ.* Scilicet: ut corripiatur. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Quam conſulte totum hoc vult Dominus, nos habere curam de proximi fama; non ſtatim prodere, ſed corripere in ſecreto, & coram duobus. Quod ſi non corrigitur, jubet prodi: prodatur fama, ne prodatur anima. Et ſicut medicus corporale vulnus prius curat oleo & emplaſtro; deinde: ſi turgidum eſt, curat cauterio; deinde, tamquam putridum ſecat a corpore, ne totum corpus inficiatur: ſic vulnus peccati. Primo curandum eſt oleo & emplaſtro ſuavi correctionis. Secundo cauterio caſtigationis ab Eccleſia. Tertio rejiciendum ut putridum excommunicatione. In lege veteri, qui non obediebat Sacerdoti ſummo, præcipiebatur
Deut. 17. occidi. In Euangelio præcipitur excommunicari. Sed ne diceret aliquis: quid ad me excommunicatio hominum, ſi Deus non me
Mat. 18. pellit a ſe; ideo adjungit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo. Et quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Quæ Eccleſia fecit in terra, rata habentur in cœlo, ſive ligando, ſive ſolvendo. Videant qui excommunicationes contemnunt: attendant etiam qui facile excommunicant homines. Non niſi pertinax excommunicandus eſt, & pro mortali. Unde ait: *Si Eccleſiam non au-*
(a) *dierit.* Unde ex ſtatuto Eccleſiæ (*a*) primo monendus eſt trina canonica monitione præmiſſa. In hoc textu maxime fundatur poteſtas juriſdictionis. Quam apertum teſtimonium contra omnes Lutheranos & omnes hæreticos. Hæretice tecum non diſputo: ſufficit mihi authoritas Euangelii: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Sufficit mihi, quod non audis Eccleſiam, ut ethnicum te putem. Sed dices: & quid eſt Eccleſia? Attende quod præcedit: nec enim debeo circuire totum mundum, ut proximi peccatum denunciem; Eccleſiam vocat Prælatos Eccleſiæ, qui Eccleſiæ Dei præſunt. Si hos non audis, hæreticus es. Di-

A ces: hoc præcipit Dominus in proximi injuria. Quam levis & ſtulta reſponſio: ſi in læſione proximi ſtandum eſt judicio Eccleſiæ; nonne multo magis in fide & peccato contra Deum? An non etiam injuria proximi offenditur Deus? Quanto magis, quod illud quod dicit hic: *Si peccaverit in te frater tuus;* de *Mat. 18.* omni peccato quod fit coram proximo, ſive ipſo ſciente, intelligendum eſt? Non enim minus peccat in proximum, qui eum ſcandalizat, quam qui rapit vel facit injuriam. Unde bene exponunt Sancti (*b*): *In te.* Id (*b*)
B eſt, coram te, te ſciente. De correctione fraterna, quando debeat fieri, & quomodo, & quando obligat, licet materia utilis ſit, pro nunc non eſt locus differendi.

II. Occaſione horum verborum Petrus interrogat: *Domine, quoties peccabit in me fra-* *Ibidem.*
tres meus, & dimittam ei? Uſque ſepties? Non quærit an dimitteret, quia pro certo habebat; ſed quoties? Dominus locutus fuerat de correctione, ille quærit de venia. Cui Dominus: *Non dico uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Id eſt: *Quoties* peccaverit: *Toties* ignoſce. Lucas addidit: *Si* *Lucæ 17.*
pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et ſi ſepties
C *in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi.* Quod Matthæus dixit abſolute, Lucas dicit ſub conditione, ſi pœnitentiam egerit, ſi petierit veniam. Unde, pro hoc notandum eſt, quod ſecundum doctores (*c*), (*c*)
in 3. ſent. diſt. 30. Ex proximi injuria, tria ſolent provenire. Odium interius, inimicitia exterior, & damnum perſonæ, famæ, vel honoris. Odium quilibet Chriſtianus ex præcepto Domini tenetur dimittere abſolute, ſive corrigatur, ſive non, ſive petat veniam, ſive non petat: quia nullo modo, nulla ra-
D tione propter meum incommodum licet odiſſe proximum. Nam, *qui odit fratrem ſuum* *1. Jo. 3.*
homicida eſt animo. Sicut, qui concupiſcit *Mat. 5.*
uxorem proximi ſui adulter eſt animo. Secundum; eſt exterior inimicitia: quæ eſt, non loqui, non occurrere illi, non ſalutare ſalutantes, oſtendere illi vultum & geſtum injuriati. Hanc non tenetur dimittere niſi petat veniam, & humilietur, offerat ſatisfactionem quam poteſt pro injuria. Tenetur dimittere & alloqui, & reſpondere ſalutatus. Et quoad cætera ſigna generalia amicitiæ, quæ exhibentur cuilibet Chriſtiano; non tamen quoad familiaritatem & ſpecialia ſigna. Unde ſecundum S. Antoninum (*d*), *in 2. p. tit.* 8. Quando non pe- (*d*)
tit

(*a*) Can. *Omn.* 5. 16. q. 7. Can. de Presbyt. 23. 17. q. 4. cap. *Contigit* cap. *Sacro* de Sent. Excomm. cap. *Romana* de Sent. Excomm. in 6. cap. *Cum ſpeciali* de Appellat.

(*b*) Ita S. Parens Auguſt. Serm. 82. de Verb. Euang. Matth. 18. cap. 7. initio: *Quid eſt in te peccavit? Tu ſcis quia peccavit. Quia enim ſecretum fuit, quando in te peccavit, ſecretum quære, cum corrigis quod peccavit.* Gloſſa: *Si autem peccaverit in te frater tuus, ideſt te ſciente.* Hanc tamen expoſitionem rejiciunt a Lapide, & Maldonatus.

(*c*) Simile habet S. Antonin. p. 2. tit. 8. §. 6. *Ex illatione injuriæ quatuor ſolent oriri in homine. Primum eſt odium, ſive rancor in corde; ſecundum eſt effectus odii in opere; tertium eſt ſignum rancoris in ore; quartum eſt actio injuriæ.*

(*d*) Loco paulo ante citato. *Aut injuriator exhibet condignam ſatisfactionem, aut non. Si exhibet ſecundum quantitatem culpæ, ſupple & poſſibilitatem ſuam, ſic tenetur ad amicitiam recipere, & ei loqui. Unde*
Augu-

tit veniam, & non offert ſatisfactionem plenam, non tenetur ei loqui, ſed ſi offert tenetur. Quamquam de hoc ſecundo varie (a) loquantur Theologi (a). Videant, qui ſolo rejecto odio communicant, non loquentes proximo ſatisfacienti, quomodo ſervant hoc Euangelium? Si converſus petit veniam *Lucæ 17.* ſepties dimitte illi. Tertium; eſt damnum, & actio injuriæ. Hoc non tenetur aliquis proximo dimittere etiamſi petat veniam. Exemplum de Officiali, ſi fuerit claudus, inhabilis ad ſuum officium, non tenetur dimittere; ſed poteſt petere damnum & injuriam coram judice. Nulli autem conceditur in Euangelio, quod ipſe vindicet. Scriptum eſt: *Mihi vindicta*. Mihi, inquam, *Rom. 12.* & his qui loco meo in terris conſtituti ſunt *1. Petr. 2.* ad laudem bonorum & vindictam malorum. Hoc jubet Dominus, hæc lex Euangelica eſt. Quam ſancta, quam bona, quam ſuavis, quam recta! Pſalmus: *Lex Domini im- Pſal. 18.* *maculata*. Injurianti præcipit ut petat veniam: nec ante ſuſcipit munus de manu ejus, *Mat. 5.* nec recipit oblationem, quam proximo reconcilietur. Non recipit eum in ſuam amicitiam Dominus omnium, niſi prius amicus fratris factus fuerit. Quanta humilitas, quanta urbanitas! Similiter & injuriato præcipit: ut petenti veniam dimittat, ſicut & *Ibid. 18.* ipſe vult ſibi a Domino peccata dimitti.

III. O ſi hæc lex ſervaretur! In quanta pace & fraternitate & concordia viveremus! Quanta tranquillitas eſſet in Eccleſia! Videant nunc, qui ſtatuerunt in corde ſuo nulli parcere injuriæ, nullam injuriam ſibi factam relinquere ſine vindicta, quam longe ſint a lege Dei, quam longe ab Euangelio & Chriſtianitate. Hæc, inquiunt, eſt lex militum. Eſt lex infernalis, lex diabolica, lex ſatanica, lex cæca, quæ magnam & inſignem virtutem clementiam, benignitatem, patientiam, manſuetudinem, qua nihil præclarius, nihil præſtantius, nihil illuſtrius, nihil favorabilius, reputat infamiam, puſillanimitatem, timiditatem, ignobilitatem. Quomodo, obſecro, legem Dei ſervabit, quomodo evadet gehennam miles, qui a pueritia ſic inſtitutus eſt, ut nihil ſufferat, nullam injuriam ſibi relinquat, quam non vindicet, & hoc animo decernit, & putat honorem? Non, inquiunt, es miles ſi non vindicaveris. Ego dico: imo, ſi vindicaveris non es miles. Omitto nunc legem Dei ſanctiſſimam & juſtiſſimam: philoſophice loqui volo & oſtendere tibi, quod hanc, quam reputas infamiam, ſummus honor & nobilitas eſt, & e contrario, quem reputas horem, ſumma puſillanimitas eſt & vilitas. Sed ad probandum hoc oportet dicere, quid ſit ira, & ad quid data eſt hominibus ira a natura. Ira, ut ait S. Thomas (b), eſt ap- (b) petitus vindictæ, vel inflammatio ſanguinis circa cor ad ſumendam vindictam de nocivo. Unde ira naturaliter data eſt animantibus, quaſi patronus naturæ ad conſervationem ſui, ut ait S. Bonaventura: ut defendant ſe contra nociva. Sic namque natura armavit animalia ira contra nocumenta, ut ſe conſervarent. Ex quo patet, quod ira non eſt de ſe mala, quia naturalis & neceſſaria eſt animanti: ſed quando eſt contra rationem. Non eſt verum quod Stoici dixerunt: iram, timorem, gaudium, triſtitiam, ſpem, & cæteras paſſiones humanas, eſſe ægritudines animorum, & ſemper eſſe malas & abjiciendas. Unde ſapientem omnibus his nudare volebant, & facere truncum ex homine. Iſtæ paſſiones naturales ſunt bonæ, ſi bene utantur eis: nam, ſi ira non eſſet aliquando bona, numquam Dominus iratus fuiſſet. Legimus enim eum aliquando iratum; cum ſcilicet ejiceret vendentes de Templo. Quando dicebat: Generatio prava, atque *Mat. 21.* perverſa, uſquequo patiar vos? Quamdiu ero *Ibid. 17.* vobiſcum? Cum ait Petro: Vade Satana: *Ibid. 16.* ſcandalum mihi es; non ſapis, quæ Dei ſunt. Et expreſſe ait Marcus: aſpiciens eos in ira. *Marc. 3.* Si ira non eſſet bona, non placaſſet Dominum Moyſes occidendo magnam partem *Exodi 32.* populi pro vitulo. Nec Phinees occidendo profanos carnales; quorum oppoſitum legimus in Scriptura: *Et ſtetit Phinees, & placavit, & ceſſavit quaſſatio*. Iraſci adverſus *Pſ. 105.* propria peccata & contra peccata aliena, & odiſſe illa, bona ira eſt, ſancta, & juſta. Pſalmus: *Iraſcimini & nolite peccare*. Hi *Pſal. 4.* ſunt vere inimici qui auferunt gloriam, condemnant gehennæ, occidunt animam, ſpoliant gratia; contra hos iraſcere. Similiter contra aliena peccata, qui dicitur zelus ſanctus & bonus. Pſalmus: *Nonne qui oderunt* *Pſ. 138.* *te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi*.

IV. Ira ergo paſſio quædam naturalis eſt: bona, ſi bene utantur ea, data animanti in defenſionem ſui, ad ſui conſervationem. Ex quo provenit ordinarie, & regulariter, quod ubi multa potentia, ibi modica ira, ubi pauca potentia, ibi multa ira. Nam animal forte, quod facile ſe poteſt defendere a quolibet nocivo, non indiget armari tanta ira, ſicut animal debile; & ſic, ubi multum potentiæ, ibi parum iræ. Unde elephas magnum

---

Auguſtinus: Memento cito ignoſcere, ſi quis in te peccaverit, & a te veniam poſtulaverit. Si autem non exhibet, non tenetur ei loqui, quando ſcilicet ſatisfacere aut omnino non vult, aut ſemiplene.

(a) De ſignis particularibus benevolentiæ agentes Theologi quamplures recte diſtinguunt. Si enim particularia hæc ſigna neceſſaria non ſint ad removendum ſcandalum, aut ſuccurrendum ſaluti corporali, aut ſpirituali inimici, ad ea non tenemur; ſi vero ob aliquod ex prædictis neceſſaria ſint, ad ea tenemur. Advertunt etiam ſigna hæc particularia talia eſſe relate ad aliquas perſonas, communia vero relate ad alias, juxta perſonarum diverſas conditiones.

(b) Satis fuſe tractat de paſſione iræ Angelicus Doctor 1. 2. quæſt. 46. 47. & 48. per tot. unde hauſta eſt a S. Oratore ejus definitio, quam hic tradit.

gnum & forte animal, mitiſſimum eſt. Adeo ut ad bellum egeat acui ſanguine morum, ut dicitur *in libro Machabæorum*. Similiter vertagus (*a*) magnus, parum iræ: ſed catellus debilis, totus eſt ira. Similiter in rationabilibus: mulier, quia infirma, naturaliter eſt iracunda. Eccleſiaſticus: *Non eſt ira ſuper iram mulieris*. Similiter homines parvi modicarum virium ordinarie ſunt iracundi. Magni cordis, tardiſſimus eſt ad iram; adeo, ut provocatus vix iraſcatur. Et hoc rationabiliter: nam in grandi virtute non ſuſcitatur ira, quia non reputat nocumentum, ſicut parva virtus. Unde leo non iraſcitur, etſi multi catelli poſt ipſum latrent: quia contemnit ſciens, quia non ſufficiunt illi nocere. Ex his apparet clariſſime, quod eſſe iracundum, vindicativum, nihil ſufferre, nihil parcere, ſignum eſt, indicium eſt modicæ potentiæ, modicæ virtutis, parvi cordis, eſſe hominis vilis & puſillanimis: & e contrario; patientia, manſuetudo, ſignum magnæ fortitudinis & magnifici cordis eſt. Quod ſi in ira & vindicta nobilitas & fortitudo conſiſtit, profecto mulieres nobiliores & honorabiliores ſunt omnibus viris, quia iracundæ ſunt & vindicativæ. O præclara & honorabilis virtus manſuetudo & clementia! Virtus nobilis, virtus generoſa, virtus regia! Unde David Rex, qui leonem dilaceravit, qui Goliath interfecit, qui ſolus pro decem millibus computatur, ſicut dixit illi Joab: & tamen hic de ſe ait: *Memento Domine David & omnis manſuetudinis ejus*. Sicut Moyſes Dux populi Dei (teſte Scriptura) mitiſſimus erat omnium hominum, qui fuerunt in terra. Sic Salomon Rex; unde de illo dicitur: *Dedit ei Dominus latitudinem cordis*, ſicut *arenam, quæ eſt in littore maris*: ſcilicet ad omnia toleranda. Omitto nunc Principes Catholicos; ad Paganos attendamus. Dic mihi utrum nobilior Lucius Silla carnifex ſanguinolentus, qui nulli pepercit; an Julius Cæſar, qui non ſolum pepercit injuriis, ſed etiam inſtituit dignitates, imo promovit aliquos ex contrariis? Unde ergo tanta cæcitas & inſania, ut non parcere, non ſufferre cenſeatur nobilitas & generoſitas in populo Dei, lege Dei contrarium præcipiente; cum ſit maxima puſillanimitas & infirmitas & vilitas? Quid namque vilius homine, qui ad omne verbum leve excandeſcit, iraſcitur, ebrius eſt ira, & fit extra ſe, & ſtatim mittit manum ad pugionem; homine contentioſo, qui etiam joco, verbo excandeſcit, & vindicare honorem putat? Quis cum hujuſmodi homine vellet converſari? Aut habere amicitiam, qui adeo periculoſus eſt? Cum homine iracundo noli eſſe. *Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo, ne forte ſumas ſcandalum animæ tuæ.* Non enim eſt dominus cordis ſui, & inebriatus iracundia, in caput tuum operabitur vindictam. Dices: ſi putarent gentes, quod pro Deo fiat, ex virtute facerem. Sed putabunt, quod ex timore & ignavia. Reſpondeo: boni putabunt, mali non. Sufficit ſatisfacere bonis, & putet mundus quod vult. Ignoſcere eſt Chriſtianitas, virtus, & nobilitas.

V. Sed forte dices; ſi hæc lex Dei ſervaretur, deſtrueretur omnis politia, periret mundus, daretur occaſio malis; nam, ſi nullus vindicaret injuriam, ſed parceret poſcenti veniam, quanta mala, quot mortes fierent quotidie? P. Auguſtinus (*b*): Quidam dicunt legem Dei eſſe contrariam politiæ; ſed errant. Imo optima & excellentiſſima eſſet politia, ſi lege Dei regeretur. Non dicit lex ut non vindicentur peccata & injuriæ: ſed ut tu non vindices. Judex enim ad hoc poſitus eſt: ad laudem bonorum, & vindictam malorum, ut ait Apoſtolus. Illius officium eſt, coercere, punire malefactores, non tuum. Unde videant Judices, ne in hoc ſint negligentes. Hoc enim facit ſæpius homines deſumere propria manu vindictam, quia non fit juſtitia. Unde Rex ille juſtus de ſe dicebat: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut diſperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem:* maxime quoſdam irritatores, qui pro officio habent facere injurias & laceſſere bonos, homines ſcandaloſos, ſeditioſos, pernicioſos civitati. De Julio Cæſare, Seneca: Omnium memor (*c*) erat injuriarum. O præclara laus! Multa ſunt, quæ nos debent permovere ad ignoſcendum. Scilicet: pax & quietudo cordis. O quam inquieta & turbata eſt anima, in qua eſt odium! Quomodo eam adurit, quomodo eam vexat & perturbat ille furor infernalis! Non dormit nocte cogitando mille vindictas & imaginando, quomodo effundat fratris cruorem. Pſalmus: *Gladius* impiorum *intret in corda ipſorum*: prius tranſverberet animam propriam, quam corpus alienum. Si non parcis proximo, parce tibi. Sapiens: *ſemper præſumit ſæva perturbata conſcientia*, ſcilicet: odio. Odium prius torquet habentem, & de ſeipſo facit vindictam, quam de inimico. O quantas moleſtias ſuſtinent, qui habent inimicitias! Quot inſultus, quot timores, ac tremores! Semper armati, comedunt inſipide, non dormiunt ſecuri. Ultima horum; millenæ expenſæ, milleni modi, milleni labores, ut aſſocientur, milleni ſuperventus: non movetur folium, non auditur ſonitus, quem non putet inimicum. O vita miſera, vita infelix & intolerabilis! Omnia hæc facile poterant evitari a principio, ignoſcendo. Quod ſi conſecuti vindictam;

Machab. 6.

(*a*)

Eccli. 25.

1. *Reg.* 17. *Ibidem.* 2. *Reg.* 18. *Pſ.* 131. *Num.* 12.

3. *Reg.* 4.

Prov. 22.

1. *Pet.* 2.

Pſ. 100.

(*b*)

(*c*)

Pſal. 36.

Sap. 17.

(*a*) Canis venaticus, qui ſua ſponte venatur.

(*b*) Extat inſignis Auguſtini de hac re doctrina Epiſt. 138., alias 5. num. 14. & 15.

(*c*) Puto legendum *immemor*. Vide Senecam lib. 2. de Ira cap. 25. in fin., ad quem locum forte alludit S. Orator.

ctam; oportet dimittere domum, uxorem, filios, perdere ſubſtantiam, & patriam, & longo tempore exulare. Propter quid hæc omnia? Nonne melius & facilius injuriam diſſimulare, quam obligare ſe ad hoc?

VI. Secundo: movere debet ingens compenſatio, quam Deus ignoſcentibus promittit dicens: Si dimiſeritis hominibus, & Pater veſter dimittet vobis: & ſi non dimiſeritis, neque Pater veſter dimittet vobis. O quam bona commutatio! Ut propter levem injuriam tanta crimina dimittantur! Quis non vellet habere cui parcat tanto commodo? Chryſoſtomus (*a*): Judicium tuum & ſententia tua o homo, o peccator in manu tua poſita eſt. Vis dimitti, vis ignoſci, non ſolum ex qualitate peccatorum, ſed ex judicio tuo ſententia tua dependet; ſicut ſcriptum eſt: *In quo judicio judicaveritis, judicabimini*. Unde, ſi ſeverus es in proximum, non ignoſcendo, ſeverum Judicem reperies Deum. Sic enim ait: Si non dimiſeritis, neque Pater veſter dimittet vobis. Cum ergo ſevere agis cum proximo, teipſum condemnas coram Deo. Meminiſſe te oportet illius Euangelicæ Parabolæ Domini, qui dimiſit ſervo tot talenta, & poſtea eadem repetiit uſque ad ultimum quadrantem a ſervo impio ſevere agente cum proximo ſuo. Si ergo te hic vindicaveris; ſcito, quia Deus ſe in te vindicabit: hoc cum facis, tu promereris. Tertio: movere debet exemplum Chriſti. Nec ſervus major Domino ſuo. O Chriſtiane! *Reſpice in faciem Chriſti tui*. Attende ad Deum tuum & Magiſtrum tuum. Quanta ſuſtinuit, quantas injurias, quanta opprobria, tormenta, mortem quoque turpiſſimam a ſubditis ſuis, quibus tanta præſtiterat beneficia? Ubi legiſti eum quærentem aut petentem vindictam? In cruce pendens, Sanguine totus perfuſus ad Patrem ait: Pater ignoſce. Nec ſolum oravit, ſed etiam flevit: nam, magnam catervam illorum qui clamaverant: *Crucifige crucifige*; convertit ad fidem, & dato Spiritu ſancto ſibi reconciliavit, & ſanctiſſimos effecit. Ejus Sanguis effuſus ſuper terram, non ſicut ſanguis Abel vindictam, ſed miſericordiam (Apoſtolo teſte) clamat coram Deo. Et ſicut ait Petrus: *Cum malediceretur, non maledicebat*. Non legiſti cum tranſiret per civitatem Samaritanorum, & nollent eum recipere, & Joannes & alius Diſcipulus dicerent: Vis dicamus deſcendat ignis de cœlo & comburat eos; quomodo eos appetentes vindictam increpavit dicens: *Neſcitis cujus Spiritus eſtis*. Et tu diſcipulus Chriſti, de ſchola Chriſti, audes attentare vindictam, & eam a tam pio Domino petere? Dices: Pater, ego lego eam ſæpius in Pſalmis: *Erubeſcant & confundantur inimici mei*. Reſpondet Caſſianus (*b*): Prophetia, ſæpius cum loquitur per modum deprecantis; intelligenda eſt per modum enuntiantis: & loqui de inimicis Chriſti, non de ſuis. Sicut in Pſalmo: *Deus laudem meam, &c.* Aliquando eum deprecatur, ut diſperdat inimicos in veritate ſua, ſcilicet amicos juſtificando, illuminando in fide. Aliquando loquitur contra vitia. Illa ſunt veri inimici, illa quæ tollunt gratiam, tollunt gloriam, infernum aperiunt, faciunt inimicum Deo. Contra eos vindica te, diſperde, deſtrue, occide, contra hos eſto crudelis, & invenies apud Deum gratiam & gloriam. Quid contra fratrem iraſceris? Non te perſequitur, quod fecit Deus; ſed malitia, quam fecit homo ille inimicus. Illam deſtrue, perſequere. Sed audi, quomodo. Si eguerit inimicus tuus ciba illum, & carbones ignis congeres ſuper caput ejus, quibus comburetur iniquitas. O præclaram vindictam dignam Chriſtiano! Apoſtolus: *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum*. Quam confuſus, quam convictus & converſus manebit inimicus! Sic Chriſtus ſe vindicavit: ſic tu quoque ut diſcipulus ejus; & Dominus reddet tibi. Quid reddet? Hic gratiam, poſtea gloriam: ad quam nos perducat Jeſus Dominus noſter. Amen.

Mat. 6. *Ibid. 7.* *Ibid. 6.* *Ibid. 18.* *Jo. 13.* *Pſal. 83.* *Lucæ 23.* *Ibidem.* *Gen. 4.* *Heb. 12.* *1. Petr. 2.* *Luca 9.* *Pſal. 6.* *Pſ. 108.* *Pſal. 53.* *Rom. 12.* *Ibidem.*

IN

(*a*) De Compunct. cordis lib. 1. paulo ante medium. *Numquid tu ita vis tibi propitium fieri Deum, ut non quidem te lædat, avertat ſe tamen abs te, & peccatorum tuorum memoriam gerat, & te videre nolit? Igitur qualem vis erga te eſſe Deum, cum delictorum veniam poſcis: talem te exhibere debes his, qui deliquerunt in te.*

(*b*) De hoc actum jam eſt in notis ad Conc. in Fer. 6. poſt diem Cinerum.

IN FERIAM SEXTAM
POST DOMINICAM III. QUADRAGESIMÆ
CONCIO.

DE DUPLICI CONSOLATIONE ANIMÆ, TERRENA ET SPIRITUALI. ET DE DONO LACRYMARUM.

Omnis qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum: Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.
Joann. 4. v. 13. & 14.

Concio LIII.

I. DUplex nobis aqua in themate proponitur: una, quæ ſitim non ſatiat, quæ eſt hæc mundana, & terrena conſolatio: altera, quæ ſitim ſatiat, & fit in bibente, *fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, quæ eſt ſpiritualis animæ conſolatio: de quibus erit totus ſermo. In hac muliere Samaritana nobis proponitur forma quædam, & effigies animæ mundanæ, ſæcularis, peccatricis: quæ arida, & ſitibunda, præ nimia ſiti fatigata, oneroſiſſima, & inexplebili hydria cupiditatis, & concupiſcentiæ onerata, deſcendit ad puteum hujus ſæculi, ad hauriendam aquam conſolationis, & voluptatis ex creaturis, ut refrigeret, & ſatiet ſitim ſuam. In hoc univerſa ſæcularium induſtria, omnis labor, omne ſtudium, omnis cura, & opera impenditur: hoc eſt, quod cum tanta agonia, & anxietate, & labore univerſi homines mundani perquirunt, & in quo tota eorum vita conſumitur: quærere videlicet conſolationem, voluptatem, quietem, ut læte, & jucunde pro libito vivant. Hanc alii in divitiis, alii in honoribus, alii in venereis voluptatibus, alii in ludis, & venationibus, veluti in diverſis puteis, & fontibus, quærunt: omnes tamen hoc unum quærunt, ut ad placitum vivant. Unde eis hæc tam rabida, & inexplebilis ſitis? Utique; quia anima eorum quinque viris, id eſt, quinque ſenſibus corporeis nupſit, atque eis nimium conjuncta, & alligata eſt. Inde appetitus inſatiabilis videndi, audiendi, guſtandi. Et quantumcumque videat, & audiat; tamen non ſatiatur oculus viſu, neque auris impletur auditu. Numquam iſta hydria plena eſt. O quam felix, quam ſapiens, quam pacifica, & quieta eſſet anima, ſi in humano corpore a Deo illuminata, ſine ſenſibus viveret: vel potius, ſi a ſenſibus iſtis voluntarie alienata, eis uti deſpiceret! Cæcos quotidie intellectu ſubtiliores, & perſpicaciores videmus, propterea, quia anima intra ſeipſam collecta, ſuo naturali lumine fortius viget:

Jo. 4.

Eccl. 1.

A unde, ſi Platoni credimus: nihil eſt, quod magis hominem infatuet, & a vera ſapientia alienet, quam corporalium ſenſuum nimia curioſitas. Ab hac ſitis, & rabies illa mortalium inexplebilis. O anima miſera, & fatua, quid anxiaris? Quid fatigaris? Quid ſatietatem quæris, ubi non eſt? An ignoras, quod aqua iſta maris ſalſa, & turbida ſitim non ſedat, ſed provocat: non extinguit, ſed inflammat? Ut quid cæca, & inſipiens relicto tuo naturali potu, alienum, & extraneum quæris? Hæc aqua quam ſitis, corporum non ſpirituum potus eſt. Quid tibi, & divitiis? Quid tibi, & auro, & argento, & voluptatibus obſcœnis? Egredere egredere de tabernaculo iſto, & videbis, quam nihil ad te pertineat, quæ tam anxie, & miſere concupiſcis.

B

II. Hic eſt maximus mortalium error, quod cum homo ex anima, & corpore conſtet, & nobilior multo principaliorque pars hominis anima ſit, hac contempta, ſolis nutriendis, vegetandiſque corporibus tota vita incumbunt. Sicut Job, de adultero ait: *Pavit ſterilem, quæ non parit, & viduæ bene non fecit.* Unde anima ſuo nativo illo cibo potuque privata, ſemper arida, ſitibunda, famelica, per corporeas creaturas vagatur, mendicans ab eis aquæ guttulas, ut refrigeret ſitim ſuam. Quam potenter Dominus per Prophetam ſuper hoc mortalium errore exclamat! *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Aquam mundiſſimam, limpidiſſimam, clariſſimam, dulciſſimam, ſaluberrimam fontis vitæ, gratis oblatam neglexerunt, & cum magno labore foderunt ſibi ciſternas perforatas, ut bibant ex eis aquam turbidam, fœtidam, putridam, mortiferam, venenatam. Quanta cæcitas, quanta ſtultitia hæc! Vere ciſterna diſſipata, honor, ciſterna perforata, voluptas, divitiæ, & omnis proſperitas mundialis. Non valet aquam continere: triduo placet, & ſtatim evaneſcit omnis illa conſolatio, & faſtiditur, & diſplicet. Experientiam

C

Job 24.

Jer. 2.

D

tiam consulito: multo tempore laborasti, & sudasti, ut dignitatem, vel officium, vel Episcopatum obtineas: quo obtento, post mensem, vel annum eum pro nihilo habes, & fastidis: anxie desiderasti mulierem tibi gratam, & dilectam in uxorem accipere: accipis eam, & post modicum, vel contemnis, vel negligis. Vidisti pulchram hæreditatem, placuit oculis tuis, & multo pretio emisti eam, ad modicum lætatus es, & statim viluit. Talis enim est omnium temporalium bonorum conditio, ut Gregorius (*a*) ait: Non habita desiderantur, habita fastidiuntur. Solus Deus est, qui, quo plus gustatur, eo amplius esuritur; sicut ipse ait: *Qui edunt me, adhuc esurient: Et qui bibunt me, adhuc sitient*. Omnis itaque prosperitas mundialis cisterna perforata est, aquam illam putridam voluptatis, quam ad modicum exhibet, diu in se continere non valens. Pro qua fontem purum, & perennem contemnere, extremæ omnino dementiæ est. Sed unde, obsecro, ista mundanorum tam miseranda, & odibilis cæcitas, ut tam anxie hæc inania, & transitoria diligant? Utique, ut Bernardus (*b*) ait: Ex validissima fame, anima quæ proprio cibo non pascitur, avide quærit alienum. Sicut homo famelicus herbas, radices arborum, fame cogente, edit, quæ tamen non humanus, sed bestialis cibus sunt.

III. Si homines mundani, & voluptuosi spirituales consolationes purissimas, & suavissimas degustassent, has viles, & abjectas illico despicerent. Nam gustato spiritu, desipit omnis caro. Multo namque majores, & fortiores sunt delectationes in spiritu, quam in carne. Absit, absit, ait Bernardus (*c*), ut venenum istud temporalis voluptatis, balsamo illi pretiosissimo, & vino purissimo spiritualis delectationis comparetur. Quo enim anima corpore melior est, eo major, ac pretiosior est animæ quam corporis delectatio. Sed qui illam ignorant, quærunt istam. Quam pulchre idem Bernardus (*d*), *in Declamationibus*, temulentam istam rabiem humanæ cupiditatis depingit, dicens: Vidi ego aliquando quinque viros, quid ni phreneticos arbitrarer. Primus siquidem, buccis tumentibus aridam masticabat arenam. Secundus, sulphureo astans lacui, exhalantem teterrimum fœtidissimumque gestiebat haurire vaporem. Porro tertius, fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas hiantibus excipere faucibus lætabatur. Quartus, supra pinnaculum templi residens, levioris auræ spiritum aperto attrahebat ore, & si quo minus influere videretur, flabello sibi ventum ipse ciebat, ac si totum speraret aerem deglutire. Quintus, seorsum positus ridebat cæteros, ipse quoque ridendus; & maxime: proprias enim carnes incredibili quodam studio fugere laborabat, nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. Miseratus homines, causamque miseriæ sciscitatus a singulis, unam omnibus esse reperio, validissimam utique famem. Tam vero macilentas eorum facies contemplatus, recordabar Prophetæ gementis miserabiliter & dicentis: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*. Hæc Bernardus. Quid hæc tam monstrifera, & portentosa visio insinuet, in aperto est. Qui enim avide aridam mandedat arenam; avarus est, qui auro & argento non satiatur. Qui fœtidum hauriebat vaporem; libidinosus, qui fœculento delectatur amplexu. Qui aviditate summa prodeuntes e fornace scintillas hianti ore suscipiebat; iracundus, qui furoris pascitur igne. Qui vento buccas implebat; superbus: de quo Propheta: Ephraim pascitur vento. Qui cæteros irridens, proprias carnes dentibus laniabat; invidus qui aliena prosperitate tabescit atque liquescit. Erat autem universæ hujus infelicitatis & miseriæ causa, ut ipse ait, validissima fames, non enim tam horrendis cibis inhiarent, si proprio non fuissent alimento privati. Anima quippe quamdiu in mortali corpore vivit, sine consolatione esse non potest. Qui ergo spirituales consolationes ignorat, carnales perquirat necesse est. Sic sic deluditur humana fragilitas, sic miserum genus hominum post vanitatem seducitur, & spiritualis anima angelicis spiritibus quam simillima talibus pascitur alimentis. O miserandam nimis, lamentandamque rationalis naturæ dejectionem!

IV. Felices vos, o Virgines Christi, quas pietas divina de hac cæcitate, & potestate tenebrarum ereptas, & in Regnum Filii dilectionis suæ transtulit, & ad aquarum viventium puteum traxit; ut die ac nocte hauriatis *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, sacro videlicet Euangelio, & Scripturis sanctis. In hoc versamini, in hoc sudate, in hoc universam vitam expendite: hæc pars vestra, hoc officium, hoc munus: in hoc positæ estis; ad hoc religionem intrastis, propter hoc ab omnibus sæculi solici-

Eccl. 24.

Ps. 101.

Osee 12. *Ephraim pascit ventum.*

Coloss. 1.

Cant. 4.

Isaiæ 12.

(*a*) Homil. 36. in Euang. initio. *Hoc distare, fratres charissimi, inter delicias corporis, & cordis solet, quod corporales deliciæ, cum non habentur, grave in se desiderium accendunt; cum vero habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales deliciæ, cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur, in desiderio, tantoque a comedente amplius esuriuntur, quanto & ab esuriente amplius comeduntur.*

(*b*) Opusc. de Convers. ad Clericos cap. 14. *Facta est enim valida fames in terra, & omnes jam non egere cœpimus, sed ad extremam venimus egestatem. Denique & comparati sumus jumentis insipientibus, & similes facti sumus illis, etiam porcorum siliquas insatiabiliter esurimus.*

(*c*) Agit de hoc S. Bernardus Serm. 5. in Quadrag. num. 6., & Serm. 5. de Ascens. Dom. num. 8. Antecedentia quoque verba Bernardi sunt Epist. 111. num. 3. *Gustato spiritu, necesse est desipere carnem.*

(*d*) In Declamationibus Gaufridi Abbatis ex Bernardo vol. 3. in edit. Mabillonii vide Declam. 25., ubi extant ad litteram verba a S. Oratore adducta.

licitudinibus, a domus & familiæ regimine, & nutriendorum filiorum labore immunes estis, ut vacetis, & videatis, *quoniam* Psal.99. *suavis est Dominus*. Pudeat, pudeat, a sæcularibus vinci, ut majori solicitudine ipsi aquam pestilentiæ, quam vos aquam vitæ, perquirant. Sive ergo legitis, sive oratis, sive in choro psallitis, sive in cella spirituale quidpiam cogitatis, hoc unum agite, hoc unum quærite, ut gustetis, & gustando videatis, quoniam suavis est Dominus. Ecce Christus ad os putei sedet, solitarium invenietis, nolite eum in frequentia populi quærere: in secreto cubiculi solum solæ perquirite, aquam vivam ab eo petite, hydriam deponite, ad votum haurite, & usque ad summum implete: gratis vobis dabitur, nullo pretio, nulla mercede, tantum petite, amate, desiderate, ipse invitat, dicens: Qui Jo.7. sitit, veniat, & bibat; accipiat aquam vitæ Isaiæ55. gratis. Et per Prophetam: *Omnes sitientes venite ad aquas, emite absque argento, & absque ulla commutatione, vinum* scilicet spiritus, & sapientiæ *lac*; hoc solum erit pretium; ut velitis. O magnificum Largitorem! Pro solo desiderio porrigit eam; quia & ipse magis dare, quam nos accipere desiderat. Unde, ut Joannes ait: *In novissimo die magno festivitatis, stabat Jesus, & clamabat: Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Qui* enim *credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Quanta bonitas, quanta magnificentia! Dat, & gratis dat, & clamore valido nos invitat, ut accipiamus eam. Nam præ nimio animarum zelo, & præ mundanæ cæcitatis multo dolore, stabat in populi frequentia, & velut præco clamabat. O filii Adam, famelici & sitibundi! Ut quid *appenditis* Isaiæ55. *argentum vestrum, & non in panibus? Et laborem vestrum, & non in saturitate?* Ut quid Jer.2. o miseri ambulatis in via Ægypti, ut bibatis aquam turbidam, & non satiantem? Si quis sitit veniat ad me & bibat; bibat & satietur, & sitim suam expleat. *Qui* enim Jo.7. *credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Non opus erit ei exterius a creaturis guttulas consolationis, & voluptatis mendicare. Ego in medio cordis ejus venas aquarum immensæ delectationis aperiam, & flumina ingentia miræ voluptatis educam. Intra se inveniet, quod foris vagando quærebat.

V. Quam exploratum est hoc viris religiosis, solitudinis amatoribus, qui exercitiis vacare consueverunt. Quæ est enim universa mundi voluptas, aut jucunditas, ad eam quam intra se, cella reconditus religiosus invenit? Expertis loquor: non opus est in hoc diutius immorari. Et ne aliquis scrupulus super hoc remaneret, Euangelista Chri- Ibidem. sti dictum exposuit, dicens: *Hoc autem dicebat de spiritu quem accepturi erant credentes in eum*. Hic est ille fons aquæ vivæ, unde spiritualium consolationum, & gaudiorum

A torrentes inundant. Et merito aqua viva nuncupatur, quod animam quam irrigat, & omnes ejus vires & potentias, fervore suo excitet & vivificet. Da mihi quamdam religiosam, quam inhabitet Spiritus Domini, quam viva, quam fervens, quam hilaris, quam jucunda, quam agilis & prompta ad omne opus bonum incedit? E contrario, si aqua Spiritus desit, & mens, & ratio, & sensus hebet, & torpet: ut merito dicere possit cum Propheta: *Anima mea sicut terra* Ps. 142. *sine aqua tibi*. Arida quippe est facies ani- Psal.67. mæ, quam pluvia illa voluntaria de cœlo B non irrigat. Et sicut aqua terræ sitienti infusa, eam floribus, frondibus, herbis virentibus vestit, & ornat: sic aqua ista animam, quam perfundit, in amœnissimum hortum, & paradisum delectabilem vertit. Sicut Propheta ait: *Eris quasi hortus irriguus, cujus* Isaiæ58. *non deficient aquæ*. Quis explicare sufficiet, quibus affectibus & desideriis anima Deo dedita ferveat? Quanta spiritualium gaudiorum & consolationum abundantia cor ejus scateat? Quam pulchre a Domino fonti comparata est: eo quod in similitudinem fontis tota ferveat, ebulliat, & saliat. Tanta enim C donorum cœlestium, & spiritualium charismatum redundantia interdum eam Dominus replere dignatur, ut non sufficiat ipsa portare quod infunditur, sed, aut pectus ab illo spiritus fervore disrumpi videatur, aut ipsa in ecstasim penitus rapiatur. Unde per Isaiam Dominus ait: *Utinam attendisses man-* Ibid. 48. *data mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & justitia tua sicut gurgites maris. Et fuisset quasi arena maris semen tuum, & stirps uteri tui, ut lapilli ejus*. Felix anima, quam sic Dominus in benedictionibus dulcedinis Psal.20. prævenit. Unde hæc tam nimia redundan- D tia? Utique ex gutta illa gratiæ, quam Deus arenti animæ infundit. Illa facta est in ea fons exuberantissimus, fons perennis & sempiternus. Omnis quippe illa gaudiorum affluentia, quæ in anima beata, Deo conjuncta, ex mentis utero scaturit, ex hac aquæ guttula processit: quæ semper adaucta meritis, in fontem ingentissimum crevit. Quæ bene in vitam æternam salire dicitur, quod & hic desideria animæ in vitam æternam rapiat, & postmodum ipsam animam in vitam æternam provehat. Sicut enim radius solis vaporibus terrenis & aqueis impressus, E eos purificat & levificat, & versus fontem suum, id est, solem a quo processit sursum rapit, & sublevat: sic Spiritus Domini lenta desideria, & gravia a terrenis purgata, & mundata, in Deum, a quo processit, rapit, & trahit.

VI. Eja igitur Virgines Deo dicatæ, aquam istam vivam cum omni diligentia perquirite: nihil vobis grave aut difficile sit, dummodo venam istam pretiosam, & puteum aquarum viventium intra vos ipsas inveniatis. Die Cant.4. ac nocte in hoc sudate & laborate, rupem cordis vestri durissimam aculeato intellectus

ſpiculo, meditando, legendo, orando, aſſidue rumpite, & perfodite, donec aquam iſtam reperiatis: & cum inveneritis eam, cum omni ſolicitudine cuſtodite. Aſtant enim undique Allophyli qui puteum obſtruant & obturent. Figura notiſſima eſt: Iſaac Patriarcha dum terram illam promiſſionis colonus inhabitaret, præ nimia terræ ſiccitate, puteos effodere ad bibendum familiæ & gregibus ſuis aquarum defectu compellebatur; quos Allophyli terræ incolæ, nocte, pulvere & cœno, invidia forſitan moti, excæcabant & obſtruebant. Sed neque ille a puteorum foſſura quievit, donec invenit puteum latitudinis, quem præ nimia aquarum redundantia, Allophyli obturare non potuerunt. Ita & vos facite: hunc magnum Patriarcham imitamini. Iſaac riſus interpretatur, & bene deſignat ſpiritualem animam, quæ quaſi juge convivium, plena omni gaudio, & lætitia Deo ſervit. Non eſt enim vera & plena lætitia, niſi in bona conſcientia: hæc anima interdum meditationis aculeo perfodit ſaluberrimum puteum, ſacro paſſionis Chriſti myſterio medullitus cogitato: ex quo aquam lacrymarum piæ compaſſionis ac devotionis ſibi quotidie haurit: ſed dæmones invidi, ſtatim negotiorum, aut curarum temporalium pulvere injecto, puteum iſtum obſtruunt: uſque adeo, ut die altera in hac tam pia & ſalubri meditatione, neque unam guttam lacrymarum inveniat. Perfodit ergo anxia puteum alterum, aſſidua peccatorum ſuorum meditatione, in quo doloris & contritionis mirabilem lacrymarum affluentiam reperit: ſed Allophyli hunc rixarum & contentionum paleis ſic obturant, ut ſequenti die nullam in eo ſtillam compunctionis reperiat. Inſtat autem, & nec ſic deficit: ſed incœpto operi inſiſtit, & charitatis Dei, beneficiorumque ejus, & gloriæ ſibi oblatæ, & immenſæ illius pietatis erga ſe memor, quantum poteſt meditando, contemplando, intra ſe alium puteum perfodit, ex quo ſuaviſſimam & dulciſſimam lacrymarum, gaudii, & exultationis aquam ſibi exhaurit, ſed Allophyli ſtatim injecto cœno & luto fœtidiſſimo carnalis delectationis, eum obturant; uſque adeo, ut ſequenti die nullam in eo ſtillam delectationis reperiat. Quid ergo faciet hujuſmodi anima? Meo conſilio non ceſſet, non deſiſtat a puteorum foſſura, donec latitudinis, id eſt, charitatis puteum reperiat. Hunc enim non valent Allophyli toto mundi pulvere atque luto cæcare. Tanto namque impetu & redundantia effluit, ut quicquid terrenum immittatur, pellat eminus, atque rejiciat. Unde Apoſtolus: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius?* Quaſi dicat: Quid horum poterit divinæ charitatis fontem obcæcare? Et conſequenter adjungit: *Certus ſum enim, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Hæ enim ſunt aquæ; *quæ fluunt cum impetu de Libano;* id eſt, de corde puro, candido, mundiſſimo, tanta redundantia & tanto impetu, ut ex corde ſaliant in vitam æternam, & animam devotam ſecum rapiant in gloriam.

Gen. 26. Prov. 15. Rom. 8. Cant. 4.

VII. *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Jeremias, ſub nomine civitatis, deplorans damna animæ peccatricis, ſic ait: *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo,* evacuata cœleſtibus deſideriis, plena curis; *Facta eſt quaſi vidua Domina gentium,* viduata Chriſto; *Princeps Provinciarum facta eſt ſub tributo,* graviſſimo peccatorum & ſervitute; *Omnes amici ejus,* Angeli, *dereliquerunt eam, &c.* Pſalmus: *Qui juxta me erant de longe ſteterunt.* Hæc damna peccati: ſolitudo, viduatio, tributum, deſertio. Quod remedium? Sequitur: *Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus.* Solus eſt peccatoribus recurſus ad lacrymas. Ad hunc fontem ſedet Chriſtus: ibi alloquitur animam, ibi poſtulat ab ea potum: in hoc maculæ peccatorum abluuntur: hic fons aquæ ſalientis in vitam æternam: de hoc fonte Zacharias Propheta: *In illa die erit fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ;* id eſt, animæ immundæ & pollutæ. In hoc fonte lotus eſt David: in hoc lotus eſt Petrus, P. Auguſtinus, & Magdalena, & omnes qui converſi ſunt ad Deum. De hoc, Pſalmus: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacrymis meis ſtratum meum rigabo;* & iterum: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Debent autem habere aliquot conditiones lacrymæ, ad hoc ut purgent. Prima conditio; ut ſint calidæ, id eſt, a charitate procedentes, non a timore ſupplicii; id eſt, a dolore culpæ, non a dolore pœnæ, in inferno fletus & ſtridor dentium eſt; ſed non purgat ille fletus quia de damno eſt. Ana invenit aquas calidas in deſerto; & tu ſeparatus a negotiis in ſolitudine cordis eas invenies. Secunda conditio: ſint puræ, & claræ, non habeant mixturam fellis, id eſt, mali propoſiti redeundi ad vomitum, qui enim lavatur a mortuo, & iterum tangit mortuum, quid illi proderit talis ablutio? Qui plorat & peccat (*a*), ſicut qui abluit laterem. Hoc eſt Pilati lavatorium, ut ait Am-

Jo. 4. Thren. 1. Thren. 1. Jo. 4. Zachar. 13. Pſal. 6. Pſ. 118. Mat. 8. Gen. 36. (*a*) Mat. 27.

(*a*) Similia leguntur apud Gratianum Can. 9. diſt. 3. de Pœnit. ex Smaragdo in Reg. S. Benedicti cap. 4. *Nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quaſi ſi quis lavet laterem crudum, quia quanto magis laverit, tanto magis lutum facit.* Eadem habentur apud Iſidorum de Summo Bono lib. 2. cap. 13.

(a) Ambrosius (a), qui lotus statim Christum crucifixit. Isaias: *Lavamini, mundi estote;* Isaiæ 1. id est, perseverate in munditia. Tertia conditio: ut sint amaræ. Joel: *Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ;* Joel. 1. sicut sponsa plorat mortuum sponsum; ita anima plangat cum per peccatum amittit Christum. Vide quo dolore novæ nuptæ suos plorant viros. Exemplum in Vitis Patrum (b). P. Augustinus (c): Si matres filios, uxores viros suos tam amare plorant, quos suscitare non possunt, quomodo homo animam suam, quam potest fletibus suscitare? In morte defunctorum abstinere a lacrymis philosophicum est; in morte animæ non abstinere saluberrimum est: Hieronymus (d). *Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui*, non quiescat pupilla. Nihil potentius lacryma; impetrat omnia, illa mundat scelera, illa sedat sitim, illa refrigerat æstum, illa fœcundat animam, illa extinguit concupiscentiam, illa purificat corda, non recedit vacua a conspectu Domini.

VIII. Felix anima quæ talem possidet fontem, in quo se lavat, in medio sui, ut pulchra appareat coram sponso suo. Pueri, ut flectant matres, recurrunt ad lacrymas, plorant, quia sciunt, quod matres præ amore non possunt tolerare ploratum. Nos similiter cum Deo: *Ploremus coram Domino qui fecit nos*, & obtinebimus omnia. Filium prodigum pius pater non potuit sustinere plorantem. Ruit statim in amplexus ejus. Figura. Servus Abrahæ non dedit Rebeccæ murenulas, donec ipsum & camelos potavit. Et nos, si a Christo dona impetrare cupimus, petamus cum lacrymis. Ipse enim petit dicens: *Mulier da mihi bibere*, & sequitur. O! *Si scires donum Dei*. Hic est potus de quo Sponsa: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat?* Et sequitur: *Et dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum*. Misceamus mixtum malogranatorum, cum vino aromatico: nam purum amarissimum est, & aliquando nocet.

(e) P. Augustinus (e): Pœnitens de peccato doleat, & dolore gaudeat: si purum est, desperationem inducit, ex medicinali venenosum efficitur. Psalmus: *Tu confregisti capita* Psal. 73. *draconum in aquis*. Id est: septem peccata mortalia. *Dedisti eum* in *escam populis Æthiopum;* id est: peccatoribus pœnitentibus. Cum enim peccator dolet de delectatione peccati, tunc caput draconis mandit. Figura de vitulo aureo adorato, quem postea Exodi 32. ederunt Filii Israel. Vide P. Augustinum (f) super Psalmum. In Canticis: *Equitatui meo, in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea*. Amica pœnitens, currus diaboli in mari suffocatur, & liber egreditur de Ægypto. Felix anima, in qua Deus aperit fontem istum. Hæc similis est paradiso Dei, in quo posuit Deus fontem, ex quo quatuor flumina manant. Quæ sunt quatuor genera lacrymarum. Contritionis, compassionis, desiderii, devotionis. De primo: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*. Et iterum: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*. Pro secundo: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei*. De tertio: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* De quarto: *Flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ*. De quibus: *Da mihi irriguum superius & inferius*. Istæ sunt aquæ Siloe, quæ fluunt cum silentio. De quibus in Canticis: *Oculi tui sicut piscinæ*, quæ sunt *in Hesebon*. Et Dominus in Euangelio: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Et Psalmus: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos*. Et alibi: Cibasti *nos* Domine *pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura*. Propheta: *Quiescat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis: quia est merces operi tuo*. Felices lacrymæ quas Dominus absterget manu sua, sicut scriptum est: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*. Et non erit amplius luctus, quoniam priora transierunt. Et succedet gloria sempiterna. Magnam Domini domum, domum lacrymarum. In hoc fonte anima lavata, purificata decoratur. Psalmus: *Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor*. O potens lavacrum, & forte, ad tollendas maculas peccatorum! In hoc pœnitentes non solum veniam invenerunt, sed etiam salutem obtinuerunt. Exemplum: Ninive civitatis; Ezechiæ Regis. Piissimus est Deus: statim placatur lacrymis. Non potest sustinere gemitus nostros præ amore. Recurramus ad fletus: viscera piissima Dei statim moventur, quando homo plorat, & statim confunditur. Hunc ergo fontem petamus a Domino, ut hic modico fletu purgentur & laventur peccata nostra, ne postea igne purgatorii purificentur, sed statim evolemus ad gloriam: ad quam nos perducat Jesus Christus. Amen.

(f) Cant. 1. Gen. 2. Psal. 6. Ps. 118. Jer. 9. Psal. 41. Ps. 147. Josue 15. Isaiæ 8. Cant. 7. Mat. 5. Ps. 125. Psal. 79. Jer. 31. Apoc. 7. Ibid. 21. Psal. 50. Jonæ 3. 4. Reg. 20.

(a) Expositi. Euang. sec. Luc. lib. 10. num. 100. *Lavit quidem manus Pilatus, sed facta non diluit.*

(b) Vide lib. 5. de Vitis Patrum auctore Græco incerto, interprete Pelagio apud Rosweydum, ibi enim, libello 3. *de Compunctione*, duo afferuntur exempla mulierum flentium, unde Abbas Pastor, luctum pœnitentiæ Monachis suadendi, occasionem eduxit.

(c) Extant hæc fusius expressa Serm. 104. num. 7. Append. tom. 5., alias de Sanctis Serm. 41. Est autem Cæsarii Serm. 37.

(d) Vide Epist. 22. ad Paulam, alias 25.

(e) Lib. de vera, & falsa Pœnit. cap. 13. in fine. Extat tom. 6. in Append. *Hinc semper doleat, & de dolore gaudeat.*

(f) Super Psal. 73. v. 14. Ibi enim figuram Vituli, quam hoc loco S. Orator indicat, habet ad rem S. Parens Augustinus.

IN DOMINICAM QUARTAM QUADRAGESIMÆ CONCIO.

DE MISERICORDIA DEI; ET POSTILLA EUANGELII.

Cum sublevasset oculos Jesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes ut manducent hi?
Joann. 6. v. 5.

* CONCIO LIV.

I. TOTUS sermo (a) erit de Misericordia Dei, ut peccatores animentur ad agendam pœnitentiam spe veniæ. Respicit nos Deus multipliciter. Primo: ut convertat. Psalmus: *Qui respicit terram & facit eam tremere*. Secundo: ut puniat. *Oculi tui in me, & non substam*. Tertio: ut præmiet. *Oculi Domini super justos*. Oculi tui pulchriores vino. Item: oculi Domini ut lampas ignis. *Apocalyp.* 1. *Et Danielis* 10. Bernardus (b): Clamat stabulum homini curando, qui in manus latronum inciderat; clamat breve præsepe, in quo jacuerat Infans; clamat crux, in qua pependit Jesus; clamant clavi, quibus affixus est; clamat denique omnis vita Christi, quoniam misericors est. *Pauper sum ego*. P. Augustinus (c): Pondera multum *Ego*. *Ego:* qui creavi omnia; *Ego:* qui feci naturam; *Pauper sum*, homo, pro te; *Et in in laboribus a juventute mea*. Tota vita Christi labor fuit.

II. Bernardus (d): In quodam sermone, exponens illud: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*. Vide ibi. Duplex misericordia; scilicet, præservans, & sublevans: major est prima, secundum Patrem Augustinum (e), *in Libro nono Confessionum*, sequitur: Quod Deus majorem misericordiam fecit cum Joanne Baptista præservando a peccato, quam cum Magdalena eam sublevando a peccato. Deus tripliciter præservat: sanando affectionem, tribuendo virtutem, removendo occasionem. In aliquibus, utitur uno solo medio, in aliquibus pro parte omnibus tribus. Verbi gratia: aliquis innocens est & justus, quia fortitus est animam bonam, & non habet malas concupiscentias Domino sanante. Ideo non cecidit, quia non est fortiter instigatus a corruptis passionibus, sed sanavit eas Dominus in illo. Alteri Dominus non dedit ita sanas affectiones, ut non tentaretur, sed dedit virtutem superantem omnem inordinatum motum passionum; & sic non cecidit. Alius æger est, & fragilis est, tamen remotis occasionibus, impetus passionis sopitur, & ita non cadit. De quo in Ecclesiastico dicitur. Aliquis est bonus, quia non habuit occasionem ut esset malus. Sub aliis verbis dicitur similiter: tripliciter sublevat. Expectando, flagellando, corripiendo. Nam primo: expectat ad pœnitentiam. Si tardat reverti, flagellat. Si non sentit flagellum, aut induratur, corripit interius præbendo dolorem. Et iste modus est optimus. Dilata istos modos, ut est ibi in Bernardo (f). De istis tribus modis misericordiæ, potest intelligi illud Isaiæ: Tribus digitis terram appendit, id est, tribus modis sustinet, ne cadat terra, id est, homo, aut post casum sublevat.

III. Non modicum documentum nobis præstat Ecclesia, quæ usque hodie luctu plena, jam in medio jejunii, verbis lætitiæ, & vestibus utitur candidis. Vult enim levare filios modicum a luctu, ut pia mater, ne absorbeantur præ nimia tristitia peccatorum. Et sic nos, quotiescumque videmus animam fieri pusillanimem præ consideratione suorum criminum, & infirmari in spe veniæ, recuperatis viribus in consideratione Dominicæ misericordiæ respiremus. Hoc enim consulit Bernardus (g), *in Canticis*. Si-

quidem

(a) Ad calcem hujus Concion. verba hæc apposuit S. Thomas, ut testatur Bruxellensis Editor. *Vide bonum sermonem, & sufficientem in alio alveario in Dominicam sextam post Pentecosten.*

(b) Serm. 5. in Nativ. Dom. num. 1. *Clamat hoc stabulum, clamat præsepe, clamant lacrymæ, clamant panni. Clamat stabulum, curando sese homini, qui in latrones inciderat præparari; clamat præsepe, eidem homini, qui jumentis comparatus fuerat, pabulum ministrari; clamant lacrymæ, clamant panni ejusdem ipsius cruenta jam vulnera ablui, & detergi.* Vide etiam Serm. 61. in Cant. num. 4.

(c) Vide Enarr. in Psal. 78. num. 4.

(d) Serm. 13. de diversis num. 4., ubi de quatuor filiabus magnæ misericordiæ, de quibus etiam Sermone 3. in Dom. 6. post Pent. fusius egit. Hæ autem sunt: *immissio amaritudinis, subtractio opportunitatis, virtus resistendi, & sanitas affectionis.*

(e) Libro 9. Confessionum hic allegato nihil de hoc habetur. Puto legendum lib. 2., & ea citari verba, quæ jam dedimus in notis ad Concionem 6. Dom. 4. Advent., & ex cap. 7. præfati lib. 2. eruuntur.

(f) Sermonibus supra laudatis.

(g) Serm. 11. in Cant. num. 2. *Quamobrem suadeo vobis, amicis meis, reflectere interdum pedem a molesta, & anxia recordatione viarum vestrarum, & evadere*

quidem illa peccatrix famoſa, non ſolum unxit pedes Domini, ſed etiam caput. Oleum compunctionis, & lacrymarum pedibus Domini congruit. Siquidem: egreditur diabo-
Habac.3. lus ante pedes ejus. Sed eſt & aliud oleum, de quo ait Pſalmus: *Propterea unxit te Deus*
Pſal.44. *oleo lætitiæ*. Et hoc capiti convenit, ut ex capite *deſcendat in barbam:* & uſque ad
Pſ.132. *oram veſtimenti ejus*.

IV. *Miſericordias Domini in æternum cantabo*. Ad Litteram: *In æternum: In vita mea*,
Pſal.88. Pſ.103. *quamdiu ſum*, & poſt vitam eo amplius quo ſecurius, quo limpidius cognoſcam, & ad plenum experiar. Nunc quidem, & cano & timeo, tunc ſolutis habenis, excluſo timore, cantabo *tibi gloria mea, & non com-*
Pſal.29. *pungar*. Non tibi Domine cantabo tunc juſtitias meas, & merita mea, quæ penitus erunt in oblivionem, ſed miſericordias tuas tibi canam a principio. Ex tam multiplici numero poſſibilium creaturarum excitaſti me
Mat.11. (*Quoniam ſic fuit placitum ante te*), quas & infinita potentia non excitaſti, nec excitabis. Inter fideles genitus, illuminatus fide tua, & regeneratus ſum Baptiſmo tuo, & adjeciſti magnificare me, cum me docuiſti legem tuam, & ſecreta tua non abſcondiſti a me. Numero filiorum tuorum adjunxiſti me, & Sacerdotum tuorum collegio aggregaſti me, & quod ſuper omnia eſt: tibi cantare confido in præſentia tua in cœlis, a quo lingua mea perpetuo non ceſſabit; hoc eſt: quoniam cum maximis criminibus, & deteſtabilibus vitiis implicatus, fœdus, & abominabilis eſſem coram oculis tuis, diſſimulaſti Domine, & deſpexiſti animadvertere, nec imputaſti: neſcio quo alio judicio, quam illa abyſſo ſapientiæ tuæ, qua aliis imputas, & vindicas, aliis taces & diſſimulas peccata, quaſi non videas; & ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ, non ſolum contentus fuiſti diſſimulare, inſuper & recepi *de*
Iſaiæ40. *manu tua duplicia pro omnibus peccatis* meis.
Rom. 5. *Et ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia*, & miſericordia tua. Contendebam tecum Domine: tu addere miſericordiam ſuper miſericordiam, benignitatem ſuper benignitatem, ego malitiam malitiæ, nequitiam nequitiæ adjungere: ſecundum duritiam cordis mei, & cæcitatem oculorum meorum, ſplendebas cordi meo, & oculos avertebam,
Prov. 1. vocabas, & renuebam, tacebas, & irritabam. Viciſti me Domine, & victus ſum.
Jer. 20. *Fortior me fuiſti & invaluiſti*. Sic enim dignum erat, ut ſapientia tua vinceret malitiam, ut ego confuſus, & tu glorioſus appareres. Vicit bonitas tuas, iniquitatem meam, clementia tua, duritiam & pertinaciam meam.

Pſal.85. V. Victus a te benedico te, toto corde meo glorifico nomen tuum, & victoriæ tibi victori ſpolia reddo. Poteras Domine vindicare te, poteras rejicere me. O quot homines minus peccaverunt, & multo minus quam ego, & ſtatim abſorpti ſunt, & ardent perpetuo, facti in combuſtionem, & cibum ignis! O quot viis, quot modis immerito, & demerito mihi perfido immundo procuraſti ſalutem, & allexiſti ad te! Imo Domine, imo traxiſti, coegiſti, compuliſti invitum ad te venire, & intrare divitias tuas Domine. O amor meus, o gloria mea, o unica ſpes, o totum bonum meum! Quid reddam tibi pro tam magnifica vi, & tam pia violentia? Et cum adhuc virulentus, & cervicoſus fugam pararem, detinuiſti invitum, & cum nec ſic quieſcerem a malitia, non ceſſaſti a miſericordia; augebam delicta, augebas beneficia; uſque dum jam laſſus a via iniquitatis dedi tibi Domino Deo meo manus victas, ſubjiciens cervicem meam duriſſimam jugo tuo ſuaviſſimo, & oneri tuo leviſſimo. Recordabor ergo apud te in gloria tua Domine inceſſanter, cum tripudio & admiratione; & pleno ore ex medullis cordis miſericordias has tibi cantabo, dicens: Benedictus es Domine, qui ſic feciſti mecum, qui ſic magnifice & benigniſſime reſpexiſti me creaturam tuam, nec reliquiſti, ut perirem.

Iſaiæ 9. Mat. 11.

VI. Obſecro Domine mi, obſecro: audi me ſervum tuum. Fateor; ſi damnare me voluiſſes pro peccatis meis, juſtiſſime poſſes, & ſeveritas tua in me exaltaretur, quoniam ſic de peſſimo & rebelli vindicaſſes te. Sed Domine mi, nonne melius eſt, ut videant Angeli tui abyſſum hanc malorum, & peccatorum; & videant magnalia miſericordiæ tuæ, & clementiæ & pietatis, & admirentur & ſtupeant, & mecum miſericordias tuas in æternum cantent, quam ut de tua ſeveritate & rigore juſtitiæ juſto te glorificent? Melius eſt Domine, melius eſt. Fiat, fiat, ut abyſſus ſum laudet, benedicat, & de me tibi perpetuo gratias reddant Electi: quoniam vere in hoc ipſo excitaſti me de nihilo, ut oſtenderes magnitudinem & pondus benignitatis tuæ, & miſericordiæ tuæ in me; & in hoc facta eſt hæc creatura. Credo Domine & ſpero firmiter, quoniam ſi uno peccatore agente pœnitentiam, in cœlis magnum eſt gaudium, cum iſte peccator profundus raptus fuerit in cœlum, Angeli tui, qui noverunt abundantiam malitiæ & iniquitatis meæ, incredibilem & ineffabilem lætitiam concipient, cantantes mecum in æternum miſericordias tuas Domine. Ego diſcurram per medium eorum, dicens: Numquid o Angeli, o Sancti & Electi Dei, numquid noſtis qualis fuerit vita mea? Numquid vidiſtis turpitudines, & nequitias meas? Revela eis Domine, ut ſciant. Ecce vobiſcum ſum, ecce vobiſcum regno, ecce vobiſcum gaudeo. Quomodo, inquient, quo-

Luc. 15.

deve in itinera planiora ſerenioris memoriæ beneficiorum Dei, ut qui in vobis confundimini, ipſius intuitu reſpiretis... Et quidem neceſſarius dolor pro peccatis, ſed ſi non ſit continuus. Sane interpoletur lætiori recordatione divinæ benignitatis, ne forte præ triſtitia indüretur cor, & deſperatione plus pereat. Alia inſuper in idem argumentum addit.

modo ita factum est? Ignoro, inquam, ignoro: *Salvum me fecit quoniam voluit me*. De *Inferno inferiori*, & de faucibus draconis eduxit me, nullo merito meo, imo maximo delicto meo. Nihil feceram nisi peccatum, sic illi placuit in abyssо sapientiæ pietatis suæ. Sic factum est; adjuvate me, quia non sufficio laudare eum. *Sumite* cytharam, & *date tympanum*, & ego *Misericordias* ejus *in æternum cantabo*.

*Psal.*17. *Psal.*85. *Psal.*80. *Psal.*88.

Postilla Euangelii.

Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces. Philippe, *unde ememus panem ut manducent hi?* Ut isti fideles pascantur? Unde Domine; nisi ex isto cellario gratiarum refertissimo omnium dapum spiritualium opulentissimo, Virgine Matre tua Maria? Ibi sunt victualia omni genti, omni nationi. Inde Angelus gloriam; justus inde gratiam; peccator veniam; tristis lætitiam sumit. *Facta est enim* sicut *navis institoris de longe portans panem suum*. Emamus ergo hic panes gratiæ. Pretium sit, Salutatio Angelica.

Jo. 6. *Ibidem.* *Prov.*31.

AVE MARIA.

Historia Euangelii narrat convivium grande, quod Dominus fecit turbæ. Pondera, quanta esset efficacia verbi Domini, quanta suavitas conversationis: ut tanta multitudo obliviscereturprovisionis, & in duodecim millibus, cum parvulis & mulieribus, non reperiretur nisi unus, qui haberet quinque panes, ut ait thema, in tam grandi exercitu.

Jo. 6.

Tria convivia, tres mensæ sunt. Prima beatorum; secunda justorum; tertia peccatorum. De prima dic. Quanta multitudo sedet ad mensam Dei, quam grandes voraces. Quanto perfectior natura, tanto capacior, & ampliora desideria. Satiare unum Angelum excellens est. Quanto magis tantam multitudinem? Exemplum de Rege sustentante exercitum. Et quis alius, nisi præsentia Dei? *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*. Et quotidie admirantur de novo, quasi numquam vidissent. O Fratres! Si nos in tali mensa sessuri sumus? *Beatus qui manducat panem in Domo Dei!* De mensa Beatorum. Dic comparationem: quomodo omnes invitantur ad solum cibum: sed Principes, non solum in conviviis pascunt gustum optimo cibo, sed oculum pulchritudine tapetum; aurem harmonia. Omnes sensus pascuntur; omnes comedunt; os cibum; oculus pulchritudinem; auris harmoniam; olfactus odorem, &c. Hic in convivio Dei, omnes vires animæ pascuntur interiores, & exteriores. Ipse oculo plenitudo ac pulchritudo; cibus gustui; harmonia auditui; fragrantia olfactui. *Omnia in omnibus Deus*. Felix pulchritudo Deus. Optima musica, non sonus, sed Deus. Omnes vires animæ Deo replentur, Deo satiantur.

*Psal.*15. *Lucæ*14. *Psal.*118. 1. Cor. 15.

Secunda mensa justorum. Quinque panes sunt quinque plagæ, quas ruminare & considerare habet quotidie quilibet fidelis. Dic de meditatione passionis. Vel, quinque panes, quinque libri Moysi: de quibus, veniente Christo, innumera fragmenta spiritualium sensuum inclusorum monstrata sunt. Sunt & alii quinque panes. Primus Sacramentalis Angelorum; secundus spiritualis devotorum; tertius sapientialis discretorum; quartus materialis egenorum; quintus sempiternalis Beatorum. Duo pisces: Sacerdotalis & Regia dignitas intelliguntur. De his nihil remansit; quia utraque cessavit veniente Christo. De Regia prædictum erat: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*. De Sacerdotali vero: cum venerit Sanctus Sanctorum, cessabit unctio vestra: *Danielis nono*. Item: duo pisces duo Testamenta sunt; de quibus loquitur Epistola: Hic cibus justorum est, quotidiam meditari in lege Dei, justo convenit. Peccator legat in libro suæ conscientiæ. Psalmus: *Beati immaculati. Beati qui scrutantur*. Prius est mundanda conscientia, deinde scrutandum.

*Gen.*49. *Dan.* 9.

Tertia mensa peccatorum. Quinque panes quinque beneficia, vel quinque misericordiæ, quas Dominus cum eo operatur. Quilibet panis cum tribus fragmentis. Ad litteram totum in Bernardo (*a*) reperies, *in Sermone* 39. Primus panis. Præservatio. P. Augustinus (*b*) *in Sermone Sanctæ Magdalenæ*. Non est peccatum, quod faciat homo, quod non faciat alter homo, si desit Rector a quo factus est homo. Debemus itaque Deo peccata quæ fecimus, & peccata quæ non fecimus. Nemo superbiat, si non cadit gratia Dei; quia eadem misericordia Dei, quæ levat peccatorem, præservat justum. Exemplum de patre habente duos filios. Unum detinet ne cadat, alium post casum levat. Primus magis debitor est. Tria fragmenta tres modi præservandi. Scilicet: occasionis substractione, vincendi virtute, affectionum sanitate. Dilata hæc, & expone. Aliquos sanat, ut non sit in eis vehemens inclinatio in malum: justi sunt sine labore: alii vero cum magno labore, & assidua vigilia super cor. Quid horum melius? Respondeo: primum est magis honorabile, secundum magis laudabile; primum est majoris gratiæ, secundum majoris meriti; primum est majoris securitatis, secundum est majoris coronæ, quia

(*a*)

(*b*)

(*a*) Laudato jam Sermone 3. in Dom. 6. post Pent., qui est *de Fragmentis septem misericordiarum*, post Sermonem 2., qui est de Septem misericordiis, in editione Mabillonii.

(*b*) Serm. 99. de Verbis Euang. Lucæ 7. *Et ecce mulier*, &c., alias 23. ex Homil. 50. Ita num. 6. in fin. *Nullum est enim peccatum, quod facit homo, quod non possit facere & alter homo, si desit Rector, a quo factus est homo.*

quia major ibi victoria. Sed ibi adest inclinatio, & deest virtus, subtrahitur occasio; comparatur talis vasi vitreo in mensa Domini, non permittitur tangi, quia debile est. A

Secundus panis. Expectatio ad pœnitentiam. Originale Bernardi (*a*) ibi: Ego peccabam, tu dissimulabas, &c. Vide. O quam grande beneficium! Si statim post peccatum Deus vindicaret, quis posset salvus fieri? O quot sunt in inferno ardentes, æternis suppliciis & suspiriis deputati, qui minus peccaverunt quam ego! Et si non esset propter magnam misericordiam tuam Deus, nunc nunc arderem ego & gemerem. Nolite, Fratres, contemnere tempus pœnitentiæ vobis datum. Job: *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam.* Nova peccata faciens illo tempore, & addens peccata peccatis. Tria fragmenta ad expectandum: bonitas, amor, electio. B

Tertius panis. Pœnitudo. Obesset expectatio si non adesset pœnitudo. Tria fragmenta, tria quæ provocant ad dolendum de peccato. Scilicet: consideratio peccatorum, fœditates scilicet eorum; terror tormentorum; spes veniæ.

Quartus panis. Indulgentia. Quid prodesset pœnitentia, si non sequeretur indulgentia? Tria fragmenta: indulgentia sine vindicta, sine injuria, sine inimicitia. Dic ut Bernardus (*b*). Aliquis parcit, sed ne exeat de carcere tristissimo. Alius, loco vindictæ dicit ei injurias. Alius tacet, tamen servat odium. Deus omnino parcit. Nam, etiam inter nos, si quis post amicitiam improperaverit delicta præterita, sonat vilitatem. Peccatum quod Dominus dimittit, sic dimittit quasi non fuisset. Bernardus: Imo: ut tollat a peccatore timorem, & præbeat audaciam accedendi ad Deum, sæpius dat ei grandes consolationes. Et *ubi abundabit delictum*, superabundat *gratia*. Bernardus: Testis Paulus, testis Matthæus, testis Petrus, testis Mulier illa peccatrix. Ecce Martha virgo decora, hospita, & tamen majorem familiaritatem habuit cum Maria Magdalena. Non recordabatur Dominus priorum peccatorum ejus. *Rom.* 5.

Quintus panis. Continentia. Dic contra eos qui statim redeunt; non vera pœnitentia. Tria fragmenta sunt tres fortitudines. Scilicet: ad resistendum insultibus carnis, vanitatibus mundi, fallaciis dæmonis. Qui habet hæc tria, continentiam habere poterit. Aliqui enim carni resistunt, sed ambitiosi sunt. Alii vero non ambitiosi nec carnales, tamen capiuntur spirituali aliquo laqueo. Difficile est omnia fugere. Vel tria fragmenta sunt: sanitas affectionum, sublatio occasionum, fortitudo seu virtus superativa tentationum. Istis tribus modis Deus dat continentiam, ut Bernardus (*c*) in alio loco. *Colligite quæ superaverunt fragmenta ne pereant. Collegerunt ergo & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis.* Replentur duodecim cophini. Apostolicos cophinos Ecclesias intelligimus. C (*c*) *Jo.* 6.

(*a*) Serm. 2. in Dom. 6. post Pent. num. 3. *Ego peccabam, & tu dissimulabas: non continebam a sceleribus, & tu a verberibus abstinebas. Prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam, & tu Domine pietatem tuam.*

(*b*) Serm. 3. in Dom. 6. post Pent. num. 4., & huc quoque spectant sequentia, in quibus bis allegatur Bernardus.

(*c*) Sermone eodem num. 1. *Tribus siquidem modis a peccato memini me conservatum, occasionis subtractione, resistendi data virtute, affectionis sanitate.*

(*d*) Vid. Serm. 19. in Append. Oper. S. Ambrosii.

IN FERIAM SECUNDAM
POST DOMINICAM IV. QUADRAGESIMÆ
CONCIO.
DE AVARITIA.

Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.
Joann. 2. v. 16.

CONCIO LV.

I. FILII Israel ingressuri terram promissionis duo impedimenta habuerunt: scilicet Jordanem & hostes. Et ad ingressum Dominus divisit eis Jordanem. Ipsi autem proprio marte, & auxilio Dei, peremerunt hostes; sicut legitur de Josue, qui occidit quinque Reges. Nos in hac Quadragesima per desertum hujus mundi properamus in terram promissionis. Unde Pater Augustinus (*d*): Quadraginta duos dies quadragesimæ, secundum religiosos, comparat quadraginta duabus stationibus, quas habuerunt Filii Israel in deserto. Oportet ergo primo transire Jordanem; id est, fluenta impetuum tentationum, & malarum inclinationum hujus sæculi pede sicco. Hoc non possumus nostra virtute, sed gratia Dei. Quod enim in medio aquarum non intingatur pes animæ hoc donum Dei ma- D (*d*)

Josue 10.

maximum est & mirabile. Psalmus: *Venite* *Psal.65.* *& videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum.* Sequitur: *Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede.* Secundo: oportet nos vincere hostes, superare vitia nostra, occidere reges, qui sunt quinque sensus, sive quinque vitia, quæ regnant in hac nostra sensualitate, scilicet, avaritiam, superbiam, luxuriam, iram, invidiam. Juxta præceptum Apostoli: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* *Rom.6.* Hoc nostro marte cum Dei auxilio faciendum est. Contra hos in hac quadragesima militamus, & aciem instruimus: contra hos jejunio, orationibus, eleemosynis, & rigore pœnitentiæ armamur. Nos ergo, qui in hoc exercitu habemus vices speculatorum, sicut *Ezech.3.* ait Dominus: *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel*, ad pandendum hostium insidias, & tubarum ad vos excitandum ad *Isaiæ58.* bellum; sicut dicitur alii Prophetæ: *Quasi tuba exalta vocem meam.* Aptissimum officio nostro judicamus instruere vos, quomodo hos quinque reges debelletis in vobis, & qualiter contra eos pugnetis, vincatis, & occidatis. Vos itaque estote alacres ad audiendum, & fortes ad ea peragendum, quæ dicentur, ut optabilem terram cœlestem obtineatis. Hodie autem juxta litteram Euangelii de avaritia dicendum est.

II. In littera Euangelii dicitur, quomodo Dominus ingressus in Templum, ejecit ementes & vendentes & cathedras numulariorum evertit. Erant hæc omnia in Templo ex avaritia Sacerdotum tolerantium, ut volentes offerre sacrificia haberent ad manum: & si pecuniæ deessent erant ibi mensæ numulariorum, qui ad usum commodarent. Dominus zelans gloriam Dei & reverentiam, facto flagello, ejecit eos, & *Jo. 2.* subvertit mensas. Miratur Hieronymus (*a*), *(a)* quomodo gens alias cupida & avara, tam facile cessit relictis pecuniis: sed facilis responsio. Tanta authoritas, tanta severitas & majestas in vultu Domini apparuit; quod timore perciti fugerint relictis pecuniis. Fecit hoc Dominus, ut diximus, ex zelo honoris Dei, spreto commodo. Unde Apostoli *Ibidem.* recordati sunt quod scriptum esset: *Zelus do-* *Psal.68.* *mus tuæ comedit me.* Relinquens nobis exemplum venerandi Templum. Unde si in isto Templo, in quo Arca lignea, & Manna, Dominus zelavit honorem, & prohibuit tu- *Marc.11.* multum, & transeuntes cum vasis & lagenis aquæ prohibuit, ut ait Marcus: quanto magis hæc prohibenda in Templo, in quo Deus præsens & majestas illius adoratur a Christianis? Pudet videre: quanta profanitas in Templis! Quantus tumultus, quanta loquacitas in horis! Quam modica devotio & reverentia! In pluribus civitatibus Ecclesiæ domus negotiationis factæ sunt: ibi contractus, emptiones & venditiones: ibi deambulatio mercatorum; & non est qui zelat, non est qui prohibeat. Ædificamus Ecclesias cum nimio ornatu vestitas auro, melius esset, si more antiquorum haberemus eas pauperes & devotas in silentio & reverentia. P. Augustinus (*b*): In oratorio nihil fiat, *(b)* nisi ad quod factum est, unde & nomen accepit. Ibi solum orandum, prædicandum, audiendum cum silentio, non loquendum. Tantus tumultus loquentium, ut vix audiatur officium. Possem vobis dicere illud Apostoli: An domus non habetis ad loquendum? *Ecclesiam Dei contemnitis?* Utilius forte vo- *1. Cor.* bis esset in domo manere, quam orantes im- *11.* pedire. Hæc de Euangelio.

III. Quatuor domos habet Deus. Est domus materialis, domus spiritualis, domus mystica, domus cœlestis. Domus materialis est de qua dictum est, domus spiritualis est anima. Apostolus: *An nescitis quia Templum* *Dei estis, & Spiritus* sanctus *habitat in vo-* *Ibid.3.* *bis? Si quis* ergo *Templum Dei violavevit,* *disperdet illum Deus.* Unde, si quis Ecclesiam faceret haram porcorum vel stabulum equorum, grandem injuriam faceret Deo: & tu animam tuam facis haram & stabulum dæmoniorum expulso Deo, & profanas ipsam, ponendo in illa idola turpia carnalium desideriorum & imaginationum. Quantum zelas hoc? Quis consensus Dei cum idolis? Anima Templum Dei, perpetuum Templum, amplissimum, Deo acceptissimum: Habita- *Exodi* bo in eis & ambulabo in eis. O si curam, *25.* quam impendimus ædificandis, mundandis *Levit.* & ornandis Templis, eam adhiberemus ani- *26.* mabus! Tertia Domus mystica; Ecclesia. De qua Psalmus: *Elegi abjectus esse in domo* *Psal.83.* *Dei mei.* Et Apostolus ad Timotheum: *Ut* *1.Tim.3.* *scias quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Hæc domus orationis est fundata supra firmam petram, e cœlo de- *Mat.21.* ducta: *Vidi civitatem sanctam Jerusalem no-* *Ibid.16.* *vam descendentem de cœlo.* Domus exempla- *Apoc.21.* ris; quia ad instar cœlestis formata est. Sed vos o Pontifices, vos o Sacerdotes, vos o Prælati fecistis illam domum negotiationum & speluncam latronum: vos, inquam, quibus tradidi eam regendam & gubernandam. Quantæ negotiationes sunt in Ecclesia, quot simoniæ, quot fraudes, quod lites? Omnes dignitates, beneficia, reditus negotiatione possidentur. Clerici versi sunt in negotiatores. Nec solum domus negotiationis, sed etiam spelunca latronum. Quot furta, quot sacri-

(*a*) In Matth. cap. 21. *Mihi inter omnia signa, quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse: quod unus homo & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis, & Pharisæis contra se sævientibus, & videntibus lucra destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensasque subvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus. Igneum enim quiddam, atque fidereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis majestas lucebat in facie.*

(*b*) In Regula.

sacrilegia fiunt specie pietatis a pluribus, qui ditantur cum quæstibus? Apostolus: Quæstum existimantes pietatem. Petrus: *In avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur*. Jeremias: *A minori usque ad majorem omnes avaritiæ student*. Plena est Ecclesia hodie ementium & vendentium columbas. Quis gratis sine respectu præmii temporalis prædicat, aut audit confessiones? Quis gratis inservit altari? Omnes quærunt lucra. Propter hoc fiunt Canonici, propter hoc fiunt Clerici, ut habeant reditus ab altari. Unde Dominus per Prophetam Malachiam: *Quis ex vobis qui claudat ostia, & ascendat ad altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus*. Jam exquisitis modis beneficia venduntur; non restat nisi ut etiam vendantur Sacramenta. Nam, & quosdam audivi pro Sacramento Unctionis pecunias exigere. O Petre, o Paule, o si videretis Ecclesiam Dei, quomodo doleretis, & ploraretis! *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum*. Religiosi & Clerici facti sæculares & negotiatores, qui deberent semper stare Deo orantes pro populo. Heu! *Egressus est a Filia Sion omnis decor ejus*; & perdita est omnis illa pulchritudo Tabernaculi Dei. Sicut servimus, ita tractat nos Deus. Sed hæc sufficiant de his: nam omnes videtis. Ejecit Dominus ementes & vendentes de Templo, dans exemplum Prælatis, ut ipsi hujusmodi negotiatores & simoniacos ejiciant de Ecclesia; nam & ipse de cœlesti sua domo pellet. Hæc est quarta domus, de qua Propheta: *O Israel, quam magna domus Dei!* Cum Joannes descripsisset in Apocalypsi, ex auro & margaritis & gemmis ait: *Foris, canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat, & facit mendacium*. Isti negotiatores, impostores, fraudulenti, canes sunt: nam canibus si ejicitur os in macello mordent se pro illo. Sic, si vacat Canonicatus vel dignitas, quot jurgia, quot interdictiones? *Foris canes*, foris, qui facitis mendacia, *canini*, foris avari. *Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis*.

IV. Dices; Et quidem homicida, aut adulter, aut latro juste. Sed avarus, quare? Quod malum est, si ego amo divitias? Si custodio mea, si non dissipo patrimonium? Quod magnum peccatum est avaritia; ut avarus expellatur e cœlo? Nemo vos seducat, Fratres, hujusmodi verbis fallacibus: colora quantum vis, adhibe auro formosa vocabula, magnum peccatum est avaritia & perniciosissimum. Avarus naturæ adversarius, hostis publicus, latro occultus, effusor est sanguinis. Quomodo hoc sit, probemus per singula. Primo: est naturæ adversarius: nam in toto universo si aspicias non reperies avaritiam nisi in solo homine. Omnes creaturæ communicant bonum, quod in eis est. Sol & stellæ communicant lumen, cœli communicant influentias, elementa communicant se, terra herbas, arbores communicant fructus suos, ignis calorem, maria pisces suos, aves pullos suos; solus homo avarus detinet, & non vult communicare, quod habet. Omne bonum est sui diffusivum, solus avarus non se diffundit, quia pessimus est. Secundo: est hostis publicus, etiam communitati pernicioſissimus. Si esset quis in uno populo, qui vellet omnes depauperare & deprædari, non esset hostis? Natura omnia fecit communia; *Meum & tuum*; ex jure gentium sunt. Avarus omnia vult habere, omnia vult possidere, ipse solus dominus omnium agrorum & vinearum & hæreditatum. Unde Dominus Isaiæ 5. *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis! Numquid habitatis vos soli in medio terræ?* Numquid pro vobis solis hæc omnia condita sunt? O iniquitas! O latrocinium naturæ! Non magnus latro, qui omnia naturaliter communia, sibi vult usurpare? Quanta pernicies inde in populo! Unde tanta egestas, unde tanta fames in populo? An putamus, quod Deus agros non dedit fertiles & sufficientes pro omnibus, & quod multiplicatis hominibus non sufficiunt? Absit, absit: nam sufficientissime providit; sed ex avaritia totum malum: nam cum unus habeat centum millia sestariorum in horreo suo, alius, necesse est, ut esuriat: nam dum unus abundat nimis, alteri deficit. Si omnes sumerent, quod sufficit, omnes haberent. Istorum superabundantia illorum inopia est. Ampla mensa istorum, multæ vestes & pretiosæ, divitiarum opulentia, facit in populo inopiam. Quid enim mille vehes piscium non sufficerent ad totum populum? Sed unus dispensator omnes pisces in cellarium divitis tollit. Ecce defectum & caritatem in populo. An non iste hostis publicus, qui tantum malum infert communitati? Non latro occultus, qui omnia usurpare contendit? Sed non patietur tantam iniquitatem pius, & tantam injustitiam justus Dominus, ut unus filius abundet, & alius fame pereat. Unde sequitur: *In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus, nisi domus multæ desertæ fuerint grandes & pulchræ absque habitatore*. Dominus enim zelator publici boni, hujusmodi avaros privat hæredibus, ut bona illa in perniciem sic congregata dispergantur, & redeant ad communitatem: aut si habuerint hæredem, dat hæredem prodigum & dispersorem. Sic enim videmus ordinarie, ut patris avari filius sit prodigus, justo Dei judicio, Deo sic providente: ut quod pater male congregaverat, filius utiliter dispergat. Quod avarus adversarius sit naturæ, hostis publicus, latro occultus probavimus.

V. Restat probare quod pejus est; quod sit occisor, homicida, effusor sanguinis. O

crude-

1. Tim. 6. 2. Petr. 2. Jer. 6. Jo. 2. Malach. 1. Thren. 4. Ibid. 1. Jo. 2. Baruch. 3. Apoc. 21. Ibid. 22. Ephes. 5. Isaiæ 5. Ibidem.

crudelitatem avari pluſquam belluinam! Horrea plena tritico crepant, & triticum gurguliones populantur, aurum in arca eruginatur, & videt homines fameſcentes, ægrotos, nudos, & non curat, non ſuccurrit. Quæ beſtia crudelior? Clamat Ambroſius: O avare! Quem non paviſti, occidiſti: & tot hominum factus es homicida, quot tua crudelitate mortui ſunt. Unde bene apud *Dan. 7.* Danielem apparuit beſtia inter alias terribilis, dentes habens ferreos & omnia comedens atque comminuens, reliqua pedibus conculcans. Hæc avaritia eſt pauperes comedens atque comminuens. Unde Jacobus: *Jacobi 5.* *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra a tinea comeſta ſunt. Aurum & argentum veſtrum æruginavit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis.* Et, ſicut Propheta dicit: *Habacuc 2.* *Lapis de pariete clamabit.* Mitto nunc qui non ſolum non ſuccurrunt pauperibus, ſed etiam fraudibus & dolis & violentia ſpoliant pauperes pro debitis, facientes executiones in *Job 24.* bona pauperum, & rapientes, ſicut ait Job: Relinquunt homines nudos abſque operimento ſicut lapides regionis tollentes veſtimenta, domos, agros, manent cum filiis pauperes & præ egeſtate ægrotant & moriuntur. Nonne omnes illos iſte avarus occidit, quos ſpoliando necavit? Numquid hæc non videbit Deus? Et ſuper his non faciet judicium? Jeremias 5. *Jer. 5.* *Quia inventi ſunt in populo meo impii inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros, ideo magnificati ſunt & ditati.* Sequitur: *Numquid ſuper his non vindicabo, dicit Dominus?* Faciet vindictam hic, & in futuro comburen- *Lucæ 16.* tur cum divite illo avaro. Hic autem magnam vindictam faciet de iſtis: nam mille infortunia accidunt eis, & propter crudelitatem non merentur exaudiri in tribulatione, ſicut ipſi non miſerti ſunt pauperum afflictorum. Secundo: propter hanc crudelitatem incidunt in mille abominationes & ſcelera. Non intelligerem hoc niſi legiſſem illud Ezechielis: Hæc iniquitas Sodomæ, *Ezech. 16.* ſuperbia, otium, abundantia panis, & manus egenti non porrigebant. Attendite judices, ut defendatis pauperes ne opprimantur. Sed, etſi non eſſet alia pœna, ipſa ejus avaritia ſatis magna pœna eſt. Habent intra ſe tortorem divinæ juſtitiæ, illam ſitim inexplebilem, illam famem rabidam, illam tineam, quæ rodit viſcera, non ſinit eos quieſcere: die ac nocte exæſtuant, dilacerantur curis, deſideriis & negotiis, ſemper ſuſpicioſi, ſemper timidi. Timent domeſticos, timent extraneos, timent filios. Nulli fidunt, omnibus inviſi, omnibus odioſi, ſerviles, pecuniæ cuſtodiæ mancipati. Si male ſuccedit dolore torquentur, ægrotant: ſi conſumitur, palleſcunt: ſemper inquieti & pavidi. O graviſſima pœna! O duriſſimam ſervitutem! O inſaniam deteſtabilem! O cœcitatem horrendam! Non eſt ſtultus ſimilis avaro in orbe: ſemper in egeſtate, ſemper in tormento, ſemper in labore. Amittunt vitam, perdunt dies, ut acquirant aliis. *Theſaurizant, & ignorant cui. Unus eſt & ſecundum non habet,* *Pſal. 38.* *non filium, non fratrem, & tamen laborare* *Eccl. 4.* *non ceſſat, nec ſatiantur oculi ejus divitiis: nec recogitat, dicens: Cui laboro & fraudo animam meam bonis?* Ut effundant alii incognito, quod ipſi non audent attingere. *In hoc vanitas eſt, & afflictio peſſima.* Pſalmus: *Simul inſipiens, & ſtultus peribunt. Et re-* *Pſal. 48.* *linquent alienis divitias ſuas, & ſepulchra eorum domus illorum in perpetuum.* O ſi exirent e ſepulchris, & viderent quis finis de divitiis ſuis, & quam malæ gratiæ pro his, quæ reliquerunt! Quomodo ſtuperent! Et quod pejus eſt: ardent in inferno, ut ditent ſæpius alienos, interdum etiam inimicos.

VI. Audiſtis quam gravis iniquitas eſt avaritia. Non ſolum, quam grave peccatum; ſed *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Inde jurgia, lites, fraudes, perjuria. *1. Tim. 6.*

Quid non mortalia pectora cogit
Auri ſacra fames? (a) (a)

Eccleſiaſticus: nihil ſceleſtius avaro. Animam ſuam venalem habet; pro modico ven- *Eccli. 10.* det illam; flagitia committet ſi adeſt pretium; nihil illi fidendum: Deum, animam, amicum vendet. Hæc fecit Achab Regem occidere Naboth pro vinea. Hæc fecit ulti- *3. Reg. 21.* mam illam iniquitatem, Judam vendere magiſtrum ſuum Jeſum. Unde habet originem *Mat. 26.* iſte morbus, iſta rabies, iſta peſtis in hominibus? Non utique ex neceſſitate: nam natura paucis & minimis eſt contenta. Homo frugalis conditus: & licet cibo egeat, ut alia animantia & veſte; cum pauciſſimo cibo alitur, & facile veſtitur. Non cauſat neceſſitas avaritiam, ſed ſuperbia & ambitio. Nam ſi homines ſola neceſſaria quærerent, haberent: ſed cum incipiunt diteſcere, ſtatim mutant ſtatum. Officialis fit mercator, mercator fit miles; miles magnatus, magnatus fit princeps. Itaque creſcente ſubſtantia, creſcit amplius pompa, & creſcente pompa creſcit avaritia: non ad ſupplendam neceſſitatem, ſed ad ſuſtinendam pompam, ad cibos opulentos, ad veſtes, ad domos, ad familiam, ad abacos, ad apparatum, & ſumptus immoderatos.

VII. Figuram habemus in Zacharia. Vidit amphoram & mulierem ſedentem in me- *Zachar. 5.* dio amphoræ ſuper talentum plumbi, & projecta eſt in medio amphoræ, & opilatum eſt os ejus maſſa plumbea. Et vidit duas mulieres egredientes habentes alas milvi & ſublevaverunt amphoram, & portaverunt eam in terram Sennaar, & ædificaverunt ei domum, & ſtabilita eſt, & poſita ibi ſuper baſim

(a) Virg. Æneid. lib. 3. v. 57.

(a) sim suam. Gregorius (a): Amphora hæc magna, inexplebilis avaritia est: in amphoram foratam quo magis miseris aquam, eo amplius vacua est. *Avarus non implebitur pecunia:* Eccles. 5. Ecclesiasticus. *Crescit amor nummi,* Zachar. 5. *quantum ipsa pecunia crescit.* Unde Propheta exposuit dicens: *Hæc est oculus eorum in universa terra.* Quia omnis sapientia mundanorum in hoc desudat. Mulier sedens in medio, hæc est impietas. Non potest esse avaritia sine impietate & crudelitate; quia ipsa avaritia, ut diximus, iniquitas est. Psalmus: Ezech. 16. *Vidi iniquitatem &* proditionem in civitate. Et cur hoc? *Quia non defecit de plateis* Psal. 54. *usura & dolus.* Hæc residet super talentum plumbi, quia nihil onerosius iniquitate. O quot sustinent iniqui! Psalmus: *Quoniam iniq-* Psal. 37. *uitates supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Missa est in medio amphoræ, & plumbo opilatum est os. Muta est omnis iniquitas. Psalmus: *Im-* 1. Reg. 2. *pii in tenebris conticescent.* Quantum prædicatorum & amicorum ora plumbo isto opilantur, & tacent veritatem! Duæ mulieres alatæ, sunt superbia & ambitio, habent alas milvi: quia ubi superbia, ibi rapacitas. Hæ sublevant amphoram, hæ sustentant avaritiam, hæ faciunt animam avaram, avidam, ut possideat. Locant eam super propriam basim in terra Sennaar; in terra sacerdotali. Ibi basis propria avaritiæ, ibi propria domus, & sedes propria avaritiæ, in clero, in sacerdotio, in pontificibus, in sacerdotibus: ibi magis viget, ibi cupiditas major. O execrandam nimis & stultam avaritiam sacerdotum! Non habent filios, non uxorem, non hæredes. Ad quid avaritia? In terra Babylonis, ibi turris ædificata, in potentibus sæculi, in divitibus. Sic etiam in senibus regnat. Tul-
(b) lius (b): O avaritia senilis! Quid sibi velit, ignoro. Stultum est enim, quo minus viæ restat, eo plus cibi viatici quærere. Sic stulta est sacerdotalis avaritia, sicut senilis. Etiam ex alio: quia esse avarum; nimium: sed esse avarum de alieno, est stultum. Exemplum de dispensatore. O Clerice dispensator es non dominus. Non laborasti, non seminasti reditus tuos, non ex patre hæreditasti: de patrimonio pauperum Christi dati sunt tibi, ut eos quasi dispensator in pauperes distribuas. Quanta crudelitas! Quanta iniquitas surripere sibi, quod distribuendum accepisti: & esse avarum, ubi Dominus est
(c) liberalis! Bernardus (c): Clamant pauperes & famelici conqueruntur nobis, pereuntes fame. Quid prosunt tot mutatoria vel plicatæ manticæ vel extensæ? Nostrum est quod assumitis, nostrum est quod effunditis.

VIII. Quod ergo remedium? Quam medicinam exhibebimus huic morbo, huic pesti, quæ se involvit in visceribus hominum? Hoc est enim quod quærimus, hoc præcipue intendimus in isto sermone, si forte sit qui intelligat ut sanetur. Si forte abstineant homines & cessent ab hac miseria; non intendimus docere vos, sed curare. Audite ergo ægroti: medicina a Deo expetenda est & sanitas: ipse verus medicus hujus morbi. Si ipse infunderet amorem, sufficeret: nam, ubi amor Dei, omnia ut stercora reputantur, sicut Apostolus ait: *Charitas non quæ-* Philipp. 3. *rit quæ sua sunt.* Hæc est vera medicina ava- 1. Cor. ritiæ. Sed quia istam nos præstare non pos- 13. sumus; quatuor vobis præstamus remedia. Primum est: consideratio stultitiæ & cæcitatis avari, de qua diximus: pudeat vos, etiamsi nullum esset tormentum nec infernus in avaritia; pudeat esse tam stultos & insanos, ut vitam vestram tam insipienter pro aliorum commodo expendatis. Secundum remedium est: consideratio brevitatis vitæ: quam cito moriemini, & omnia relinquetis. Quid enim ad te de his, qui sunt post te? Te mortuo, mortuus est etiam tibi mundus. Pone, quod omnia habeas, omnia possideas, sis dives, sis potens pro libito; quid inde? Et si Imperator, quid inde? In diversorio es, cito vocaberis, & omnia in isto diversorio relinques. Nonne melius procurare in via, quod postmodum perpetuo possideas? Fratres mei: quoties considero, quod post modicum putridus in sepulchro existam, vilescunt mihi omnia quæ sunt mundi, non possum levare oculos ad videndum aliquid. Facile contemnit omnia, qui quotidie cogitat se esse moriturum: Hieronymus (d). Tertium (d) remedium: considera; quod, si in his temporalibus est aliqua delectatio & consolatio; sed major labor solicitudo & inquietudo. Pillulæ deauratæ, & vincit acibaris amaritudo, dulcedinem. Quartum: valet consideratio inutilis occupationis, quæ in istis est: nam posset vita melius expendi in aliis utilibus, in scientia, in contemplatione, in bonis operibus. Unde philosophi propter hoc sine exspectatione alterius præmii omnia reliquerunt, & soli sapientiæ vacabant. Heu heu! *Erubesce Sidon, ait, mare.* Quid nos Isaiæ 23. dicturi

(a) Moral. lib. 14. cap. 53. num. 63. *Volens Deus Prophetæ ostendere humanum genus, ex qua ab eo maxime culpa dilabatur, per imaginem amphoræ, quasi patens os avaritiæ designavit. Avaritia quippe velut amphora est, quæ os cordis in ambitu apertum tenet.*

(b) De Senectute non procul a fin. *Avaritia vero senilis quid sibi velit non intelligo, potest enim quidquam esse absurdius, quam quo minus vitæ restat, eo plus viatici quærere?*

(c) De Offic. Episcopor. cap. 2. num. 7. *Clamant vero nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt: Dicite Pontifices, in fræno quid facit aurum? numquid aurum a fræno repellit frigus, sive esuriem? nobis frigore, & fame miserabiliter laborantibus, quid conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis, vel plicatæ in manticis? Nostrum est, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis.*

(d) Epist. ad Cyprianum Presbyterum prope fin. Secunda est inter Criticas in edit. Martianæi tom. 2. *Qui enim se recordatur quotidie esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat.* Et in fin. Epist. 50. ad Paulinum tom. 4. ejusdem edit. *Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.*

dicturi sumus, quibus tam modicum tempus datum est, ad perpetuas illas divitias parandas? Quantum dolendum est, quod momentum istud in his vanitatibus expendimus, & post in morte vacuas manus reperiemus? Si ergo vere divites esse volumus, veras divitias amemus. Thesaurizemus nobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, semper præ oculis habentes æternas illas divitias, quæ nobis paratæ sunt in cœlo; & quod nostris laboribus & operibus cum Dei gratia acquirendæ sunt. Sumentes de vita ista quod sufficit ad vivendum; totam curam & diligentiam exhibeamus, juxta Apostoli consilium: *Divites fieri in bonis operibus; & thesaurizare* nobis *fundamentum bonum in futurum*. Ut per hæc vitam æternam promereamur; ad quam nos perducat Jesus Christus Dominus noster. Amen.

Mat. 6.

1. *Tim.* 6.

IN FERIAM SEXTAM
POST DOMINICAM IV. QUADRAGESIMÆ
CONCIO.
DE SPIRITALI PECCATORIS RESUSCITATIONE.

Voce magna clamavit: Lazare, veni foras.
Joann. 11. v. 43.

CONCIO LVI.

I. HISTORIAM primum Euangelicæ lectionis vel carptim exponamus: & eandem deinde ad mores convertemus. *Ecce quem amas*. P. Augustinus (*a*) hæc tractans: Non dixerunt, Veni & sana; sufficit ut noveris: non enim amas, & deseris. Noveris ex hoc, pro infirmitatibus corporis succincte orare, pro salute animæ prolixius. *Nonne duodecim horæ sunt diei?* Se ipsum diem, & Apostolos horas vocat. Unde latenter arguit eos insolentiæ, quia ei consulere volebant. Sicut & alibi Petro ait: *Vade post me satana. Si quis ambulaverit in die, non offendit:* neque vos me lucem mundi sequentes, offendetis. *Lazarus amicus noster dormit*. Vere ita est: si amicus est dormit; inimicus moritur. Unde Stephanus *Obdormivit in Domino*. Psalmus: *Cum dederit dilectis suis somnum*. Dormiebat ei, qui tam facile eum poterat suscitare a sepulchro, quam dormientem a lecto. *Domine, si fuisses hic, Frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio, quia quæcumque poposcveris a Deo, dabit tibi Deus*. Grandis fides, quæ non solum prohibere mortem præsentia sua, sed & vitam impetrare defuncto potentem fatetur. Sed defecit, quia non dare, sed a Deo impetrare credidit. Hominem perfectissimum & maximum Prophetam hæc mulier credebat, sed Deum, aut Dei Filium Unigenitum nesciebat. Hæc fides Domini colloquio perficitur, ut miraculum fide promereatur. *Resurget Frater tuus.* Temperamento usus est propter infirmitatem fœminæ. *Scio quia resurget in novissimo die.* Non dico hoc: sed *Ego sum resurrectio & vita*. Impetrare non egeo, sed vivificare possum, quia vita sum. *Credis hoc?* Hucusque te proficere oportet in fide, ut miraculum videas. *Utique Domine*. Illa profitetur, & addit adhuc: *Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti*. Hæc fides perfecta est, quam quia professus est Petrus, audivit: *Beatus es Simon Bar-Jona*. Mira colloquii utilitas, eadem verba Mulier protulit illuminante Filio, quæ protulerat Petrus illuminante Patre. Satis est Martha: persta in hac fide, ne cadas ab ea, voca Sororem tuam.

II. *Surrexit cito, & venit ad eum*. Præ amore & desiderio Salvatoris, præsentes nobiles consolantes, velut pueros spernit, & rapido gressu obviam Dilecto suo vadit. Mira harum fœminarum dilectio in Christum: ecce vocatus grandi necessitate non venerat, neque se venturum promiserat, responderat verbum, quod ad earum intellectum forsitan falsum apparebat. Sic enim illæ acceperant Domini responsionem: *Infirmitas hæc non est ad mortem*. Id est: non morietur Frater hac infirmitate. Et tanto contemptu neque offenduntur, neque scandalizantur in eo, sed audito ejus adventu, fervido amore occurrunt ei. Non dicunt: ecce noluit opportuno venire, modo venit: est mortuus frater,

Jo. 11.

(*a*)

Ibidem.

*Mat.*16.

Jo. 11.

Ibidem.

Act. 7.

Ps. 126.

Jo. 11.

Jo. 11.

Ibidem.

*Mat.*16.

Jo. 11.

Ibidem.

quem

(*a*) In Joann. Euang. cap. 11. tract. 49. num. 5. *Quid ergo renuntiaverunt sorores ejus? Domine, ecce quem amas infirmatur. Non dixerunt Veni: amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausæ sunt dicere Veni, & sana: non ausæ sunt dicere, Ibi jube, & hic fiet... Nihil horum istæ, sed tantummodo, Domine, ecce quem amas infirmatur. Sufficit ut noveris; non enim amas, & deseris.* Et infra num. 13., ubi de Marthæ verbis. *Non dixit, Sed & modo rogo te, ut resuscites fratrem meum. Unde enim sciebat, si fratri ejus resurgere utile fuerit? Hoc tantum dixit, Scio quia potes, si vis facis: utrum enim facias, judicii tui est, non præsumptionis meæ.*

quem promiſerat non moriturum. Nihil tale eis venit in mentem, quia eas Chriſti amor penitus poſſidebat. O amoris potentiam ineffabilem! Quid non vincis amor? *Charitas non irritatur*, non indignatur, non offenditur: *Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat:* non læditur ab amico, quidquid agat; omnia in bonum interpretatur; de nullo ſcandalizatur. Nihil amore fortius, nihil patientius, nihil fidelius. O Domine quomodo probas tuos! Quam mirifice tentas eos, ut eorum in te fiduciam oſtendas! Eſtote conſtantes fratres mei, quidquid accidat, eſtote firmi, & nolite deficere, ne amittatis Domini confidentiam. Tentat vos Dominus Deus veſter, ut appareat ſi diligitis eum, aut non; ut palam fiat, utrum diligatis. *A cuſtodia matutina uſque ad noctem ſperet* anima juſta *in Domino:* quia cum minus putatur, veniet & ſalvabit eam. Mementote Abrahæ amici Dei, qui probatus a Deo, perfectus inventus eſt: qui contra ſpem in ſpem credidit, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. Occidere jubebatur filium unicum, in quo promiſſiones acceperat, & juſſa Dei implere paratus, de promiſſione non diffidit. Mementote etiam ſanctiſſimi Job, qui in ſterquilinio plagatus, fiduciam non amiſit, neque Domini verberibus irritatus eſt. Unde ſuadente uxore diffidentiam, viriliter reſpondit: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* Mementote etiam Suſannæ, quæ in ultimo tribulationis poſita, cum jam nullibi pateret remedium, erat fiduciam habens in Domino: unde & liberata eſt. Sic etiam feminæ ſanctæ, quia probatæ in amoris fiducia perſtiterunt, Fratris ſuſcitationem a Domino promeruerunt. Unde Sapiens: *Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam.* Et Propheta: *Dominus obtrivit confidentiam tuam, & nihil habebis proſperum.*

1. Cor. 13. Deut. 13. Pſ. 129. Gen. 22. Rom. 4. Job 2. Ibid. 13. Dan. 13. Eccl. 2. Jer. 2.

III. *Turbavit ſemetipſum.* Gratis & ſponte turbatus eſt: non ſicut nos inviti perturbamur. *Infremuit ſpiritu & lacrymatus eſt.* Quod lacrymatus eſt, ad pietatem ſpectat, ut nobis pietatis præberet exemplum. Homines enim ſine pietate, ſine affectione, ſine fœdere, ſine miſericordia, Apoſtolus nequiſſimis annumerat. Unde ait: *Flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus.* Sed, quod infremuit, altiori indiget ſenſu. Magnum profecto aliquid in pectore Chriſti latebat, unde fremitus ille prodiit. Sed quid illud ſit, quis agnovit? Forte duritiam & pertinaciam Judæorum exhorruit, quæ eum mortuos fœtidos ſuſcitare compellebat, ut tanto miraculo convertantur: & hujus incredulitatis dolore percitus, grandi gemitu infremuit. Vel forte paſſionis acerbitas illi, ſicut in horto, tunc oblata eſt, quia ex illo opere principium habitura erat. Vel in myſterio fremuit ſemel & iterum, ut hoc ipſum in peccatoris ſuſcitatione opus eſſe monſtraret, ut poſtea dicturi ſumus. *Domine jam fœtet.* Ecce quæ prius non interrogata prædixerat: *Scio, quia quæcumque popoſceris a Deo, dabit tibi Deus;* modo cum ad rem ipſam pervenitur, a fide deficit, & labaſcit. Aliud eſt enim dicere, aliud experiri. Multa profitemur, quæ in conflictu aliter invenimus. *Jeſus autem elevatis oculis*, oravit: ut nos in ſimilibus idem facere doceret. Sed ne putetur vitam potius impetraſſe, quam præbuiſſe, orationis cauſam exponit, non neceſſitatem eſſe, ſed utilitatem. *Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus.* Quantus ſtupor, quantus tremor, omnes præſentes tunc invaſit. Miror, quod præ timore non inde aut fugerunt, aut in terram ceciderunt. Quem mortuum & jam fœtentem viderant, modo vivum extantem videbant. Quis animus tantum potuit horroris ſpectaculum ſuſtinere? Trepidant Apoſtolicæ manus ſolventes eum, & vix poſſunt implere mandatum. O Judæa perfida, quomodo non ad hoc prodigium converſa es? Mira cæcitas ſacerdotum conſiliantium, ut mortem inferant vitæ largitori. Quanta nequitia, quanta ſtultitia! Non fuit qui in tanto concilio diceret: Quid agitis o ſacerdotes, quid conſulitis? Contra quem armamini? Fœtidos mortuos hic Homo ſuſcitat, & vos occidetis eum? Videte, ne potius ejus ſolo præcepto omnes moriamini: facilius eſt enim præcepto occidere inimicos, quam verbo ſuſcitare amicos. Sed nullo miraculo perfidia vincitur, nullo prodigio malitia ſuperatur: tanta erat enim hominum iniquorum invidia in Chriſtum, & ſic totius nefandi ſenatus oculos malitia obcæcaverat, ut, unde converti debuerant, inde fierent nequiores.

Jo. 11. Ibidem. Rom. 1. Ibid. 12. Jo. 11.

IV. Sed hanc eandem hiſtoriam morali tractatione rurſus expediamus. Ut ait Gregorius (*a*) in homilia: Miracula Domini Salvatoris ſic accipienda ſunt, ut in veritate credantur facta, & tamen per ſignificationem nobis aliquid innuant: non enim ſolum miracula ſunt, ſed myſteria. Latet in hac Lazari ſuſcitatione, ſpiritualis ſuſcitatio peccatoris. Lazarus namque quatriduanus, fœtidus, & ſepultus peccatoris typum gerit. Non cujuſque, ſed obſtinati, indurati, corrupti, in quo ratio, mens, ſenſus, ſyndereſis vitio ſepulta ſunt. Non eſt in eo humanæ rationis veſtigium, ſed in belluam totus degeneravit. Siquidem, ut ait Pſalmus: *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum: tranſierunt in affectum cordis.* Hic fœtore malæ famæ, Dei populum inficit, & lædit. Unde ſicut peſtilens ab hominum conſortio ſegregandus eſt; ne contagione peſtifera cæteros perdat. Quatriduanus eſt, quoniam quatuor dies in peccato habet. Scilicet: conſenſum, opus, conſuetudinem, & contemptum. Im-

(*a*)

Pſal. 72.

(*a*) Ejus verba ex Homil. 2. in Euang. num. 1. hauſta ſunt, & ea jam recitavimus in notis ad Concion. in Fer. 6. poſt Dom. 1. Quadrag.

Prov. 18. pius enim cum venerit in profundum malorum, contemnit. De quibus Sapiens: *Qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis*. Horum difficilis eſt ſuſcitatio. *Eccl.* 1. *Perverſi enim difficile corriguntur*. Sicut enim fermentatam maſſam, azimam reddere difficillimum eſt, ita carnem & mentem fermento peccatorum, & amurca vitiorum infectam, in priſtinam reſtitui munditiam, ſolius Dei opus eſt. Unde Job: *Quis poteſt* *Job* 14. *facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es?* Et Jeremias: *Si poteſt*, *Jer.* 13. inquit, *mutare Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas:* ita & *vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum*. Peccator unius diei, aut duorum dierum perfacile curatur, quia non ita omnino peccato infectus eſt. Sed quatriduanus, vix unquam a peccato reſurgit. Ideo per Prophetam Dominus inquit: *Amos* 1. *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum. Super tribus ſceleribus Gazæ, & ſuper quatuor non convertam eum. Super tribus ſceleribus Edom, Tyri, Moab, Juda, & ſuper quatuor non convertam eum*. Quaſi dicat: tribus ſceleribus aliquando parcam; quarto, vix parcam. Quia qui Deum contemnit, meretur & ipſe contemni. Unde illud verbum toties repetitur: non ut impoſſibilem, ſed ut difficilem quatriduani peccatoris oſtenderet curationem. Nam, ſicut qui in ægritudinibus corporalibus, diſtemperatis humoribus ægrotat, perfacile ſanatur: qui autem corruptis omnino, & putridis, diuturna febre laborat, longo tempore & forti medicamine vix curatur; ita in animæ ægritudinibus omnino evenire ſolet.

V. Veruntamen ſi ea quæ in Lazari ſuſcitatione facta ſunt, hujuſmodi peccator implere voluerit, poterit & ipſe ſuſcitari: Deo enim nihil eſt difficile, cujus nutui omnia parent. Primo itaque, qui hujuſmodi eſt, Juſtorum patrocinium quærat, quorum precibus Dominus exoratus ſubveniat. Sic enim Lazarus ſanctarum Sororum obſecrationibus ſuſcitatus eſt. Placet Deo nimis humilitas peccatoris, qui de ſe penitus diffiſus, quia indignum exauditione ſe reputat, alterius ſuffragia quærit. *Jacob.* 5. *Multum enim valet apud Deum deprecatio juſti*. Quid enim non tribuit amicis ſuis Deus? Abraham precibus obtinuerat a Domino, ut quinque civitates nefandiſſimæ, decem Juſtorum merito ab in- *Gen.* 18. cendio ſalvarentur. Moyſes totius populi *Exodi* 32. excidium obſecrationibus ſuis avertit, ſicut ſcriptum eſt: *Pſ.* 105. *Dixit ut diſperderet eos, ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione in conſpectu ejus*. Denique: *Pſ.* 144. *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet*. Juſtus enim etſi non poteſt alterius ſuſcitationem operibus promereri, poteſt eam alteri precibus impetrare. Sed valde advertendum eſt, ut inquit, Bernardus (*a*): quod Sorores pro infirmo & adhuc vivo, Dominum deprecantur: pro mortuo autem & ſepulto, non orant, ſed plorant. Sic omnino Sancti apud Deum pro peccatore adhuc ſenſibus vivo, qui & reatum ſentit, & a peccato ſolvi toto animo concupiſcit, orationibus intercedunt: at pro illo, qui jam mortuus a corde, in vitiis & in peccatis ſepultus eſt: non precibus, ſed lacrymis agunt, in ſilentio ſedentes, & amare flentes; ſi forte reſpiciat Deus, & miſereatur. Quis enim tam inſolens, ut pro obſtinato contemptore deprecari audeat, & dicere Deo ſuo, Domine ſalva illum? Unde Pſalmus: *Pro hac*, ſcilicet impietate, *orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno. Verumtamen in diluvio aquarum multarum*, id eſt peccatorum inundatione, *ad eum non approximabunt*. Ut Joannes: *Eſt peccatum ad mortem*, non ſolum peccati, ſed ſenſus, & cordis. Quid igitur? Non oret, ſed ploret; efficacior enim coram Deo eſt lacryma, quam lingua: & plus fletibus, quam orationibus flectitur. Hoc ipſum amici Job, eidem quaſi jam perdito, & a Deo repulſo conſulebant dicentes: *Voca ſi eſt qui tibi reſpondeat; & ad aliquem Sanctorum convertere*. Et alius amicus; *Si* *Job* 5. *fuerit pro eo*, pro peccatore, ſcilicet; *Angelus loquens unus de millibus, ut annuntiet* *Ibid.* 33. *hominis æquitatem. Miſerebitur ejus, & dicet:* Angelus ſcilicet; *Libera eum, ut non deſcendat in corruptionem*. Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit, & videbit faciem ejus in jubilo, & reddet homini juſtitiam ſuam.

VI. Sed numquid intercedente juſto peccator ipſe ſilebit? Imo continue pro ſeipſo lacrymas fundet. Juſti oratio, peccatoris contritioni ſociabitur, ut veniam obtineat: nam & Chriſtus ante Lazari ſuſcitationem turbavit ſemetipſum, & lacrymatus eſt, & infremuit ſpiritu. *Jo.* 11. Quæ omnia in peccatoris contritione inveniri oportet. Turbet ergo ſemetipſum peccator, non expectet ut turbetur a Deo: nam contritio dolor eſt voluntarie pro peccato aſſumptus, non flagello extortus. Modicus dolor ſpontaneus, gratior eſt graviſſimo dolore coacto. Unde Pſalm. *Tribulationem & dolorem inveni*. Id eſt: non *Pſ.* 114. expectavi, ut dolor inveniret me, ſed ipſe quæſivi, & inveni dolorem, quo peccati mei macula ſanaretur. Quoſdam enim dolores, ut ait P. Auguſtinus (*b*), nos invenimus, alii autem inveniunt nos. Sed ſi verus eſt dolor, ſequantur lacrymæ: qui enim pro temporalibus incommodis lacrymas affluenter effundit, & peccatorum lacrymas neſcit, ipſe ſibi teſtis eſt, quia non vere de peccatis dolet. Unde Propheta: *Luctum unigeniti fac tibi,* *Jer.* 6. *planctum amarum*. Si enim mater pro unigenito

(*a*) Huc ſpectat cap. 22. tract. de Grad Humilit.

(*b*) In Pſal. 136. num. 5. *Tribulationem, & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi. Quid eſt quod dicit inveni? Neſcio quam tribulationem quaſi quærendam, invenit tanquam quæſitam. Et cum inveniſſet, quo lucro invenit? Nomen Domini invocavit. Multum intereſt, utrum invenias tribulationem, an inveniaris a tribulatione, &c.*

nito filio, quem a morte temporali lacrymis revocare non potest, tam implacabiliter plorat, quibus tu fletibus animæ tuæ æternam mortem deplorare debebis, cum possis eam lacrymis suscitare? In morte corporis temperare a lacrymis philosophicum est, in morte animi non plorare pernicioſum est. O
Cant. 4. fontem aquæ vivæ, & aquarum viventium puteum, fontem lacrymarum! Quo crimen abluitur, macula peccati tollitur, concupiscentiæ ignis extinguitur, facies animæ lavatur, sitis cordis sedatur, & mentis sterilitas fœcundatur! Beatus qui te possidet: *Non*
Ps. 126. *confundetur in* tempore malo, *cum loquetur inimicis suis in porta*. Doleat itaque peccator, & lacrymetur, & fremat spiritu cum Jesu, ut suscitetur. Non solum gemat, sed a gemitus magnitudine fremat. Qui enim barathro peccatorum conclusus est, & abysso iniquitatum illisus, si leviter clamat, quomodo in cœlo vox ejus audietur ad veniam? Altius gemat necesse est, qui profundius corruit. Unde Job gravissima tribulatione pressus, dicebat: *Antequam comedam suspiro*, quasi
Job 3. *inundantes aquæ, sic rugitus meus*. Exemplum sibi proponat peccator in Rege illo Psalmographo: qui eo altius gemebat, quo profundius ceciderat. Audi lapsum: *Non est sanitas in carne mea:* usque in finem Psalmi.
Psal. 37. Audi gemitum: *Tota die contristatus ingrediebar. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei*. Sic pro peccato gemebat, ut præ magnitudine, non
Jo. 11. jam gemitus, sed rugitus potius videretur.

VII. Quod autem Christus bis infremuit, duplicatum gemitum peccatoris designat, unum pro peccato, alterum pro reatu. Gemat pro delicto, gemat etiam pro damno; doleat quia peccando Deum offendit; doleat quoque, quia ex peccato gehennæ pœnam incurrit: secundus enim gemitus sine primo, non sufficit ad medelam. Qui enim de solo peccati damno dolet, culpam non abluit, &
Levit. 12. damnum non tollit. Propter quod in purificatione mulieris par turturum, aut duo pulli columbarum offerri jubentur: turtur
Lucæ 2. enim & columba utraque gemit. Geminata offeratur in sacrificio, ut a peccatorum colluvie sordidatus animus expietur. Sunt autem qui teneritudine quadam animi pro commissis, & gemitus imo pectore mittunt, & oculorum fonte lacrymas affluenter effundunt, sed nullo animi vigore peccati jugum a se abjiciunt, statim enim post lacrymas redeunt ad
Jo. 11. plorata. His a Christo dicitur: *Tollite lapidem*. Quasi dicat: placet quod commissa ploratis, sed deplorata iterum non repetatis. Qui enim lavatur a mortuo, & iterum tan-
Eccli. 34. git mortuum, quid illi profuit ablutio? Peccator rediens ad peccatum, sicut qui abluit laterem, abluendo enim amplius sordidatur.
2. Petr. 2. Unde Petrus: *Contingit*, inquit, *eis illud veri Proverbii: Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti*. Nec tamen facile abjicitur peccati pondus: grandem

tibi violentiam inferre debes, quisquis peccati jugum semel admissum ab animæ tuæ cervicibus pellere contendis. Heu miseram peccati servitutem! Quam, si semel incurrit, catenis durissimis, & infrangibilibus irretitur. Residet iniquitas super talentum *Zach. 5.* plumbi, ut ait Propheta: & deprimentem peccatorum molem nulla potest virtus humana repellere. Non tamen diffidendum, sed pro nostra virili conandum est. Dei namque jussu tolletur hoc onus. Nam & mulieres pias, quæ dominico corpori unguenta ferebant, solicitas pro lapide dicere audivimus: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio mo-* *Marc. 16.* *numenti?* Nullo tamen suo labore, sed Angelico opere, *viderunt revolutum lapidem*. Omnis itaque nostra fiducia in Domini auxilio sit, neque tamen operam nostram ponere negligamus. *Computrescet jugum a facie* *Isaiæ 10.* *olei*, & charitatis unctio molem durissimam deliniet, atque dissolvet.

VIII. O si sanandis animæ passionibus eam adhiberemus curam, quam curandis corporum ægritudinibus adhibemus! Quid non sustinet, quid non patitur ægrotus pro recuperanda salute? Atroces ustiones, horribiles incisiones, amaras potiones, diuturnas inedias faciles reputat, dummodo concupitam recuperet sanitatem: sed si animæ languor curandus est, quidquid injungitur durissimum est. Modico vino abstinere non sustinet lubricus: exiguo lucro privari non patitur avarus: ad modicum humiliari non tolerat ambitiosus: flocci penditur animæ perpetua vita, & mortalis corporis amittenda salus supra modum diligitur. Deprimentes itaque peccatorum passiones tota virtute pellamus, si a vitiorum sepulchro vivi resurgere concupiscimus. Sed non ad solos peccatores directum sermonem existimemus, sed ad omnes potius, & maxime prælatos, quibus ex officio incumbit hujusmodi peccatorum oppressiones auferre. His a Christo dicitur: *Tollite lapidem*. Hoc est: auferte a populi mei *Jo. 11.* cervicibus jugum. Non eum exactionibus, impositionibus, præceptionibus gravetis: relevate potius, gravantemque eos peccatorum servitutem obsecrationibus, increpationibus, correctionibus, orationibus pellite. Heu! *Jer. 6.* heu! Quid dicam super contritione filiæ populi mei? Oneri sunt qui debuerant esse levamini: & qui principum exactiones relevare a populo debuerant, ipsi magis ecclesiasticis redditibus eos gravant. Sed omittamus eos: nam cum Pastor Pastorum apparuerit, de suis ovibus rationem exiget. Et *1. Petr. 5.* ad omnes nos hoc verbum potius referamus. Omnibus dicitur: *Tollite lapidem*. Non est enim proximus, qui fratris sub onere pressi *Jo. 11.* non miseretur, & juvat. Quid enim? Indulgentiores erimus in bestias quam in fratres? Scriptum est in Lege: *Si videris asinum fra-* *Deut. 22.* *tris tui, aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo*. Asinum ergo fratris & bovem sub onere cadentem suble-

vabimus, & ipsum fratrem mole peccatorum pressum impii negligemus? Vera charitas onustis peccatoribus non indignatur, sed miseretur potius. Non irritatur adversus eos, non detrectat, non excandescit, non linguæ verbera lapsis sub pondere addit, sed infirmitati & miseriæ condolens, prout potest, fratris necessitati succurrit. Hoc Deo gratissimum est Fratres: nam crudeles animos crudeliter judicabit Deus; non solum in futuro, sed etiam nunc. Qui enim supra modum aliorum peccata criminantur, hoc suo facto merentur & ipsi similibus implicari; ut in semetipsis discant, aliorum de cætero misereri. Unde Psalmus: *Qui exasperant, non exaltentur in semetipsis*. Qui vero jam virtute animi deprimentem passionis lapidem abstulit; quid ultra faciet ad vitam?

Psal.65.

IX. Audi quid facias: *Lazare veni foras*. Prodi, exi, veni in publicum, manifesta teipsum. Cur latebras quæris? Cur intra te absconderis? Cur sub doli pallio lates? Qualis intus in conscientia es, talis foras confessione prodito. Non vulnera tua pallies, non excuses, non defendas. Si enim operam medicantis expectas, necesse est ut vulnera tua detegas. Revela te uni, ne aliquando reveleris universo mundo. Sustine nunc verecundiam unius Sacerdotis, ne postmodum sustineas verecundiam orbis. Sicut enim ad Dei justitiam pertinet, ut nullum malum maneat impunitum, ita ad Dei veritatem spectat, ut nullum peccatum maneat occultum. Unde in Euangelio dicitur: *Nihil occultum, quod non reveletur*. Si tu non revelaveris peccatum tuum, revelabitur a Deo: si absconderis quasi homo, manifestabit ipse ut Deus. Unde in Psalmo: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam*. Et per Prophetam acrius: *Revelabo*, inquit, *pudenda tua in facie tua; & ostendam in gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam*. O terribilem confusionem! Quando dicent montibus: *Cadite super nos, & collibus operite nos*. Vere *beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*. Quorum autem tecta erunt, nisi quorum nunc propria confessione detegentur? Miserum te ostende, si vis Dei misericordiam obtinere: illi enim qui non confitetur offensam, quis unquam præstabit veniam? Aut quis miserebitur obstinato? Pauperes in bivio, ut transeuntium misericordiam obtineant, vulnera sua propalant: tu fac similiter coram Deo: confitere te peccatorem, & invenies Deum propitiatorem. Non enim magnum est, ut confitearis te esse, qui es: non grandia exigit a te pro reatu tuo Deus. Dic tu prior (*a*) iniquitates tuas, ut justificeris: dic quod es, & eris quod non es. Quid magnum est, si latro confiteatur se esse latronem? Qui coram judice confitetur, furca suspenditur, qui coram Deo confitetur, inferni furca liberatur. Apud sæculi judicem confessio judicium perficit, apud æternum Judicem confessio judicium tollit. Miser qui illud judicium expectat, in quo si cœli non sunt mundi in conspectu ejus, quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Unde Job: *Vere scio quod ita sit, quod non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo non poterit respondere unum pro mille*. Et Psalmus: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*.

Mat.10. *Job 31.* *Psal.49.* *Nahum 3.* *Lucæ 23.* *Psal.31.* *Isaiæ 43.* *Job 15.* *Ibid.25.* *Ibid.9.* *Psal.142.*

X. Quisquis igitur vitiorum sepulchro fœtidus & tabidus jaces, cum voces clamantis audieris, noli cor tuum obdurare, sed per confessionem protinus veni foras, ne obsurdescas in *similitudinem serpentis; & aspidis surdæ, & obturantis aures suas*, ne audiat *vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter*. Sed exi foras; non solum a delicto, sed etiam ab occasione, & delinquendi proposito. Quidam enim ad modicum in Quadragesima peccata deserunt, sed peccandi propositum numquam dimittunt. Quidam cum peccatis etiam propositum peccandi reliquisse sibi videntur, sed occasiones delinquendi non fugiunt, hi non suscitantur, quia non omnino foras exeunt. Angeli qui in Sodomorum subversionem destinati sunt a Deo, Lot dissimulantem, extra civitatem, & suburbium extrahentes comminati sunt: ne in omni circa regione perstaret, sed in monte salvum se faceret; typice per hoc designantes, ut quisquis divinam ultionem evadere procurat, exeat a peccato, exeat a peccati suburbio, id est proposito, exeat a peccati regione, id est, peccandi occasione: neque post tergum aliquando respiciat, neque in humili conversatione, id est, sæculari permaneat, sed virtutis culmen cum omni celeritate conscendat. Cum Ninive civitatis excidium per Prophetam Dominus comminaretur, jejunaverunt incolæ, planxerunt, vestiti sunt saccis, in cinere sederunt, cum lacrymis clamaverunt. Sed quid ait Scriptura? *Et vidit Deus opera eorum, quod conversi sunt de via sua mala, & misertus est super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit*. Non ait: vidit gemitus, vidit lacrymas, vidit saccos, vidit cineres; sed quid vidit? Opera eorum, quod conversi sunt a via sua mala. Si vitia non deseruntur, frustra Dei misericordia lacrymis imploratur: frustra enim oculus plorat, si animus in crimine perseverat. O peccator! Si vere ploras, veni foras: fuge concupiscentiam, dimitte lasciviam, expelle mulierculam, solve catenam: alias non credo lacrymis. *Funiculus triplex* malæ inclinationis, pravæ consuetudinis, violentæ occasionis *difficile rumpitur*. Miraculum grande est, ut habens juxta se mulierem, non tan-

Jonæ 3. *Eccl.4.* *Eccli.13.*

(*a*) Ex Vers. 70. Isaiæ 43. v. 26. *Dic tu iniquitates primus, ut justificeris*. Ibi Vulgata legit: *Narra, si quid habes, ut justificeris*.

tangat eam. Et utique: *Qui tangit picem,* A
Prov. 6. *inquinabitur ab ea.* In ſinu tuo carbones foves, & tuum non comburetur veſtimentum? Etiam ſi millies juraveris, etiam ſi obteſtando promiſeris, nunquam tibi credam.

XI. Illum autem, qui a Domino vivificatus, deſiderio ſalutis a vitiorum ſepulchro foras egreditur, vos o ſacerdotes ſolvite & ſinite abire. Cavete, ne eum in ſepulchro ſolvatis: prius exeat ut ſolvatur. *Numquid*
Pſal. 87. *narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, aut veritatem tuam in perditione? Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?* Non ſuſci- B
tat a ſepulchro medicus, ſed Deus; ſed quem ſuſcitat Deus, hunc ſolvit medicus: prius ergo vadat, & concubinam a domo pellat, pecuniam alienam reſtituat, contractus uſurarios rumpat, famam proximi læſam, prout poteſt, reſarciat, mercenariorum labores, & pauperum debita ſolvat, offenſo fratri reconcilietur, & veniam petat, & tunc ad confeſſarium redeat, & abſolvatur. Hic rectus eſt ordo, hic in Lazari ſuſcitatione a Domino ſervatus eſt, hunc ordinem ne tranſgrediaris. O Medice cur fœtentem ſolvis? Cur indigno veniam promittis? Cur, cui C
abſolutionis beneficium exhibeas, non diſcernis? Duas tibi claves Dominus dedit, unam diſcernendi, alteram judicandi; abſolvendi, ſcilicet, & ligandi: & tu ſine diſcretionis examine neminem ligas, omnes abſolvis una tantum clave, neque integra quidem uteris, ſed dimidiata. Heu heu! Ven-
Jer. 4. trem meum doleo, ventrem meum doleo! In domo Dei horrendum vidi: paſtores Domini ſui oves jugulantes: medicos populi ſui ægrotos occidentes: judices turpibus blandientes: cenſores flagitia palpantes: cæcos gregem Domini dirigentes. An non horren- D
dum hoc? Hi ſunt Prophetæ mendaces, in quos Dominus per Prophetam invehitur, di-
Ezech. 13. cens: *Eo quod deceperint populum meum dicentes: Pax, pax, & non eſt pax. Et ipſe ædificabat parietem, ipſi autem liniebant eum luto abſque paleis.* Et infra: *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas. Et cum caperent animas populi mei vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Et per alium
Jer. 6. Prophetam apertius: *A minore uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent. Et a Propheta uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax, & non erat pax. Confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt: quin potius confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt.* O miſeri animarum, non curatores, ſed interfectores, non conſultores, ſed deceptores! Quid reſpondebitis Domino pro grege, quem veſtris blanditiis decepiſtis? Veſtris conſiliis jugulaſtis? Quid Eccleſiam Domini hodie perdit, niſi confeſſariorum & paſtorum blandiens adulatio, deliniens demulcenſque aſſentatio? Væ miſeris, non ægritudinem, ſed contritionem, ac confuſionem peccatorum curant, quam augere debuiſſent, promittentes pacem, quibus non eſt pax, & veniam, quibus æterna damnatio parata eſt. Parvum eſt, inquiunt, nimirum, humanum eſt peccare. Quis ho-
3. Reg. 8. mo qui non peccat? Facilis eſt venia; ne
2. Paralip. 6. triſteris, ne doleas; confeſſus abſolutus es, ſufficit tibi ad ſalutem: vive lætus, Domini Sacramenta ſuſcepiſti, ſine dubio ſalvaberis. Sic animas mortuas & ſecuras a ſuis pedibus mittunt, tanto miſeriores, quanto ſecuriores vulnera liniunt, vermem conſcientiæ extinguunt, ſtimulum peccati auferunt, & ſecuros peccatores ad inferna demittunt: qui, ſi timorem populo incuterent, forſitan illum a vitiis revocaſſent.

XII. Cui comparabimus adulatores iſtos, aut cui aſſimilabimus eos? Similes ſunt profecto hominibus, qui a ripa, pereuntibus in flumine manum porrigunt, & violentia fluminis ipſi cum aliis demerguntur. Unde aptiſſime ſequitur in Propheta: *Quam ob rem* Jer. 6. *cadent inter ruentes: in tempore viſitationis ſuæ corruent, dicit Dominus.* Pondere namque peccatorum aſſentatores ſuos poſt ſe peccatores in præcipitia rapiunt, & ſecum eos ad inferna deducunt. Hæc contra quoſdam confeſſarios noſtri temporis, pie impios, & impie pios dicta ſint: qui ne confitentem aliquantiſper contriſtent, illum in ſua nequitia manere permittunt. At quanto melius eſſet ad modicum contriſtare, quam in æternum damnare. Apoſtolum audiamus, qui ad Corinthios ſic ait: *Etſi contriſtavi vos* 2. Cor. 7. *in epiſtola, non me pœnitet.* Nam, etſi ad horam epiſtola illa vos contriſtavit, *nunc gaudeo: non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Ecce enim hoc ipſum ſecundum Deum contriſtari vos, quantam vobis operatur ſolicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam.* Hæc omnia bona triſtitia, quæ ſecundum Deum eſt, operatur in homine. Non te pigeat o ſacerdos ægros moribus ſic contriſtare.

XIII. Nolo tamen, ut in pœnitentiis in- E
jungendis plus æquo ſeverior ſis. Dictum Domini Salvatoris memorare: *Alligant one-* Mat. 23. *ra gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere.* Unde & nunc ad Apoſtolos ait: *Solvite & ſinite abire.* Ac ſi dicat. Non pœnitentia eos gravetis, non auſteritate terreatis. Nam in actione pœnitentiæ non tam attenditur quantitas rigoris, aut temporis, quam doloris. Contritio peccatum tollit, gemitus & lacryma crimen abluit. Peccatorem Sacerdotis abſolutio ſolvit, exterior autem

tem pœna, & de peccato ſumit juſtam vindictam, & peccatori affert medicinam. *Cor contritum & humiliatum Deus non* deſpicit. *Pſal.50.* Confitentis adverſum ſe injuſtitiam ſuam, ipſe peccati impietatem remittit; qui peccata ſua eleemoſynis redimit, qui ſaccum & cinerem ſternit, qui humiliat in jejunio animam ſuam, & orationem fundit coram Altiſſimo, ipſe immutabilis Dei prævenit judicium, &, ut ita dicam, mutat ſententiam, & plenam aſſequitur peccatorum veniam. Quæ licet ita ſint, ſatius tamen judico, cum modica pœnitentia animas ad purgatorium remittere, quam propter pœnitentiæ rigorem damnationis periculo eas exponere. Nam pœnitentia pro mortali ſi acceptatur, obligat ad effectum. Sic itaque rigorem pœnitentiæ temperato, ut neque levitas delicti contemptum, nec gravitas omittendi periculum creet. Hoc judicio meo ita perficies, ſi facilem unam injunxeris, & acriorem alteram peccatori conſulueris. Ita tamen, ut ad omnem ejus voluntariam & ſpontaneam pœnitentiam Sacramenti applices efficaciam. Non nihil enim ex hac applicatione illi accreſcit. Hæc ſunt peccatoris indurati remedia, quæ ſi fecerit, ſicut dictum eſt: quamvis quatriduanus, quamvis ſepultus, & fœtidus, poterit a peccato ſuſcitari, & Beatorum felicitate potiri. Sunt autem ſex, ut epilogo ea concludamus: ſcilicet, pia Patronorum interpellatio, amara delictorum contritio, diligens paſſionum curatio, clara peccatorum confeſſio, efficax ſacerdotum abſolutio, & pœnitentis debita ſatisfactio. Quæ omnia in lectionis Euangelicæ ſerie ſigillatim annotata ſunt.

XIV. Sed de Abſolutionis efficacia ſuccincte nunc attingamus: propter quoſdam, qui judicio meo clavium virtutem nimis attenuant, afferentes (*a*), ſacerdotes neminem a peccato abſolvere, ſed abſolutum dumtaxat oſtendere; hoc Domini Salvatoris miraculo opinionem ſuam corroborantes: nam Lazarum ſolus ipſe ſuſcitavit, & vivum Apoſtolis ſolvendum tradidit. *Marc. 2.* *Quis enim*, inquit, *Deut.32.* *poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Ego occidam, & ego vivere faciam*, ait Dominus. Quomodo igitur ſacerdos abſolvit, quomodo vivificat animas? Leproſos in lege ſacerdos non mundat, ſed mundatos declarat. Propter quod Dominus leproſos jam mundatos ad ſacerdotes remiſit, dicens: *Luc.17.* *Ite & oſtendite vos ſacerdotibus*. Non ergo aliter exiſtimandum eſt contingere in lepra cordis, quam corporis. Deus mundat, ſacerdos mundatos declarat. Sed ſi ita eſt: abſolutio, non Sacramentum, ſed Sacramenti ſignum & indicium eſt, & non in officium, ſed in onus & ſervitium data eſt. Quanta eſt hæc clavium virtus, non a peccatis abſolvere, non peccata remittere, ſed abſolutum remiſſumque oſtendere? Non ita lego in Euangelio, non ita audio. Sed quid? *Quorum remiſeritis peccata* remiſſa ſunt. *Et quorum retinueritis, retenta* erunt. Remittit ergo peccata ſacerdos, non tantum dimiſſa oſtendit. Non tamen ut Deus, ſed ut miniſter: non propria virtute, ſed Dei inſtitutione; non ſua authoritate, ſed Dei beneplacito; non relaxando delictum, ſed applicando Sacramentum. Deus enim ſolus gratiam, & vitam peccatori confert, ſed ad arbitrium & judicium ſacerdotis, cui tanta virtus & potentia collata eſt a Chriſto, ut ipſo exterius abſolvente ſolo verbo, Deus intus infallibiliter abſolvat veritate, & facto, ſi non ponatur obex, & adſit diſpoſitio. Quid miraris? Quid ſtupes? An in parvulorum Baptiſmo non ita fit? Sacerdos a foris mittit aquam, & Deus intus infundit gratiam: & ablutio illa exterior non ſolum interiorem ſignificat, ſed etiam ſuo modo cauſat. An etiam dubitas, quia ſacerdos verbo conficit, verbo conſecrat? Veræ ſunt Sacramentales formæ, non dubites: *Ego te baptizo, Ego te abſolvo*. Neque tua indigent gloſſa. Unde, quia magnam quandam poteſtatem, & ſæculis inauditam Chriſtus Dominus Apoſtolis collaturus erat, poſt ſuam reſurrectionem prius eos ſuo flatu, Spiritu ſancto perfudit, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum*. *Ibidem.* Et ſtatim adjunxit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. O admirandam ſtupendamque potentiam! O gratiam ſingularem! Ut homo homini, peccator peccatori peccata dimittat; & in hominis arbitrio Deus offenſus juſtitiam ſuam ponat.

XV. Stupeo, Fratres, & vehementer admiror, nec me capio præ lætitia, quoties tantæ dignationis, & clementiæ beneficium mecum ipſe conſidero. Quis unquam hominum a Deo talem poſſet gratiam ſperare? Quis unquam poſſet credere, quod filius hominis ſuper terram poteſtatem habeat remittendi peccata? *Mat.9.* Cum paralitico cuidam diceret Chriſtus: *Remittuntur tibi peccata tua*, *Ibidem.* blaſphemare viſus eſt Phariſæis: *Et quis*, inquiunt, *poteſt remittere peccata, niſi ſolus* *Marc.2.* *Deus?* Quibus Dominus: *Ut ſciatis*, inquit, *Mat.9.* *quia Filius hominis poteſtatem habet remittendi peccata, ait paralitico: Surge, tolle lectum tuum, & ambula*. Acclamatum eſt ab omnibus viſo miraculo: & merito. Benedictus Deus, qui talem poteſtatem dedit hominibus, quia nihil majus hominibus præſtari poſſe videbatur: & tamen hoc, quod ſic admiratur ſynagoga, cuilibet ſacerdoti collatum eſt in Eccleſia, non dubie, non obſcure, ſed infallibiliter, & aperte. *Quorum remiſeritis,* *Jo.20.* inquit, *peccata, remittuntur eis*. Quid clarius, quid apertius? Nolo expoſitiones tuas, nolo gloſſemata vana: ſic a Chriſto prolatum eſt,

(*a*) Theſim hujuſmodi, quam nervoſe confutat S. Orator hoc loco, expreſſe poſtea damnavit Concil. Trident. ſeſs. 14. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, &c. anathema ſit.*

est, sic susçipio, ita credo. Confer nunc omnia illa antiqua beneficia, quæ populo illi collata sunt, & velut arena exigua reputabuntur ad istud. Quid est manna, quid aqua de petra, quid concessa libertas ad hanc gratiam remissionis? Mira potestas, ut inter Deum & hominem arbiter homo sedeat, & Dei judicia suo arbitrio homo fratri discernat, offensas Deo illatas fratri remittat, & quod agit in terris, ratum & firmum habeatur in cœlis. Cui unquam Sanctorum Patrum in lege tanta facultas concessa est? Abraham amicus Dei, Moyses Deo familiaris & charus, qui cum Deo quasi vir ad proximum suum loquebatur, numquid tale aliquid acceperunt? Numquid orante Abraham pro peccato Sodomorum, & Moyse pro reatu vituli deprecante, quispiam illorum audivit a Domino: relaxa tu peccatum, dimitte delictum? Sed quid admiramur, si Sacerdoti euangelico conceditur, quod Patriarchæ sanctissimo concessum non est? Decuit enim Deum hominem factum, inter homines conversatum, in terris visum, talia hominibus dona præstare, talia fratribus suis xenia relinquere. O vere donum Deo dignum, & magnificentia tali largitore dignissima! Apostolum super hoc audiamus: *Qui proprio*, inquit, *Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non cum illo nobis omnia donavit?* Sponte dedit Filium, & magnum est si gratis remittat debitum? Donavit Unigeniti sui personam, & non delicti nostri condonabit indulgentiam? Hæc quidem gratia si per se pensetur, magna est: si vero ad illam conferatur, exigua. Lætemur ergo fratres, & gaudeamus, quia in illius plenitudinis & gratiæ tempus forte incidimus, in quo, si Christo Domino per fidem & amorem adhæserimus, si in ejus merito & virtute confiderimus, etiam si mortui & sepulti peccato fuerimus, ejus gratia & misericordia faciliter susçitabimur, ipso vivificante, qui mortem assumpsit, ut vitam donaret.

Sap. 7. Deut. 8. Exodi 17.

Ibid. 33.

Gen. 18. Exodi 31.

Baruch 3.

Rom. 8.

XVI. *Lazare veni foras*. Lazarus quatriduanus significat peccatorem quatuor dierum. Hos quatuor dies Psalmus exprimit, dicens: *Dixi iniquis: Nolite inique agere*. Ecce primus dies quando peccatum perpetratur. Nam antequam concipitur, aut cogitatur aut tentatur, nondum est mors. Jacobus: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem*. Hæc igitur prima dies mortis. Sequitur: *Et delinquentibus, nolite exaltare cornu*. Cornu duritiam habet. Exaltatur cornu, cum prolongatur iniquitas, & prolongata obdurescit. Ecclesiasticus: *Fili, peccasti? Non adjicias iterum: sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur*. Apostolus exponens illud Psalmi: *Hodie si vocem ejus audieritis, &c. Ad Hebræos tertio*, ait: *Videte Fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*. Pondera hæc: Ne forte *obduretur quis ex vobis fallacia peccati*. Vestem sordidam purgare contemnis? Psalmus: *Prolongaverunt iniquitatem suam*. Tertius dies est laus de peccato. Sequitur: *Nolite extollere in altum cornu*. Cornu extollitur, quando post duritiem, etiam *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ*. De quibus: *Qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis*. Magna perversitas. Quid restat post hæc, nisi blasphemia, & contemptus Dei? Sequitur: *Nolite loqui adversus Deum iniquitatem*. Si quidem peccator, cum venerit in profundum malorum contemnit. Et ultimus gradus peccati, est infidelitas. Psalmus: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea*; id est: usque ad fidem. Sed nullus est peccatorum gradus, ex quo non possit susçitari. Psalmus: *Dixit Dominus ex Basan convertam, convertam in profundum maris*.

Heb. 3.

Psal. 128.

Psal. 74.

Psal. 10.

Prov. 2.

Psal. 74.

Prov. 18.

Psal. 136.

Psal. 67.

XVII. Quatuor verba quæ Dominus dixit in susçitatione Lazari, sunt quatuor remedia quibus peccator susçitatur. Primum: *Ubi posuistis eum?* Numquid ignorabas Domine? Non certe. Genesis: *Adam, ubi es?* Nescis de te ipso? Ridiculum; abscondit se a Deo. Videte, quantum ceciderit ab illo culmine intellectus more infantium, qui abscondunt se, velantes facies suas, putant se non videri. Primum ergo est cognitio peccati. Psalmus: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco*. Quis parcet ei, qui non agnoscit culpam? Secunda vox Domini: *Tollite lapidem*. Jam peccator cognoscit culpam. Sequitur, ut removeat duritiem cordis, gemat, clamet, ploret, doleat de peccato. Tertia vox: *Lazare veni foras*. Venit foras peccator, quando se publicat per confessionem; nam prius, intra se latebat. Exi per januam oris tui, monstra miseriam & vulnera tua. Dic contra palliantes peccata in confessione, contra colorantes. Job: *Si abscondi quasi homo peccatum meum*. Venit foras egrediendo a vitio. Quid prodest plorare peccata, & non exire per vitæ emendationem? Exi a peccato, exi a consuetudine. Vide figuram in Lot: *Dissimulante eo*, inquit, *eduxerunt eum, &c. Salva animam tuam*; sequitur: *Noli respicere post tergum*, id est: ne redeas ad priora, ad concupiscentias. *Nec stes in omni circa regione*. Exi a Sodoma, id est, regione propria de peccato, & occasione peccati. Quarta vox fuit; *Solvite*: hæc est absolutio a Sacerdote; ex quo peccator jam vivit: quod facit absolutio.

Jo. 11.

Psal. 50.

Jo. 11.

Ibidem.

Job 31.

Gen. 19.

Jo. 11.

IN DOMINICAM PASSIONIS

CONCIO PRIMA.

DE CONTRITIONE.

Quis ex vobis arguet me de peccato?
Joann. 8. v. 46.

CONCIO LVII.

I. HÆc verba ſolus Dominus, & Mater ejus dicere poſſunt, cæteri quantumvis Sancti, dicent cum Joanne: *Si dixerimus* quod *peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*. Et cum Jacobo: *In multis offendimus omnes*. Eſt tamen alia via; ſcilicet, per modum optantis & deprecantis, qua omnes dicere debemus: O ſi quis argueret me de peccato! Magnum nobis beneficium præſtat qui arguit, verus amicus eſt; nam ſermo reprehenſionis clavis eſt aperitionis. Aperit ſenſum & rationem, ut intelligamus defectus noſtros, & corrigamus. Sed eſt tanta noſtra ſuperbia, quod non accipiamus reprehenſionem, etiamſi fiat cum omni humilitate. Apoſtolus ad Timotheum: *Argue, obſecra, increpa, opportune, importune*. Ecce, Fratres, reprehenſio uſuræ in hac quadrageſima. Quantum fructum fecit, quantas animas eripuit de laqueo diaboli: dico ut gaudeatis, & gratias agatis Deo. Poſſumus dicere quod Apoſtolus: *Etſi contriſtavi vos, non me pœnitet, quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam*. Cæterum maximus & verus reprehenſor eſt quiſque ſui: nam neſcit homo quid ſit in homine, *niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt*. Mala noſtra palliamus, & bona oſtendimus: ideo ſoli noſtros defectus optime cognoſcimus, quos continue arguere debemus coram Deo per ſingulos dies, adhortantes corda noſtra, ut ait Apoſtolus: *Ne obduretur quis ex* nobis *fallacia peccati*. Sicut legimus de illo ſene monacho, quem cum alius monachus viſitaret, ſtans præ foribus cellæ, audivit ſenem ſecum loquentem, & ſe increpantem: Quid hic agis ſenex fatue, hypocrita, deceptor populi, putride, tepide: quamdiu te ſuſtinebo? Hæc autem reprehenſio per contritionem fit, de qua hodie locuturi ſumus; & dicemus tria. Primo; quid contritio: ſecundo; quam magnum & proprium remedium peccatorum ſit contritio: tertio; quomodo acquiratur.

Jacob. 3. *2. Tim. 4.* *2. Cor. 7.* *1. Cor. 2.* *Heb. 3.*

II. *Contritio eſt*, juxta Theologorum ſententiam (*a*): *Dolor voluntarie aſſumptus pro peccato, cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi*. Poteſt addi: *Et iterum non peccandi*. Dicitur primo: *Eſt dolor*. Pro hoc notandum, quod duplex eſt dolor: quidam, qui eſt actus voluntatis, & ille eſt odium, & diſplicentia, & deteſtatio, & abominatio peccati; nolle peccaſſe: & iſte actus eſt liber, & in noſtra poteſtate, ſecundum illud P. Auguſtini (*b*): *Nihil eſt magis in poteſtate voluntatis, quam ipſa voluntas*. Alius eſt dolor ſenſitivus, qui eſt paſſio & triſtitia quædam in ſenſualitate, quæ aliquando prorumpit in lacrymas. Primus dolor eſt contritio, & non ſecundus; ſed eſt effectus contritionis. Nam ex diſplicentia & odio peccati commiſſi, naſcitur in ſenſualitate illa triſtitia; & hæc non eſt ſic in noſtra poteſtate; nam, quidam ſunt duriores ad lacrymas, alii teneriores, ut mulieres: & tantum bonum, & tam magnum commodum peccatorum debuit eſſe liberum, & in noſtra poteſtate cum Dei gratia. Quod ſi in hac commotione & dolore ſenſualitatis contritio eſſet, mulieres teneræ multo melioris conditionis eſſent quam viri duriores. Verum eſt, quod, ut ait P. Auguſtinus (*c*); hic dolor ſenſualitatis ſignum eſt contritionis. Nam qui pro temporalibus luget faciliter & pro peccatis non luget, ſignum eſt quod non perfecte dolet, neque diſpliceant ei peccata. Eſt tamen ſignum fallax, nam quæ ſenſu percipimus facilius nos afficiunt hoc dolore, quam quæ fide tenemus. Dicitur: *Voluntarie aſſumptus*. Propter quod dolor & pœnitentia in morte ſuſcepta aliquo modo ſuſpecta eſt: quia non voluntate libera, ſed magis timore fit, & quaſi quadam violentia inſtantis periculi; ſi tamen libere doleat, proderit.

(*a*) (*b*) (*c*)

III. Dicitur: *De peccato*. Non de damno, vel de pœna, vel de infamia, vel de turpitudine, & vilitate peccati; ſed dolendum eſt de peccato, prout offenſa Dei eſt: ſic, ut etiamſi nullum incommodum ex peccato proveniret, neque eſſet infernus aut judicium, neque aliquis ſciret, tamen diſpliceret

(*a*) Ita S. Thomas in 4. ſent. diſt. 17. quæſt. 2.
(*b*) *Nihil tam in noſtra poteſtate, quam ipſa voluntas eſt*. Retract. lib. 1. cap. 9. ante med. ex lib. 3. de Lib. arb. cap. 3.
(*c*) Lib. de vera, & falſa Pœnit. cap. 9. num. 24. in fin. Append. tom. 6. *Sed ſatis durus eſt, cujus mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare. Sed ſciat ſe culpabiliter eſſe durum, qui deflet damna temporis, vel mortem amici, & dolorem peccati lacrymis non oſtendit. Non itaque eſt, ut quis excuſet ſe, quod non habet fontem lacrymarum, qui lacrymis oſtendit dolorem temporalium rerum.*

ceret peccatum, quia Deus fuit offensus. Sicut Petrus, & Magdalena post remissionem peccatorum, & post tantam Dei amicitiam, nihilominus plorabant assidue peccata, adeo, ut Petrus maxillas haberet concrematas præ lacrymis, ut ait Clemens (*a*). Vera contritio ex amore Dei debet procedere, non ex timore, aut ex amore sui. Unde Pater Augustinus: Oportet pœnitentem non solum Deum timere judicem, sed & justum diligere. Et hoc valde advertere debet peccator. Nam Deus magis aspicit de quo doles, quam quantum doles: & plus curandum est, ut dolor sit perfectus, quam ut sit intensus. Damnati multum dolent de peccatis, & multum pœnitent, ut dicitur in libro Sapientiæ: *Dicentes intra se pœnitentiam agentes*, sed pro tormento, non pro peccato. Similiter latro multum dolet de furto, sed propter patibulum, non propter delictum. Adulteri de adulterio, sed propter infamiam, non propter culpam; & alii propter alios respectus. Solus dolor ille contritio est, qui est propter Deum. Unde attritio & contritio non tam differunt, quia contritio est dolor intensus, & attritio est dolor remissus, sed magis quia contritio est dolor perfectus propter Deum, & attritio est dolor imperfectus, & mixtus cum aliis respectibus. Dicitur in definitione: *Cum proposito confitendi, & iterum non peccandi*. Nam triplex propositum debet comitari contritionem; scilicet, propositum confitendi suo tempore, ad minus; & propositum satisfaciendi, implendo ad minus pœnitentiam a sacerdote injunctam; ac propositum non peccandi de cætero. Non sufficit, quod habeas propositum satisfaciendi, sed debes etiam habere propositum non peccandi de cætero.

(*a*)

Sap. 5.

IV. Ex hac definitione possumus elicere quinque conditiones, quas debet habere dolor, ut sit perfecta & consummata contritio. Prima, ut sit purus, id est, propter Deum totaliter, vel principaliter, ut dictum est, non propter damnum. Non quod malum sit dolere de damno, & de inferno, & de vilitate peccati, & perditione multorum bonorum, quæ perdidisti peccando; imo hoc est valde bonum: unde Propheta ad hunc dolorem provocat, quando dicit: *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas!* & iterum: *Leva in directum oculos tuos, & vide ubi non prostrata sis:* sed hic dolor non debet esse principalis, sed accessorius. Unde Dominus suscitaturus Lazarum, bis infremuit spiritu: ostendens, quod in suscitatione peccatoris duplex gemitus habendus est, primus, de peccato, secundus, de damno. Propter hoc & in expiatione puerperæ par turturum, aut duo pulli columbarum offeruntur pro peccato; nam turtur & columba gemit, utraque in figura, quod duplicatus gemitus offerendus est pro peccato in expiatione peccatoris. *Lucæ 2.*

Jer. 2. Ibid. 3. Jo. 1. Levit. 12.

V. Secunda conditio, quod sit pius, id est, non sit furiosus: ut faciunt quidam, qui seipsos diris devovent, & conqueruntur de Deo, & peccatis superaddunt blasphemiam. Hæc furia damnatorum est, & desperatorum. Unde Psalmista: *Furor illis in similitudinem* serpentum, ideſt, damnatorum. Jam enim hic incipiunt gustare, & bibere calicem dæmoniorum, & damnationis æternæ. Debet itaque dolor esse pius, humilis in mansuetudine, qualis exprimitur in Psalmis pœnitentialibus: in illis enim Spiritus sanctus descripsit formam doloris salutiferæ contritionis. Non ibi reperis furiam, sed humilitatem & afflictionem piam. Exempli gratia: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea: & anima mea turbata est valde.* *Psal. 57.* *Psal. 6.*

VI. Tertia conditio, quod sit maximus, appretiative scilicet, non intensive: ut plus doleas de peccato, quam de quocumque infortunio, vel morte uxoris, aut filiorum. Non intensive: nam sensibilia mala magis movent nos; sed appretiative, & in æstimatione: quia, si daretur optio, potius eligeres pati quodcumque infortunium, & mortem filiorum, & tuam, imo & infernum, & annihilationem tuam, quam eligere peccatum. Unde P. Augustinus (*b*): Christianus non debet peccare; etiamsi necesse sit mori quidquid Deus non est. Tantum malum est peccare. Sicut igitur peccatum est maximum malorum, ita debet maxime exhorreri apud rationem rectam, & illuminatam mentem. Dole peccator, & detestare peccata tua, quantum potes, quantum vales: quia numquam pro merito detestaberis, numquam eris nimius in hac detestatione, & odio voluntatis. Sed in dolore sensitivo, & tristitia potest esse excessus. Unde aliquando temperandus est, ne venias in desperationem. Propter quod Apostolus jubet consolari peccatorem, ad Corinthios: *Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur.* Temperatur autem hujusmodi tristitia contemplatione divinæ bonitatis. Unde Psalmista: *Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui.* Oportet enim aliquando divertere oculos a consideratione tui, & tuæ iniquitatis, & ponere in divina misericordia & pietate. Unde Pater Augustinus (*c*): Pœnitens de peccato doleat, & de dolore gaudeat; & sic dolor temperabitur gaudio. *2. Cor. 2.* *Psal. 41.* (*b*) (*c*)

VII. Quarta conditio doloris, quod sit perpetuus; nam pœnitentia cum vita finienda est. Vide peccator, quod onus imponis super te, ad quid te obligas peccando propter

(*a*) In libris Recognitionum Clementi attributis Biblioth. Patrum tom. 1. Nicephorus lib. 2. cap. 37. asserit Petrum oculos habuisse veluti sanguine respersos, quod ex assiduo ploratu eveniſſe fertur.

(*b*) Lib. de Contrit. cordis Append. tom. 6. pag. 134. in fin., ubi citantur etiam Medit.

(*c*) Lib. de vera, & falsa Pœnitentia cap. 13. in fin. Append. tom. 6. *Hinc semper doleat, & de dolore gaudeat. Et de doloris pœnitentia si contigerit semper doleat.* Vide etiam cap. 17. pro allegatione superius omissa.

pter momentum delectationis. Non tamen est sic intelligendum, quod dolor ille continuatus duret per totam vitam: hoc enim quis posset? Sed, quod quoties peccatum tibi occurrit in memoriam, practice & morose teneris odio habere, & detestari, ut te pœniteat fecisse illud. Quidam dicunt, quod sufficit, ut non placeat, sed tutius est, ut etiam displiceat. Unde Psalmista: *Peccatum meum contra me est semper.* Et iterum: *Tota die*, id est tota vita, *contristatus ingrediebar.*

Psal.50. *Psal.37.*

VIII. Quinta conditio, quod sit particularis de quolibet peccato mortali, quod est in memoria. Non quod debeas habere tot dolores particulares, quot peccata recordaris, ut quidam volunt; sed sufficit, quod habeas unum dolorem extensum, qui se extendat ad omnia peccata mortalia in particulari, quæ recordaris te fecisse. Non enim sufficit si in confuso doleas de omnibus, & in generali, quia es peccator magnus, & quia offendisti multum, sicut dolent Sancti; sed quod doleas de homicidio, de adulterio, de fornicatione, de furto, si commisisti in speciali. Ad quod, non opus est habere multos dolores, sed sufficit unus intensus de omnibus in particulari consideratis.

IX. Has conditiones debet habere dolor, ut sit perfecta contritio: quas si habuerit proculdubio remittetur peccatum. Habemus de hoc validissima & fortissima testimonia. Psalmista: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Isaias: Si conversus fueris & ingemueris, salvus eris. Ezechiel: In qua hora ingemuerit peccator, omnium peccatorum ejus non recordabor. Et ne hoc alicui posset venire in dubium, Deus firmissimo verbo suo, de quo ait: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt;* apposuit jusjurandum dicens: *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem* peccatoris, *sed ut convertatur & vivat.* Id est: *Vivo ego*, quod si conversus fuerit & ingemuerit, vivet, & non morietur. Quis locus hæsitandi relictus est, ubi Deus hoc testificatur & jurat? Unde & exemplis hoc iterum confirmatur. Nam quis, obsecro, a principio mundi usque hodie conversus est, & pœnituit, & non illi pepercit Deus? Attende & scrutare Scripturas, & neque unum dabis exemplum. Achab, David, Ninivitæ, Magdalena, Petrus, Paulus, Manasses, pœnituerunt, & venia secuta est. Saul autem, & Esau, & Antiochus, non vere pœnituerunt, & ideo non invenerunt veniam. Sicut Apostolus ait de Esau: *Non invenit pœnitentiæ locum, quamvis cum lacrymis* quæsisset *illam:* scilicet, quia odium fratris retinebat in pectore, & mortem ei meditabatur. Voluit Deus hanc veritatem sic esse firmam, & confirmatam, & stabilem, ne peccatores incerti & dubii diffiderent, & retraherentur a pœnitentia, & perirent. Quanta misericordia, quanta fiducia! In manu rei venia posita est; si pœnituerit, si conversus fuerit ad Deum quem offendit, sine dubio parcetur ei, & redibit in gratiam. Juravit hoc Deus, ut securus sis: ne trepides, ne diffidas o peccator. Hæc est lex posita a Deo cum filiis hominum, lex certa & infallibilis: *Hæc me consolata est in humilitate mea.* Alias si dubia esset conversio, & pœnitenti venia; quis non diffideret præ multitudine & gravitate peccatorum? Vide homo, si est aliquis Rex tam pius & tam misericors, qui hoc faciat, & offensus solam pœnitentiam postulet, & suas offensas in manu rei ponat.

Psal.50. *Isaiæ30.* *Ezech. 18.* *Mat.24.* *Ezech. 33.* *3. Reg. 21.* *2. Reg. 12.* *Jonæ 3.* *Lucæ 7.* *Mat.26.* *Act.9.* *2. Paralip.33.* *1. Reg. 15.* *Gen.4.* *1.Mach. 6.* *Heb.12.* *Psal.118.*

X. Est ergo contritio remedium peccatorum omnino necessarium, proprium, naturale, & universale. Justificationes enim exteriores, & sanctificationes, & Sacramenta, in diversis temporibus & legibus variantur: alia enim sunt Sacramenta novæ legis, & alia veteris, & alia legis naturæ: sed contritio omni tempore, & in omni lege naturæ, scripturæ, & gratiæ, tanquam naturale & proprium peccati remedium, immobilis & immutabilis perseverat. Unde & omnia alia, sine hac, non sufficiunt. Etiamsi dederis omnes tuas facultates pauperibus, & carnes tuas flagellis laceraveris, & tota vita in pane & aqua jejunes, si peccatum placet, aut non displicet, nihil prodest ad veniam. Unde ab initio peccatum sine dolore remissum non est. Hic autem dolor in homine post Baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum; si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum pœnitentiæ Sacramentum requiruntur; & tantus potest esse dolor, ut etiam omnem pœnam Purgatorii tollat. O magnam & potentissimam medicinam! Et quæ ad manum sit, neque opus sit eam exterius perquirere, sed in pectoris officina redundet, si eam quæramus ibi. Et ratio hujus est: quia peccatum in ratione superiore est, & in consensu voluntatis consistit: nam non consentiente voluntate, non potest esse peccatum. Oportet ergo, ut ibi quæratur peccati satisfactio, ubi fuit culpa. Voluntas est, quæ peccavit, ipsa satisfaciat. Quid prodest pœnitentia carnis, si non pœnitet, qui peccavit? In quo autem alio potest ita voluntas satisfacere Deo, nisi ut doleat de illo, in quo male delectata est, & bene detestetur, quod male complacuit? Quod aliud magis consonum sacrificium ex natura rei potest peccator Deo offerre, quam cor contritum & humiliatum? Hæc ergo vera, & propria, & legitima satisfactio, & medela peccati est. Non habet peccator ad manum aliud remedium certius, quam, sicut puer, accurrere ad lamentum & lacrymas: nam si voluerit cum Deo contendere de justitia exibit condemnatus: *Non poterit respondere unum pro mille. Quia non justificabitur* coram eo *omnis vivens.* Si fugere voluerit ab eo: *Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam?* ait Psalmista. Si resistere

Job 9. *Psal.142.* *Psal.138.*

stere tentaverit: *Voluntati ejus quis resistet?*
Rom. 9. Nam si fortitudo quæritur, robustissimus est. Si decipere, aut occultare peccata voluerit: *Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus.*
Heb. 4. XI. Nihil itaque restat peccatori, nisi contristari, dolere, & plorare coram eo. Est enim tanta Dei nostri pietas, quod non sustinet videre nos tristes & afflictos, statim placatur, statim miseretur, & commoventur viscera ejus super parvulos suos gementes, & afflictos. Unde Propheta hoc consulit animæ peccatrici, dicens: *Filia populi*
Jer. 6. *mei accingere cilicio, conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* Id est, sic dole, sic luge, sicut mulier unigenitum plorat defunctum. Videas illam afflictam, dolore & amaritudine plenam, lacrymis perfusam, singultus, & ejulatus, & rugitus ex suo pectore emittentem, vestitam sacco, solam jacentem, nullam recipere consolationem, nullum solatium admittentem, nolle comedere, neque bibere, neque videre quenquam, non posse dormire, diebus ac noctibus imaginem defuncti animo revolventem, in hoc solo absorptam & occupatam, nihil aliud volentem neque curantem. O homo si sic plorares animam tuam, si sic plangeres animæ tuæ mortem; neque enim minus chara esse debet tibi anima tua, quam matri unigenitus. Quanto ergo magis lamentari deberes animam mortuam, quam potes lacrymis suscitare, quam illa filium, quem lugendo non potest revocare ad vitam, ut ait
(a) Pater Augustinus (*a*). Si enim id posset, quid non faceret? Quomodo ejularet? Vi-
(b) dit aliquando quidam Anachorita (*b*) mulierem sic filium deplorantem, & conversus ad se ingemuit, dicens: O anima, numquam ego te mortuam sic deploravi. Sic sic sine consolatione plorandum esset peccatum ex supradicto Prophetæ consilio. Sed væ nobis insensatis, qui mortua anima mille peccatis, nullum sentimus dolorem; sed opus est exprimere lacrymas, excitare dolorem, quærere afflictionem. Quanta hæc confusio, quanta hæc cæcitas & miseria. Si mortuo viro uxor pergeret ad vicinas dicens; non possum plangere, ubi quæram dolorem & lacrymas? Quid illæ responderent? O insensata, non multum diligebas, quem non deploras. Sic, Fratres, post peccatum confusio est nostra indigere monitione ad lacrymas. Vere si sciremus malum, quod perpetravimus, quid amisimus, quid incurrimus, non possemus a lacrymis temperare; potius fræno, quam calcari egeremus. Sed
Ps. 102. tamen Deus cognovit figmentum nostrum, quia sensuales sumus, & spiritualia incommoda, non sic, ut temporalia sentimus: & ideo si non sponte dolemus, saltem ipsum
Ps. 114. dolorem perquiramus, ut Propheta ait: *Tribulationem & dolorem inveni.* Et iterum: *Cir-*

A *cuivi & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis*, id est, clamoris & lamenti. Ps. 26.

XII. Sed quomodo circuibimus? Utique consideratione & intellectu, more avium, quæ circumeundo volatu, se in alta rapiunt; sic circumeundo consideratione, jacentem & gravem affectum excitemus, & elevemus intelligentiæ plumis. Sed quomodo fiet istud practice? Audite. Reclusus in oratorio solus, considera Dei bonitatem, clementiam & amorem erga te, & multiplicem ejus beneficentiam, & dona, quæ tibi dedit, quomodo te sustinuit, & expectavit in multa
B patientia, quomodo pro offensis multa bona dedit, offensus rogat, ut redeas ad illum; & considera tuam duritiam, pertinaciam, ingratitudinem, & pravitatem: quam male respondisti tam bono Patri: quomodo contemnis monentem, despicis vocantem, & sine timore & verecundia pro nihilo habes illum offendere, & mille injuriis afficere. Qua audacia, quo vilipendio formica de terra erigis caput contra tantam majestatem, & rebellas contra eum, quem trepidant cœlestes Principatus: *Sub quo curvantur qui portant orbem?* Et legem ejus, quam Job 9.
C Angeli, & cœli, & omnes creaturæ custodiunt, solus cum diabolo præterire, & prævaricari audes stultus & cæcus? Et relicto Parente Conditore, qui te proprio sanguine redemit, cum diabolo inimico suo & tuo conspiras, & solus rebellas contra illum, qui tanta pro te sustinuit, & tantam gloriam tibi paravit? Hæc, inquam, & similia profunde considera, attente, & morose, & si lapis non es, movebitur certe cor tuum, & mollescet in lacrymas, tanta Dei bonitate, & tanta ingratitudine & malitia tua considerata. *Et in meditatione tua* Ps. 38.
D *exardescet ignis* amoris, & doloris calore succenderis. Quod si hac via non vales duritiem cordis tui devincere, saltem juxta consilium Prophetæ: Convertere ad infernum, Ps. 9.
qui oblivisceris Deum; & cogita damna, quæ peccando incurristi innumera; quot virtutes, quot dona, quantam gratiam perdidisti; quomodo vitam tuam male consumpsisti; quam alius esses, si Domino adhæsisses, & mandata ejus servasses, sicut ipse per Prophetam ait: *Utinam* custodisses *mandata* Isaiæ 48.
mea! Facta fuisset sicut flumen pax tua, & justitia tua sicut gurgites maris. Cogita
E etiam pœnas illas æternas, & æterna supplicia, quæ incurristi, gloriam quam amisisti, servitutem diaboli duram, quam sustines, cæcitatem, quam pateris, vilitatem tuam & ejectionem, qua confunderis: quam vilis & abominabilis factus es, & quantum decorem innocentiæ perdidisti: quomodo vitiis illigatus es, & irretitus, tua nobilitate & libertate captivata sub jugo peccati.

XIII. Cogita, inquam, quid, pro quo com-

(a) Serm. 104. num. 7. Append., alias de Sanctis 41. Hoc tamen ibi fusius aliisque verbis exponitur.
(b) Vide notas ad Concionem in Fer. 6. post Dom. 3. Quadrag.

commutasti. O stulte! Dei amicitiam & gratiam, omnia dona ejus, & gloriam illam sempiternam, & divitias perpetuas, Angelorum societatem, justitiæ & innocentiæ decorem, pro viliſſima & momentanea voluptate, & pro modico temporali lucro contempsisti & commutasti, & te perpetuis ignibus & ardoribus, & dæmonum servituti obligasti. Quanta dementia, quanta stultitia, quanta miseria. Sicut si Regina decora & ornata, relicto Rege marito suo, & gloria regni contempta, cum vili mancipio Æthiopiæ, pro vili pretio recedat, & omnem ignominiam sustineat. Hæc cogita, ut quem Dei amor non excitat, saltem incommodum moveat ad luctum; quod si neque sic emollescit cor tuum, saltem ipsam tuam duritiam & insensibilitatem deplora; quod, quasi phreneticus in tanto periculo mortis, & in tanta miseria constitutus nihil sentias, sed rideas & gaudeas, futurus post modicum torris inferni perpetuus, & cibus ignis. Et conversus ad Dominum ora; ut amoveat a te cor lapideum, & præstet cor carneum; & aperiat tibi fontem lacrymarum, venam *aquæ vivæ salientis in vitam æternam*. Neque ab hac oratione desistas, donec obtineas, nam certe si persistis, obtinebis. Novi ego fœminam, quæ de hac siccitate dolebat, quod nullas haberet lacrymas, quæ monita, ut peteret a Domino cum fiducia & perseverantia, tantam obtinuit abundantiam lacrymarum, ut necesse fuerit postea eas reprimere, & ab oratorio recedere, ne evanesceret caput, & oculi caligarent. Credite mihi: nostra culpa est, quod tepescimus; quia non oramus, non postulamus, non quærimus, non procuramus. O felices lacrymæ, quibus peccatorum maculæ abluuntur, & ignis ille sempiternus extinguitur! O felices gemitus, quibus ululatus illos sempiternos evadimus! Felices dolores, quibus tormenta mortis æternæ declinamus! Felix contritio & tristitia, quæ hic peccatum delet, veniam obtinet, Deo reconciliat, hominem a servitute diaboli liberat, & lætitiam illam inenarrabilem, & gloriam impetrat sempiternam: ad quam nos perducat Jesus Christus. Amen.

Ezech. 11. *Jo.* 4.

IN DOMINICAM PASSIONIS CONCIO SECUNDA.

De Euangelio, ac Themate.

Quis ex vobis arguet me de peccato?
Joann. 8. v. 46.

* Concio lviii. (*a*)

I. INter alias excellentias Virginis, una maxima, quod sit sine peccato. P. Augustinus (*a*): Et quis poterit dicere sine peccato sum natus, aut mundus sum ab omni iniquitate, nisi illa Virgo prudentissima, animatum Templum Dei excelsi? Non solum autem sine peccato est, sed nec peccare potuit, ut ait idem Pater Augustinus. Pondera, quam mirabile sit carere peccato: ut supra Dominica prima. Dic in fine: Quomodo ipsa est peccatorum Mater, & Advocata reorum. Sic odit malitiam, ut tamen diligat creaturam. Ipsa Refugium est, ipsa Auxilium.

II. Appropinquante passione, innocentiam suam Dominus publice ostendere voluit, ut agnoscat mundus, quoniam non pro suis, sed pro alienis peccatis moritur; & innocens, *cum iniquis reputatus est*. In Templo igitur, coram plebe suis æmulis Pharisæis, ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quis arguet te bone Jesu? Tu peccatum non fecisti, nec contraxisti. Non quidem fecisti, quoniam ad hoc venisti, ut *de peccato* damnares *peccatum in carne*. Non contraxisti, quia tu es ille Pontifex maximus futurorum bonorum, ut dicitur in Epistola. Nec super Patre, nec super Matre, contaminandus. Patrem habes, sed Deum; Matrem habes, sed Virginem. Proles Divina. Ex talibus Parentibus quid potuisti contrahere peccati vel maculæ? Tacentibus Pharisæis, non quia carebant invidia, sed quia carebant injuria, adjunxit Dominus: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Duo sunt in prædicatore necessaria, maxime ut ei credatur. Sanctitas vitæ, & veritas doctrinæ. Oportet enim, ut prædicator perfectionem, quam docet populo, vita & moribus ostendat esse possibilem, dicente Apostolo: Nihil enim audeo vobis dicere eorum, quæ per me non efficit Christus. Si igitur sine peccato sum, & veritatem dico vita sancta, doctrina vera; *Quare non creditis mihi?* Tacuerunt: nec enim habebant, quod dicerent. Dicente Psalmo: *Muta fiant labia dolosa*. Quid dicitis? Tacetis? Attendite: ego dabo veram causam, quare non creditis mihi. *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*. Attendite Fratres, ad omnes vos videtur pertinere, quod dicitur. Valde terribile est, quod ore Dominico modo personuit. *Qui ex Deo est*, inquit, *verba Dei audit*. Scio, vultis, & desideratis scire, cujus sitis. Quis enim hoc non desideret? Nescitis enim adhuc cujus Spiritus estis. Signum igitur a Domino suscipite, qui novit, quid sit in homine, quoniam ipse condidit hominem. Videte, si verbum Dei læto animo suscipitis, si gratanter illud amplectimini, si delectant vos cœlestia, si placent spiritualia, si sine fastidio auditis sermonem, & sine labore divinis interestis officiis, si est fervor in oratione, si gaudium in sancta lectione; hæc enim maxima sunt indicia salutis: filii enim hujus sæculi, in his, quæ hujus sæculi sunt, delectantur, in ludis, in cibis, in potibus, in voluptatibus, in

Isaiæ 53. *Marc.* 15. *Jo.* 8. *Rom.* 8. *Heb.* 9. *Rom.* 15. *Jo.* 8. *Psal.* 30. *Jo.* 8. *Jo.* 8. *Lucæ* 11.

(*a*) Ejus in hac re testimonium dedimus in notis ad Concion. 3. Dom. 1. Quadrag.

in ſcurrilitatibus, & his ſimilibus. Vis igitur agnoſcere, quis es? Vide, quid amas. Vis agnoſcere, quid amas? Vide, in quo delectaris; delectatio enim amoris indicium eſt, & amor, cujus eſt, validum eſt argumentum.

III. Attendamus tamen quod non dicitur, *qui* Dei eſt, *verbum Dei audit*, ſed, *qui ex Deo eſt*. Non poſſeſſio, ſed proceſſio denotatur. Non ſecundum naturam; nam ſic omnis creatura ex Deo eſt. Non ſecundum gratiam ſolam & præſentem juſtitiam; nam ſic contingit aliquando. Sed, ut ait Bernardus (*a*): Per iſta verba, generatio cœleſtis denotatur, de qua dicit Joannes: *Qui natus eſt ex Deo, non peccat*. Generatio enim cœleſtis ſervat illum, id eſt, prædeſtinatio. Non ergo qui ex Deo eſt ſecundum creationem, aut ſecundum gratiam ſolum, & juſtitiam, ſed etiam ſecundum electionem, & propoſitum immutabile: hic verbum Dei audit. Et, ut ibidem Bernardus (*b*) ait: Hujus tanti, & tam abſconditi arcani prædeſtinationis, non dubitandum eſt, Deum ad conſolationem electorum ſuorum aliquod reliquiſſe ſignum, quod & animum erigat in ſpem, & mœſtitiam præſentis laboris conſoletur. Inter omnia autem ſigna, nullum majus, quam, quod modo dictum eſt: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*. Sed numquid audire, etiam cum gaudio verbum Dei ad vitam ſufficit? Non utique. Non enim auditori tantum, ſed factori fit vitæ repromiſſio. *Si vis ad vitam ingredi*, non ait audi, ſed quid ait? *Serva mandata*. Et infra, in hac lectione Euangelica: *Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum*. Non ait: Si quis ſermonem meum audierit: *Non enim auditores legis; ſed factores legis juſtificabuntur apud Deum*. Sermo Dei audiendus eſt cum lætitia, ſervandus cum ſolertia, alias: Qui *Auditor eſt verbi, & non factor, comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: conſideravit ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit*. Sunt enim quidam ſpiritus fervidi, & fortes, ſed ſine manibus; bene concipiunt, ſed fœtus non ſufficiunt ducere ad partum, quia non eſt virtus in parturiente: manibus autem inniti debet ut ſtellio, qui vult in domum Regis æterni conſcendere: unde animalia illa apud Ezechielem omnia habent alas; ſed ſub alis habebant manus. Vir ſpiritualis debet habere alas, quibus in altum levetur per contemplationem, & deſiderium. Cor enim hominis veluti alis rapitur ad cœleſtia, quando in fervore & deſiderio illa contemplatur: ſed oportet etiam ſub alis, habere manus bonorum operum, & exercitiorum ſanctorum; ut ſic mens inhiet cœleſtibus in oratione, & manus non torpeat in labore. Hic idoneus & utilis auditor eſt verbi Dei, hic cœleſtis patriæ eſt hæres, & ſupernæ Jeruſalem indubitatus civis. Cur autem non lætetur in exilio iſto carcere poſitus, quoties patriæ ſuæ contigerit audire nuntium? Aut, quod aliud evidentius ſignum, quoniam cœleſtis eſt incola, quam, ſi auditis cœleſtibus, totus ſolvitur in lætitiam?

IV. Sed jam cætera percurramus. Audito verbo increpationis, ſtatim irrogant injuriam: turgidi & elati manum medicantis mordent. *Nonne*, inquiunt, *bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonum habes? Reſpondit* Jeſus: *Ego dæmonium non habeo*. Samaritanus ſum, inquit: ſed, *dæmonium non habeo: ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Dixerunt Judæi: Nunc cognovimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus eſt, & Prophetæ. Numquid tu major es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt? Et Prophetæ mortui ſunt. Quem te ipſum facis? Reſpondit* Jeſus: *Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt: eſt Pater meus qui glorificat me*. Ad objectionem principalem de Prophetis, non reſpondet Dominus; quoniam nota erat reſponſio, & ex ignorantia craſſa, & hebetudine intellectus objectio procedebat. Notum erat quod dictum Domini de morte æterna intelligebatur, ſecundum quam Abraham & Prophetæ non erant mortui, ut Dominus alias dixerat: *Non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum, &c.* Sed ad duo alia, quæ illata ſunt, reſpondet, ſcilicet: *Quem te ipſum facis?* Et, *Numquid tu major es patre noſtro Abraham?* Ad primum reſpondit: Si ego quæro gloriam meam, &c. Attendite Fratres, hoc dixit Unigenitus Filius Dei: quanto magis nos vermiculi, gloriam noſtram quærere non debemus? Aut, unde tibi gloria putredo? Pulvis, unde tibi gloria? Miſer, miſerabilis, pauper, & nudus, & cæcus. Non parvum eſt hoc documentum, Fratres. Nam quantavis gloria & virtutum excellentia quis polleat, ipſo facto quod eam quærit, amittit. Et, cum alia quæſita inveniantur, gloria dum quæritur, perditur; gloria namque quærentem ſe fugit, & fugientem ſe quærit.

V. Duo ſunt in operibus bonis æqua lance dividenda: honor, & fructus. Hæc ſic divide: honor Deo, tibi commodum. Cui enim ſoli debetur honor operis, niſi illi a quo eſt omne bonum in opere? Quis non irrideat, ſi glorietur calamus de ſcriptura, aut ſecu-

Jo. 5. Ibid. 8. Mat. 19. Jo. 8. Rom. 2. Jacob. 1. 4. Reg. 19. Prov. 30. Ezech. 1. Jo. 8. Mat. 22. Jo. 8.

(*a*) Serm. 1. in Septuag. num. 1. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio cœleſtis conſervat illum. Non peccat, inquit, ideſt non permanet in peccato, quia conſervat illum, utique ut perire non poſſit, ea quæ falli non poteſt generatio cœleſtis.*

(*b*) *Sed generationem iſtam quis enarrabit? Quis poteſt dicere ego de electis ſum? ego de prædeſtinatis ad vitam, ego de numero filiorum... Certitudinem utique non habemus, ſed ſpei fiducia conſolatur nos: ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur. Propter hoc data ſunt ſigna quædam, & indicia manifeſta ſalutis, ut indubitabile ſit eum eſſe de numero electorum, in quo ea ſigna permanſerint... Porro inter ea, quæ fiduciam præſtant, & materiam ſpei unum illud maximum eſt, de quo nunc cœpimus loqui, qui ex Deo eſt, verba Dei audit.*

Isaiæ 10. *securis contra eum qui secat in ea?* Utinam Fratres, utinam sic in omnibus operibus nostris gloriam Dei quæramus, ut nulla nostri sit memoria, & instrumenta nos divinæ gratiæ, cum bene agimus agnoscamus. Arduum autem est & difficile, præclara agere, & humilia de se sentire. Et, ut ait Gregorius (*a*): Grandi opus est solertia, ne de bono superbiamus. Nam bonum quod non cognoscitur, si agnoscitur, perditur, si ab initio caute non custodiatur. Qui bonum quod agit ignorat, hic non humilis est, sed qui novit quod agit bonum, & a quo est illud bonum, & illi tribuit illud bonum, hic vere humilis, & eo laude dignior, quo nihil sibi alienæ surripit laudis. Ad aliud vero quod objectum fuerat Domino; scilicet: *Numquid tu major es patre nostro Abraham?* sic respondit, ut concedat; quamvis occulte, & modeste, ne arroganter dixisse videretur. Quid enim ait? *Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit & gavisus est.* Pater Augustinus (*b*): Duo dies in Christo, dies æternitatis, & dies temporalitatis. Apostolus ad Hebræos: *heri & hodie.* Heri propter temporis lapsum; hodie propter æternitatis statum. Utrumque diem vidit Abraham in spiritu. Æternitatis diem, quando ad ilicem Mambre tres vidit, & unum adoravit. Diem temporalem: quando in magno illo sacrificio pro filio arietem jugulavit. Sequitur: *Quinquaginta annos nondum habes & Abraham vidisti? Dixit eis* Jesus: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in* Jesum: Jesus *autem abscondit se.* Quomodo abscondit se? Non in angulo, aut postica, sed invisibilem se fecit; quia cum eorum oculis ad videndum, non concurrit: & sic, cætera cum viderent, ipsum apertis oculis coram se positum non videbant. Ex hoc Euangelio, Fratres, hoc memoriæ commendare debetis; scilicet: ut, quemadmodum Dominus ad injuriam tacuit, & ad iram se abscondit; ita nos Fratres: quoties Frater iratus lacessit nos, non respondeamus, non stipulam igni mittamus: sed, ut ait Apostolus: *Date locum iræ.* Deferveat furor, & prostratus pedibus, petet veniam, & accusabit se cum omni verecundia, qui modo furore commotus injuriam irrogabat. Magna virtus *Patientia*, ipsa certe *opus perfectum habet*, & mansueti vere possidebunt terram.

Jo. 8.

Ibidem.

Heb. 13.

Gen. 18.

Ibid. 22.

Jo. 8.

Rom. 12.

Jacob. 1. *Psal.* 36.

VI. Inter alia, unum quod facit peccatores tam libere & audacter peccare, est existimare, quod de hujusmodi peccato, non sunt reddituri rationem, nec de cætero redarguendi. Testis est Propheta qui ait: *Propter quid irritavit impius Deum?* Et respondet statim: *Dixit enim in corde suo, non requiret.* Scio dicetis: Ecce multi sumus hic peccatores, & nullus est qui nesciat, quoniam futurum est judicium, & de suis peccatis redditurus est rationem. Non ergo in hoc consistit punctum audaciæ peccatorum. Attendite Fratres: sic loquitur lingua carnis. Sed, quid ait Psalmus? *Dixit in corde suo.* Contrarium loquitur cor. Quomodo hoc sciemus? Exemplo declarabitur. Si quis latro vel homicida, jam jam capiendus est, & in proximo putat se apud judicem de suo crimine arguendum; Bone Deus! Quos tremores, quos motus, quos horrores patitur. Pallent ora, rigent membra, noctes ducit insomnes, & dies laborioſos; nec loquitur cor, quoniam requiretur iniquitas ejus. Estne aliquis nostrum, Fratres, qui sic ad judicium Dei trepidet? Qui sic anxietur, sic paveat? Job ille sanctissimus de se ait: *Quasi* semper *tumentes super me fluctus, timui Deum.* Nos autem quam longe sumus ab isto timore; quasi non futurum esset judicium, sic securi sumus. O stolidum cor! Si judicium hominum paves, judicium Dei strictius est. Si tormentum, quod majus inferno? Si æternitatem, quid vita brevius? Si certitudinem, quid certius? Judicem illum nec vitare poteris, nec fallere. Unde ergo peccatoribus tantum timoris ad hominem, & tam modicum timoris ad Deum? Stupeo Fratres mei certe de hoc intra me, & miror, quomodo ad ea, quæ bona sunt, cor nostrum sic alget, ad ea quæ mala sunt, sic calet. Imminente hominis judicio, si mille proponas consolationes, non poteris sedare cor latronis puniendi. Et imminente judicio Dei, cum quis jam jam est moriturus, quidquid dicas, non poteris excitare cor peccatoris, statim inferno deputandi. Unde tanta miseria? Unde tam profunda caligo? Currit sponte ad mortifera venenata caro, & quæ salubria sunt aversatur. Apostolus, de hoc conqueritur, cum ait: *Scio quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.* Quod si longa meditatione proposita, parum excitetur ad horrorem gehennæ statim alget iterum, & veluti extraneum abjicit a se timorem salutiferum: non enim quantavis persuasione & studio poteris in ea plantare aliquid salutiferum. Dicente Apostolo: Caro enim *legi Dei non est subjecta, nec enim potest.* Quomodo enim subjicietur legi Dei, quæ undequaque scatet legibus mortiferis?

Job 31.

Rom. 7.

Ibid. 8.

VII. Noverat hoc Propheta, qui anxie deprecabatur Dominum dicens: *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.* Acsi diceret: mente jam timeo: tuum est, rebellem & obduratam carnem sagittis perforare timoris. Neque enim valeo timorem animo conceptum, carni huic, & ossibus imprimere. Excita torpentem carnem ad timorem

Ps. 118.

(*a*) Moral. lib. 26. cap. 44. num. 81. *Qui enim magna agit, quamvis de se humilia sentiat, scit tamen magna esse quæ agit. Nam si magna esse nescit, ea procul dubio minime custodit. Quæ dum custodire negligit, aut in eis minus proficit, aut ea funditus amittit. Dum ergo bona nostra opera scire necesse est, ut custodiamus, ex ipsa eorum scientia, elationis aditus panditur, & ad operantis cor culpæ manus admittitur, qua vastante rapiantur.* Similia habet lib. 9. cap. 25.

(*b*) Vide S. Ambrosium de Fide lib. 5. cap. 1.

morem tuum, & male ſecuram ſtimula, ut noſcat timere te, quæ novit timere ſæculi levia nocumenta. Unum amorem habeo, alium a te peto; judicium enim tuum jam timeo, ſed tu *confige timore tuo carnes meas*. Neque enim idem eſt timere te, & timere ſupplicium a te. Timet ſervus cruciari a domino ſuo, timet filius offendere patrem ſuum. Primus non timet dominum, ſed cruciatum ejus. Secundus timet patrem, cui offenſam irrogare perhorreſcit. Initium amoris ille timor: conſummatio iſte. Ille inchoat, iſte perficit charitatem. Illum perfecta charitas foras mittit, hunc cuſtodit. *Timor* enim
1. Jo. 2. *Domini ſanctus* permanet *in ſæculum ſæculi*.
Pſal. 18. Novi jam pertimeſcere judicium tuum, timorem autem tuum tu Domine infige carni meæ. Itane Propheta? Caro in tantum poterit elevari, ut noſcat vereri Deum & revereri? Poterit ſane ab illo, *qui facit* grandia & *mirabilia ſolus*. Nam & carnem ſuam
Pſal. 71. ſitire Deum, teſtis eſt, qui ait: *Sitivit in*
Pſal. 62. *te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea*. Ita eſt: vere ita eſt; ut ſanctorum virorum ipſa caro, ex defæcatorum ſpirituum commercio, & purificatarum animarum ſocietate ſpiritualior ſit, quam ſunt animæ perverſorum. Et motus, guſtuſque divinos, quos ignorat in reprobis ſpiritualis illa natura, experitur in ſe caro electorum, putredo, & cinis. Quantus pudor, quanta confuſio perverſorum! Aut quis jam locus excuſationis relictus eſt animæ torpenti, cum cœleſtes paſſiones terrena ac lutoſa ſubſtantia carnis potuerit experiri? Sed ad propoſitum redeamus. Conſtat igitur ex prædictis audaciæ & temeritatis perverſorum, in malorum operum aggreſſione, id eſſe in cauſa, quod timore abjecto, in nullo de futuro judicio aut ſupplicio ſolicitantur; dicentes, ſi non ore, ſaltem *corde ſuo*: *Non requiret* Dominus. *Quis*
Pſal. 10. *arguet* nos *de peccato?* Aut, quod incommodum exſpectamus, ſi peccaverimus ei?

(a) VIII. Eſt autem, ut inquit Bernardus (a): Triplex judicium aut forum, in quo peccator poteſt argui de peccato; ſcilicet, forum famæ, forum animæ, forum Dei. Forum famæ agitur apud homines, forum animæ apud te, forum Dei apud Deum. In primo foro, tot habes judices, quot ſunt homines; quiſque enim pro ſuo libito judicat de te: alius ſic, alius ſic. Miſerum hoc, tam multis judicibus eſſe ſubjectum. Quanto melius facerent homines, ſi ſe ipſos ſolum judicarent. Apoſtolus: *Tu quis es, qui judicas alie-*
Rom. 14. *num ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit*. Quid tu pro illo ſolicitaris? Tuorum operum tantum, & non alterius redditurus es rationem; quiſque pro ſe ipſo reſponſurus eſt. Quis te conſtituit judicem proximi tui? Unicuique mandavit Deus de proximo ſuo, non ut judicet, ſed ut adjuvet, non ut ſpernat, ſed ut moneat. Nihil tamen nos moveat Fratres, quidquid de nobis judicent homines: quoniam forum hoc cæcum eſt & invalidum. Neque enim ſi omnes homines me ſpreverint, ideo miſerior aut pejor ſum; neque ſi omnes laudaverint, ideo beatior aut melior ſum. Attendite quid de iſto foro dicat Apoſtolus: *Mihi*, ait, *pro minimo eſt*, 1. Cor. 4.
ut a vobis judicer, aut ab humano die. Secundum forum eſt animæ, ſive conſcientiæ tanto certius priore, quanto intimius. *Ne-* Ibid. 2.
ſcit enim quid ſit in homine, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt. Sed, nec hoc omnino certum; nam plura, ut ait Gregorius (b), (b)
judicat apud ſe homo digna præmio, quæ apud Deum invenientur digna ſupplicio: ideo, ait Apoſtolus: *Sed neque me ipſum judico*. Ibid. 4.
Non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Solum 2. Cor. 10.
igitur tertium forum eſt infallibile; in quo cuncta noſtra opera æquiſſima ſtatera veritatis ponderantur; ubi & capilli capitis, id eſt, Mat. 10.
etiam ipſæ cogitationes de corde fluentes, omnes numeratæ ſunt; & potus aquæ frigidæ etiam mercedem non amittit; neque ver- Ibidem.
bum otioſum abſque ſupplicio eſt. Omne Ibid. 12.
enim opus, ſive bonum ſive malum, in hac ſtatera Divinæ juſtitiæ pondus habet, & tra- Prov. 16.
hit ad ſe momentum ſtateræ, quantumcumque parvum ſit, ita ut; ſicut nullum bonum irremuneratum; ſic nec malum impunitum. Videte Fratres: an oporteat dormitare eum, qui de tam levibus ac modicis redditurus eſt rationem. Noli igitur homo, noli tibi adulari dicens: *Quis arguet me de peccato?* Non deerit accuſator, non deerit peccatorum tuorum urgentiſſimus redargutor.

IX. Et quis, inquies, eſt? Utique triplex. Dæmon primus. Hic calumniator peſſimus, ſemper calcaneo inſidiatur. Animarum hic
Gen. 1. *ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut*
Ibid. 49. *cadat aſcenſor ejus retro*. Solertiſſimus in decipiendo, cruentiſſimus in accuſando, nocte dieque vigilans, circuiens quærendo, quem
1. Petri 5. primo decipiat, & poſtea perimat. Unum eſt quod dicere vobis deſidero, Fratres mei, intelligite; ad verecundiam enim noſtram dico. Cur ſic permittimus illudi, & derideri nos ab hoſtibus noſtris? Quare ſic abjectos & viles nos facimus? Eſto, nihil dæmon ſit accuſaturus, certe propter ſolum ludibrium, & deriſum, quo ſubſannat a ſe deceptos miſeros, ejus perſuaſiones fugere deberemus. Quid ſtolidius quam obſequi deriſori? Clamat Pſalmus dicens: *Ad te Domine levavi*
Pſal. 24. *animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam; neque irrideant me inimici mei*. Et qualis ſit iſta deriſio, attendamus. Figura: Samſon ille fortiſſimus, qui in aſini
Judic. 15. mandibula mille proſtraverat inimicos; ſua-

(a) Sermone 32. de diverſis, qui totus eſt *de triplici judicio, proprio, humano, & divino*.
(b) Moral. lib. 29. cap. 18. num. 34. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota pietate judicetur, quia diſtricte diſcuſſa, inde ante oculos judicis, unde ſe placere ſuſpicatur, obruitur*. Vide etiam Moral. lib. 9. cap. 18.

Judic.16. ſu, & amore Dalilæ tonſus crines a ſuis æmulis Philiſtæis, ligatus, cæcatus molæ deputatur, & in convivio deridendus ab omnibus exponitur. Noſtis omnes figuram. Quis iſte Samſon tam fortis, tam potens; niſi perfectus quiſque, qui levi quodam inſtrumento mandibulæ, id eſt .... prius mille dæmoniorum aſtus confregerat, hic, injecta Dalila ab æmulis, id eſt, concupiſcentia, tonſis crinibus, id eſt, bonis cogitationibus, & inſpirationibus a capite Chriſto in animam deſcendentibus, in quibus eſt totum robur cordis, manibus ligatur ne operetur bonum. Oculos ſuffoditur ne videat peccatum, & ignominiam ſuam. Molæ deputatur, dum corpori & ſuis ſenſibus ſervire cogitur, ut miſeram farinam pravorum deſideriorum, & fœdarum paſſionum mole corporis hinc & inde circumquaque ductus appetitibus premat, ac demum, poſt tantum laborem in oculis omnium deriſibilis ac vilis, ac contemptibilis appareat; duplici miſeria, laboris & confuſionis oppreſſus. Hanc deriſionem, hoc ſui vilipendium, Propheta animæ peccatrici exprobrat, dum ait: *Deſcende, ſede in pulvere virgo filia Babylon.* *Iſaiæ 47.* Expone.

X. Secundus qui arguit hominem de peccato, eſt vermis conſcientiæ. Hic enim quocumque te conferas ſemper intus mordet. Habes enim intra te ſedulum adverſarium, cui, ſi ſapias, conſenties, dum es cum illo *Mat. 5.* in via: ne tradat te judici, & judex tortori, & tortor ſupplicio. Joannes: Fratres, *Ibid. 18.* ſi *reprehenderit nos cor noſtrum: major eſt Deus* *1. Jo. 3.* *corde noſtro, & novit omnia. Si autem non reprehenderit nos, fiduciam habemus.* Quamvis, quorumdam corda ſic jam putrida ſunt ac tabida, ut morſus iſtos jam non ſentiant, aut vix: non quia forte deſinat mordere vermis, ſed quia peccator factus inſenſibilis, morſum conſcientiæ non percipit aut ſentit. Hunc vermem oportet, ut inquit Bernar- (a) dus (a), ante mortem ſuffocari lacrymis, aut igne compunctionis cremari; alias, ſi anima a corpore diſſoluta, vivus repertus fuerit, efficitur ſtatim ex verme, ſerpens ingentiſſimus, non jam mordens, ſed mordicans conſcientiam, ſed morſibus ingentiſſimis devorans infelicis animæ viſcera, ac deglutiens. Quis poterit dicere damnatorum furorem, ſtridorem, adverſus ſemetipſos? *Pſ. 111.* *Peccator*, inquit, *videbit*. Quid videbit? Tormenta, ignem, ſulphur, cruciatus, quos ante, dum vixerat, non videbat nec credebat. Cum ergo dormierit, aperiet oculos, & *videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet.* Contra quem autem fremet, niſi contra ſe, qui ſibi tanti ſupplicii cauſa fuit? Sic namque de eis Iſaias prophetaverat: *Concipietis*, inquit, *ardorem, & parietis ſtipulam, & ſpiritus veſter ut ignis vorabit* *Iſaiæ 33.* *vos.* Quis enim ardor niſi furor? Quæ ſtipula fovens hunc ardorem, niſi memoria culpæ fovens furorem? Utrumque intra ſe, & a ſe ipſo concipit damnatus; ita ut numquam extinguatur ardor furoris, quoniam numquam deerit ſtipula rememorati facinoris, verſatur enim continue in corde miſero, facinus perpetratum: ut inde acerbior ſit vis doloris, quia cauſa ſemper. Spiritus ergo proprius devorat eos, ut ignis, quia ipſi ſibi tormento ſunt: & rancor de ſeipſis intus conceptus vehementer affligit eos. O mira diſpenſatio divinæ juſtitiæ, quæ nullo alio indiget tortore quam ipſo peccatore! Ipſe ſibi infernus, ipſe ſibi tormentum, ipſe vindex Dei, & juſtitiæ opus in ſe perpetuo complens. Quis non timeat te Rex magne ac potens? Quis non ad tantum, ac tam ſtupendum cruciatum paveat? Ubi idem eſt cruciatus, cruciatio, & cruciator. Provenit autem hoc, ut ait Origenes (b) *in libro* (b) *Periarchon*, ex ipſa inordinatione & diſſidio paſſionum, & affectionum, quas anima patitur; ita ut undique diſtendatur, ac veluti dividatur contrariis motibus & affectibus. Quod, ut ait, non minus cauſat dolorem in anima, quam ipſa diviſio partium facit in corpore. Sic enim etiam hic præſentiri incipit iſta pœna in malis: quoniam, ut ait Pater Auguſtinus (c): Omnis inordinatus (c) animus ſibi ipſi pœna eſt.

XI. Eſtne adhuc alius, qui arguat peccatorem de peccato? Eſt utique, & qui maxime omnium timendus eſt, Deus. Sic ipſe ait in Pſalmo: *Arguam te, & ſtatuam* coram facie *Pſal. 49.* tua: ponam te ipſum coram te, ut videas te, & nequeas ſuſtinere te, præ pudore & confuſione. Nunc enim poſt tergum vertis te; ego ſtatuam te coram te, & te ipſum videre, cruciabit te. Quid, obſecro, Fratres, hodie magis poſtergat homo, quam ſeipſum? Intendit ovibus, & bonis, & hæreditatibus, & negotiis; ſui autem fere numquam meminit, nihil magis oblitum habet quam ſe. Omnibus aliis ſemper intentus, & cæterorum aſſiduus contemplator, ſui autem, quaſi non eſſet,

(a) Opuſc. de Converſ. ad Clericos cap. 5. *Nec ſentire interim pigeat morſus vermis interni; aut periculoſa quædam animi teneritudo, & pernicioſa mollities perſuadere queat, ut præſentem velimus diſſimulare moleſtiam. Optimum eſt tunc ſentiri vermem, cum poſſit etiam ſuffocari. Itaque mordeat nunc ut moriatur, & paulatim deſinat mordere moriendo.*

(b) Lib. 2. Periarchon cap. 11. *Ex quo intelligitur, quod circa ipſam animæ ſubſtantiam tormenta quædam ex ipſis peccatorum noxiis affectibus generantur: & ne ſatis tibi hujus rei intellectus difficilis appareat, conſiderari poſſibile eſt ex his paſſionum vitiis, quæ animabus accidere ſolent: ideſt cum flammis exuritur anima vel zeli, vel livoris ignibus maceratur, aut cum iræ agitatur inſania, vel triſtitiæ immenſitate conſumitur, quantum horum malorum nimietates aliquanti intolerabiliter ferentes, mortem potius ſubire, quam hujuſmodi cruciatus perpeti tolerabilius habuere.* Vide tamen Concionem S. Oratoris in Commemorat. Fidel. Defunct., ubi Origenis errorem impugnat in hoc, quod ſtatuat ignem inferni in hac ſola anima inordinatione conſiſtere.

(c) Confeſs. lib. 1. cap. 12. in fin. *Juſſiſti enim, & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus.*

set, sic non recordatur. Stulte, cujus ad te magis pertinet cura quam tui? Si tibi nequam, cui bonus eris? Recordantur sæpius peccatores, non sui, sed sui corporis, ut comedant, & bibant, ut lasciviant, ut delicate & opulenter ipsum nutriant: sed hoc est magis obstergare seipsos, ac veluti interjecto pariete carnis, conspectui suo se occultare. Dum enim solam carnem curant, nihil de se nisi carnem noverunt, seipsos putant quoniam caro sunt; ac id quod vere sunt, scilicet animus & spiritus, omnino non esse operibus confitentur, dum illius, quasi qui non sit, nulla est cura, nulla est memoria. Veniet autem tempus, quando hic spiritus plenus ulceribus peccatorum, oculis malorum proponetur in judicio: & fiet quod dictum est: *Arguam te, & statuam* contra te. Vere si scirent homines, quam miserum & grave est, habere Deum pro accusatore, & inimico, hoc præ omnibus pœnis & tormentis amplius deberent formidare. Quid enim miserabilius, quam tantæ bonitati esse invisum? Odisse Creatorem suum, Redemptorem suum, de se tam bene meritum, tam pium, tam decorum. Vere, si damnati viderent quem oderunt, nulla major pœna, quam odisse tantum bonum. Non est tamen officium Dei accusare impios; sed ipsi eum cogunt suis operibus. Job tamen ille sanctissimus hoc Domino proponebat dicens: *Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me* pauperem, *opus manuum tuarum, & consilium impiorum adjuves?* Ac si diceret: cum sis tam potens, tam sublimis, non est decens, tantæ majestati, ut contendat cum pauperculo, & insuper opere suo. Sicut indecens videretur Imperatori, si ad duellum descenderet, & provocaret pauperem abjectum, & cum ipso contenderet. Et insuper: *Consilium impiorum adjuves;* id est: dæmoniorum officium usurpes. Non est tuum Domine occidere, sed vivificare, non est tuum perdere, sed salvare, non est tuum accusare, sed defendere. Quid ergo? *Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris?*

Eccli.14. *Psal.49.* *Job 10.* *Ibidem.* *Ibid.13.*

XII. Et non solus Deus erit accusator, sed, ut quidam ait: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*. Omnes enim Angeli, & Sancti omnes, & dæmones, & cœli, & stellæ, & elementa, erunt contraria peccatoribus, & arguent ipsos de peccatis. Undique accusator; nullus pro ipso audebit testimonium dicere, nullus rogare. *Quid facietis, peccatores, in die visitationis & calamitatis, de longe venientis?* Quid facies blasphemator? Quid facies avare, sanguinis pauperum deglutitor? Quid tu concubinarie? Quid facies detractor malitiose? Si justus vix salvabitur, impius & malus ubi parebunt? *Quid*, inquam, *facietis in die visitationis & calamitatis*, computus, & solutionis, *de longe venientis? De longe:* quia ab initio prævisæ damnationis, vel, *de longe:* quia improvise vel impræmeditate. *Ad cujus confugietis auxilium?* Totus mundus vobis contrarius, Deus invisus. Si ad Deum confugeris, ipse condemnabit te. Si ad conscientiam, ipsa punctionibus pellet te. Si ad Christi optimi humanitatem, ipsa enim est *Petra* quæ solet esse *refugium herinaciis*, spinosis peccatoribus; si ad hanc, inquam, refugeris, ipsa ejus vulnera contra te clamabunt, & petent vindictam. *Ubi* reponetis *gloriam vestram?* Ubi pompam, ubi apparatus ministrantium? Ubi vestes, ubi delicatus thorus, & ciborum congeries? Ubi numerosa ministrorum famulantium turba? *Surgant & opitulentur vobis. Ubi*, inquam, derelinquetis hæc omnia? *Ne incurvemini sub vinculo*, ligati in fasciculos, similes cum similibus, & projecti in ignem in æternum comburendi; & *cum interfectis cadatis*. Cum quibus interfectis? Nisi cum illis qui ab initio interfecti sunt, dum e cœlo projecti sunt. Dignum certe est, ut cum mortuis sint etiam eorum sepulchra, ut ait Ezechiel: *Ibi Assur*, id est, Lucifer, *& omnis multitudo ejus* dæmoniorum sequentium, qui cum ipso conciderunt: *Et in circuitu illius sepulchra ejus*. Quæ sepulchra nisi corda humana, quæ dum diabolum intra se recipiunt, fœtida, mortua, horrenda sepulchra fiunt dæmoniorum.

Psal.103. *Deut.32.* *Mat.13.* *Isaiæ14.* *Ezech. 32.*

XIII. Redeamus igitur, Fratres, redeamus ad cor, præveniamus judicium Dei, anticipemus furorem ejus, apprehendamus *disciplinam*, ne forte *irascatur Dominus &* pereamus. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. In tempore* placito, inquit, *exaudivi te, & in die salutis* auxiliatus sum tibi. Pœniteamus de præteritis, vigilemus pro futuris. Solicite custodiamus corda nostra, & corpora nostra, ab omni inquinamento malitiæ & lasciviæ. Hic, si placet potes finire sermonem. Dic quod sequitur: Habacuc: *Super custodiam meam stabo*. Pondera *meam*. Sicut solet servari castellum circumdatum ab inimicis, qualis debet esse gubernator sui cordis. *Figam gradum in munitionem*, id est, omnibus incursibus collatis stabo fixus. Si spiritus potestatem habentis super te ascenderit, locum tuum ne dimiseris. Non nocebit invasio, si pes fixus maneat in præcepto. *Et contemplabor ut videam, &c.* id est, diligenter aspiciam ad mandata Dei; sciens quoniam scriptum est: *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis. Et quid respondebo ad arguentem me?* Si fragilitate cecidero, mandata transiero, providebo, quid respondebo, pro evadendis, scilicet, pœnis. Dices: Quæstio hæc perdura. Comparatio villici, qui redditurus rationem longam Domino: prius, sedens computat apud se, quod recepit, quod consumpsit, &c. Acceptum, & datum. Sic nos oporteret per singula peccata solvere, & restituere Domino, ut possimus respondere. Dic exemplum de Monacho rapto ad judi-

Isaiæ41. *Psal. 2.* *2. Cor.6.* *Habac.2.* *Psal. 118.* *Lucæ14.*

cium in fine vitæ, & quomodo reſpondebat dæmonibus accuſantibus: verum eſt, quod
Job 9. *non poterit* homo *reſpondere unum pro mille*. Et, ſi non ſufficeret mea pœnitentia, quando arguar de peccato, numquid tacebo? Non: ſed reſpondebo. Et quid reſpondebo? Pſal-
Pſ. 118. mus: *Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum*. Quod verbum? Numquid pœnitentiæ?
Pſal. 30. Numquid meritorum? Non: ſed quid? *Quia ſperavi*. Hæc reſponſio mea, hæc fiducia mea, ſpes mea. Non eſt dignum, Domine, ut confundatur, qui in te ſperavit, & non in ſe; non eſt æquum damnare confidentem in te,

IN DOMINICAM PASSIONIS CONCIO TERTIA.

De Veritate.

Ego veritatem dico vobis,
Joann. 8. v. 45.

Concio LIX. I. DOminus committit hodie conſcientiam ſuam in manibus adverſariorum. Innocentiæ meæ nolo adducere teſtes diſcipulos meos: vos æmuli mei,
Jo. 8. vos eſtote judices. *Quis ex vobis arguet me de*
(a) *peccato?* Chryſoſtomus (a): Eſt adeo fortis veritas, ut ne ab inimicis quidem offuſcari poſſit.
3. Eſdr. 3. Quoniam judicio illius pincernæ Regis; omnium fortiſſima eſt veritas, obmutuerunt maligni. Sequitur: Si ergo *veritatem dico vobis,*
Jo. 8. *quare non creditis mihi?* Pſalmus: *Domine Deus*
Pſal. 88. *virtutum, quis ſimilis tibi? Potens es Domine, & veritas tua in circuito tuo. Deus virtutum:* nam alias, quodlibet vitium, Deus
Jo. 8. eſt illius, cujus dicitur: *Qui facit peccatum,*
Philipp. 3. *ſervus eſt peccati. Quorum Deus venter eſt: & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Quis ſimilis tibi?* Non ſolum in creaturis rationabilibus, ſicut ſunt homines, ſed etiam in illis Angelicis Poteſtatibus, ſupremus Cherubim, quaſi nihilum ante te. *Potens es Domine:* & quod multum oblectat animam, potentiam tuam non ad libitum hominum exerces, ſed *veritas tua in circui-*
Act. 10. *tu*, *In veritate comperi*, ait Petrus: *quia non eſt perſonarum acceptor Deus*. Potens es & verax. Optima corona potentiæ, veritas.
Pſal. 2. *Erudimini qui judicatis terram;* ut non flectamini; ut veritatem faciatis. Væ potentibus, qui nituntur adulationi! Ad oculum fallente, & mendacio glorificante delectantur, & ſi quis eos inſtruit, odiunt. Pilatus conſtitutus judex in ſupremo judicio ubi judicandus Deus; cum audiſſet Dominum de ve-
Jo. 18. ritate dicentem: *Ego ad hoc veni in mundum,*

A *ut teſtimonium perhibeam veritati;* ait: *Quid eſt veritas?* O ſtolide judex! Quid ſit veritas, ignoras? Quomodo ergo rectum profers judicium? Sic totus orbis obnubilatus eſt falſitate, ut quæras, quid eſt veritas? Et quod pejus eſt, ignorans veritatem non ſuſtinuit de ea informari. Cur recedis? Siſte parumper, expecta definitionem veritatis a veritate. Sed canis erat: non erat danda margarita porco. Bernardus (b): Quid tu Pilate (b)
ſeorſum interrogas Dominum, ut tibi ſuſurret in aure, quid ſit veritas? Multum eſt ad
B te, non dabitur ſanctum cani, nec margarita porco. Decebat ergo judicem univerſa- Mat. 7.
lem omnium, veritate circumdatum eſſe, ut juſtus eſſet.

II. Sed quomodo, *veritas tua in circuitu* Pſal. 88.
tuo? Nonne ipſe veritas? Quomodo ergo veritate circumdatus es? Reſponſio: De veritate creata intelligi poteſt. Sed, quomodo *in circuitu:* cum ipſe magis omnia ambiat? Reſponſio: Differt intellectus Divinus a creato: nam creatus a rebus accipit veritatem, Divinus intellectus, non accipit veritatem, ſed facit. Non enim quia conformis eſt rebus,
C ideo verus; ſed quia res illi conformantur, ideo veritas in rebus, ſecundum quod a prima veritate non diſcordant. Quia ergo Deus rei intimior eſt, quam ipſa ſibi ſit, ideo quaſi ipſa creatura Deum intimum extra ambit. *Veritas* ergo *tua in circuitu tuo*. Quoniam Deo habitante in corde, omnia exteriora hominis vera ſunt: nam interior veritas, poſſidens cor, non permittit hypocriſim, vel falſitatem aliquam exteriorem in operibus hominis. Anſelmus (c): Si Deus inha- (c)
bitat cor, ſui ſunt oculi, ſua eſt lingua, ſuæ ſunt aures. Jam non eſt homo ſuus, ſed Dei.
D Apoſtolus: *An neſcitis, quoniam membra* Chriſti eſtis? *Et non eſtis veſtri?* Quoniam, ſi 1. Cor. 6.
omnia poſſidentur a veritate, omnia quæ circumſtant, vera ſunt. *Potens* ergo *es Domine, & veritas tua in circuitu tuo*. Non noſtra eſt, ſi veritas eſt, ſed tua. Bernardus: Fi- (d)
gura: Iſaac (d) odoratus filium, veſte & tactu deceptus eſt; & de quo futura plura prædixit, Gen. 27.
præſentem non agnovit. Figura fuit Judæorum, qui odorem Prophetiæ perceperunt, cum ſuavitate, expectantes ardenter Meſſiam: ſed faciem non cognoverunt, decepti veſte. Veſtis ſpiritus, littera eſt; veſtis Verbi, caro eſt; veſtis, Scriptura eſt, qua ve-
E ſtitus, eſt incluſus ſpiritus. Hujus veſtis odorem ſenſerunt, ſed latentem intus Jacob, id eſt, Chriſtum non agnoverunt, ſed pellibus mortalitatis decepti ſunt. Tetigerunt, cum flagellaverunt, tetigerunt, cum coronave- Mat. 27.
runt, tetigerunt, cum crucifixerunt. Sed, Luc. 24.
quid ajunt? Veſtis eſt Eſau. Erat enim Chriſtus veſtitus veſtibus antiquis, & ſenioris fratris;

(a) Comment. in Epiſt. Pauli ad Timoth. 1. cap. 2. Homil. 10. circa med. *Quippe veritas ipſis quoque ora obſtruit inimicis.*

(b) Serm. 15. de diverſ. num. 3. uſque ad ea verba: *nec margarita porco.*

(c) Aliquid huic teſtimonio affine legitur in Medit. 5. apud Anſelmum.

(d) Vide Exhort. ad Milit. Templi cap. 7., ubi aliqua de hac figura habet ad rem S. Bernardus.

tris; patris, scilicet Adæ; carne & passibilitate vestitus. O Judæe, non decipiaris hoc vestimento, noli purum & solum hominem Adæ filium putare, agnosce latentem Jacob in veste senioris, id est, Verbum Dei. Vide doctrinam: plusquam homo est. Sic ajunt: *Numquam sic locutus est homo.* Erat enim homo, sed plus quam homo. Vide, si non vox illa Jacob. Clamat: *Lazare veni foras.* Prodiit quatriduanus. Clamat: *Talitha, tibi dico surge. Surrexit Puella.* Ait Cæco: *Respice, & vidit.* Imperat mari, & fit tranquillitas. Nonne vox ista Jacob est? Verbi Dei vox illa est: *Homo remittuntur tibi peccata. Quis enim potest remittere peccata nisi solus Deus?* Noli Judæe, noli vestem, noli pelles, noli manus considerare, Esau enim sunt. Vocem attende: quoniam vox Jacob est, Verbi Dei, Unigeniti Patris, Dei vivi.

Jo. 7. Ibid. 11. Marc. 5. Luc. 18. Mat. 8. Luc. 5. Gen. 27.

III. Sed quomodo veritatem dixisti, quomodo falsitatem propulsasti? Ecce quid mundus tunc quærebat, nisi honores, pompas, vanitates, delicias; dolores, labores vero fugiebat, & paupertatem. Quis noverat, quod *per tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei?* Quis noverat paupertatem præferre divitiis; tribulationes deliciis; injurias honoribus? Ducebant *in bonis dies suos, & in puncto* ad infernum descendebant. Tu Domine *notas* nobis *fecisti vias vitæ;* non solum verbo, sed & exemplo; in te aspera, & dura sustinens, & in laboribus semper versatus. Et sicut fax accensa, noctis laqueos & tenebras propalasti. Ut tu ais: *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Tu nobis formam vitæ tradidisti, quam sequi conamur. Et cum omnia hæc solum contendant conservare se, ut sic: tu vero perdendam vitam istam doces, ut æterna vita inveniatur. *Ego veritatem dico vobis.* P. Augustinus: Omnia quæ sunt in ipso, vera sunt. Vera Divinitas, vera Caro, vera Majestas, vera Resurrectio, vera Doctrina. *Sustinuit anima mea in verbo ejus.* Si quid Martyres passi, si quid Confessores, & Anachoretæ, si quid Episcopi sustinent, omnia in verbo tuo, confidentes de tuo verbo. *Propter* verbum tuum solum, *mortificamur tota die.* Propter verbum tuum patimur, contemnimur, *propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Nam quid fortius verbo Veritatis? *Cœlum & terram transibunt, verba autem tua non transibunt.* Verbum tuum firma fidei & vitæ nostræ petra est, & fundamentum fortissimum. Nolo miracula, nolo rationes, nolo aliquid præter verbum. Credo tibi Domine sine pignore, & *animam meam pro te ponam. In verbo autem tuo laxabo rete.* Siquidem: *Sustinuit anima mea in verbo ejus.* Quomodo ais Domine: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Cum Apostolus dicat: Fecit ipsum peccatum pro nobis, te esse ipsum peccatum? P. Augustinus (*a*): Peccatum pro sacrificio ponitur: *Peccata populi mei comedent.* Fecit ipsum peccatum, ut nos a peccato liberaret, & maledictum, ut liberaret a maledicto.

Act. 14. Job 21. Psal. 15. Jo. 9. Mat. 12. Jo. 8. Psal. 129. Psal. 43. Psal. 16. Mat. 24. Jo. 13. Luc. 5. Pf. 129. Jo. 8. 2. Cor. 5. (a) Osee 4. Galat. 3.

IV. Peccator, tu quoque dic Deo veritatem, manifestando aperte cor tuum, & non celando peccata. Quoniam, ut ait P. Augustinus (*b*): Peccata quæ celas, illa novit Deus; quæ vero revelas, illa non novit ad judicium. Ut ergo nesciat peccata tua, dic ei illa; tanto enim magis occulta erunt, quanto magis propalata. Christus dixit illis, de se, istam veritatem: *Principium, qui & loquor vobis.* P. Augustinus (*c*) *super Genesim, ad litteram.* Item dixit: *Cum exaltaveritis Filium hominis, scietis quia ego sum.* Quomodo ipsa crucifixio, exaltatio est? Cum Apostolus dicat: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem?* Responsio: Ipsa ejus humiliatio exaltatio fuit, & ipsa derisio laus ejus. Nam tunc coronatus est, ut Rex; non attendas spinas, respice coronam. Tunc in solio regni positus; nam thronus ejus crux ejus, non respicias tormentum. Itaque fuit exaltatus ut Rex. *Propter quod & Deus donavit illi nomen.* Ecce quomodo exaltatio fit: *Tunc*, inquit, *cognoscetis, quia ego sum.* P. Augustinus (*d*) alludit ad illud, quod dixerat Moysi: *Ego sum, qui sum.* Sed quomodo cognitus? Ecce Latro ait: *Domine memento mei.* Centurio: *Vere Filius Dei erat iste.* Alii: *Percutientes pectora revertebantur.* Unde Domine cognoverunt, quia tu eras, qui es? Nisi omnia quæ sunt, mortem suam senserunt, & in ostentationibus maximis declaraverunt, quia ipse es, a quo est omne quod est? Ad propositum hujus materiæ movet Scotus (*e*) quæstionem, *in tertio:* An sine speciali instinctu Spiritus sancti, quis possit dicere aliquam veritatem. Videtur quod sic, quia philosophi, & pagani in suis scriptis plures habent veritates, qui non habuerunt Spiritum sanctum. Henricus tenet quod non, duplici motivo. Primum; quia anima est passiva erroris de se, nec se potest stabilire in veritate. Secundum; quia veritas est una, & immutabilis, & semper est. Sed omnia sunt in continua mutatione; ergo, a creaturis per se non potest haberi veritas. *Ego*, igitur, *veritatem dico vobis.* Mentitus est dæmon: *Eritis sicut Dii. Omnis homo mendax. Fallax equus* mundi *ad salutem. Fallax gratia, & vana est pulchritudo. Ego veritatem dico vobis.*

Jo. 8. (b) Pf. 129. Jo. 8. (c) Ibidem. Philipp. 2. Jo. 8. (d) Exodi 3. Lucæ 23. Mat. 27. Lucæ 23. (e) Jo. 8. Gen. 3. Pf. 115. Psal. 32. Prov. 31. Jo. 8.

IN

(*a*) Enchirid. cap. 41. *In vetere quippe lege peccata vocabantur sacrificia pro peccatis.* Et lib. 1. contra Maximin. Arian. cap. 2. *Si enim reçolas, vel relegas, invenies in libris veteris testamenti, peccata appellari sacrificia pro peccatis.* Denique de Peccato origin. contra Pelag. & Cœlest. cap. 32. *Quoniam peccata vocantur sacrificia pro peccatis.*

(*b*) Vide Enarr. in Psal. 66. num. 6., & in Psal. 74. num. 3., nec non in Psal. 84. num. 5., ubi simile aliquid legitur.

(*c*) Super Genes. ad liter. lib. 1. cap. 5. num. 10.

(*d*) In Joann. Euang. tract. 40. num. 3.

(*e*) In 1. sent. dist. 3. quæst. 5. §. *In ista quæstione.* Copiose hac de re disputat adversus Henricum, qui Summæ art. 1. quæst. 2. oppositam opinionem docuit, ut paulo infra innuit S. Orator.

IN FERIAM SEXTAM POST DOMINICAM PASSIONIS CONCIO.

DE CONCILIO;

AD REGEM HISPANIARUM PHILIPPUM SECUNDUM.

Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium.
Joann. 11. v. 47.

CONCIO LX.

I. IN Euangelio narratur cauſa mortis Domini. Audito namque magno illo miraculo ſuſcitationis Lazari, a præſentibus, ut dicitur in Euangelio: quidam abierunt ad Phariſæos, & nuntiaverunt illud. Die ſequenti congregati ſunt in concilio cum Pontificibus, & Principibus populi, ſicut ſcriptum eſt: *Principes convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.* Et dicebant: *Quid facimus? Quia hic homo multa ſigna facit: ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum*, & facient eum Regem. Quo audito: *Venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* O iniqui! O perverſi! Non movet vos zelus populi, non gentis liberatio. Quæ enim apparentia fuit regni in homine paupere, & humili, alienis eleemoſynis ſuſtentato? Quam ambitionem, aut dominandi libidinem vidiſtis in homine humili, & contemptore divitiarum, & pomparum? Quod ſi invitus a populo conſtitueretur Rex, numquid non ſufficeret liberare populum a Romanis, qui poterat homines ſuſcitare a mortuis? Quis unquam Salvator populi tam potens fuit, ut talia opera faceret? Quanta vobis eſſet felicitas in tali Rege? Quanta ſecuritas in tali Salvatore? Non ergo erat ulla ratio aut cauſa timendi: ſed colorem ſuæ malitiæ, & invidiæ præſtabant: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Sederunt itaque, & ſinguli ſententiam dicebant: alius ſic, alius ſic. Unus dicebat: comprehendatur ſecrete, & mittatur procul in cuſtodiam ubi amplius non appareat; alius: ligetur, & mittatur ad Cæſarem, vel tradatur Pontio Pilato; alius: occidatur ſecrete ab aliquo; alius: invitetur, & potetur veneno; alius: publice rapiatur, & occidatur. Sed, *non in die feſto, ne* fiat *tumultus in populo.* Nullus erat ibi qui reſponderet pro Innocente, & diceret. *Quid enim mali fecit?* Nullum aliud crimen reperitis, niſi quod ſigna multa facit, quod ſanat ægrotos, quod illuminat cæcos, quod ſuſcitat mortuos. Propter hæc adorare debuiſtis, & pro his occiditis? His beneficiis talem præſtatis remunerationem? O audaciam! O cæcitatem ſtolidorum conſiliariorum! Illum tentatis occidere, qui mortuis vitam præſtat? Qui tantam a Deo accepit poteſtatem? Et non conſulitis, an poteritis? Talem vobis facitis inimicum, & non timetis, ne forte ille occidat vos? Facilius enim multo eſt vivos occidere, quam mortuos ſuſcitare.

II. Quanto conſultius iſta omnia tractaſſent, ſi cæci non fuiſſent. Pſalmus de his: *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis, venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Non faciebant concilium ut veritatem inquirerent, ſed ut malitiam confirmarent; & ſic excæcati paſſione, hæc omnia non attendebant. Tunc Caiphas Pontifex anni illius, auditis ſingulorum ſuffragiis, abſolvit negotium, dicens: *Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Quid aliam cauſam inquiritis? Sufficit ad hoc ſalus populi. O profane! Quantam veritatem dixiſti? Vere expedit ut moriatur Chriſtus pro mundo, ne *tota gens pereat.* Ita eſt. *Hoc a ſemetipſo non dixit; ſed prophetavit.* Spiritu ſancto movente linguam ejus, *quia Pontifex erat*, ſed non tangente cor illius. Prophetavit, ſed non fuit Propheta, quia non intellexit quod dixit: ſed in ſenſu, in quo ille locutus eſt, falſum protulit. Non enim debet occidi innocens, etiamſi inde ſperetur quæcumque commoditas: quia ſanguis effuſus clamat contra populum: neque occiſio innocentis poteſt eſſe populo utilis, ſed nociva. Alia via quærendum eſt remedium: nam occidere innocentem, non eſt quærere, ſed deſtruere bonum publicum. Ab illo ergo die decretum & determinatum eſt, ut Chriſtus Dominus occideretur. Jeſus ergo jam non publice ambulabat in populo ut prius, ſed abiit in regionem ſeparatam, juxta deſertum, in civitatem Ephrem, & ibi latuit, uſque ad ſabbatum ſequens. Nam ſabbato præterito factum eſt concilium, & poſt octo dies venit Bethaniam, & die ſequenti ingreſſus eſt Jeruſalem, cum ramis, & gaudio populi. Unde patet, quod hoc concilium non fuit factum hodie, ſed ſabbato præterito.

Jo. 11. *Pſal. 2.* *Jo. 11.* *Mat. 26.* *Ibid. 27.* *Pſ. 139.* *Jo. 11.* *Gen. 4.* *Jo. 12.*

to. Phariſæi autem & Pontifices, non invenientes eum, dederunt mandatum, & voce præconis juſſerunt ſub anathemate, & ejectione a ſynagoga: *Ut ſi quis cognoverit ubi ſit,* Jo. 11. *indicet*, ut comprehendatur. Et, ut exiſtimo, quæſitus eſt in domo Mariæ, & Marthæ, & per totam civitatem. Et hic fuit primus guſtus paſſionis ejus in Virgine. Hæc de Euangelio.

III. Hoc concilium mirabiliter fuit expreſſum in libro Sapientiæ, ubi dicitur: *Dixerunt impii cogitantes apud ſe non recte: Circumveniamus juſtum*, quia *inutilis eſt nobis*, *& contrarius eſt operibus noſtris*. Etſi juſtus, tamen nobis valde adverſatur; perdit ac deſtruit nos: gratiam populi quam habebamus abſtulit. Jam populus non honorat, non ſequitur nos, pro nihilo deſpicit nos, & eleemoſynæ perierunt. Ex quo hic homo prædicare cœpit, honor, redditusque ceſſavit: nobis valde pernicioſus eſt, *& contrarius eſt operibus noſtris:* in omnibus adverſatur & reprehendit opera noſtra. *Improperat nobis peccata legis:* quod non intelligimus legem, ſed prævaricamur, & diſſipamus eam: quod Mat. 15. dimittamus legem Dei propter traditiones noſtras, *& diffamat in nos peccata diſciplinæ* Sap. 2. *noſtræ*. Infamat doctrinam noſtram, dicens: quod doceamus ſolas cæremonias, vane omittentes potiora: mundantes quod foris eſt paropſidis, & non quod intus eſt cordis. Quod Mat. 23. excolamus pulicem, & deglutiamus camelum. Perſonas noſtras & doctrinam infamat: neque ſola exteriora reprehendit opera, *ſed* Sap. 2. *factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum*. Etiam cogitationes noſtras novit, & publicat: neſcimus quomodo: ut neque cogitare quæ volumus liceat, & deſiderare non ſit liberum coram eo. Nam illico dicit: *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Mat. 9. Nihil poteſt eſſe occultum huic homini: *Tamquam nugaces æſtimati ſumus ab illo*, *& abſtinet ſe a viis noſtris*, *tamquam ab immunditiis*. Vocat nos ſemper hypocritas, fictos, Mat. 15. mendaces, cæcos, & duces cæcorum: & deteſtatur vitam noſtram, ut profanam & peſſimam, monendo populum, ut non ſequatur nos. Quod imponamus onera gravia Ibid. 23. & importabilia, & digito non tangamus, non agentes quod docemus. Propter quod, gravis eſt nobis etiam ad videndum, & odio eſt nobis maximo. Non poſſumus eum oculis aſpicere præ rancore, *quoniam diſſimilis* Sap. 2. *eſt aliis*, *vita illius*. Habet vitam extraneam, & pluſquam humanam: non ridet, non lætatur, non otiatur, non quærit quæ mundi ſunt, longe eſt ab omni humana conſuetudine vita illius: nullus mortalium ſic Ibidem. vivere poſſet: *Et Filium Dei ſe nominat: Et gloriatur Patrem ſe habere Deum*. Et certe negare non poſſumus, quod opera faciat ſtupenda, & prodigia terribilia. Sed, *videamus ſi ſermones illius veri ſunt*, *tentemus quæ ventura ſunt illi*. Tentemus vadum, perſcrutemur hanc veritatem. *Contumelia* A *& tormento interrogemus eum*, *& morte turpiſſima condemnemus eum: Si enim vere eſt Filius Dei ſuſcipiet illum*, *& liberabit eum de manibus contrariorum*, neque permittet Filium ſuum ſic torqueri & occidi. Quod, ſi non liberatus fuerit; proculdubio fallit, & Filius Dei non eſt, ſed ſeductor populi. Hoc ergo inquiramus, hoc ſciamus. *Hæc*, inquit, *cogitaverunt*, *& erraverunt: excæcavit enim illos malitia ipſorum*, & invidia ipſorum. Quam aperte, quam exacte, quam proprie hujus concilii malignitas expreſſa eſt a Spiritu ſancto *in illo Libro!* Quis illo- B rum conſiliariorum aſtantium concilio rem ſic exprimere potuiſſet?

IV. Ex hac authoritate patet, iſtos non ſolum timuiſſe plebem, ne illum defenderet: ſed etiam timuiſſe, ne forte ipſe eriperetur miraculo, & ideo quaſi tentando negotium inchoaſſe. Nam licet oderant illum, & ejus mortem optarent, tamen non poterant ignorare potentiam miraculorum ejus; & quamvis peſſimi, non tamen erant rudes. Unde forſitan timebant, ne faceret ignem de cœlo deſcendere, ut Elias ſupra quinqua- 4. *Reg.* 1. genarios: vel, ne cæcaret comprehenſores, C ut Eliſæus; vel alio modo occideret eos, vel *Ibid.* 6. de manibus eorum evaderet. Et ideo, quaſi negotium arduum & difficile aggreſſi ſunt, rei exitum pertimeſcentes. Unde P. Auguſtinus, *ſuper Pſal.* 63. His omnibus, curationibus ejus ingrati, tamquam multa febre phrenetici, inſanientes in medicum qui venerat curare eos, excogitaverunt conſilium perdendi eum, tamquam volentes probare, utrum vere homo ſit, qui mori poſſit, an aliquid ſuper homines, & mori ſe non permittat. Propterea Dominus, ut probaret ita eſſe ut cogitaverant: quod liberare ſe poſſet, D antequam comprehenderetur; uno verbo eos Jo. 18. proſtravit in terram, quaſi mortuos. Et, niſi ad hoc miſſus eſſet, ut pateretur; quotquot veniſſent, proſtraſſet: & ipſos Principes & Phariſæos, ſi veniſſent, ſimiliter proſtraſſet; ut experirentur, quam merito timuiſſent, & quam facile poſſet ſe liberare de manibus eorum. O nimiam cæcitatem! O ſtupendam phreneſim! Quomodo auſi ſunt comprehendere illum, qui ſolo tactu aurem Luc. 22. reſtituit? Niſi mens læva fuiſſet; ſurgentes etiam timore correpti, fugere debuiſſent. Sed & Pontifices non ceſſaverunt a proſecu- E tione negotii, cum famuli eorum hoc eis narraverunt. Unde poſtmodum, cum vidiſſent Dominum in Cruce poſitum, pallentem & morientem, quaſi ovantes & gloriantes, quod res proſpere ſucceſſiſſet, inſultabant Domino dicentes: *Alios ſalvos fecit: & ſeipſum non* Mat. 27. *poteſt ſalvum facere*. *Si Rex Iſrael eſt*, *deſcendat nunc de cruce*, *& credimus ei*. Speravit in Domino, eripiat eum, ſi vult: nam uſque tunc ſemper timebant. Sed quam modicum duravit illa inſultatio, & illa gloriatio eorum?

V. Adhuc iſta dicebant: & ecce ſol ob- Luc. 23. ſcu-

Mat. 27. ſcuratur, terra contremit, petra ſub cruce ſcinditur, velum templi rumpitur, elementa turbantur; adeo, ut Centurio, viſis his quæ fiebant, conterritus acclamaret: *Vere Filius Dei erat iſte:* & populi, ſua pectora Lucæ 23. percutientes, ad civitatem reverterentur timentes, & trementes pro peccato commiſſo. Sed tunc fuerunt magis confuſi, quando venerunt cuſtodes, & eum ſurrexiſſe a mortuis Mat. 28. nuntiaverunt, & neceſſe fuit pecunia corrumpere eos, ne hoc populo proderent. Quomodo tunc confuſi ſunt, quomodo timuerunt, & palluerunt! Quanto aliud fuit illud concilium ab iſto? Sed poſtea quoque veritate aperta, quando populus convertebatur, & Act. 2. Apoſtoli faciebant ſigna magna, & nomen illud, quod ipſi extinguere voluerunt, non ſolum in Judæa, ſed in toto orbe adorari & coli cœpit, ipſis videntibus & ſcientibus; quomodo fremebant, & intra ſe contabeſcebant! Mich. 7. Unde Dominus per Prophetam: *Ne læteris*, inquit, *inimica mea*, ſynagoga ſcilicet, *ſuper me, quia cecidi: conſurgam cum ſedero in tenebris*, mortis ſcilicet & ſepulchri; *Dominus lux mea eſt*. Et in Pſalmis: *Tu autem* Pſal. 40. *Domine miſerere mei, & reſuſcita me, & retribuam eis*. O duritiam! O pertinaciam! Quomodo non converſi ſunt his omnibus viſis atque compertis? Quam bene Jacob Patriarcha iſtorum malitiam, & pertinaciam, & concilium hoc peſſimorum expreſſit in figura: nam cum morti appropinquaret, vi- Gen. 49. dens in ſpiritu hæc omnia, ait: *Simeon & Levi Fratres, vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea: quia in furore ſuo occiderunt virum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura*. Nam ex tribu Simeon fuerunt Phariſæi, & ex tribu Levi Sacerdotes, qui hodie congregati ſunt in concilium contra Chriſtum. Quorum concilium Patriarcha in ſpiritu deteſtatur, & pertinaciam incredulitatis; quoniam viſis tot mirabilibus, non ſunt converſi: de quibus Job: *Per diem incurrent* Job 5. *tenebras, & quaſi in nocte, ſic palpabunt in meridie*. Sed fefellit eos malitia ſua: *Et* Pſal. 26. *mentita eſt iniquitas ſibi*. Hic fregerunt lampadem ſacram, & effuſum eſt oleum ſuper omnem terram, ſicut ſcriptum eſt: *Oleum* Cant. 1. *effuſum nomen tuum*. Ruperunt ſaccum mor- Pſal. 29. talitatis noſtræ, & intus apparuit aurum di- Gen. 44. vinitatis, & potentiæ divinæ. Voluerunt Mat. 5. extinguere lucernam mundi, & poſuerunt eam ſuper candelabrum, ut luceret omnibus qui in orbe ſunt. Et dum mortificare voluerunt granum illud frumenti cœleſtis, ſeminatum eſt: & emortuum, crevit in ampliſſimam ſe- Jo. 12. getem populorum, ſicut ipſe ait: *Niſi granum frumenti mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*.

VI. Horum omnium cauſa fuit invidia. Fugiamus, Fratres, tam malum vitium. Sap. 2. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem ter-* Gen. 4. *rarum*. Invidia Cain fratrem innocentem occidit. Invidia fratres vendiderunt Joſeph. Invidia Phariſæi occiderunt Chriſtum; & infinita alia mala fecit invidia. Deus nos liberet a tam malo & tam ignominioſo vitio. Primo: hoc peccatum diabolicum eſt, & purum malum: nam alia vitia & peccata, aliquod bonum prætendunt, licet inordinate. Nam ambitioſus quærit honores: avarus divitias: lubricus voluptates: guloſus ſaporem; accidioſus quietem: & hæc omnia bona ſunt; ſi non nimis, & præter Divinæ legis & rationis ordinem quærerentur. Sed invidia, pura malitia eſt: nihil habens commodi, ſed tormenti plena, nihil ſolatii, nihil voluptatis, nihil habet bonum invidia, niſi quod merito torquet habentem. Unde maxime contrariatur charitati: ac propterea; ſicut charitas facit hominem Filium Dei, ſic e converſo, invidia facit eum filium diaboli. Secundo: invidia eſt vitium infame & vile; non cadit in animum generoſum. Job: *Parvulum occidit invidia:* nam invidendo, ſe abjectum & defectuoſum eſſe oſtendit. Tertio: eſt vitium periculoſum; nam, unus invidus ſufficit evertere totum populum; non enim cavetur, quia non ſentitur. Quis enim caveat ab amico, cui plurima fecit beneficia, & in nullo eum læſit? In hoc ſolo læſum ſe putat, quia bene tibi eſt. Invidus nemini parcit: ſic detrahit amico, ſicut inimico. Unde bene comparatur baſiliſco, qui ſolo viſu occidit: habet enim viſum faſcinantem, & oculum venenoſum. Si te viderit lætum, & proſperum, ſtatim detractionis virus effundit, etiam ſi eum genueris. Neque ſcies effugere: nam, ſi quis iratus eſt, aut placas, aut declinas: ſi offenſus, reconciliari procuras: ſi damnificatus vel læſus, ſatisfacis: ſi lubricus, provides uxoris: ſi latro, rem tuam cuſtodis: ſed invido quid facies, ut non noceat? Niſi miſerum te viderit, nocere non ceſſabit; ſola enim miſeria, & paupertas cavet invidiam. Unde invidus in inferno optime locaretur. Ibi quieſceret: quia non haberet cui invideret. Caveamus, Fratres, ne ſimile nobis contingat. Nam dicebat illis Dominus: *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ! Qui dicitis: Si fuiſſemus in* Ibid. 23. *diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum. Et vos implete menſuram patrum veſtrorum*. Majora quippe ſcelera facturi eſtis. Nam illi occiderunt Prophetas, & vos occidetis Dominum Prophetarum, & Apoſtolos ejus. Nam: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas*, & Apoſtolos: *Et ex eis occidetis & flagellabitis in ſynagogis veſtris*.

VII. Simile nunc contingit multis, qui deteſtantur facinus Phariſæorum conſpirantium contra Jeſum, & ipſi etiam contra ipſum conſpirant, & intra ſeipſos ipſum cru- Heb. 6. cifigunt. Religioſus enim, qui relicto ſuo monaſterio & profeſſione, redit ad mundum, conſpirat contra Jeſum. Prælatus, qui ſuſcepto officio, oves tondet, & non viſitat, conſpirat contra Jeſum. Judex, qui odio per-

perſequitur innocentes, conſpirat contra Jeſum. Totus mundus hodie, ut ait Bernardus (*a*), conſpiravit contra te o bone Jeſu! Etiam qui ſunt de domo & de familia tua. Non mirandum hoc de Phariſæis; cum Chriſtiani & domeſtici tui hoc faciant. Quiſquis adverſatur & impedit aliquod bonum, maxime publicum, quod pertinet ad ſalutem, Antichriſtus eſt, & conſpirator. Unde Joannes: *Audiſtis quia Antichriſtus venit: nunc Antichriſti multi facti ſunt*. Magna eſt hodie factio contrariorum Jeſu, qui ſtatim ſe opponunt omni bono, & contradicunt. Ecce quantum bonum hac quadrageſima incœptum eſt in deſtructione uſurarum, in quibus tot animæ peribant. Nunc, ut audio, multos habet contradictores & oppugnatores. Sciat quiſquis ejuſmodi eſt, quod ſit unus de numero iſtorum Phariſæorum, & conſors iſtius concilii. Audet aliquis adverſus Deum inire conſilium, aggredi negotium, formica de terra luctari cum Deo? Scio, inquit, quod hoc eſt malum & peccatum, & Deo diſplicet, & Deum habebo contradictorem & contrarium; ſed tamen faciam, quod potero. Et quid poteris miſer contra Deum? Per annum ſicut aranea ordieris telam, & uno flatu diſſipabitur a Deo. Quem negotii finem ſperas contradicendo Deo? Quis reſtitit ei, & pacem habuit? O audaciam! O ſtultitiam! Quid tibi accidet, niſi quod iſtis, qui occiderunt Chriſtum, ne venirent Romani, & perderent civitatem, & quia occiderunt, ideo venerunt, & deſtruxerunt plebem. Job: *Qui apprehendit ſapientes in aſtutia ſua, & conſilium pravorum diſſipat*. Parum eſt Deo diſſipare pravorum conſilia, ſed ipſos in ſuis conſiliis capit, ut tendant rete & cadant in eo, parent laqueos, & incidant in eos, faciant foveam & incidant in eam: & illa via, qua prætendunt Deo adverſari, impleant Dei voluntatem: & qua putant fugere, illa via incidant, & pereant. Ut iſti occiderunt Chriſtum ne perirent, & quia occiderunt, ideo perierunt. Caveamus igitur de cætero adverſari Chriſto, ſed in omni negotio noſtro, primo conſideremus, an Deo placeat, an Deum fautorem habebimus, ſi ſecundum Deum eſt negotium; alias, non aggrediamur. Secundo: iſtud non noſtris viribus ſolis efficere cogitemus, ſed Domino committamus, orationibus, & ſacrificiis commendantes, ut ſi rectum eſt, & ei placitum, fiat, ut ait Pſalmus: Jacta curam tuam in Domino, & ipſe faciet. Tertio: ut quidquid poſtea acciderit, benevole acceptemus: credentes quod ita expedit nobis. Hoc autem maxime convenit Principibus: in bello, & negotiis arduis, omnia agere cum ſummo conſilio. Non confidere in conſilio hominum, ſed in Dei adjutorio: ſemper commendantes Deo omnia, & ad ipſum in omnibus accurrentes, & ejus auxilium poſtulantes. Unde oportet Principem eſſe devotiſſimum, & timentem Deum, quanto plus indiget Deo quam cæteri, propter ardua negotia & frequentia: ſicut faciebat David, qui in omnibus conſulebat Dominum. Similiter & Moyſes. Unde Joſue, quia non conſuluit Dominum ſuper facto Gabaonitarum, deceptus eſt. *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ*. Unde Job: *Apud ipſum eſt fortitudo, & ſapientia: ipſe novit & decipientem, & eum qui decipitur. Adducit conſiliarios in ſtultum finem, & judices in ſtuporem. Baltheum Regum diſſolvit*. Placeat Deo, ut Regalis Altitudo Veſtra, ſic ſemper Deo conjuncta, & devota exiſtat, ut per ejus bonam gubernationem, hic pacem & tranquillitatem habeamus, & poſtea cœleſtem gloriam conſequamur. Amen.

(*a*) Serm. 1. de Sanctis: in Converſ. S. Pauli num. 3. *Et nunc, quod gravius eſt, ipſi Chriſtum perſequuntur, qui ab eo utique Chriſtiani dicuntur. Amici tui Deus, & proximi adverſum te appropinquaverunt, & ſteterunt. Conjuraſſe videtur contra te univerſitas populi Chriſtiani a minimo, uſque ad maximum.*

IN DOMINICAM PALMARUM.

PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

* CONCIO LXI.

I. PLURIBUS aliis modis potuit Chriſtus hominem redimere, ſed voluit per paſſionem propter tria.

Primo, ut oſtenderet divitias bonitatis & charitatis ſuæ. *Quoniam, cum peccatores eſſemus, ſecundum carnem Chriſtus pro nobis mortuus eſt*. In aliis potentia & ſapientia lucet, in homine, charitas. Nemo Angelorum potuit tantum ſuſpicari amorem. Apoſtolus: *Propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos Chriſto*. Vere *nimiam* ut Deus pro creatura patiaris, Filius pro ſervo, Dominus pro mancipio. Apoſtolus: *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. P. Auguſtinus (*b*): Dilexiſti me Domine plus quam te, pudeat non redamare te.

Secundo: ut ſic alliceret hominem ad amorem. Nihil magis ad amandum provocat, quam amor. Bernardus (*c*): Tentavit Dominus

(*b*) Vide Concion. 1. Dom. 2. Advent.
(*c*) Vide Concion. 5. Dom. 1. Advent.

minus nos allicere ad se pluribus modis.

(a) Philipp. 2. Ambrosius (a), super illud: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen. Ut in Nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Bernardus: Super omnia te mihi amabilem fecit bone Jesu, calix quem pro me bibisti, opus redemptionis meæ.

(b) Tertio: apparet ex hoc gravitas peccatorum. Bernardus (b): Ex quantitate remedii peccati æstimo gravitatem. Filius Dei jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso Sanguinis sui balsamo mederetur. P. Au-

(c) gustinus (c): Constat gravissimas esse causas peccatorum, &c.

Quinque fecerunt passionem Christi acerbissimam. Primum est, gravitas tormento-

Lucæ 23. rum. In Euangelio: *Tradidit illum voluntati eorum.* Non posuit mensuram in pœna, ut explerent in eo voluntates, & satiarentur. Secundum: complexio delicatissima. Tertium: desertio Patris & rationis. Quartum: confusio nuditatis publicæ coram omnibus, qui eum sic æstimaverant. Quintum: præsentia & dolor Matris, & Apostolorum desertio.

Jo. 12. II. Rami palmarum. Bernardus (d): Quam

(d) Mat. 21. Jo. 19. contraria vox: *Hosanna* in excelsis! *Crucifige, Crucifige!* Monstravit gloriæ hujus sæculi instabilitatem.

Mat. 26. Gen. 37. Psal. 40. *Quid vultis mihi dare?* Figura Joseph venditi a fratribus. Psalmus: *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Venditus est, ut emeret nos a Pa-

1. Cor. 6. Mat. 26. tre, seipso. *Empti enim estis pretio magno.* Cœna.

Zelus Pastoris. Quibus modis tentat convertere miseram ovem. Judam tentat:

D Beneficio: *Vespere autem facto, discumbebat*

Ibidem. *cum duodecim Discipulis suis.* Ergo & cum

Ibidem. Juda. Confusione verecundiæ. *Edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.* Cogita, quid sit esse traditor; & traditor Domini Jesu.

Ibidem. Minis. *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur! Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

Ibidem. Charitate. Institutio Sacramenti.

Ibidem. Humilitate. Humilitas ablutionis.

Jo. 13. III. *Hymno dicto.* O, si sciremus hunc

Mat. 26. hymnum!

Lucæ 22. *Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum.*

A Sudor, & Agonia.

Quomodo timet. Et Agatha ibat ovanter Lucæ 22. pro eo, sicut ad epulas invitata.

Triplex ratio hujus timoris.

Prima: ut ostendat veram humanitatem, erga hæreticos.

Secunda: ut nostrum timorem expelleret, timuit ille, ne timeremus nos: non fecit contrarium doctrinæ: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Vo-

Mat. 10. luntarie assumpsit timorem, ut perficeret in

B nobis virtutem. Non erat plurimum, videre Deum fortem; sed timentem.

Tertia: ad consolationem nostram; ne exanimemur, si aliquando timuerimus. *Non*

Hebr. 4. *habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum per omnia.*

Osculatus est eum. Similiter: tradit eum osculo Sacerdos iniquus, ut ait Hieronymus.

Mat. 26. Beda (e): Multi hoc scelus horrent, & ipsi

(e) hoc perpetrant, cum veritatem vendunt, Christum vendunt.

Amice, ad quid venisti? Jam quis timet ac-

Ibidem. cedere ad te o bone Jesu, si proditor voca-

C tur amicus? *At illi manus injecerunt in eum*

Marc. 14. *& tenuerunt eum.* Solvit nexus, quando ait: *Ego sum.*

Jo. 18. *Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.*

Ibid. 17. *Pater Sancte: quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus,*

Ibid. 18. *habens gladium eduxit eum, & percussit Pontificis servum, & amputavit auriculam ejus dexteram.*

Ibidem. Petrus auriculam. Erant enim incircumcisi auribus, & Pastor Ecclesiæ circumcidit Judæum, ut viam faceret doctrinæ. Isaias:

Isaiæ 6. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava.*

Jo. 18. *Mitte gladium.* Ecclesia non utitur gladio: contra Pontifices bellicosos. Non sit Pontifex facilis ad excommunicandum.

Ibidem. Ut sit hodie nota Petri animositas; solus invadit armatos, & postmodum desertus, ne-

Lucæ 22. gat ad vocem Ancillæ. Ecce in Petro quid per nos valeamus.

Mat. 26. Luc. 22. IV. In domo Cayphæ mansit nocte illa, in famulorum comitatu. Solus esto ibi cum Domino tuo: cogita, & vide irrisiones. Psalmus: *Et in me psallebant, qui bibebant vinum.*

Ps. 68. *Vincientes Jesum.* Figura Samson, quem ami-

Mat. 26. ca fœdifraga ligavit, & tradidit inimicis il-

Judic. 16. ludendum: attonsus est, & infirmatus: in capillis attrita fortitudo ejus.

Jesus

(a) Vide Concion. 5. Dom. 1. Advent.

(b) Vide eamdem Concion. 5. Dom. 1. Advent.

(c) Vide Concion. 1. Dom. 2. Advent.

(d) Serm. 1. in Dom. Palmarum num. 1. *Quis ergo sperare jam debeat in incerto gloriæ temporalis, cum videat in ipso quoque, qui peccatum non fecit, Creatore temporum, & Conditore universitatis, post exaltationem tantam, tantam nihilominus humiliationem sequi? In eadem enim civitate, a plebe eadem, & eodem tempore, nunc quidem processionis gloria, & divinis est laudibus honoratus, postmodum vero interrogatus contumeliis, & tormento, & cum sceleratis deputatus. Hic est transitoriæ finis lætitiæ, hic fructus gloriæ temporalis.*

(e) In Lucæ Euang. lib. 6. cap. 22. *Multi hodie Judæ scelus, quod Dominum, ac Magistrum, Deumque suum pecunia vendiderit, velut immane, & nefarium exhorrent, nec tamen cavent. Nam cum pro muneribus falsum contra quemlibet testimonium dicunt, profecto quia veritatem pro pecunia negant, Dominum pecunia vendunt, ipse enim dixit, ego sum veritas. Cum societatem fraternitatis aliqua discordiæ peste commaculant, Dominum produnt, quia Deus charitas est.*

Jesus autem tacebat. Psalmus: *Amici mei &*
Mat.26. *proximi mei adversum me appropinquaverunt*
Psal.37. *& steterunt*. Psalmus: *Traditus sum, & non*
Psal.87. *egrediebar*. Isaias: *Non aperuit os suum: sicut*
Isaiæ53. *ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.*

Non novi hominem! O Petre! non agnoscis
Mat.26. eum, qui te ex piscatore fecit pastorem?
Lucæ 5. Eum, qui fulgebat in monte? Eum, pro quo
Mat.17. mori ante pollicebaris?
Excitat eum gallus.
Ibid.26. *Conversus Dominus respexit Petrum*. Respexit
Lucæ22. Dominus, & sagittatus est intus Petrus.
Non hunc, sed Barabbam. Beda *in Glossa*.
Jo.18. Adhæret Judæis usque hodie petitio eorum. Quia pro Jesu latronem elegerunt, optione data; ideo ubique spoliantur.

Crucifige, crucifige. Jeremias: *Facta est*
Ibid.19. *mihi hæreditas mea quasi leo in silva; dedit*
Jer. 12. *contra me vocem*.
Milites plectentes coronam spineam imposue-
Jo.19. *runt capiti ejus*. Omnia quæ per ludibrium faciebant, in veritate fiebant. Tunc coronabatur, tunc regnare incipiebat a ligno.

V. *Bajulans sibi crucem*. Figura Samson
Ibidem. bajulantis utramque portam civitatis. *Con-*
Marc.15. *surgens, apprehendit ambas portæ fores cum*
postibus suis, & sera: Impositasque humeris
Judic.16. *suis portavit ad verticem montis*.
Angariaverunt Simonem. Omnis hypocrita
Mat.27. crucem portat in angario. Pro laude pœni-
Marc.15. tentiam portat: similis est Cyrenæo. Gre-
(a) gorius (*a*).
Joannes nuntiat Virgini. Perpende Virginis
Gen.37. angustiam. Figura: *Vide, utrum si tunica Filii tui sit*.
Postquam venerunt in locum, qui vocatur Cal-
Lucæ23. *variæ*. Figura Isaac: in eodem loco, non
Gen.22. Isaac, sed aries.
Dederunt ei vinum bibere, cum felle mistum.
Mat.27. *Ibi crucifixerunt eum*. Nudus crucifixus. O
Lucæ23. quantus pudor!
Figura: Noe inebriati, & nudati coram ju-
Gen. 9. niore filio.
Num.21. Figura Serpentis.
Ibid.28. Figura Hirci.
Ibid.13. Figura Botri.
Quod scripsi, scripsi. Psalmus: In finem ne
Jo.19. corrumpas tituli mei inscriptionem.

VI. *Pater dimitte illis, non enim sciunt,*
Lucæ23. *quid faciunt*. Latro miratus est deprecantem pro crucifixoribus.
Pater dimitte illis: & tamen tu Christiane ais: Deus meus vindica me. Si Christianus es, vindicet se prius Christus; in judicio faciet vindictam.
Mat.27. *Descende de cruce. Et credimus ei*. Vox
(b) diabolica. Bernardus (*b*): Non faciet, non descendet. Et tu quoque, o Religiose ne descendas: deponam te.

A *Confidit* in Deo, *liberet eum, si vult eum*.
Psalmus: *Speravit in Domino, eripiet eum*. Mat.27.
Et hora nona exclamavit Jesus voce magna: Psal.21.
Dicens Eloi, Eloi, lamma sabacthani? Quod Marci
est interpretatum: Deus meus, Deus meus, 15.
ut quid dereliquisti me? Patrem vocat in horto, Deum in patibulo. Jam non Patris nomen, sed Dei opus est: sic tradere Filium, sic relinquere. Mat.26.
Domine, memento mei dum veneris in re- Lucæ23.
gnum tuum. O Latro, qualia nunc vides insignia regni, nisi coronam spineam? Unde nosti de Crucifixo, quia Rex est? Magna
B fides: qui pendebat a latere, lucebat in corde. Quem Apostolus negavit, Latro confessus est. Latro, primus prædicator, Latro, primus professor. Latro fuerat Adam, in pomo se damnavit. Hic Latro, dum innocentiam Christi defendit, per crucem se salvavit. O insignis Latro! Rapuisti regnum cœlorum. Non petiit libertatem, sed gloriam. Confundit sacerdotes blasphemantes. Latro agnovit per pœnam, quem non prius agnoverat per prodigia.
Continuo currens unus ex eis, acceptam spon- Mat.27.
C *giam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere*. Psalmus: *In siti mea po-* Psal.68.
taverunt me aceto.

VII. *Consummatum est*. Omnis dolor, om- Jo. 19.
nis labor, via laboriosa, Lex, Prophetia, Redemptio, opus ministerii injunctum a Patre, umbra, figuræ: omnia de cætero nova; vetera transierunt. Jam regnum, jam gloria, jam vita, jam veritas cum gloria.
Clamans voce magna emisit Spiritum. Ipse Mat.27.
posuit animam, prævenit mortem. Nemo rapit eam a me, ego ponam cum voluero. Ideo:
Pilatus autem mirabatur, si jam obiisset. Su- Marci
D pra naturam fuit, quod clamando moreretur. Propter quod, 15.
Videns Centurio, qui ex adverso stabat, quia Ibidem.
sic clamans expirasset, ait: *Vere hic homo Filius Dei erat*.
Obscuratus est sol.
Velum Templi scissum est in duas partes, a Lucæ23.
summo usque deorsum. Jam Sacramenta & se- Mat.27.
creta omnia in luce sunt. Ablatum est velamen a Sanctis. Psalmus: *Dominus revelabit* Psal.28.
condensa: & in templo ejus omnes dicent gloriam. Quia vera Dei in sole nudata: mystica non decuit velari.
E *Petræ scissæ sunt*. Petræ sciffæ pro cordibus. Mat.27.
Impletum est, quod dixit: *Si hi tacuerint,* Lucæ19.
lapides clamabunt.
Accepto corpore, Joseph involvit illud in Mat.27.
sindone munda. In monumento novo, in quo nemo sepultus. Virgo monumentum, virgo pectus justi: si peccatum adest, non ibi condetur Jesus.
Posuit in monumento suo novo. O extremam Ibid.27.

(*a*) In Euang. Homil. 32. num. 3. *Et plerumque fit, ut hoc quod causa Dei agi creditur, pro solis humanis favoribus agatur. Quod bene Simon ille significat, qui inventus in itinere, crucem Dominicam in angaria portat. Aliena quippe onera in angaria portantur, quando per vanitatis studium aliquid geritur*. Eamdem instituit comparationem S. Doctor Moral. lib. 8. cap. 44.

(*b*) Serm. in die S. Paschæ num. 3. & 5.

paupertatem! Non habet ſepulchrum: ſepultus in monumento alieno.

Lucæ 23. Sabbatum agit Chriſtus a doloribus, ſicut Deus ab operibus. *Heb. 4.* Hæc noſtra feſtivitas, hic noſter Sabbatiſmus.

Thren. 1. *O vos omnes qui tranſitis per viam*, nolite obliviſci tantam charitatem.

1. Petr. 2. Petrus: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.*

Paulus: *Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen: aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem.* *Heb. 12.*

IN FERIAM QUINTAM
MAJORIS HEBDOMADÆ
CONCIO.
DE MANDATO.

Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.
Iſaiæ 45. v. 15.

* CONCIO LXII.

I. INSTITUTIO ſalutaris Sacramenti magnum & evidentiſſimum divinæ pietatis argumentum, & ardentiſſimi amoris ejus erga nos ſingulare teſtimonium eſt. Si rem aſpicias, ſe dedit in cibum famelico & egeno. Si tempus aſpicias: *1. Cor. 11.* *Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem.* O ſingularis & admiranda prorſus dignatio pietatis! Tunc cibum præſtitit ſeipſum ad vitam, quando ſacrilega impietate quærebatur ad mortem. *Job 31.* *Quis det*, inquiunt, *de carnibus ejus, ut ſaturemur? Mat. 26.* *Accipite*, inquit, *& comedite: Hoc eſt Corpus meum.* Et ſi ſanguinem meum ſititis, accipite: *Hic eſt enim Sanguis meus.* O pietas plus quam materna! Mater enim lacte nutrit filios ſuos; tu vero Sanguine potas ſervos tuos: ſed, ne horrorem incutiat humani ſanguinis potus, & carnis cibus, ſub aliena ſpecie abſconditus eſt. Et juxta thema: *Iſaiæ 45.* *Vere tu Deus es;* & tamen abſconditus es. (a) Dionyſius (a), & poſt eum P. Auguſtinus (b): (b) De Deo potius cognoſcitur, quid non eſt, quam quid eſt: ſcio enim eum non eſſe cœlum, non lapidem, non arborem, &c. ſed quid ſit, ſcire non valeo. *Pſal. 17.* *Poſuit*, ſiquidem, *tenebras latibulum ſuum.* Et abſconditus eſt ab oculis viventium. Job: *Si ad orientem iero, non apparet; ſi ad occidentem, non intelligam eum. Si ad ſiniſtram, quid agam? Non apprehendam eum: ſi me vertam ad dexteram, non videbo illum. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte; dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt Deus tuus?* Cœlum vidiſti, ne dicito, Deus es. Oculi mei, aures meæ, ſenſus mei, ubi eſt Deus meus? *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Oculus ait: ſi non eſt color vel lux, non novi. Auris: ſi non eſt ſonus vel melodia, non novi. Guſtus: ſi non eſt ſapor, non novi. Olfactus: ſi non eſt odor, non novi. O ſenſus mei! Pulchritudo eſt, odor eſt, ſapor eſt, lux eſt: ſed, quem vos non attingitis. P. Auguſtinus (c) hæc *in Soliloquiis cap.* 31. Et quid mirum, ſi humanam ſuperat cognitionem, qui etiam ſuperat Angelicam? Siquidem *aſcendit ſuper Cherubim*, id eſt, ſuper ſcientiam, *& volavit ſuper pennas ventorum*, id eſt, ſuper intellectum Angelicum. Inde igitur admonetur Sponſa, *in Canticis*, & quaſi reprehenditur, quando ei dicitur a Sponſo ſuo: *Averte oculos tuos a me, quia ipſi me avolare fecerunt.* Amove, inquam, oculos naturalis intelligentiæ, admove oculos fidei, oculos tuos claude, oculos a me tibi datos aperi. Oportet enim, ut rationis intelligentiam ſuperes, & corporis ſenſus amoveas, ſi de *Job 23.* *Pſal. 41.* *Cant. 3.* (c) *Cant. 6.* *Pſal. 17.*

(a) De Divin nominib. cap. 1. §. 5. *Mentes itaque Deiformes ad Angelorum quantum fas eſt imitationem hacce ratione Deo unitæ (ſiquidem per omnem mentalis operationis vacationem ejuſcemodi deificatarum mentium, ad ſupremum Dei lumen unio exiſtit) laudant ipſum propriiſſime ex rerum omnium ablatione, hoc ex beatiſſima illa cum Deo unione ſupra naturam vere per illuminationem eruditæ, ut Deus omnium quidem rerum cauſa ſit, ipſe vero nihil earum exiſtat, ſed ab omnibus ſit ſupereſſentialiter exemptus.*

(b) Epiſt. 120. ad Conſentium cap. 3. num. 13., alias 222. *Non enim parva eſt inchoatio cognitionis Dei, ſi antequam poſſimus noſſe quid ſit, incipiamus jam noſſe quid non ſit.* Et in Joann. Euang. cap. 5. tract. 23. num. 9. *Nunc ſi non poteſtis comprehendere quid ſit Deus, vel hoc comprehendite quid non ſit Deus: multum profeceritis, ſi non aliud quam eſt, de Deo ſenſeritis. Nondum potes pervenire ad quid ſit, perveni ad quid non ſit. Non eſt Deus corpus, non terra, non cœlum, &c.*

(c) Lib. unico Soliloq., rejecto in Append. tom. 6. in noviſſima edit. PP. Congreg. S. Mauri. Ita allegato cap. 31. *Nam oculi dicunt, ſi coloratus non fuit, per nos non intravit. Aures dicunt, ſi ſonitum non fecit, per nos non tranſivit. Naſus dicit, ſi non oluit, per me non venit. Guſtus dicit, ſi non ſapuit, per me non introivit. Tactus etiam addit, ſi corpulentus non eſt, nihil me de hac re interroges. Non iſta ſunt in te Deus meus.* Similia habet S. Parens lib. 10. Confeſs. cap. 10.

de Deo aliquid præſtans & illuſtre noſcere deſideras. Maxima quippe injuria rebus diviniſſimis, & a ſenſu remotiſſimis fit, dum ea, quæ immenſa ſunt, intellectu metiri conamur: intellectu, inquam, præcipue non fide illuſtrato. Non ſecus acſi oceanum velis palmo concludere, aut ſtellas ſuperni ætheris numerare, quibus longe impar es. Et hinc eſt, quod *ſcrutator Majeſtatis*, non eru-
Prov. 25. ditur *a gloria*, ſed potius opprimitur, ſuccumbit, decidit: juxta Pſalmum: *Decidant*
Pſal. 5. *a cogitationibus ſuis, &c.* Magnæ inſolentiæ eſt indicium, cum ea, quæ in conſpectu ſunt, minime cognoſcas; de his te intromittere, quæ nec vidiſti, nec expertus es.

II. Ita ergo in hoc Sacramento, non ratio, ſed fides, latentem ſub ſpeciebus Chriſtum attingit. Nec ibi argumentum locum habet, ſed ſola authoritas. Unde Guilielmus Pariſienſis: Maximam injuriam Deo facit, qui in his, quæ ſunt fidei, rationem petit. Sicut: ſi ab homine fideli, & honorato, petenti a te mutuo centum ducatos, peteres pignus, non ſecurus, nec fidens verbo ejus: utique ille juſte indignaretur: ita, qui in his, quæ fidei ſunt, rationem a Deo petit, quaſi petit dicti ſui argumentum, & plus credit ſenſus vel rationis teſtimonio, quam Dei oraculo; quod impium eſt. Hic igitur, Deus occultus, ut manifeſtaret ſe, abſcondit ſe ſub carnis & panis velamine. Novum genus oſtenſionis; abſconditur, ut
(a) manifeſtetur. Vide P. Auguſtinum (*a*) *ſuper*
Pſal. 49. *Pſalmum: Deus Deorum, Deus manifeſte ve-*
Cant. 2. *niet*. Sponſa: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum*, proſpiciens *per feneſtras*. Vide ipſum poſt parietem: Vidimus eum non habentem
Iſaiæ 53. ſpeciem. Vide proſpicientem per feneſtras:
Pſal. 75. *Terra tremuit, dum exurgeret in judicio Deus.* In quo judicio? Ecce pendet in patibulo: & unum latronem deſtinat ad vitam, alium ad
Lucæ 23. mortem, ut judex. Ita ut potius cathedra judicantis, quam ſupplicium morientis eſſet. Oſtende ergo te Domine & effundere, ut dignoſcamus te, & agnoſcentes diligamus te.
Cant. 1. In Canticis: *Oleum effuſum nomen tuum: ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.*

Hoc Sacramentum omnium operum Dei ſumma eſt. Sicut homo omnium creaturarum brevis ſumma eſt. Pſalmus: *Memoriam fecit*
Pſ. 110. *mirabilium ſuorum, eſcam dedit.* Tria opera Dei mirabilia. Primum: creatio ex nihilo omnium rerum. Secundum: opus redemptionis per mortem captivorum. Tertium: glorificatio filiorum. Opus creationis, redemptionis, glorificationis. In tranſubſtantiatione panis, creatio clauditur. In eadem etiam Dei Incarnatio includitur. Nam ſicut
Lucæ 1. verbo Virginis, Verbum factum eſt Caro; ita
Jo. 1. verbo Sacerdotis, Verbum ex pane efficitur Caro Chriſti: ſecundum illud: *Verbum Caro,*

A *Panem verum, verbo Carnem efficit.* Etiam eſt opus glorificationis. Quia, ſicut ibi in naturam divinam transformamur, ita etiam hic. *Qui manducat meam carnem in me ma-*
Jo. 6. *net.* Cibus ſum grandium; nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me (*b*). Ecce quomodo cibus (*b*)
convertit manducantem in ſe. De figuris autem & ſacrificiis, & cæremoniis, notum eſt, omnia claudi iſto Sacramento.

III. De Corpore Domini nota. Arca illa Teſtamenti expreſſam figuram habet Dominici Corporis. Siquidem Arca fœderis dici-
B tur, & Arca ſanctificationis. Utrumque facit Corpus Domini; nam tangentem ipſum ſanctificat a peccatis, & Domino confœderat. Ex lignis ſetim imputribilis ipſa, ex
Exodi 25. imputribilibus lignis formata. Ita Corpus ſine peccato ex imputribili ligno, id eſt, Virgine incorrupta formatum de ligno quidem, non de argento vel auro. Quia *nuſ-*
Heb. 2. *quam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*, naturam fragilem: ſed impeccabilem, ſine peccato. Habet Arca undique plenum cubi-
Exodi 25. tum, & undique dimidium. Eſt etiam in
C ejus menſura plenitudo Divinitatis integra eadem menſura, ſed eſt & dimidium noſtræ naturæ cubitus; id eſt: carnis noſtræ fragilitas, ſive in intelligentia, ſive in voluntate, ſive in poteſtate. Erat ei unum plenum & perfectum, Divinum; aliud autem fragile, & humanum. Erat Arca intus & foris deaurata, quamvis non ex auro. Ita & Corpus intus & foris divinitate fulgens. Intus virtute, foris exemplo. Intus gloria, foris miraculorum poteſtate. Licet non Divinitas ſit corpus; ſed omnino Divinum eſt, intus & foris, quod in eo lucet. Utique: in quo
inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corpora-
Coloſſ. 2. *liter*. Sed ſupra Arcam Propitiatorium, &
D Corona. Corona de ligno, ſed aurea. Pro-
Exodi 25. pitiatorium non auratum, ſed ex auro puriſſimo. Circumcinxitque Corona Propitiatorium undequaque. Et ex Propitiatorio dantur reſponſa. Corona Caro eſt: eſt enim dia-
Cant. 3. dema, quo coronavit eum Mater ſua, Propitiatorium Divinitas, ſive Verbum. Verbum ergo Carne circumdatum eſt Propitiatorium, Corona cinctum. Corona aurea eſt, ſed Propitiatorium purum aurum, quia naturam Dei habet. Vel per Coronam: poteſtatem ſuper omnia. *Gloria & honore*, in-
Pſal. 8. E quit, *coronaſti eum*. Et per Propitiatorium, miſericordia, quæ per eum nobis impenditur, deſignatur. Quoniam: *Ipſe eſt propitiatio pro*
1. Jo. 2. *peccatis noſtris*. Ponitur ſub Cherub iſta Arca. Petrus Apoſtolus: *Profectus*, inquit,
Exodi 25. *in cælum, ſubjectis ſibi Angelis, & Poteſta-*
1. Petr. 3. *tibus, & Virtutibus*. Sed adumbratur alis
Exodi 25. Propitiatorium; quia occultum eſt Dei Verbum. Sed quid intus? Tria: manna, vir-

(*a*) In Pſal. 49. Enarr. num. 5. & 6., ubi plura ad argumentum ſpectantia.

(*b*) S. P. Aug. Confeſs. lib. 7. cap. 10. *Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me, nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.*

ga, lex. In hac Arca abscondita *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Ibi ergo dulcis pastus animæ; ibi virga justitiæ; ibi lex sapientiæ. Sapit dulcedo, dirigit virga, instruit sapientia. Christus in corde jubilus, in mente lumen, in opere regula. Regit exemplo, pascit Sacramento, instruit Euangelio. Ecce regulam, ecce cibum, ecce legem. Portabatur vectibus super humeros. *Glorificate*, inquit, *& portate Deum in corpore vestro.* Portatur; quia onus ejus leve & suave. Subit; quia ejus passione confortatur; & qui Christo compatitur, omnia arbitratur propter Christum detrimenta, & ut stercora. Qui quotidie propter ipsum mortificatur, Arcam humero portat.

Heb. 9. Coloss. 2. — *Exodi 25. 1. Cor. 6. Mat. 11. Philipp. 3.*

IN DOMINICAM RESURRECTIONIS DOMINI

CONCIO PRIMA.

DE RESURRECTIONE DOMINI.

Nos qui vivimus, benedicimus Domino.
Psalm. 113. v. 18.

* CONCIO LXIII.

I. TOTUS sermo erit de historia Dominicæ Resurrectionis: quoniam dulcissima est, secundum Euangelistas. Et, quamvis difficilis sit eorum concordia de apparitionibus Domini, tamen modus, qui infra tangetur, multum placet inter omnes. Toto tempore, quo Dominus noster Jesus Christus fuit in hac vita mortali, fuit & apud Judæos, & apud dæmones magna controversia, Quis esset. Nam ex Judæis: *Quidam dicebant, quoniam bonus. Aliis non; sed seducit turbas.* Iterum; quidam dicebant: *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Alii dicebant: *Si non esset hic homo a Deo, quomodo posset hæc signa facere?* Et, ut ait Joannes: *Schisma erat inter eos.* Similiter ex dæmonibus quidam putantes eum hominem, incitabant animas Judæorum ad persequendum. Alii eandem passionem impedire conabantur, non minori schismate. Non minus schisma erat apud eos, quam erat apud Judæos, ministros eorum. Omnes enim offendebant in lapidem illum offensionis. Nam, ecce alius ora Judæorum aperit, ut clamore dæmoniaco dicant, *Crucifige, Crucifige eum.* Alius vero apparet uxori Pilati, suadens, ut non occidat eum. Similiter in cruce: unus, videns infirmitatem ejus, incitat ad irridendum, dicens per ora Judæorum: *Vah qui destruis Templum Dei!* Alius vero, videns ejus patientiam, & mansuetudinem plus quam humanam, & recordatus præteritorum miraculorum apud Judæos, facit cum eo pactum discens: si Rex Israel es, descende de cruce, & credimus tibi. O nimis stulte dæmon! Parasti ei crucem, & modo suades, ut descendat? Non descendet de cruce, sed majus faciet prodigium, quia ascendet de sepulchro, nec tamen credes. Jam te pœnitet tormentorum, jam tuum damnum incipis præsentire. Si Rex Israel est; non descendet, sed ascendet. Quomodo derelinquet Rex solium suum? An non vides titulum superpositum: *Jesus Nazarenus, Rex Judæorum?* Noli jam, noli fugam persuadere Regi sæculorum: non fugiet, non faciet, quod postulas, non derelinquet victoriam cœptam. Sciebat ille pessimus, quam anxie Dominus fidem Israel quæreret, ideo, fidem pollicetur, si descendat. Sero est: tarde pactum proponis. Rex Israel est: sed scriptum est *in Libro Regum:* Porro *Rex Israel stabat in solio suo.* Non fugiet prælium. Ipse consummatum faciet, dum dicet: *Consummatum est.* Jam inique trepidas? Jam times? Jam formidas ejus potentiam? Nunc experieris, nunc cognosces, quanta virtus latet in eo, qui patitur, quanta fortitudo in illa infirmitate claudatur.

Jo. 7. — *Ibid. 9.* — *Rom. 9.* — *Lucæ 23. Mat. 27.* — *Ibidem.* — *Mat. 27.* — *Jo. 19.* — *3. Reg. 22.* — *Jo. 19.*

II. Completa igitur passione, statim Anima illa glorioſa cum majestate incredibili, & fulgore, veluti sagitta citissima de arcu corporis emissa, descendit ad Patres in limbo. Depinge istum decursum, sicut depingit P. Augustinus (*a*) *in quodam sermone secundo Resurrectionis.* Et dices duo. Primum: de turbatione dæmonum. Secundum: de gaudio Patriarcharum. Vide ibi: & dic succincte, & devote nimis. Quomodo venit Pater ille primus Adam, & cæteri. Quomodo agebant gratias, dicentes: Advenisti tandem, advenisti

(*a*) Sermo secundus, de quo hic S. Orator, extat in Append. sub num. 160. tom. 5. in edit. PP. Congreg. S. Mauri, alias de tempore 137., & post in Append. 32. Sermo est consarcinatus ex Gregorii, & Eusebii sententiis.

niſti Salvator mundi, expectatio gentium, gloria ſæculorum.

III. Accepto igitur nobili ſpolio, magna comitante caterva, Anima illa, poſt triduum redit ad ſepulchrum. Jacebat corpus illud ſacratiſſimum laceratum, ſanguinolentum, pallidum; corpus opificio Spiritus ſancti formatum in utero Virginis: corpus illud, quod nulla labe peccati infectum, jacebat ſupra petram. Indignum certe tali ſtrato, digniſſimum cœleſti ſolio. O quam indecens erat, ut redigatur in pulverem, tanti opificis opus clariſſimum! Quam injuſtum, ut videat corruptionem corpus incorruptum! Pſalmus: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Quem Sanctum? Nempe, de quo Angelus ad Mariam: *Quod naſcetur ex te Sanctum*. Intrat ergo Anima illa fulgida membra tabentia: incipit clareſcere vultus ille divinus, rutilare corpus. Splendent veluti pennæ ſculptæ, ſanata vulnera, veluti rubis in fulgida carne. Jam jam levari cœpit corpus jacens. O quantum gaudium! O quale tripudium Angelicum! O quanta lætitia cœleſtium militum! O quam grandis animarum lætitia! O præclarum ſpectaculum! Morte devicta, mortuus ſurgit de tumulo. Lacerum corpus, ſole clarius ſurgit. *Ubi eſt mors victoria tua? Ubi eſt mors ſtimulus tuus? Abſorpta eſt mors in victoria*, converſa eſt mors in triumphum. *Flores apparuerunt in terra noſtra*. Flos immarceſcibilis Verbi æterni, flos ille decorus Animæ beatiſſimæ, apparuerunt in terra, in corpore illo benedicto. Erant quippe prius ibi, ſed non apparebant. Nam gloria illa Divinitatis, & Animæ immutabilitatis, pœnalitatibus concluſa tenebatur. Modo jam odorem intus concluſum, jam pullulat in corpore. *Tempus putationis advenit*. Non jam lugentem, non fameſcentem, non frigeſcentem Chriſtum iterum videbis. Apparuit gloria florum, amputata ſunt mortalitatis inſignia, &c. Hæc Origenes.

IV. Placet modo paululum jocari cum cuſtodibus. Dicite o milites! Quid cuſtoditis ſub lapide? Dicite: quid hic tota nocte, & die tam diligenter ſervatis? Quis theſaurus, quod depoſitum? O ſtulte, Deum tumulo ſervas? Cum Deo contendis? Signate lapidem, circumſtate ſepulchrum, vigilate: magnum eſt, ſi Deus de tuis manibus non fugiat. Vide, ſi ſatis grandis eſt lapis, vide ſi bene ſigillatus. Sed, obſecro te, veni mecum intra ſepulchrum. Quæſo: ubi depoſitum tibi traditum in cuſtodiam? Ubi, quæſo, corpus? Vide bene: nullibi eſt. Ecce lapis, ecce ſudarium, ecce linteamina, corpus vero non eſt hic. Quid hoc? Sepulchrum vacuum eſt, clauſum eſt, lapis ſignatus eſt, ſigillum integrum eſt, & tamen corpus ibi non eſt. Aut ergo depoſitum corpus redde, aut para te ad vulnera. Quid miraris? Quid palles? Quid malignaris in diſcipulos ejus, dicens: *Furati ſunt eum?* Qua ingreſſus eſt fur? Quomodo? Signatus lapis eſt, & ſepulchrum clauſum eſt. Si vigilabas, quomodo conſenſiſti? Si dormiebas, quomodo vidiſti? Certe furatus eſt corpus, non Apoſtolus, ſed ille, qui id depoſuit in cruce. Ille rapuit, ille eduxit integro ſepulchro, qui prius exierat integro ventre. Non rupit ſigillum lapidis, qui non ruperat prius clauſtrum pudoris. Noverat jam diu exire ſine ruptura ventris, qui modo exit ſine aperitione ſepulchri.

V. Sed omiſſis cuſtodibus, placet modicum confabulari cum ſanctis mulieribus, juxta Euangelicam hiſtoriam: & quærere ab illa devotiſſima famula Chriſti Maria Magdalena. Quid hoc eſt, quod tam anxia, & tam ſolicita paras unguenta, aromata emis? Nonne ut ungas corpus Dominicum? Nonne, obſecro, Joſeph & Nicodemus jam myrrhæ & aloes unxerunt libris centum? Quid iterum paras unguenta? O femina ſingularis! Corpus ſole clarius, ſole ſplendidius unguentis tuis vis delinire? O ſi ſcires, quale eſt corpus, cui paras unguenta; tu ab eo peteres unctionem vitæ. Sed eſto; neſcias ejus pulchritudinem, ideo pares unctionem. Cur, obſecro, non in ſabbato? Times forte, ne ſabbatum non cuſtodias, ſi ungas ipſum? O qualis ſabbatiſmus ipſe eſt populo Dei, cui paras unguenta! Ne timeas præterire ſabbatum, nam Dominus eſt Filius hominis, etiam ſabbati. Ipſe eſt, in quo omnis anima ſancta ſabbatizat, & quieſcit. Eſt etiam aliud, quod magis admiror tuam prudentiam. Ecce paras ire ad ſepulchrum, ungere corpus Jeſu. Quomodo? Non vides ſatellites illos crudeles poſitos in cuſtodiam? Aſſument te, portabunt te ad concilium; cauſabuntur te voluiſſe furari, & ſimiliter crucifigent te. Quin etiam lapis magnus eſt; & quomodo ſolæ mulieres nocte totam civitatem percurritis, oblitæ ſexus, & conditionis? Unde tanta feminis audacia? Quæ iſta tanti ſexus, & conditionis, & fragilitatis oblivio? Corpus tuum vivum morti exponis, ut corpus mortuum, officio unctionis delinias? Corpus Magiſtri mortuum, alienum, tuo vivo præfers? O grandis amor feminæ! O incredibilis ardor veræ, & ardentis charitatis! Nihil eſt impedimentum amanti: omnia rumpit amor. Nihil ſibi obſtare credit. Omnia credit poſſibilia; & intentus amato, cætera obliviſcitur. Audaciſſimus eſt amor. Mortem delicias putat; tormenta parvipendit. Quid iſto amore fortius? Quid inconſultius? Dum attente conſiderat Sancta mulier, quomodo manibus illis, & vulneribus infiget oſcula, quomodo paulatim omnia illa vulnera lacrymis prius, & deinde unguento repletura eſt, quomodo numeratim ſingula oſculis & lacrymis percurret; ſic abſorpta eſt, ut nec cuſtodiæ, nec lapidis grandis, nec ſigilli, nec periculi ſui meminerit. Mori parata, ut ei contingat deſideratis illis vulneribus potiri, & corpus oſculari Magiſtri. Longa ſibi viſa dies illa ſabbati; protenſæ

Luc. 1. Pſal. 15. Luc. 1. 1. Cor. 15. Cant. 2. Ibidem. Jo. 20. Mat. 28. Jo. 19. Levit. 25.

tenſæ horæ; non ſuſtinet moras patienter amor; longiſſima nox; ſurgit mane, imo tota nocte pernoctat; expectatur lucifer matutinus, nec naſcitur; iterum, atque iterum luſtratur cœlum, ſi ſplendeat aurora; fervet in pectore amor ille Magiſtri, nec patitur moras tam longas. Denique quando tardat lucifer, exeunt de domo, cum adhuc tenebræ eſſent, & oblitæ generis, & proſapiæ: (erat enim nobilis) ſine comitatu veluti vigil civitatis totam ipſam civitatem perluſtrant ſine timore; nam vera charitas foras pellit timorem. Et, ut ait Euangeliſta: *Veniunt ad monumentum, orto jam ſole.* *Marc. 16.*

VI. Nocte exeunt, & orto ſole perveniunt, & tamen prope civitatem erat locus, ubi poſitus erat Dominus, ait Euangeliſta. *Jo. 19.* Quomodo hoc? Ecce, per brevem illam viam longas faciunt morulas, dum in ſingulis locis ſiſtunt contemplantes, quid ibi paſſus ſit Dominus. Et, ut creditur, tranſeuntes per locum ubi crucifixus fuerat Dominus, videntes crucem, quæ propter ſabbatum fixa permanſit. O quantus fletus, quanta lamentatio, quæ doloris, & triſtitiæ renovatio! Amplectitur crucem, ſanguinem aſperſum in terram oſculatur, lapides aſperſos ſanguine, veluti gemmas colligit, terebras illas ligni & ſanguine perfuſas, tota devotione oſculatur, & totos illos agros clamore perfundit. Anhelantem ad viſionem corporis, crux ſancta itinere medio inventa detinuit, & quam amor ſtimulat ad ſepulchrum, dolor detinet ad pedes crucis. Sed recordata iterum propoſiti, crucem cogitur deſerere, & ad ſepulchrum properare. Cum igitur iſta agerentur, Dominus aſcendente aurora, glorioſus aſcendit de tumulo a nullo milite viſus. Non enim erant digni tali aſpectu. Et in ipſo puncto, quo mulieres acceſſerunt ad milites, ecce Angelus terribilis apparuit, ut ait Euangelium: *Erat aſpectus ſicut fulgur, veſtimentum ejus ſicut nix.* *Mat. 28.* Quo viſo, ſtatim *exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui*, jacentes hac & illac exanimes, armis in terram prolapſis. Quo viſo, etiam mulieres nimis perterritæ ſunt; ſed conſolatæ ſunt ſtatim, ne caderent, voce Angelica: *Nolite timere vos.* Acſi diceret: timeant illi nefarii carnifices. Vos, quæ non ea intentione & animo veniſtis, non habetis, unde timeatis. O ſtupenda Dei dignatio! Quomodo tuetur ſperantes in ſe. Ecce armati, de quibus timere poterant mulieres, jacent ad pedes earum, quibus poterant certe, ſi voluiſſent, omnia arma auferre. *Lucæ 24.* Monitæ ergo per Angelum, ut id Apoſtolis nuntiarent, ſtatim ſic perterritæ, animo concitato egreſſæ, *Ibid. 7.* redeunt ad Apoſtolos, & fit Apoſtolorum Apoſtola, quæ prius fuerat peccatrix in civitate. Sic amor Dei eam ex peccatrice in tam ſublimem dignitatem erexerat, & commutaverat. Apoſtoli autem tunc congregati erant ſimul in loco cœnaculi. Pondera multum hic: quomodo poſt mortem Paſtoris, grex ille diſperſus, iterum congregatur ad Virginem. Et non ſine magno pudore redeunt ad Matrem, qui Filium dereliquerant. Veniunt ergo ſigillatim, nunc unus, deinde alter, & ingreſſi oſculantur manus Virginis, & recipiunt ejus benedictionem. Audito ergo nuntio viſa ſunt eis deliramenta, ut ait Lucas. *Lucæ 24.* Tamen Petrus & Joannes, in quibus tanquam in capitibus aliquod fidei veſtigium *Jo. 20.* remanſerat, licet non plenam fidem adhiberent dictis mulierum, tamen præ amore Magiſtri cucurrerunt, ut viderent, an ita eſſet, ut dicebant mulieres. Pondera modo, quomodo Senex ille egreſſus portam civitatis currebat ferventer, & vires quas ætas negabat, amor dabat. Et nimis longa ei videbatur brevitas illa itineris. Sed quid, obſecro, Joannes Senem non expectas? Ubi reverentia canitiei? Sic ſic ſolum deſeris anhelantem & triſtem, quia non poteſt juvenem curſu æquare? Et de pedum tarditate querentem, quare non ſequatur affectus? Vide quantus amor; non curabant de reſpectu; ſic anhelabant ad Chriſtum. Sed tamen licet prius Joannes venit, intrare tamen diſtulit, quouſque Petrus veniſſet. *Ibidem.* Venit ergo Petrus, & reperiunt monumentum ſolum, & apertum ſine militibus. Introeuntes ergo, invenerunt ſudarium in uno loco, & linteamina in alio, plicata manibus Angelorum: & non invenientes corpus ſtupefacti ſunt ſtupore vehementi, nec tamen viderunt Angelum, aut aliquam viſionem in monumento.

VII. Mulieres autem illæ, quæ iverant ad eos vocandos, non manſerunt domi, ſed redeunt ſtatim ad ipſos, & ipſis recedentibus de monumento, Maria non receſſit; nam fixerat eam amor. Et ut ait Euangeliſta: *Maria ſtabat ad monumentum foris, plorans.* *Ibidem.* Origenes (*a*): Stabat præ amore, plorabat præ dolore. Amor detinet, dolor accendit. Siquidem, ut creditur, veniebat in mentem antiqua illa converſatio, & dulciſſima familiaritas Chriſti, quando ſedebat ad pedes ejus, audiens fluenta doctrinæ; *Lucæ 10.* quanto amore eam Dominus diligebat, quomodo hoſpitabatur in ſua domo, quomodo ſua cauſa Fratrem quatriduanum Dominus ſuſcitaverat, & ſimilia. *Jo. 11.* Rurſum, recordabatur paſſionis recentis, & dolorum, & vulnerum. Et cum ei ſolum corpus relictum eſſet in ſolatium, videbat ſublatum, & non poterat temperare dolorem. O mulier! *Magna eſt velut mare contritio tua.* *Thren. 2.* Et ſicut ſolet fieri in amantibus, qui etiam impoſſibilia credunt; cum jam vidiſſet prius vacuum monumentum, iterum tamen inclinat ſe, ſi forte videat, quem quærit anima ejus. *Cant. 3.* Cum ergo ſe inclinavit, vidit duos Angelos ſedentes e regione, ſplendidos *Lucæ 24.*

(*a*) Homil. de S. Maria Magd. edit. Baſil. an. 1545. part. 2. pag. 318.

didos & decoros, non facie terribili ſicut prius, qui venerant ad terrendum cuſtodes. Qui dicunt ei: *Mulier, quid ploras?* Quæris *viventem cum mortuis?* Neſcis, quoniam de eo ſcriptum eſt: *Inter mortuos liber?* Quæ reſpondit: *Tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum.* Videtis quantum occupaverat ſenſus iſtius Sanctæ mulieris dolor de amiſſo corpore. Ecce jam fuerat nuntia vitæ, & iterum quærit mortuum. Quomodo? Nonne, nuntiaſti Apoſtolis quoniam viveret, iturus in Galilæam? Quid ergo ais, *tulerunt Dominum meum?* Præ dolore turbata tota erat, & vitam, quam nuntiaverat, non credebat. Sed ad minus modo depone triſtitiam. Ecce quærebas unum, reperiſti duos: quærebas hominem, reperiſti Angelos: quærebas mortuum, reperiſti vivos: non eſt jam ratio ulla triſtitiæ.

VIII. O incredibilis amor mulieris! Juſte laudata eſt a Domino: Dimiſſa ſunt ei peccata multa: *quoniam dilexit multum.* Agnoſcite vim amoris, & ponderate. Ecce, forte ante illum diem Angelos non viderat, non audierat; modo viſos, quaſi pueros ſic contemnit & reputat. Nec deterretur, ſed tota ardens deſiderio ſui Magiſtri, de ipſo queritur, dicens: *Tulerunt Dominum meum.* Impletum eſt in illa, quod dicitur in Canticis: *Invenerunt me vigiles, &c. Num quem diligit anima mea vidiſtis? Paululum cum pertranſiſſem, inveni, quem diligit anima mea.* Et Job: *Non dabitur aurum obrizum pro ea.* Id eſt: non commutabitur Angelica natura pro Dei Sapientia, quæ Chriſtus eſt. Non curat ergo de Angelis; ſed intenta oculos mentis in ipſum, dicere poterat illud Canticorum: *Revertere dilecte mi*, oſtende mihi faciem tuam: *Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* O benigne Jeſu! Audi, obſecro, famulam tuam fatigatam, lugubrem, deſolatam, deſiderantem te ſicut *cervus ad fontes aquarum*, imple deſiderium ejus. Quam diu quæret te? Quam diu te deſiderabit? Dum ergo mœſta, aſperſa lacrymis cum Angelis loqueretur; converſa videt prope ſe Dominum in figura hortulani, qui ait illi: *Mulier, quid ploras?* O Domine! Nonne illi magna cauſa lugendi? Amiſit bonum ſuum, ſolatium ſuum, Magiſtrum ſuum, Dominum ſuum; & inſuper corpus, cum quo ſperabat ſolari, ſublatum videt; & ais: *Quid ploras?* Quare Domine tu, & Angeli tui geminatis ejus dolorem, duplicatis luctum, dum cauſam luctus inquiritis, dicentes: *Quid ploras?* Imo, cur non ploret, quæ toto ſolatio amiſſo, non habet jam, in quo requieſcat? *Quem quæris?* Tu Domine bene noſti, quem quærat. Illum, quem adorant Angeli, *in quem deſiderant Angeli* conſpicere, quem ſol & luna mirantur, & totus mundus tam diu expectavit venturum. Multum Domine animum mulieris ſolicitas ad fletum, dum eum tradis ad ejus memoriam, quem quærit, nec invenit.

IX. *Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, &c.* O quomodo in ſingulis factis, & dictis iſtius Sanctæ, quaſi per oculos & os, globus amoris apparet! Notate, quam inſcienter ſapiat, & ſine ſenſu ſentiat. Ad Angelos dixit: *Tulerunt Dominum. Ad* Hortulanum: *Si tu ſuſtuliſti eum.* Ita eſt Maria, ipſe ſuſtulit, ipſe rapuit corpus de monumento. Sed, quem *eum?* De quo loqueris? Non prædixeras, & ais: *Si tu ſuſtuliſti eum?* Ecce vim amoris; naturalis conditio amoris eſt, credere alios ut ſe afflictos: ut patet exemplo mulieris deplorantis mortem filii, quæ narrat, & repetit verba viventis. Credebat igitur iſta Sancta mulier, omnibus notum eſſe, quod ſibi tantum dolebat; & quaſi ſcriptum fronte geſtaret, non explicat, quem requirat. Simile eſt illud Sponſæ ardenter amantis in Canticis: *Num, quem diligit anima mea vidiſtis?* Vide ponderationem Bernardi, *ſuper illud verbum.* Sequitur: *Ego tollam.* O mulier fragilis! Tu tolles corpus ponderoſum? Agnoſce, quod fragilis es. O amoris audacia! Vires, quas naturæ fragilitas negat, promittit amor. Et in natura fragili amor gigantæus concluſus erat; de cujus virtute, & non naturæ vigore, verba illa dicebantur. Eructabat enim verbum fortitudinis amor in tenero corde radicatus. O Maria! Et ſi forte eſſet in prætorio Pilati? *Ego tollam.* Et ſi in ſynagoga Judæorum? *Ego tollam.* Et ſi in concilio Phariſæorum? *Ego tollam.* Per medias lanceas, per medios gladios, *ego tollam*, ubicumque fuerit.

X. Cum igitur ex planctu, & lacrymis, Maria dixiſſet: Piiſſimus ille Magiſter deſolatam diſcipulam amplius triſtari non paſſus, eam more ſolito nominans, quis eſſet aperuit, dicens: *Maria:* & quem viſu non agnovit, agnovit in verbo, cui & ſtatim, *quaſi evigilans*, reſpondit: *Rabboni*, ideſt Magiſter. O quantum gaudium, quanta lætitia! Quam ſubita mutatio in corde. Mortuum requirebat, vivum reperit. Si corpus exanime reperiſſet, nimis læta fuiſſet. Quam tum putandum eſt lætam fuiſſe, cum vivum reperit? O quis poterit illorum duorum verborum affectum explicare? Scilicet: *Maria. Rabboni.* Nam Dominus verbum illud quaſi graviſſima reprehenſione protulit, & benevolentiæ teſſeram, increpationem. Ac diceret: *Maria:* mortuum me cæteris hominibus ſimilem putaſti, & ſicut cæteri præteriiſſe? Viventem quæris inter mortuos? Ubi fides tua? Ubi confeſſio illa: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi?* Ubi miraculorum, & ſignorum, & doctrinæ indubitata teſtimonia Deitatis? Si mortuum Fratrem tuum quatriduanum ſuſcitavi, me ipſum non potero triduanum? Qui cæteris vitam dono, mortuus permanebo? Quæ ſunt iſtæ lacrymæ infidelitatis, iſti ejulatus diffidentiæ? Pudeat oculos tuos plorare mortuum illum, qui viderunt mortuos ſuſcitantem, &c. Hæc forte, vel ſimilia Dominus adjuncturus erat ora-

Jo. 20. Ibidem. Luc. 24. Pſal. 87. Jo. 20. Mat. 28. Marc. 16. Luc. 7. Jo. 20. Cant. 3. Job 28. Cant. 2. Pſal. 41. Jo. 20. Ibidem. 1. Petr. 1. Jo. 20. Ibidem. Cant. 3. Jo. 20. Ibidem. Gen. 45. Luc. 24. Mat. 16. Jo. 11.

orationi cœptæ. Sed Maria non ſuſtinuit, ſed interpellavit reſponſione ſua: *Rabboni*. Et ſtatim, dicendo, provoluta eſt ad pedes
Jo. 20. ejus. Cui Dominus: *Noli me tangere* Maria, *nondum enim aſcendi ad Patrem*. O piiſſime Magiſter permitte, obſecro, permitte amplecti pedes tuos, permitte eam oſculari pe-
Lucæ 7. des illos, in quibus jam pridem peccatorum veniam reperit, ubi tuum invenit theſaurum miſericordiæ. Nonne vides, quia flagrat amore? Non conſideras, quia æſtuat deſiderio? Cur eam arces, cur cohibes a pedibus? Cur tam crudelem te exhibes diligenti? An poſt mortem tantæ charitatis oblitus es jam mi-
Ibidem. ſericordiæ? An pro peccatoribus mortuus es, ut eos a te repellas? In convivio Phariſæi peccatrici flenti præ dolore peccatorum pedes tuos ipſe gratis obtuliſti; modo jam ſanctæ, jam pudoratæ, ardenti amore tuæ præſentiæ, pedes cohibes? Cur ei mutatus es in crudelem? Vellem Domine ſcire rationem, ſcire cauſam hujus repulſæ. Non enim ſine
Pſ. 103. magna cauſa hoc ſignum oſtenditur: opera enim tua omnia in ſapientia.

Jo. 20. XI. Videte quod ſequitur: *Nondum enim*
(*a*) *aſcendi ad Patrem*. Bernardus (*a*): Nunquid poſtquam aſcenderis, tum erit facultas tangendi? Nunquid, cum per tanta ſpatia fueris a nobis ſeparatus, tunc erit poteſtas contingendi pedes tuos? Si præſentem non tangimus, in ſinu Patris elevatum quis valebit attingere? Hæc ratio ergo eſt, cur non permitto me tangi: quia non aſcendi ad Patrem
Ibidem. in corde tuo. Nam Thomas ante Aſcenſionem, non ſolum tetigit, ſed etiam manus in latus miſit. Non ergo de Aſcenſione corporis, ſed cordis loquebatur. Non aſcendi ad Patrem in tua æſtimatione: quia, dum me mortuum luges, purum hominem credis, & ita æqualitatem Patri diffiteris. Conſiderate, Fratres mei, & pertimeſcite, ne quis videatur ſapiens in oculis ſuis, ne quis de ſua juſtitia præſumat. Quis non putaret Mariam nunc non reprehenſibilem eſſe, ſed multa laude dignam, quæ ſic plorabat amore Dei ſui? Quis culpam ibi ſuſpicaretur? Invenit tamen judex arctiſſimus culpam in laudabili facto, & non diſſimulavit, ſed reprehendit, ut nos in nullo noſtro opere
(*b*) præſumamus. Quoniam, ut ait Gregorius (*b*), ſæpius in judicis examine reperietur dignum ſupplicio, quod credebatur dignum fuiſſe
Ibidem. præmio. *Noli ergo me tangere*. Bernardus (*c*):
(*c*) Quia plus credidiſti oculo, quam oraculo. Nonne ego veritas ipſa ſum? Prædixeram tibi & Apoſtolis meis: Tertia die reſurgam.
Mat. 17. Mortem prædixeram & vidiſtis: quare ſimiliter Reſurrectionem non credidiſtis? Audieras veritatis oraculum, & tamen diffidebas, plorabas incredula. Nunc cum me oculo cernis, gaudes, credis, confiteris. Oraculum contempſiſti, oculo credidiſti: *Noli me tangere*. Obſecro te piiſſime ju-
Pſ. 142. dex, *non intres in judicium cum ſervo tuo*; etiam in illis operibus, in quibus maxime videor habere juſtitiam. Non ponas in ſtatera juſtitias meas; alias injuſtitiæ potius, quam juſtitiæ reperientur; ſed in ſola miſericordia tua ſalva me. Non enim potero reſpondere unum pro mille.
Job 9.

XII. Sed ad hiſtoriam redeamus. Diſparuit Dominus. Remanet plena gaudio Ma-
Jo. 20. ria. Vadit gratulabunda, feſtinabunda, & præ gaudio exanimis ad ſocias, quæ forte tunc ad aliquam partem hortuli declinaverant (ſola enim erat, quando Dominus apparuit ei) nec valet dicere, nec poteſt proferre verbum. Quid habes o Maria? dicunt aliæ. Quæ iſta turbatio tam jucunda? Quæ eſt iſta tam læta, tam hilaris vultus tui commotio? Ubi lacrymæ, ubi gemitus? Quid habes? Quid vidiſti? Forte reperiſti corpus Dominicum quod quærebas? &c. O ſorores meæ dilectiſſimæ! *Inveni*
Cant. 3. *quem diligit anima mea*. Inveni quem deſiderat cor meum. Vivit, vivit gloria mea, vivit vita mea, vivit ſolatium meum. Heus, heus, cito, properate, venite, eamus ad Fratres, eamus ad Apoſtolos, eamus ad Virginem illam Matrem ſanctiſſimam, eamus & nuntiemus jucundiſſimum & inauditum a ſæculo nuntium. Suſcitavit ſeipſum qui mortuus fuerat. Plures ipſe ſuſcitaverat; ſed & nonnulli antiqui Patres vivi, mortuos ſuſcitaverunt. Vita mea mortua erat, ſed, quia vita erat, mori non potuit omnino. Revixit, qui ſemper vixit. Et ne dubitetis; ecce iſtis oculis ego vidi, iſtis auribus audivi. Hæc & hæc locutus eſt mihi, &
4. Reg. 9. hæc dixit. Similiter pondera modo, quomodo aliæ lætatæ ſunt vehementer: & dum vadunt per itinera appropinquantes civitati, ut omnes eſſent teſtes oculatæ, & ut etiam alias ipſe Dominus conſolaretur,
Mat. 28. dignatus eſt iterum apparere ſimul junctis, & tunc permiſit, ut pro voluntate pedes ejus amplexarentur & tangerent eum.

XIII. Sed inter hæc; magna querela nobis eſt de vobis ſanctiſſimi Euangeliſtæ hiſtoriographi veritatis. Dicite, obſecro: cum de Maria Magdalenæ, & Maria Jacobi, & Maria Salome prolixe differatis; ubi illa Maria, illa magna Maria, illa maxima Beatorum Mater, illa maxima feminarum? An puta-

(*a*) Serm. 28. in Cant. num. 9. *Quaſi vero cum jam aſcenderit, tunc tangi ab ea velit, aut poſſit. Et utique poterit, ſed affectu, non manu; voto, non oculo; fide, non ſenſibus. Quid tu me, ait, modo tangere quæris, quæ ſenſu corporis gloriam æſtimas reſurrectionis?*

(*b*) Ejus verba dedimus in notis ad Conc. 2. Dom. Paſſionis, & alibi.

(*c*) Serm. 28. in Cant. num. 9. *Noli me tangere, inquit, hoc eſt, diſſueſce huic ſeducibili ſenſui: innitere verbo, fidei aſſueſce. Fides neſcia falli, fides inviſibilia comprehendens, ſenſus penuriam non ſentit: denique tranſgreditur fines etiam rationis humanæ, naturæ uſum, experientiæ terminos. Quid interrogas oculum ad quod non ſufficit? Et manus quid explorare conatur quod ſupra ipſam eſt? minus eſt quicquid ille, vel illa renuntiet. Sane fides pronuntiet de me, quæ majeſtati nihil minuat. Diſce id habere certius, id tutius ſequi, quod illa ſuaſerit.*

putatis, non magis delectabit populum Dei Ecclesiam istam audire, vel unum verbum de Matre illa sacratissima Redemptoris, quam de mille aliis quantumcumque Sanctis? Dicite, obsecro, nobis Matris solatia. Quæ verba, quæ sacramenta inter Filium resurgentem, & Matrem gaudentem interfuerunt? Quid fecit Mater illa, quæ paulo ante viderat comitatum latronibus, pendentem in ligno, *Mat. 27.* pallentem ora, dissoluta membra; cum vidit eum stipatum Angelis, gloria decoratum, fulgentem plus quam sidera? O parcite mihi! Nisi quia Spiritu sancto inspirati scripsistis, auderem notare vos negligentiæ, cum B ista reticuistis. Non enim dubium est, quin apparuerit puriſſimæ Genitrici, qui dignatus est apparere mulieri peccatrici. Non negabit Matri suæ præsentiam, quam exhibuit Petro neganti. Cur ergo hæc reticuistis? Et *Luce 22.* quidem sine ratione maxima factum non est hoc: nullus enim quatuor Euangelistarum, vel unum solum verbum de Matre illa piissima dixit, ipso Spiritu sancto, qui in omnibus loquebatur, omnium linguas retinente, ut concorditer reticerent, qui solebant in aliis concorditer loqui. Cur hoc? Ipse Spiritus dignetur nobis ostendere. An forte, quia C unius testimonium in judicio non recipitur? Imo certe, suscipitur. An ideo, quia non poterat humana lingua depromere, qualia erant gaudia illa Mariæ? Sentiat hoc affectus, rimetur devotio.

XIV. Ipse Spiritus sanctus paratus est devoto præstare scriptum in corde, quod non potuit paginis exarari. Et, ut de magno illo flumine vel guttam unam hauriamus: audite, quid nobis Spiritus suggerat de ineffabili illo statu Mariæ. Non fuit Virgo illa sacrata sicut cæteræ mulieres, vel Apostoli: habuit enim illa fidem, & cognitionem, & D certitudinem, & notitiam sacramentorum resurrectionis. Unde licet magna fuit in ea mœstitia passionis, & incredibilis; simul tamen magna fuit consolatio reparationis. Ac, veluti campo uno, ita in corde Mariæ amor Filii, & amor sæculi reparandi per mortem ejus decertabant. Quo factum est, ut cum in ea indubitata esset fides resurrectionis Filii sui, ut ipsa ex Scripturis noverat, quam optime intelligebat, & ex relatione Filii sciebat, de quo experimento di- *Ibid. 1.* dicerat, quoniam Deus esset; (non enim virili opere concepit, nec uteri gravamine gestavit, nec concupiscentia generavit, nec dolore peperit) noverat hæc omnia Virgo illa beatissima, & ab ore ejus resurrectionis suæ solatium audierat. De quo Psalmus præcine- *Psal. 15.* rat: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Erat igitur in corde Virginis dolor ille passionis ingens permixtus lætitiæ, & spei resurrectionis. Et de præsenti passione Filii vehemens tristitia: sed cum incredibili solatio imminentis resurrectionis. Vide, an intelligere possis motus illius sacratissimi cordis virginalis, & agnosce: quæ ibi operaban- A tur sacramenta magna, abscondita sunt ab oculis nostris. Quis enim poterit agnoscere quo temperamento summa illa tristitia, & summum illud solatium in uno eodem corde spiritus temperabat?

XV. Jam jam ergo aderat dies illa tertia nostræ salutis, nostræ gloriæ prima. Aderat mane illud splendidissimum, matutinum, fulgidum duplici solis ortu coruscum. Tota nocte Virgo in oratione pernoctat super se levata. O qualis gesticulatio cordis! O quale tripudium mentis! O quot extases, quot raptus! Imo, ut perfectius sentiat, ipse Spiritus sanctus qui rapit, fortificabat eam ne esset in raptu, ut posset supra humanam rationem sentire, ne raptus impediret sensum. Jam lux illa cœlestis proxima erat. Virgo agnoscit horam, non momentis horologii, sed spiritu cordis sui. Flagrat animus virgineus, ac veluti vernantibus rosis, ita multiplicibus decoratur virgultum illud sanctissimum, succedentibus affectibus, & gaudiosis motibus. Clamat interdum, dum spiritus loqui permittit, cum Propheta: *Exurge gloria mea, exurge psalterium* nostrum, exurge *Psal. 56.* lætitia mea, exurge amor meus, vita vivorum, exurge Fili mi, Sponse mi, Deus meus, &c. Quod cum vox illa virginea pertonaret; ecce subitus fulgor in cella ista splenduit. Intrant Angelorum chori, intrant Patriarcharum cunei, intrant agmina Prophetarum; flagrant mille spiramina cœlestium odoramentorum, & cœlestes cantus intra oratorium mirifica resonant harmonia. Salutant pro modulo Virginem. Sequitur Dux ille cœlestis, rutilans, splendidus, decorus: amplectiur Matrem suam chariſſimam, non sinit eam pedibus provolvere, de cujus utero carnem assumpserat, sed inter brachia Filii reclinata Mater illa beata diu quievit, *innixa super dilectum.*

XVI. O felix Virgo! O felix anima! O *Cant. 8.* felix corpus, quod in tali stratu quiescit! O felices oculi qui vidistis! O si mihi datum esset in angulo domus, post unam arcam consistere, & videre! Multum est ad te peccator indigne, multum est ad te talia gaudia lustrare oculis. Quid profanus interesse cupis tam cœlesti commercio? Quid impurus & tenebrosus, tantæ puritati & lumini adesse præsumis, vel solo etiam desiderio? Crediderim ego, & non fallor, animam illam E virgineam tunc maxime, non solam carnem fulgentem Christi, sed & ipsum Verbum visione beatifica cerniſſe, & beatifico intuitu glorioſum vidiſſe intus latentem Deum extra fulgentem carnem, & organizatum a Deo Filium Dei de se natum, & se Matrem ejus, cujus Deus Pater esset, cum Patre illo æterno Filium unum habere similem, & gloriam suam, & dignitatem suam in ipso Verbo de se genito aperte vidiſſe. Unde hoc poterit probari? Non est testimonium Scripturæ; tamen audite conjecturam fortem. Non dubium est, omnem gratiam

& per-

& perfectionem alicui Sanctorum tributam, Matri non fuisse denegatam. Vidit Paulus 2. Cor. 12. Divinitatem, ut fere omnes fatentur. Vidit Moyses, si non Divinitatem, vestigium magnum. Exodi 33. Vidit Job. Viderunt etiam forte Hieronymus, & Pater Augustinus. Vidit ergo multo magis Mater ipsa Christi Deum in vita mortali sæpius fortasse. Et quoniam nullus alius locus congruentior tali visioni apparet quam iste: placet devote asserere, absque temeraria præsumptione, quod tunc Virgo Deum ipsum beatifice viderit.

IN DOMINICAM RESURRECTIONIS DOMINI

CONCIO SECUNDA.

De Resurrectione Domini.

Nos qui vivimus, benedicimus Domino.
Psalm. 113. v. 18.

Concio LXIV.

I. CHristiane, si Christum requiris, noli jam eum quærere in sepulchro; quære in cœlo, quære in throno gloriæ. Memento quid dicat Angelus: *Jesum quæritis? Surrexit; non est hic.* Marc. 16. Nec nocte quæras; nam, quid dicit Sponsa? *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea: quæsivi illum & non inveni.* Cant. 3. Non est inventus a Maria in sepulchro, nec ab Sponsa in lectulo, nec in foro, nec nocte. Non apparet Deus deliciosis in lecto, non turbulentis in foro, nec obstinatis in sepulchro vitiorum. Denique Maria ingressa sepulchrum sudaria reperit. Dum autem staret foris plorans, apparuit illi Dominus. Jo. 20. Tu quoque sta per fortitudinem, & perseverantiam: ne iterum redeas ad peccata, quæ planxisti in quadragesima: plorans residua delictorum foris, extra peccatum, extra consuetudinem inveteratam, quæ est sepulchrum peccatorum. Memento, quoniam Lazaro suscitato præcipitur exire foras. Ibid. 11. Tu quoque, si consurrexisti cum Christo, veni foras, exi a te, & intra in Deum. Exi tu a te: nam, dum es tu plenus te, non capis Deum in te. Exi a te, intrabit Deus ad te; & vacuus te, eris plenus Deo. Tunc a te exis, quando tuam voluntatem non facis, quando tua desideria fugis, quando abnegas te, & crucem tuam tollis. Si ergo pro tantis beneficiis jam vivus cum Christo vis benedicere Christum, ut dicatur de te: *Nos* Ps. 113. *qui vivimus, benedicimus Domino;* exi sepulchrum. Nam *non est speciosa laus in ore* Eccli. 15. *peccatoris*, nec est Deo grata laus iniqui: *Non* enim *mortui laudabunt te Domine, neque* Ps. 113. *omnes qui descendunt in infernum.* Quis ergo? *Vivens, vivens, ipse confitebitur tibi,* Isaiæ 38. *sicut & ego hodie.* Utinam sic sit de quolibet nostrum, ut dicatur: *Sicut & ego hodie.*

Nos qui vivimus, benedicimus Domino. Exi ergo sepulchrum: nam tumulatus non exaudieris a Deo. Psalmus: *Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, &* Psal. 87. *veritatem tuam in perditione?* Et tunc apparebit Christus. Sed, quam figuram vis apparitionis? Apparuit Mariæ, ut hortulanus: apparuit duobus Discipulis, ut peregrinus: Jo. 20. Luc. 14. apparuit Apostolis in littore. Domine, si placet, non peregrinum, sed hortulanum te videre desideramus. Jo. 21. Sic appare Domine, sic te ostende animæ nostræ, diligenti te. Hunc benedictum hortulanum invitat Sponsa in Canticis, dicens: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Cant. 5. Vere bonus hortulanus, qui empireum Angelis, firmamentum stellis, aera avibus, aquas piscibus, terram Gen. 1. vermibus, & animalibus plantavit. O quam bonus hortulanus! Quam bene plantavit, quam sapienter, quam potenter! Sed super omnia illud maximum opus fecit, quod seipsum naturæ nostræ inseruit. Apostolus Jacobus: *In mansuetudine suscipite insitum Verbum.* Jacob. 1. Mirabilis insertio: quando Deus transit in hominem, homo transit in Deum. O! Si tibi placeat Domine, recipere curam de meo virgulto animæ meæ: *ut evellas, &* Jer. 1. *destruas*, & eradices crimina, & radices peccatorum; *& plantes*, & inseras multa virtutum genera, multas florum gratiarum differentias; & infundas eas rore gratiæ tuæ, ut in te radices mittant, & a te calorem recipiant, & per te incrementum habeant. *Omnis plantatio quam non plantaverit Pater* Mat. 15. *tuus cœlestis eradicabitur.* Et adulterina est omnis plantatio, quæ non tua manu plantatur in anima: nec mittet radices altas.

II. *Nos* ergo *qui vivimus, benedicimus Domino.* Benedictio vitam præsupponit. Nunquid igitur, quia iniquus sum, Dominum non benedicam? Nunquid, quia malus sum, a tuis laudibus cessabo? Si ego indignus laudo te; tu autem dignissimus es, ut laudaris. Nunquid iniquitas mea tuam bonitatem obscurabit, tuam magnitudinem & gloriam adimet? Absit: si ego iniquus, tu optimus. Si ego pessimus, tu sanctissimus. Absit a me Domine, absit, ut vel etiam in medio mortis conticeam laudes tuas. Propitius sit mihi Dominus, ne taceam, ne obstruatur os meum ab iniquitate mea. Si malus sum, creatura tua sum, & æquum est, creaturam laudare Creatorem suum. Adde ergo minas, congemina terrores contra me quantum volueris, quoniam ego a tua benedictione non cessabo, a tuis laudibus non quiescam. *Peccatori dixit Deus: Quare tu* Psal. 49. *assumis testamentum meum, per os tuum?* O quantus terror! Quis respondebit? Sed Pater mi, sustine Domine modicum, & dicam ego peccator causas, quare assumo. Audeo dicere: Ideo assumo, quia peccator sum. Quomodo hoc? Ita est Domine, ita est. Nam, obsecro, Domine, pro quibus natus es? Pro

quibus

quibus perſecutus es, pro quibus denique mortuus es? Nonne pro peccatoribus? *Nam pro*
Rom. 5. *juſto quis moritur?* Magnus ergo debitor tuus peccator eſt: & forte amplius debet quam Angelus, qui peccator non eſt. Ut quid ergo Deus miſericordia mea iraſceris, ſi ſolvat debitor debitum, ſi non ut debet, ſaltem ut poteſt? Ut quid peccator Redemptoris ſui, Salvatoris ſui taceat laudes? Cur ingratus erit tanto beneficio? Imo, ſi tacuerit, magis peccator erit aggravante ingratitudine commiſſum delictum. Captivus eram, & liberaſti me; *venundatus ſub peccato*, & rede-
Ibid. 7. miſti me; mortuus & vivificaſti me; perditus, & inveniſti me; æger, & ſanaſti me. Gloria tibi Domine, qui tam immerito tanta beneficia cumulaſti. Quod ſi non eſt tibi grata laus peccatoris, non eſt tamen ingrata. Et quam ingrata eſſet peccatoris taciturnitas? Cum propheta ille Jonas populo Ninivitarum prophetaret exitium, totus populus con-
Jo. 7. verſus eſt in dolorem, & pœnitentiam. Indixerunt etiam illis, qui non peccaverant, infantibus ſcilicet & jumentis. Erat videre, quomodo ſimul cum clamore hominum, permixtus aſcenderet etiam jumentorum clamor, & quod magis ſtupendum eſt, ab ore etiam jumentorum perfeciſti laudem tuam
Pſal. 8. propter peccatores tuos, qui alias perfeciſti eam ab ore infantium propter inimicos tuos. O mirabile prodigium! Bruta hominibus permixta reſonant coram Deo, & a bruti ore exit oratio pro peccatore inſcio. Quis docuit Ninivitas ab ipſis beſtiis coram Deo poſtulare favorem, & jejunium indicere jumentis, ut quibus natura gemitum negavit, neceſſitas veniæ paſtum daret? Ululatum pro gemitibus, fremitum pro lacryma? Sed ad quid tanta de Ninivitis? Nempe, novi Domine quis dixit: *Homines & jumenta ſalva-*
Pſal. 35. *bis Domine. Ut jumentum factus ſum apud te,*
Pſal. 72. *& ego ſemper tecum.* Adjungar igitur ſanctis & ſervis tuis, & inter eorum laudes, brutales iſtos fremitus meos, in tuas laudes emittam. Ut fremitus meus adjunctus laudibus tuorum ex fremitu vertatur in laudem. Rugitum dabo, nec erubeſcam: nam & ſervus
Pſal. 37. tuus de ſe dicit: *Rugiebam a gemitu cordis mei.*

III. Sed tempus eſt, ut finiatur oratio. Dicamus quando incipiet, & quantum dura-
Pſ. 113. bit iſta laudatio. Sequitur: *Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.* Ecce quantum! Duo genera hominum ſunt damnandorum. Unum dicit; ego laudabo, ſed cras; ego corrigam vitam; cras fiet hoc, veniet hoc, & emen-
Eccli. 5. dabo me. O ſtulte, audi ſapientem: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Quare cras?
Deut. 30. Nunquid opus eſt navigare, & transfretare? Luſtrare terras, & maria, ut inde adducas

A converſionem tuam, & dolorem tuum? Si corripi cupis, ſi flere cupis, ſi gemere cupis, non de Arabia emendæ ſunt lacrymæ, non de inſulis portandi ſunt gemitus. Audi Jonatham: Porro ſagittæ doloris, lacrymæ compaſſionis intra te ſunt. Incipe ergo *ex hoc* 1. Reg. 20.
nunc. Si item Deus a te laudandus eſt, quare cras? Nunc, & ſemper ipſe laudabilis eſt. Audi Moyſen: Prope eſt verbum in corde
Deut. 30. tuo, & ore tuo. Ergo incipe laudare *ex*
Rom. 10. *hoc nunc*. P. Auguſtinus: Vidiſti ægrum, qui cum poſſet ſtatim ſanari, differat ſanitatem uſque cras? Cur ergo animæ ſalutem
B craſtinando refugis? Bernardus (*a*): Stultus (*a*)
eſt qui per momentum eſt in tali ſtatu, in quo nollet diſcedere. Alius vero ſtatim incipit, ſed cito deſinit. Chriſtum uſque ad crucem & tumulum proſequitur cum Judæis, ſed ſtatim redit ad civitatem. Non reviſit, an ſurgat de tumulo, quem dimiſit in ſepulchro. Non modica eſt iſta deceptio, non parvus eſt laqueus ille diaboli. Jejunat in quadrageſima, plorat, gemit, & poſt Reſurrectionem iterum ipſe relabitur, qui forte ideo tam cito cadit, quia non vere ſurrexit. Canis ad vomitum, & ſus ad volutaProv. 26.
C brum luti. Si certe credis te poſſe laudare 2. Petr. 2.
Deum, noveris quoniam officium perpetuum incipis, non per unam vel duos dies, ſed in æternum duraturum. Nam, quod officium eſt Beatorum? Audi: *Beati qui habitant in*
Pſal. 83. *Domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Præveniat ergo te hic Deus in benedictionibus, ut hic incipias benedicere, quem nunquam ceſſes benedicere. Ut diſcas in terris, cujus præſentia tecum perſeveret in cœlis. *Nos ergo qui vivimus, benedicimus*
Pſ. 113. *Domino.* Utinam ipſe nos benedicat! Uti-
Gen. 27. nam *de rore cœli, & de pinguedine terræ*
D geminatam nobis mittat benedictionem. Quis enim es tu, ut benedicas Dominum? Nam, ut ait Apoſtolus: *Sine contradictione aliqua,*
Heb. 7. *quod minus eſt a meliore benedicitur.* Dominus ergo nos benedicat. Quomodo nos benedicimus Domino? Audi. Eſt benedictio favoris, ut ita dicam, & laudis. Unam præſtemus, ut alteram recipiamus. Minores benedicimus Dominum, laudantes Dominum, ut ab ipſo benedictionibus, favoris ſcilicet, donorum & gratiarum repleamur. Benedicimus autem, nec moramur, nec deficimus: ſed *ex hoc nunc & uſque in ſæcu-*
Pſ. 113. *lum.*
E Ex præſenti momento vitæ uſque in ſæculum ſæculi, in perpetuitatem gloriæ: ad quam nos perducat ipſe Jeſus Mariæ Filius. Amen.

IN

(*a*) Vide Declamationes Gaufridi ex Bernardo ſub num. 44. Extant vol. 3. in edit. Mabillonii, ut alias monui. Ibi aliqua leguntur, quæ non procul ſunt ab argumento.

IN DOMINICAM RESURRECTIONIS DOMINI

CONCIO TERTIA.

DE HISTORIA RESURRECTIONIS, IN SEPTEM STATIONES DIVISA.

Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic.
Marci 16. v. 6.

* CONCIO LXV.

I. DE Resurrectione Domini tria dicemus: quomodo resurrexit, quare resurrexit, & quomodo nos in illo resurgere debeamus. Historia Dominicæ Resurrectionis non facile colligitur ex Euangelistis, & vix invenitur unus modus (*a*) historiæ qui consonet omnibus. Nos autem eam hodie in septem stationes dividemus, quas quilibet gressibus desideriorum perambulet, ut facilius memoria teneatur. Postquam Christus in cruce exspiravit, statim Anima sancta cum potentia & majestate descendit in limbum: finitis enim laboribus, quod restabat totum erat potentiæ & gloriæ. Unde ipse in cruce cum jam vellet exspirare ait: *Consummatum est*. Jo. 19. Consummata est tristitia, consummata est angustia, consummata redemptio, consummata infirmitas, succedet potestas & gloria. O quam subito ex tanta afflictione transiit in tantam lætitiam, sicut ipse ait: *Conscidisti saccum meum & circumdedisti me lætitia!* Psal. 29. Quantum fuerit Sanctorum primum gaudium in ejus adventu, quem tot annis in illa caligine exspectaverant; quanta potestas in illa inferorum confractione, quanta turbatio, & quantus terror dæmonum; quis dicere sufficit? P. Augustinus diffuse tractat in sermone (*b*), sed brevitatis causa omitto: non tamen inde eduxit omnes animas, sed animas Sanctorum, qui erant in limbo, sicut per Prophetam dictum fuerat. *Ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne*. Osee 13. Morsus, inquam, quia non totum evacuavit. Et alius Propheta de hoc: Tu autem in sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Zach. 9. Mansit autem ibi anima illa benedicta per quadraginta horas usquequo resurrexerit, & limbus factus est Paradisus. Hæc prima statio sit. In limbum descende anima devota, & contemplare omnia illa.

A

B

C

D

E

II. Interea Virgo, sepulto Domino, jam sero, cum Joanne & sanctis illis mulieribus rediit in cœnaculum illius viri sancti, cujus nomen non habetur in Euangelio. Vere magnus Christi discipulus licet ignotus, qui tali tempore recepit eum in domum, & totam ejus familiam cum Matre tempore tantæ persecutionis collegit, & hospitio excepit. O benedicta domus, o sacrosancta Ecclesia, in qua tanta mysteria celebrata sunt! Ibi cœna, ibi lotio, ibi institutum est Sacramentum, ibi apparuit Christus, ibi descendit Spiritus sanctus, Ecclesia Dei congregatio facta est. Merito usque ad hunc diem locus ille in magna reverentia habetur. Ibi igitur fuerunt istis diebus congregati in silentio, foribus clausis propter metum Judæorum, siquidem Magistro defuncto Apostoli & Discipuli timidi sigillatim veniebant ad Matrem unus post alterum cum magno rubore, quia Magistrum deseruerant. Et ibi cum Matre manebant in planctu & fletu, & gemitu; sicut expresse dicit S. Marcus Euangelista. Jo. 20. Venit ergo nox illa sacra, nox beata, nox omni die splendidior & illustrior, in cujus laudes Ecclesia canit hymnum illum: *Exultet jam Angelica, &c.* Marci 16. Et Virgo memor verborum Filii sui, quæ audierat ab illo, & Scripturarum, quas optime noverat, Filio revelante de resurrectione, incœpit jam remittere dolores & tristitias, & resumere animum & sentire nova desideria. O cor virgineum, quis vel cogitare sufficiat, quid istis diebus præsenseris? Quid in te factum est? Tota igitur inflammata Spiritu, sicut Seraphim, clamabat cum Propheta: *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara*. Psal. 56. Exurge Fili mi; noli morari, respice gregem tuum desolatum, familiam tuam dolentem & tristem, accelera Fili mi, ut videant te, & consolentur. Audivit Filius piæ Matris clamores, & non distulit resurrectionem; sed statim die illucente, surrexit clamoribus & rugitibus Matris suscitatus sicut leunculus. Sic enim de illo ante fuerat prophetatum. Nam cum Jacob benediceret Filios, cum venit ad Judam ait: *Juda, te laudabunt Fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda; ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Gen. 49. Quis, inquam, nisi Mater ejus gloriosa? Sicut leæna fremitu suo catulum, sic Virgo suscitat Filium gemitu suo. Unde Moyses: *Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere: vel quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis revocare.* Deut. 30. Rom. 10.

Sicut

(*a*) Non quidem, quod sibi invicem adversentur Euangelistæ; sed quod non omnia, quæ gesta sunt, ab omnibus enarrentur, ut inter cæteros observat Annalium Ecclesiast. Parens ad an. Christi 34. de hac ipsa materie verba faciens. *His visis*, inquit, *Euangelicam recenseamus historiam: quæ licet ab Euangelistis diverse feratur, dum quod unus, vel alius tacuit, non defuerit alius exprimendo: tamen neque hac de causa quis rem propius spectans, contrarietatem esse aliquam affirmarit.*

(*b*) Sermo est ordine 160. in Append. tom. 5. novissimæ edit. Parisiensis, secundus de Pascha. Ex Gregorii, & Eusebii sententiis constat, & totus ferme in exprimenda inferorum turbatione, ob Christi resurrectionem, versatur.

Sicut gloſſat Apoſtolus: nam hoc totum facit Mater ſacra: illa ſuis virtutibus eum traxit e cœlo, illa eum rurſus ſuis gemitibus revocavit ex inferno. Hæc ſit ſecunda ſtatio, o anima devota, ſcilicet in cœnaculo, vade, aſpice diligenter & contemplato familiæ Chriſti triſtitiam & Virginis clamores iſto ſabbato: aſſocia te, & plange cum illis.

III. Summo diluculo Anima illa ſanctiſſima comitata illo exercitu Sanctorum Patrum venit ad tumulum. Jacebat in eo corpus illud lacerum, ulceroſum, lividum, corpus ſa-
Luce 1. crum virtute Spiritus ſancti formatum, corpus cœlo illuſtrius; cujus tactu ægritudines ſanabantur, cujus voce mortui ſuſcitabantur, corpus ſuper cœlos, & ſydera, & Angelorum vertices mox locandum. Intrat Anima illa gelata viſcera & membra diſſoluta, & corpus puriſſimum dilectum ſibi animat. Mira res incipit clareſcere plus quam ſol, & recipit novos ſplendores gloriæ: fulgent ulcera ſicut carbunculi inſerti auro puriſſimo, & ſurgit a ſepulcro lætabundus & glorioſus. O quid factum eſt in illo tunc! O quis poteſt dicere muſicas, cantica, & laudes Angelorum! Diſrumpantur cœli, & inundet mundus harmonia cœleſti. Siquidem Pater cœleſtis omnem illam cœleſtem militiam Angelorum miſit e cœlo ad reſurrectionem: ſicut ad
Ibid. 2. nativitatem Filii. *Tunc ſunt Principes con-*
Pſal. 67. *juncti pſallentibus in medio juvencularum tympaniſtriarum;* id eſt animarum ſanctarum. Tunc primo Angeli & animæ juncti ſunt, & factum eſt *unum Ovile, & unus Paſtor,*
Jo. 10. immenſo gaudio choreatim concinunt cantica dignitatis. O felices animæ, quæ adfuiſtis, & tantum regiæ gloriæ triumphum vi-
1. Reg. 4. dere meruiſtis! Non fuit tanta ſolemnitas, nec tantum gaudium in cœlo ab initio ſicut tunc, & in die nativitatis, & aſcenſionis.
Mat. 27. Multæ enim animæ Sanctorum Domino permittente ſumpſerunt corpora, & ſuſcitati ſunt cum eo, ut major eſſet ſolemnitas, & apparuerunt in ſancta civitate, & nuntiaverunt illis reſurrectionem, de quibus quid factum ſit; an ſcilicet permaneant uſque nunc ſuſcitati cum corporibus, an rurſus dormierint, Doctores varie ſentiunt; nec modo locus eſt diſputandi. Surrexerunt autem non ſolum, ut Chriſti reſurrectionem nuntiarent, ſed etiam ut fidem facerent noſtræ reſurrectioni: ne videlicet dicat aliquis, ſi Chriſtus reſurrexit, non mirum, quia erat Deus; nos autem puri homines quomodo reſurgemus? Ideo Sancti cum eo reſuſcitati ſunt, qui pu-
Ibid. 28. ri homines erant. In puncto quoque reſurrectionis terra contremuit mota partu illo potentiſſimo; qui enim prius mortalis partus
Pſal. 75. fuerat ex Virginis utero, nunc iterum naſcitur immortalis ex virgineo tumulo: unde
Coloſſ. 1. aptiſſime Apoſtolus eum vocat Primogenitum
Apoc. 1. mortuorum, quia ex mortuis primus naſcitur immortalis. Et regeneratio illa univer-
Mat. 19. ſalis de qua Dominus: *In regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ;*

A in eo primo impleta eſt. Unde bene a Propheta vocatur *Pater futuri ſæculi:* & a Doctoribus ſecundus Adam. Hæc ſit, anima de- *Iſaiæ 9.*
vota, tertia ſtatio: ſcilicet in ſepulchro. Contemplato omnia iſta, & exulta & gaude cum tota illa familia Sanctorum, & cum illo exercitu Angelorum.

IV. Audit Virgo ſacra ex ſuo oratorio tripudium Angelorum, & læta exſpectat videre Filium; cum ecce ſubito tota domus Angelicis & ſanctis animabus repletur & luce immenſa, forſitan cum gaudio concinentibus *Regina cœli lætare, &c.* Adeſt Filius
B glorioſus, & Matrem ſuſcipit ad amplexus. Hic jam ſileat lingua carnis: ſolo ſilentio hunc paſſum veneremur; quia ſupra intellectum eſt, quod ibi geſtum eſt. Exſuperat omnem ſenſum, gaudium & dulcedo, & totum quod factum eſt in corde Virginis. Unde & propter hoc Spiritus ſanctus de hoc nihil voluit ſcribi ab Euangeliſtis, ſicut & Joannes *Apoc. 10.*
juſſus eſt tacere ſeptem tonitruorum voces. O cor Virginis! O quanta facta ſunt in te his diebus! Quam repentina mutatio a tanto luctu in tantum gaudium! Quid ſentis
C cum vides Filium immortalem ſole fulgentiorem, ab Angelis adoratum, dominantem omnibus? Non dubium eſt, Chriſtum in ſpecie glorioſa apparuiſſe Matri, ſicut oſtenſus *Mat. 17.*
eſt in monte Thabor, & forſitan ei divinitatem etiam oſtendiſſe. Sed tranſeo; quia dixi, hæc melius ſilentio venerantur omnia. Felix anima, quæ his diebus & doloris & gaudii tui particeps fuit! Hic anima devota quartam facito ſtationem; ſcilicet in oratorio Virgineo, & contemplato omnia.

V. Inter hæc omnia Maria Magdalena ferventiſſima Chriſti amatrix, & aliæ ſanctæ Mulieres non dormiunt; ſed tranſacto ſab-
D bato veſpere *emerunt aromata, ut venientes* *Marci 16.*
ungerent Jeſum. Et quidem corpus Chriſti *Jo. 19.*
jam unctum fuerat a Nicodemo in earum præſentia: ſed attendite harum ſanctarum Mulierum devotionem: dolebant valde, quia tunc non permiſſæ ſunt corpus Domini oſculari, & lacrymis lavare propter ſabbatum; & propter hoc; ne Judæi impedirent ſepulturam, Pilato revocante ſententiam. Propter quod celeriter depoſitum eſt, & ſepultum. Diſponunt ergo tranſacto ſabbato redire & oſculari, & ſatiari oſculando lacrymis ſuper eo: ad hoc portant unguenta.
E Virgo enim prudentiſſima, quia videbat earum incredulitatem de reſurrectione, nec verbum dixerat eis. Nequeo ſatis mirari iſtarum Mulierum devotionem, amorem, & pietatem. Obſecro vos o ſanctæ Mulieres, quo itis? Quo feſtinatis? Neſcitis quia milites cuſtodiunt corpus? Si viderint vos accedentes tenebunt vos & clamabunt; Ecce fures, ecce latrones; hæ veniebant furari corpus; & ducent vos ad conſilium & infamabunt vos. Neſcitis, quia tota ferme civitas æſtuat odio Crucifixi? Quo properatis cum tanto periculo veſtro atque diſcri-

mine? Nihil horum attendebant ſanctæ Mulieres: ſed ſolum erat quæſtio de lapide; unde dicebant: *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Quaſi non eſſet major difficultas in milite, quam in lapide. O potentiam amoris maximam! Omnia vincis amor, omnia rumpis; nihil difficile, nihil periculoſum; amantes ſui periculi obliviſcuntur, ſolum tractant mente quomodo poſſent ſacroſanctum Domini, & Magiſtri ſui corpus ungere & deoſculari: niſi forte dixeris; quod iſtæ non noverant poſitam ibi fuiſſe a Judæis in ſepulchro cuſtodiam.

Marc. 16.

VI. Tantus erat fervor, quod non potuerunt exſpectare mane; ſed, *cum adhuc tenebræ eſſent*, ut ait Euangeliſta, procedunt de domo, & veniunt ad monumentum, *orto jam ſole*; non quia pigræ, ſed quia mons Sion ubi erat cœnaculum, a quo venerunt, longe diſtabat a monte Calvariæ, ubi erat ſepulchrum. Vel forte ideo, quia dum venerunt ad crucem, quæ adhuc elevata erat, renovati ſunt dolores mortis, & ibi diu planxerunt; & illa forſitan fuit prima crucis adoratio in Eccleſia. Cum autem veniſſent ad monumentum invenerunt milites in terra jacentes, hinc inde diſperſos ſemimortuos. Siquidem poſtquam Dominus egreſſus eſt de tumulo, deſcendit Angelus de cœlo, & revolvit lapidem, & ſedit ſuper eum. Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtis ejus ſicut nix: & præ timore ejus exteriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui: poterat enim eos peſſumdare & calcare. Mulieres autem viſo Angelo timuerunt valde: ſed Angelus confortavit eas dicens: *Nolite timere vos*; timeant iſti tortores, infideles, increduli: Jeſum *quæritis Nazarenum? ſurrexit; non eſt hic, ſed ite: dicite Diſcipulis ejus & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. Venite & videte locum ubi poſitus erat Dominus* veſter & noſter. Illæ autem ingredientes in monumentum viderunt locum vacuum; & egreſſæ inde cum timore & pavore cucurrerunt nuntiare Apoſtolis, ſicut eis dixerat Angelus. Illi autem non crediderunt, ſed viſa ſunt eis quaſi deliramenta, & ſomnia mulierum: tanta erat diffidentia & oblivio reſurrectionis. Melius negaverant Judæi Chriſti reſurrectione verba, quam Apoſtoli; unde poſuerunt cuſtodes: iſti autem neque a mulieribus, neque a cuſtodibus poſitis, nec ex monitione Angelorum potuerunt commoveri. Tanta erat oblivio & diffidentia: unde merito reprehenſi ſunt a Domino de incredulitate, & duritia cordis. Mulieres autem

Jo. 20.
Marc. 16.
Mat. 28.
Luc. 24.
Mat. 28.
Luc. 24.
Mat. 27.
Marc. 16.

A fatigabantur videntes, quod eis non credebatur; dicentes bona fide. Omnes vidimus, omnes audivimus hæc. Hæc dixit nobis; ſic, & ſic erat vultus, & ſic erat veſtimentum ejus. O ſi vidiſſes, &c. Hic facito quintam ſtationem. O anima devota, ad crucem contemplare omnia iſta, fervorem Mulierum, proſtrationem militum, & turbationem Diſcipulorum.

VII. Dum Mulieres vadunt iſta dicere, cuſtodes proſtrati redeunt ad ſe, & fugientes perterriti, fugiunt ad civitatem & intrant anhelantes domum Pontificis, & nequeunt B exprimere quod viderant. Ecce ſurrexit. Ecce hæc & hæc vidimus. Turbatio vultus, & pallor fidem faciebant dictis eorum. Turbatur ſupra modum Pontifex, & adſtantes mirantur & trepidant. Congregatur concilium clanculum, producuntur cuſtodes, nuntiant omnia, ſtupent, tremunt, confunduntur, & erubeſcunt, ſicut ſcriptum eſt: *Erubeſcant, & confundantur omnes inimici mei:* & dicunt: O! ſi hæc populus noverit, perdet nos, occidet nos, deſtruet nos. O conſilium & concilium! Ubi eſt ille furor, illa inſultatio, ille garritus? Sic, ſic o miſeri, C ſic oportet vos confundi, qui contra Deum conſurrexiſtis. Delector valde, fateor, videns iſtorum confuſionem, pallorem, tremorem, & turbationem. Invento itaque conſilio, aperiunt gazophylacium, & dant illis multam pecuniam, ut taceant, & divulgent in populo, quod illis dormientibus diſcipuli furati ſunt eum. Et ſi præſes audierit, nos, inquiunt, ſuadebimus ei; & illi accepta pecunia hoc dixerunt. Sed potuit latere tantum myſterium? Non divulgatum eſt ab Apoſtolis, & a mortuis, qui ſurrexerunt? & neque hoc ipſi potuerunt tacere. Unde notum D factum eſt populo, & præſidi genti. Et propter hoc *multa turba Sacerdotum obediebat fidei*, quia noverat hoc. Unde P. Auguſtinus (*a*): Si dormiebatis, quomodo vidiſtis? Si vigilabatis, quomodo conſenſiſtis? Ambroſius (*b*); Vere ita eſt: dormientibus vobis ſomno ignorantiæ, Eccleſia rapuit vobis Chriſtum. Unde & Pilatus ſcripſit ad Tiberium: ſicut habetur in hiſtoria Eccleſiaſtica (*c*). Miſeri, obſtinati, qui tanto teſtimonio non ſunt converſi! Hic facito, anima devota, ſextam ſtationem, & vide horum turbationem & lætare; ſextam, inquam, ſtationem in con- E cilio.

Mat. 28.
Act. 6.
(*a*)
(*b*)
(*c*)

VIII. Redeamus nunc ad Apoſtolos: illi licet non crediderint, tamen Petrus & Joannes, qui erant ferventiores, voluerunt probare

(*a*) In Pſal. 63. num. 15. *Si dormiebant, quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodo teſtes ſunt?*

(*b*) Simile quidpiam habet S. Ambroſius in Expoſit. Euang. ſec. Lucam lib. 5. num. 15. noviſs. edit.

(*c*) Acta quædam in cauſa mortis Jeſu Chriſti, ejuſdemque reſurrectionis a Pilato ad Tiberium miſſa ſuadet eorum temporum conſuetudo, ut Provinciarum Præſides graviora negotia ad Principem deferrent. Rurſus, actorum hujuſmodi mentionem habent non ambiguam vetuſtiſſimi Scriptores, Juſtinus Martyr Apol. pro Chriſtian. ſecunda, Tertullianus Apologetic. cap. 21., Euſebius Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 2., quibus fides abſque injuria negari nequit. An vero textus Epiſtolæ a Pilato conſcriptæ, ad nos uſque non interpolatus pervenerit, res eſt a Criticis agitata. Sane ex pluribus, qui circumferuntur, nullus ſine aliqua ſuppoſitionis nota deprehenditur, ut peculiari diſſertatione demonſtrat Calmet tom. 2. Diſſert. in Sacr. Script.

bare an verum esset? Optabant enim valde hoc verum esse, licet non credebant. Exeunt
Jo. 20. ergo civitatem currentes, nec Joannes exspectabat Petrum: tantus erat fervor videndi; sed cum esset junior venit prior ad monumentum; sed non intravit sine Petro, licet a foris vidit vacuum monumentum. Venit Petrus & intravit, & post ipsum Joannes, & nihil invenerunt; sed sola linteamina posita ad unum locum, & sudarium plicatum ad aliam partem. Et mirantes exeunt, credentes verum esse, quod dixerant Mulieres, quia videbant. Et attoniti vadunt iterum ad alios. Mulieres non remanserunt domi, B sed post Petrum & Joannem redeunt ad monumentum: & aliæ quidem Mulieres discurrerunt per hortum flentes. *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Stabat, in-
Ibidem. (a) quit Origenes (*a*), quia amor ibi figebat eam; plorabat, quia non inveniebat, quod quærebat. Inclinavit ergo se iterum, & introspexit monumentum. Sic enim solemus, cum deest aliqua margarita vel gemma, sæpius perscrutari arcam. Et vidit duos An-
Ibidem. gelos sedentes, unum ad pedes, & alium ad caput, ubi sepultus fuerat Dominus, qui di-
Luc. 24. cunt ei: *Mulier, quid ploras? quid quæris viventem cum mortuis?* Quasi deridentes eam, quia admonita de vita illius non crediderat Angelo nuntianti. Illa autem imperterrita respondit eis: *Tulerunt Dominum meum; &*
Jo. 20. *nescio ubi posuerunt eum.* Non ait, tulistis, quia noverat Angelos esse. Quomodo apparet affectus in verbis istis? Miror hujus Mulieris amorem: nescio si ante hunc diem Angelos viderat. Quomodo non timuit? Quomodo non expavit? Sic totum cor ejus desiderio videndi Dominum plenum erat, ut non curet Angelos pluſquam pueros.

IX. Dum hæc loquitur ad Angelos; ecce D Angeli assurgunt quasi honorem exhibentes alicui. Illa autem conversa retrorsum ut videret cui honor præstaretur; vidit Dominum in effigie hortulani, qui dixit ei: *Mu-*
Ibid. 2. *lier, quid ploras? Quem quæris?* O Domine, & tu non nosti, quem quærit? Origenes (*b*): Quomodo tu & Angeli tui hanc
(b) Mulierem sic vexant quærentes: *Quid ploras?* Unum solum Dominum & Magistrum habebat, quem super se diligebat; crucifixum vidit oculis suis, & ecce nunc nihil restabat ei nisi pretiosissima illa corporis reliquia; hanc non invenit: & quæris quid ploras? Plagas ejus renovas tu, & Angeli tui. Cum ista quæruntur respondit illa: *Do-*

mine, si tu sustulisti eum dicito mihi ubi posuisti eum; & ego eum tollam. Mulier no-Jo. 20.
bilis Dominum vocat hortulanum, ut det ei quod desiderat: *Si tu sustulisti eum.* Origenes (*c*): Ipse tulit, ipse habet, ab ipso quæ- (c)
re. *Ego eum tollam* per enses & lanceas, etiamsi tota civitas contradicat. Corpus mortuum viri, quasi puerum se gestare posse existimat; tanta est vis amoris. Tunc Dominus miseratus ejus propria voce ait illi: *Maria.*
Et illa procidens ad pedes respondit: *Rabo-*Jo. 20.
ni, id est, *Magister.* Quo gaudio repleta est, quomodo totus ejus animus inflammatus B est, non sufficimus dicere, quæ mortuum invenire sic optavit, vivo invento, quomodo putas lætata est? In illo unico verbo, Dominus pie eam culpavit & reprehendit: quasi diceret: Maria hæc est fides? hæc est fiducia? Sic me purum hominem, mortalem credidisti? Sic oblita es verborum meorum de resurrectione? Vade ait: *Noli me tange-*Ibidem.
re, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Quia non me habere Deum credidisti, non es digna tangere me, ait Bernardus (*d*), (d)
quia plus credidisti oculo, quam oraculo.

X. Sed vade dic Fratribus meis: *Ascendo* Ibidem.
ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum C *meum, & Deum vestrum.* Verba satis notanda & ponderanda. In omnibus assimilatus est Fratribus suis; eundem habet Patrem, eundem Deum. Pater illi Deus erat natura, & non noster Deus ille. Nobis ille natura, & non illi Deus. Ex Patre suo fecit nostrum, ex Deo nostro fecit suum. In quo tibi plus debemus, o bone Jesu! Aut quia talem dedisti Patrem, aut quia pro nobis Deum Deus susceptisti? Ecce Deus es, & Deum pro nobis habes, & tu, & Deus tuus unus est Deus. Hoc dicto disparuit. Mansit illa plena gaudio exultans & vociferans præ lætitia. Veniunt aliæ & mirantur, nec potest eis loqui præ gaudio. O quia Dominus meus vivit! Magister meus vivit, vidi eum; hæc locutus est mihi: eamus, eamus nuntiare. O quanta lætitia omnium illarum! Vadunt ergo, & dum irent, iterum in via apparuit propter alias, & ait illis: *Avete.* Et procidentes *tenuerunt pedes ejus:* & ait illis: Mat. 28.
Nolite timere. Sed *ite, nuntiate Fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* O magnum nuntium! præclarum nuntium! O jucundum nuntium, a sæculo inter homines non fuit simile! Magnus iste favor sanctarum Mulierum; quibus prius apparere voluisti propter amorem, propter devotionem;

(*a*) Super Joan. Homil. in cap. 20. paulo post initium. *Videamus igitur, si possumus, cur stavet: videamus & cur ploraret: ut prosit nobis illius stare, prosit & illius plorare. Amor faciebat eam stare: dolor faciebat eam plorare. Stabat, & circumspiciebat, si forte videret quem diligebat.*

(*b*) Super Joan. Homil. in cap. 20. circa medium. *Dixit enim Jesus: Mulier, quid ploras? Quem quæris? Dulcis Magister, ad quid, quæso, provocas spiritum hujus Mulieris? Ad quid permoves spiritum ejus? Tu scis, quia te solum quærit, te solum diligit, pro te omnia contemnit, & tu dicis, quid ploras? quem quæris? &c.*

(*c*) Homil. præallegata post medium: hæc Euangelii verba fuse expendit Origenes, quæ strictim ex eo attingit S. Orator.

(*d*) Serm. 28. in Cant. num. 8. *Merito carnem redivivam Verbi tangere prohibetur mulier carnaliter sapiens, plus quippe tribuens oculo, quam oraculo, idest carnis sensui, quam verbo Dei.* Alia addit in hanc rem S. Bernardus eodem, & toto sequenti numero.

quia recedentibus Apoſtolis non receſſerunt. Solæ vident Angelos; ipſæ prius vident te, ipſæ factæ ſunt Apoſtolæ Apoſtolorum. Vadunt & intrant, nec poſſunt quidquam loqui præ gaudio: ſed facies & vultus ſatis loquuntur. O, o, o! vidimus Dominum; Dominus vivit: Dominus ſurrexit: hæc locutus eſt nobis. Expaveſcunt, obſtupefacti, ſicut ſi in ſomnis audirent. Fidem faciebant verba Petri & Joannis, qui viderant monumentum. Manent quaſi attoniti, turbati, nec omnino credentes præ rei magnitudine & deſiderio, nec omnino increduli, ſed quaſi in admiratione & extaſi poſiti fuerunt.

XI. Interea, neſcio ubi receſſit Petrus, & Dominus illi apparuit poſt Mulieres primo, quaſi de negatione conſolans eum. Quid autem dixerit, vel ubi apparuit, Euangeliſta non dicit. Tunc jam aperte crediderunt Petro nuntianti, & dicunt: *Surrexit Dominus* Lucæ 24. *vere, & apparuit Simoni.* De Mulieribus non curant. Poſt modicum apparuit Jacobo ſecundum aliquos; & poſtea duobus euntibus in caſtellum Emmaus, & ita fides eorum confirmatur. Cum autem eſſet ſero, ja- Jo. 20. nuis clauſis apparuit omnibus, & comedit Lucæ 24. cum eis; & reduxit ad memoriam verba, quæ dixerat de reſurrectione: & adhuc præ Ibidem. rei magnitudine ſtupebant, & putabant Spiritum ſe videre. Unde & palpari voluit, & oſtendit fixuram clavorum, & ait: *Videte* Act. 1. *manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum.* Tanta erat res, ut vix credi poſſet etiam viſa, quanto magis audita. Propter quod ſepties hodie apparuit, & poſtea per quadraginta dies pluries, ad confirmandam veritatem ſuæ reſurrectionis. Quanta fuerit lætitia familiæ Chriſti hodie, quo gaudio repleta; quis ſufficiat exprimere? Vadunt ad Virginem, inveniunt eam gaudio pleniſſimam; laudant, beatificant, dicentes: O Domina noſtra, uſque nunc te Matrem ſanctiſſimi hominis Domini noſtri, & Magiſtri noſtri credebamus, & ut talem venerabamur: ex nunc, Dei noſtri, Creatoris noſtri te Matrem agnoſcimus, & colimus. O benedicta inter mulieres, quæ talem ac tantam altitudinem & dignitatem meruiſti! Omnes filii tui ſumus. Tu Domina noſtra, memento noſtri. Unde & nos, o Virgo benedicta, tibi animas noſtras commendamus. Orantes, & obſecrantes, ut per gaudium, quod hodie de Filii reſurrectione habuiſti, nos protegas, regas, atque defendas, & Chriſti reſurrectionis participes efficias; ut in fine ſæculi correſuſcitati tuis precibus mereamur optatam gloriam tecum & cum Filio tuo poſſidere; ad quam nos perducat, &c.

IN DOMINICAM RESURRECTIONIS DOMINI

CONCIO QUARTA.

De Resurrectione Domini.

Surrexit Dominus vere. Lucæ 24. v. 34.

I. POſtquam anima illa Sanctiſſima carnis nexibus ſoluta eſt in patibulo, ſtatim ad inferos deſcendit, liberare animas Sanctorum ibi detentas. Poſtulabat ipſe hoc, dicens Patri ſuo: *Educ de cuſtodia Deus animam*, id eſt, de nexibus carceris Pſ. 141. hujus carnis, *ad confitendum nomini tuo*, id eſt, ut nomen tuum, quod modo in ſola una natione cognoſcitur, per totum mundum publicetur. *Notus in Judæa Deus, & in Iſrael* Pſal. 75. *magnum nomen ejus.* Indignum, hoc tam magnum nomen, coarctato termino claudi. *Educ de carcere animam meam*, & effunde- Cant. 1. tur ſicut oleum, & publicabitur a *mari uſ-* Pſal. 71. *que ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum.* Ecce unum. Eſtne aliud propter quod educas? Utique: *Me expectant juſti*, in limbo, *donec retribuas mihi.* Non per- Pſ. 141. cipient ipſi præmium laborum ſuorum, niſi prius ego recipiam meorum. Soluta igitur anima, ſtatim, veluti ſagitta emiſſa ab arcu, potenti virtute; ut ſi cecidiſſet ſol, infernum penetravit. Radiant ſubito lumine perfuſæ regiones illæ tartareæ, & micantibus radiis, palpabiles tenebræ profugantur. Concutiuntur liminaria fortia igniferi clauſtri, & portæ æreæ conteruntur; vecteſque ferrei confringuntur. Auditur intus undique clamor tripudiantium animarum, trepidantium dæmoniorum. Et Rege majeſtatis ingreſſo, cedunt undique pallentes umbræ. Turbantur principes tenebrarum, & horror invadit habitatores tartareos. Stupent, pavent, proſternuntur undique ante faciem majeſtatis. Admirantes, ab invicem quærunt, ut inquit P. Auguſtinus (a), *Sermone* (a) *ſecundo de Aſcenſione:* Quid hoc? Unde iſta novitas luminis? Quænam iſta tam inſolita radiatio umbroſi loci? Numquam ab exordio mundi quidquam tale hic viſum eſt. Quænam iſta nova lætitia captivorum? Qualis adventus irruentis in terrificum iſtum locum? Invaſor iſte, non debitor, exactor, non peccator. Judicem videmus, non ſupplicem. Si Deus, ad quid venit? Si homo, quid præſumpſit? Si Deus, quid in ſepulchro facit? Si homo, quare peccatores ſolvit? Unde iſte tam ſplendidus, tam fortis, tam præclarus, tam terribilis? Nullum talem mundus huc a principio mundi miſit.

Omnes

(a) Sermo eſt Concione præcedenti allegatus, olim de temp. 137., & poſt in Append. 52. Partim verba, partim ſententias ex hoc adducit. Vide num. 2. ejuſdem Sermonis.

Omnes qui huc adveniunt, lugentes, & gementes intrant tenebrosa loca. Hic autem in fortitudine, & robore, non mansurus, sed liberaturus ingreditur. Et alia in hunc modum.

II. Cum autem perveniisset ad animarum sanctarum cuneos, omnes mirifico jubilo & incredibili lætitia, cœperunt ipsum laudare, dicentes: *Dignus est Agnus, qui occisus est,* Apoc. 5. *accipere virtutem, & Divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Dignus est.* Quomodo dignus? Christus non meruit Divinitatem, neque sapientiam, neque gloriam, quia meritum præcedit præmium. Solutio. Ostentationem, & manifestationem mundo omnium istorum meruit. Ideo sic intelligatur: in hujus mundi ostensione. Dignum est, justum est: id est ad justitiam Dei pertinet, ut qui se amore ipsius Dei humiliat, ab ipso Deo exaltetur. *Deposuit potentes,* Luc. 1. *& exaltavit humiles*, veros humiles amore ipsius. Si enim amore propriæ excellentiæ, non est vera humilitas: nam gloria, & exaltatio sequitur, sed non quæritur ab humili; alias, non humilis, sed ambitiosus esset. Christus pro Deo humiliatus in summo, debuit exaltari in summo. Sed quo humiliatus? Philipp. 2. Apostolus: *Cum in forma Dei esset: non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Cum in forma Dei esset.* (a) P. Augustinus (a): Quanta majestas *exinanivit;* pondera verbum: *Formam servi:* quanta humilitas; sed non sistit: non solum formam servi, sed etiam formam rei. *Factus obediens usque ad mortem.* Et si parum est: *mortem autem crucis.* O quam grande erat ista pati, sed majus pati ista, cum Ibidem. titulo rei, & malefactoris. Potuit tantum humiliari? Quantum ergo debuit exaltari? Sequitur: *Propter quod exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Pondera *propter quod: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Hoc est accipere Divinitatem. Credi Deum, adorari pro Deo. Ecce Deus descendit ad passionem carnis. Factus passibilis, ut caro; mortalis, ut caro; infirmus, ut caro. Ideo caro, id est homo, ascendit ad proprietates Dei: facta impassibilis, ut Deus; immortalis, ut Deus; glorioſa, ut Deus; adoratur, ut Deus. Hoc petebat Dominus modicum ante passionem dicens: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum.* Ecce ego nunc valde per passionem Jo. 17. obscurabor, sed tu Pater clarifica; clarum me mundo ostende. Ecce adhuc in passione cœpit clarificari. Nam ipso moriente terra tremit, sol obscuratur, gentilis confitetur Luc. 23. Deum, populus percutit pectora.

III. *Accipere virtutem. Tecum principium* Apoc. 5. *in die virtutis tuæ.* Dies humilitatis, dies Ps. 109. passionis; dies virtutis, dies resurrectionis. Sic alio loco dicit: *In multitudine virtutis* Psal. 65. *tuæ mentientur tibi inimici tui*, id est, in die in quo ostendes virtutem tuam, facies, ut ostendas mendaces falsarios inimicos tuos. Quomodo hoc? Attendite quid dixerant inimici, irridentes eum! *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Mentimini: Mat. 27. ego ostendam; sed exspectate modicum, ut ait Propheta: *In die Resurrectionis meæ.* Non Sophon. descendam de cruce, quia nolo relinquere 3. opus redemptionis imperfectum: sed ascendam de sepulchro. Quid majus; nonne facilius erat vivo, expellere de pedibus & manibus clavos, quam mortuo resuscitare seipsum? Alios ego salvavi, sed & meipsum a fortiori salvabo; ut mentiantur blasphemi. Iterum mendaces ostendam in facto isto. Nam quid dixerunt contra me in testimonium? Hic dixit: *Ego dissolvam Templum* Marc. *hoc manufactum, & per triduum aliud non manu factum ædificabo.* Falsum est testimonium. 14. Non sic dixi: sed *solvite.* Et iterum, non dixi, *ædificabo;* sed *excitabo* eum. Ut igi- Jo. 2. tur me veracem, & vos fallaces ostendam, vos Templum solvistis, & ego in triduo suscito, & verbum meum impleo.

IV. *Accipere honorem.* Hoc a mundo toto & ab omni creatura. Propter quid? Propter bonum totius creaturæ. In ipso suo principio jam renovata est in radice sua, quamvis adhuc rami mortui appareant, & *omnis* Rom. 8. *creatura ingemiscat*, subjecta vanitati corruptionis, sed in spe. Unde spes? Quia radix viva. Exemplum de arboribus in hyeme: P. Augustinus (b) *in Psalmum trigesimum sextum.* Advenisti tandem Redemptor (b) mundi; advenisti desiderate cunctis gentibus, Agg. 2. tam diu expectate. *Quis similis tui in fortibus* Exodi 15. *Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia. Dignus* ergo est *Agnus, qui occisus* Apoc. 5. *est, accipere virtutem, & Divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, & omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo sunt.*

(a) Serm. 292. in Nat. S. Joann. Baptistæ 6. num. 3. *Vide ergo, quæ majestas, quæ potestas, quæ sublimitas, quæ cum Patre æqualitas venit propter nos ad indumentum formæ servilis: & intellige illam a Magistro tanto humilitatis viam.*

(b) In Psal. 36. Serm. 1. num. 3. *Mortui enim estis, ait Apostolus: quomodo videntur arbores per hyemem, quasi aridæ, quasi mortuæ. Ergo quæ spes, si mortui sumus? Intus est radix: ubi radix nostra, ibi & vita nostra, ibi enim charitas nostra. Et vita vestra, inquit, abscondita est cum Christo in Deo. Quando arescit, qui sic habet radicem?*

Apoc. 5. V. *Accipere Divinitatem.* In nullo magis ostensus est se esse Deum, quam resurgendo. Nam alia miracula etiam homines fecerunt. *Mat. 4.* Si ipse jejunavit quadraginta diebus, etiam *3. Reg. 19.* Elias. Si ipse sanavit leprosos, etiam Elisæus. *Mat. 8.* Si ipse suscitavit mortuos, plures alii *4. Reg. 5.* suscitaverunt ipso dicente: *Qui credit in me, Act. 5.* *opera quæ ego facio, faciet, & majora horum Jo. 14.* *faciet.* Nam majus fuit, quod umbra Petri *4. Reg. 13.* sanabat, & quod ossa Elisæi suscitaverunt mortuum. Verum est (*a*), quod ex modo (*a*) quo fiebant, ostendebant Christi Divinitatem: quia præcipiendo. Et hoc est, quod ait: *Opera quæ ego facio, testimonium perhi-* *Jo. 5.* *bent de me:* sed non evacuabant fidem, ut (*b*) ait Durandus (*b*) in principio, quia non evidenter, &c. Opus autem resurrectionis, super omnia monstravit ipsum esse Deum. Ideo, cum ipsum tentantes, peterent signum, *Mat. 12.* dixit eis: *Generatio mala & adultera, signum quærit.* Et ad quid? Nonne vidistis plurima? Si dedero signum de cœlo, etiam calumniabimini: sed ego dabo vobis signum, quod non possit calumniari. *Signum Jonæ Prophetæ* in resurrectione mea. In duobus enim Christi resurrectio, ab aliorum resurrectione differt. Primo: quia alii resurre- C xerunt mortales, Christus immortalis. Se- *Rom. 6.* cundo: quia alii resuscitati sunt ab aliis, Christus a seipso. A sæculo non est auditum, quod aliquis seipsum suscitaverit. Et Christus, si suscitavit seipsum, hoc fuit, ut Deus. Dicente Apostolo: *Crucifixus est ex* *2. Cor. 13.* *infirmitate: surrexit in virtute Dei.* Posset *Apoc. 5.* hic quæri utrum anima cujuscumque mortui sibi relicta, possit se corpori reunire? Responsio Doctorum. Non. Nec Anima Christi, per se posset se corpori reunire, nisi, prout unita erat Divinitati, ut ait Sanctus (*c*) Thomas (*c*).

VI. Descensus iste fuerat ante prædictus. *Gen. 49.* *Genesis capite penultimo*, cum Jacob benediceret Judam Filium suum, non ad ipsum, sed sub nomine ejus ad Christum ex ejus tribu venturum verba direxit, dicens: *Catulus leonis Juda, ad prædam Fili mi ascendisti.* More avium: quæ dum prædam capere volunt altius levantur: ita tu elevatus es in patibulo in altum, ut inde quasi aquila præpeti descensu in ulnis potentiæ tuæ prædam ab inferis levares ad superos, & mundum omnem simul in tuis ulnis raperes. Sicut ipse *Jo. 12.* in Euangelio de se ait: *Et si exaltatus fuero* *Gen. 49.* *a terra, omnia trabam ad me ipsum.* Sequitur: *Requiescens accubuisti ut leo, & quasi* A *leæna.* Requiescens a laboribus & doloribus passionis accubuisti in sepulchro, ut leo, id est, ut catulus leonis cum leæna. Glossa (*d*): (*d*) Dicunt physici, quod leæna parit filios sopitos, & suo rugitu excitat die tertia. Ita sopitus per triduum Dominus, ut catulus leonis, tertia die rugitu leænæ, id est Ecclesiæ, vel Virginis Matris suæ excitatur. Sequitur: *Quis suscitabit eum?* Quis, nisi ipsemet? Nam de seipso ait: *Ego dormivi & so-* *Psal. 3.* *poratus sum, & exurrexi.* Alii, quotquot resuscitati sunt, aliena virtute resuscitati sunt. Ego autem non sic: potestatem enim B habeo, ponendi animam meam, & iterum *Jo. 10.* sumendi eam. Accepto igitur spolio, non omnium animarum, sed sanctarum: morsum enim dedit inferno, ut ipse per Prophetam *Osee 13.* prædixerat. Ascendit gloriosus Princeps, & Dux fortissimus, comitantibus eum cœlestibus militibus Angelorum & animarum: & fit *unum ovile & unus Pastor.* Tunc primum in unum homines & Angeli sociantur, qui *Jo. 10.* fuerant prius tam longo intervallo divisi, amicitia inter utrosque firmatur, & *Princi-* *Psal. 67.* *pes conjuncti sunt psallentibus, in medio ju-* *venc ularum*, id est animarum, *tympanistria-* *rum:* sicque comitatus ad sepulchrum, lucente jam die, resuscitaturus advenit.

VII. Jacebat autem in eo corpus illud sanctissimum & purissimum: corpus sine macula: corpus, quod nullam omnino labem peccati, aut concupiscentiæ noverat: corpus Spiritus sancti opere, & manu in utero Virgineo formatum: opus regale, tabernacu- *Lucæ 1.* lum quod figit Deus, & non homo: indi- *Num. 24.* gnum certe, ut lapideo strato jaceret, dignissimum ad dexteram Dei, super omnem creaturam regio throno sedere. Jacebat, inquam, dilaniatum, ulceroſum, plagatum, D sanguinolentum, turgidum, pallidum, undique percussum. *A planta* enim *pedis, us-* *Isaiæ 1.* *que ad verticem capitis, non erat in eo sanitas.* Tunc gemma illa cœlestis, & margarita pretiosa iterum claris visceribus investitur, & inseritur. Incipiunt tunc consolidari dissipata ossa, & nervi soluti, iterum confirmantur. Venæ vacuæ proprio sanguine iterum replentur. Incipiunt apparere novi colores, novi splendores, novi fulgores in corpore, & vulnera illa prius tam sanguinolenta, veluti lapides pretiosi & clari carbunculi fulgent. Non aliter, quam cum nubes tetra, & vapor ante obscurus, radio solis imbibito, in diversi coloris formas mutatur, & radiante lumine, miram oculis spe-

(*a*) Huc spectant, quæ tradunt S. Parens Augustinus Epist. 137., alias 3. ad Volus. cap. 4., & Angelicus Doctor 3. p. q. 43. art. 4.

(*b*) Vide Durand. in Prolog. Sent. quæst. 1.

(*c*) Part. 3. quæst. 53. art. 4. *Secundum igitur unitæ Divinitatis virtutem, & corpus resumpsit animam, quam deposuerat, & anima corpus resumpsit, quod dimiserat, & sic Christus propria virtute resurrexit... Si autem consideremus corpus, & animam Christi mortui secundum virtutem naturæ creatæ, sic non potuerunt sibi invicem reuniri, sed oportuit Christum resuscitari a Deo.*

(*d*) In cap. 49. Gen. *Ajunt Physici, quod catulus leonis, cum fuerit natus, tribus diebus dormit, & tribus noctibus. Deinde patris fremitu tremefactus cubilis locus excitat dormientem.* Ex Isidoro lib. 12. Ethymolog. cap. 2. hausta sunt hæc. Eadem habet Auctor Comment. in Genesim, S. Eucherio Lugdunensi Episcopo adscripti, cap. 49. *Quod*, inquit, *valde congruenter de passione mortis aptatur in Christo, qui tribus diebus, & tribus noctibus in cubili sepulchri jacens, somnum mortis implevit.*

ſpectantium ingerit pulchritudinem, qui fuerat ante deformis; ſic omnino, ſic nubes illa levis Dominici corporis ſine pondere peccati, de quo dictum fuerat: *Aſcendet* Deus
Iſaiæ 19. *ſuper nubem levem*, quæ fuerat ante obſcurata tormentis & tonſionibus innumeris, imbibito intra ſe ſole juſtitiæ, & ſpiritu illo glorioſo Animæ Redemptoris, admirabili decore, & fulgore perfunditur, & plus quam ſol & luna, oculis ſpectantium fulget: incipit igitur levari de tumulo vivificum corpus Redemptoris, & dum ſic omnibus videntibus erigitur. Bone Deus! Quis dicere, aut cogitare poterit cœleſtium inſtrumentorum clangorem, cœleſtis muſicæ harmoniam? Reſonant tympana: inſonant tubæ, ſambucæ, & cœleſtia organa pſalteriis permixta mirificam faciunt harmoniam. Siquidem & in nativitate ejus canentes Angelos paſtores audie-
Luc. 2. rant. Tunc igitur, etiam mortui tantæ feſtivitatis ſtrepitum audierunt. Nam animæ illæ quæ præſago Spiritu, hoc antea, dum viverent, noverant, & ſua corpora in eodem loco fecerant ſepeliri, a Domino obtinuerunt licentiam, ut ſua corpora ibidem jacentia reſumerent, ſecumque reſurgerent, & futuræ reſurrectionis mundo fidem præberent, ne putaretur, quoniam ſolus ſurrexit, quia Deus erat: nos autem quia homines puri ſumus, tantæ reſurrectionis expertes fore; voluit alios puros homines ſecum reſurgere, ut liceat omnibus expectare, quod paucis ſimilibus jam condonatum eſt. De
(a) quibus tamen, ut ait Hieronymus (*a*): Incertum eſt, an iterum morituri ſurrexerint, an ſic cum Domino cœlum conſcenderint, prævenientes noſtram futuram reſurrectionem.

VIII. Surgens igitur Chriſtus a mortuis ſperandæ reſurrectionis nobis fiduciam auxit; ſpeciem futuræ reſurrectionis in ſe ipſo oſtendit, ut liceat ſperare de te ipſo, quod jam factum vides in tuo capite Chriſto. Siquidem, qualis jam eſt radix, tales futuros etiam ramos non dubitamus. Attendite Fratres mei, & auribus percipite, quod vobis dicere cupio, nec ſufficio. Dies iſta reparationis, & renovationis totius creaturæ principium fuit. Siquidem hodie Chriſtus reparator orbis, & renovator apparuit, qui fuerat ante Creator: & novæ ſobolis pater, & principium novæ generationis cœleſtis futuræ extitit. *Revocans*, ut ait Iſaias, *generationes*
Iſaiæ 41. *ab exordio*. Ut deturbatas omnes creaturas corporeas per peccatum renovet, & in ſtatum perfectionis reducat. Ipſo per Prophe-
Ibid. 43. tam clamante: *Ecce nova facio omnia*. Reparato enim hærede, omnis ejus hæreditas reparabitur, quæ ipſo peccante fuerat deturpata & corrupta. Portamus igitur modo Fratres mei, imaginem terreni Adam; portabimus aliquando imaginem cœleſtis Chriſti
1. Cor. 15. Jeſu. *Configurati Corpori claritatis ſuæ*, ut,
Philipp. 3. qualis cœleſtis, tales ſimus nos & cœleſtes. Siquidem ipſe apud Iſaiam *Pater futuri ſæculi*
Iſaiæ 6. appellatus eſt. Quoniam ſicut iſta generatio, quæ modo eſt terrena, & probroſa, ab illo primo parente Adam derivata eſt, ita etiam alia futura eſt generatio pulchra, ſplendida, ſpiritualis, fulgida, cœleſtis, cujus Pater & exordium Chriſtus, in ea forma in qua hodie a mortuis ſurrexit. Nam ante mortem, ipſe etiam mortalis Adæ imaginem habuit. Audite, quam magnifice hoc Pſalmus præcinit, dicens: *Annuntiabitur Domino generatio*
Pſal. 21. *ventura*; id eſt, manifeſtabitur. Nunc enim
Coloſſ. 3. *vita* noſtra *abſcondita eſt cum Chriſto*, & com-
Philipp. 3. plantati, & configurati ſumus morti ejus: ſed aliquando nova quædam generatio revelabitur a Domino; quando offeret *regnum*
1. Cor. 15. decorum, regium, perfulgidum *Deo & Pa-*
Pſal. 21. *tri*. Et tunc *annuntiabunt cœli juſtitiam ejus*, facti judices, cum Deo Abraham, vivorum & mortuorum, *populo qui naſcetur*, *quem fecit Dominus*. Quomodo, obſecro, naſcetur ſi factus eſt jam? Attendite repugnantiam, ſi non adſit intelligentia. *Populo*, inquit, *qui naſcetur*, *quem fecit Dominus*. Factus eſt, & naſcetur. Quomodo hoc? factus eſt ex nihilo per creationem, naſcetur ex mortuo per reſurrectionem.

IX. Duplex enim exordium hominum. Unum ex nihilo in radice terrena quæ eſt Adam; alterum ex mortuo in radice cœleſti, quæ eſt Chriſtus. Ipſe enim eſt *Pri-*
Apoc. 1. *mogenitus mortuorum*, id eſt *ex mortuis*. Prius
Coloſſ. 1. naſcens in vitam incorruptibilem, & incon-
1. Petr. 1. taminatam: a quo omnis illa cœleſtis generatio in ſpiritualem formam propagando filiorum Dei, in forma Dei, non ſecundum naturam, ſed ſecundum gratiam; non æqualitate, ſed ſimilitudine; non communicatione, ſed participatione divinæ ſubſtantiæ. Ut ſitis ipſi Divini, ſicut ipſe Deus. Felix generatio filiorum Dei! Felix populus, cujus pater & principium Deus! Generatio ſancta, generatio fulgida, generatio glorioſa. *Juſti*, inquit, *fulgebunt ſicut ſol in re-*
Mat. 13. *gno Patris eorum*. Tales futuri eſtis Fratres mei aliquando. Tales vos viſuri eſtis in tanto decore, in tanta gloria. Et nunc non pudet ſic ad miſera & viliſſima ſæculi oblectamenta deflectere corda veſtra? Non pudet poſt aurum & argentum, & abjectas voluptates abire, & lucris futilibus inhiare, futuros quandoque Dei filios, cujus corpora

(*a*) Epiſt. ad Paulam, & Euſtoch. de Aſſumpt. B. M. V. non multo poſt initium. *Sicuti & de his, quos cum Domino, Euangelio teſte, reſurrexiſſe credimus. Sed utrum redierint in pulverem terræ, certum non habemus, niſi quod legimus: quia multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, ac venerunt in ſanctam Civitatem, ſcilicet Jeruſalem, & apparuerunt multis.* Non eſſe tamen Hieronymi laudatam Epiſtolam probat Martianæus, qui eam propterea extra claſſem Operum S. Doctoris rejecit in ſua editione tom. 5. pag. 82. Minime autem alienum Hieronymum ab opinione, quod Sancti illi non iterum morituri ſurrexerint, indicant ejus Commentaria in cap. 27. Matthæi.

pora etiam sole ipso clariora futura? Quare non superbitis Fratres de hoc? Quare sic abjecti estis, ut tam magni, tam potentes, ad lutulenta & spurca ista non dedignemini flectere desideria? Utinam, Fratres mei, utinam ista cogitatio continua animo duraret, & semper coram oculis mentis vestræ versaretur; non nos conturbarent, aut contristarent transitoria hæc, quos tam sublimis gloria exspectat. Sed ad historiam redeamus.

X. Postquam igitur Dominus resurrexit, statim, ut æquum erat, Matrem suam Virginem visitavit (*a*). Certum est, quod fecerit Deus cum Virgine, id quod fecerunt Prophetæ cum matribus mortuorum, quarum resuscitando proles, statim illis offerebant. 3. *Reg.* 17. Sic Elias, sic Elisæus, sic Christus fecit cum 4. *Reg.* 4. vidua Naim. Erat enim illa, etsi præteritæ *Lucæ* 7. passionis angustia mœsta, tamen futuræ resurrectionis certa fiducia. Totaque nocte illa pervigil in oratione matutinam lucem expectabat, clamans assidue cum Propheta: *Psal.* 56. *Exurge gloria mea, exurge psalterium* meum, (*b*) *& cithara*. Exurge Fili mi (*b*), Deus meus, & Amor meus. Totaque fervens spiritu, & perfusa gaudio, appropinquante aurora, Filii sui, & Dei sui expectabat adventum. Quis dicere poterit cordis ejus motus cœlestes, & flagrantissima desideria? Quis mentis illius altitudinem, & profunditatem valeat cogitare? Dum igitur sic in Deum absorpta, videndi Filii desiderio teneretur; ecce subito oratorium illud, luce nimia, & coruscо fulgore perfunditur. Fragrant cœlestia aromata, & Angelici personant cantus. Intrant paulatim cœlestes Angelorum, Patriarcharumque cunei, clausum Virginis domicilium, ovantesque eam omni honore salutant, venerantur, & laudant. Adest omnium ultimus Princeps omnium, decorus & splendidus; ad cujus conspectum Virgineus animus undique deficit amore: & rapitur extra se, nec valet tenerum corpus tanti gaudii pondus perferre. Advolvitur pedibus, sublevatur ad amplexus, sicque inter brachia Dilecti sui, Creatoris sui, dormit, & quiescit Virgo decora. Divino vultui Virgineus vultus adjungitur, & sic *inni-* *Cant.* 8. *xa super Dilectum*, divina recipit oscula. O Mater beatissima! O Creatura felicissima, cujus altitudinem nec ipsi cœlestes spiritus valent exprimere! Quanta dignitas, quanta sublimitas, quanta majestas sic a Deo amari, sic venerari! Taceat lingua, lo- (*c*) quatur, si valet, affectus. Crediderim ego (*c*) animam illam; nunc linceis oculis parietem corporis penetrasse, & latentem intra Deum vidisse, tanto clarius quam Paulus in raptu, quanto dignior est Mater Apostolo. 2. *Cor.* 12.

XI. Interim, dum ista geruntur, tres illæ Mariæ devotæ, quibus, licet inerat amor Domini Jesu, fides autem Divinitatis, & spes resurrectionis ejus extincta erat: cujus signum est, quod veluti mortuo, & non jam victori unguenta parabant. Illæ, inquam, tres feminæ sanctæ transacto sabbato, quo licere non putabant: ignorantes quia *Dominus est Filius hominis etiam sabbati*: emerunt *Marc.* 2. aromatica unguenta, & observantes vigilias *Lucæ* 23. noctis, longitudinem nimiam noctis illius conquerebantur: adeo impatiens erat amor ungendi defuncti. Et non valentes lucem expectare, *cum adhuc tenebræ essent*, exeuntes de domo, venerunt ad monumentum, *orto jam* *Jo.* 20. *sole*. Et monumentum erat prope civitatem. *Marc.* Unde igitur tanta mora itineris? An ex ne- 16. gligentia, aut tarditate earum? Ut dictum est; sic anxiabantur, ut lucem non valuerint expectare. Sed putandum est euntibus illis loca singula visitasse, in quibus Dominus aliquid passus est, & ibi detentas: præcipue, quando perventum est ad vexillum crucis, quod adhuc erectum stabat in loco suo. Tunc credendum est rediisse dolores recentis adhuc passionis, & ululatus, & gemitus. Et Magdalenam illam, fervidam charitate amplexatam, deosculatamque vexillum, & lamentationes plurimas geminasse; & ita factum est, ut quæ tam mane exierant a domo, *orto jam* *Jo.* 20. *sole*, pervenerint ad sepulchrum. Dum autem irent, hæc eas tenet sollicitudo, quis revol- *Marc.* veret eis lapidem ab ostio monumenti. Quasi 16. non major difficultas esset in milite, quam in lapide. Videtis, Fratres quomodo istæ sanctæ mulieres præ sincero amore pericula imminentia non videbant. Ecce monumentum armatis militibus undique circumsepitur, & custoditur ne a discipulis corpus raperetur, & mulieres teneræ, custodes crudeles & pessimos, neque verentur, neque pertimescunt. Quænam fiducia est, o feminæ devotæ, quænam fiducia? Gentem crudelem & perversam non attenditis? Si viderint vos Dominicum corpus quærere, furari eum velle judicabunt, & custodiendi corporis causam legitimam se habuisse arbitrabuntur, vobisque latrocinii, & furti pœnas irrogabunt. Non meministis, quid paulo ante fecerint Domino? Non recordamini crudelium tormentorum? Unde sic oblitæ estis vestri? Utique amor Christi fecerat eas obliviscі sui: ardensque desiderium sic occupaverat animum, ut nullus ibi relinqueretur timori locus. Hæc enim est amoris virtus, ut animum sic inebriet, ut nihil cæteris

(*a*) Ita fert communis Fidelium sensus. Neque inepte de Maria Dei genitrice illud Ambrosii intelligitur lib. de Virginit. cap. 3. *Vidit ergo Maria resurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit*. Cur autem hoc Euangelistæ silentio præterierint, causam affert S. Anselmus de Excellent. Virg. cap. 6., nimirum, quod enarratis aliis apparitionibus, superfluum fuisset hanc exprimere, de qua nemo prudens dubitare poterat. Plura de his Novatus de Emin. Virg. tom. 1. cap. 19. quæst. 1. & 2.

(*b*) Simile quidpiam habet S. Bonaventura Medit. Vitæ Christi cap. 87.

(*c*) Hanc S. Oratoris nostri opinionem adducit Suarez Comment. in 3. part. tom. 2. disput. 19. sect. 4., ut ejus etiam auctoritate probet, pie, ac probabiliter credi posse, Beatam Virginem in hac vita, interdum elevatam fuisse ad videndam clare Divinam essentiam brevi tempore.

teris paſſionibus relinquat in corde vacuum, nullaque ſit difficultas amanti, quidquid ei in contrarium opponatur. *Omnia vincit amor.*

XII. Aliquibus Chriſtus mortuus eſt in ſepulchro vivo, ideſt: fides Chriſti mortua in corde cujuſpiam fratris: & cupimus eum ungere, cupimus non ſuſcitare (nam hoc ſolius Dei eſt) ſed ungere. Tres mulieres, mens, lingua, manus, iſtæ emunt aromata ad unctionem. Dat igitur mens nummum propriæ voluntatis, & comparat affectum compaſſionis, zelum juſtitiæ, diſcretionem conſilii. Dat lingua nummum confeſſionis, & accipit modum in correctione, copiam in exhortatione, efficaciam in perſuaſione. Dat manus obedientiam, & emit in tribulatione patientiam, in opere perſeverantiam, in carne continentiam. Iſta ſunt aromata e cella aromatica Dei. Iſti ſunt nummi. Veniunt ergo ſollicitæ, dicentes: Quis revolvet nobis lapidem? id eſt: duritiam & obſtinationem cordis illius; & inveniunt etiam interdum lapidem revolutum. Introeunt in monumentum, & quem ungere volebant mortuum, audiunt ſuſcitatum: ut opus non ſit inunctione. Quod ſignum? Quod vultus lætior, aſpectus venuſtior, ſermo purior, inceſſus modeſtior, & ad omne opus bonum ſpiritus promptior. Hæc Bernardus (*a*) *in Sermone parvo*. Sed hiſtoriam proſequamur.

(*a*) Jo. 20.

XIII. Perventum eſt igitur ad monumentum *orto jam ſole*, & cum appropinquarent, vident undique proſtratos cuſtodes, ſemimortuos, arma undique diſperſa. Et levantes oculos ad monumentum reſpiciunt Angelum vultu coruſco, & terribili, in veſte nivea, cujus aſpectu omnes illi territi & attoniti ceciderunt: timueruntque etiam illæ in principio, ſed ſtatim Angelus eas confirmat ſermone, dicens: *Nolite expaveſcere vos:* acſi diceret: timeant iſti profani & impii: vos autem, quæ pio affectu Dominum quæritis, non eſt, propter quid timeatis. Scio enim quod Jeſum *quæritis crucifixum, ſurrexit, non eſt hic. Ecce locus ubi poſuerunt eum. Sed ite, dicite Diſcipulis ejus, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis*. Illæ ergo ſurgentes cum timore & gaudio nuntiaverunt Apoſtolis, qui erant in cœnaculo Sion cum Virgine congregati clauſis januis propter metum Judæorum; ſicut ſolent eſſe paſſeres ſub domo, quando ſupervolitat accipiter. Illi autem non crediderunt eis, ſed viſum eſt eis quaſi deliramentum. Sed tamen deſtinaverunt aliquos, qui irent: Petrum ſcilicet & Joannem, & viderent ſi ita eſſet. Iſti ergo duo longis paſſibus, & celeri greſſu quidem per civitatem incedebant, ſed dum exeunt portam civitatis, ambo currebant.

Marc. 16.

Ibidem.

Luc. 24.

Jo. 20.

A Attende nunc ſi placet, & conſidera ſenem illum cum ſuis canis, corpore jam gravi, præ amore Magiſtri inæqualibus paſſibus currentem cum anxietate & deſiderio, & de ſui corporis tarditate, & gravedine conquerentem, quare non celeri curſu, ſed tardo oculos ab intuitu retardabat. Joannes vero veluti juvenis præcedebat ſenem. Morare Joannes. Non reſpicis laſſum ſenem, fatigatum poſt te? Cur non expectas eum? Cur non attendis ſeniorem Apoſtolum? Non eſt tempus modo expectandi. Dico hoc, ut appareat, quantus erat iſtorum Apoſtolorum amor, qui B ſic currebant, nec unus alterum exſpectabat: adeo impatiens erat vis amoris. Sed tamen Joannes cum veniſſet ad monumentum, non introivit, uſque dum venit Petrus, & ſic introierunt, & viderunt ſudarium capitis, Angelicis manibus plicatum, & linteamina in alio loco ſeorſum poſita, corpus vero non invenerunt.

Jo. 20.

XIV. Mulieres autem non remanſerunt domi, ſed redierunt iterum ad ſepulchrum, & Apoſtolis recedentibus, illæ non receſſerunt. *Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans*. Stabat, & plorabat. Stabat pro- Ibidem. C pter amorem, plorabat propter dolorem. Sic enim eam fixerat ibi amor, ut clavus quidam. Aliæ vero Mariæ per hortum ierant etiam flentes, & lacrymantes. *Dum ergo ſic fleret*, licet jam reſpexerat monumentum, Ibidem. amor flagrans facit eam iterum atque iterum videre quod viderat. *Inclinavit* ergo *ſe, & proſpexit: & vidit* intus *duos Angelos ſedentes, unum ad caput, &* alium *ad pedes* loci, *ubi poſitum fuerat Corpus Domini* Jeſu. Qui dixerunt ei: *Mulier, quid ploras? Quid* quæris *viventem cum mortuis?* Fere ridentes de Luc. 24. anguſtia mulieris deplorantis vivum & glorioſum. Origenes (*b*): *Mulier, quid ploras?* (*b*) D Quærebas hominem mortuum, inveniſti Angelos vivos. Non lætaris, non conſolaris de Angelico colloquio? Non certe. Videte Fratres, quantus erat ardor amoris in femina ad ſuum Dominum. Quaſi pueros deſpicit Angelos, nec curat de eis: & ideo ſubjunxit: *Tulerunt Dominum meum; & neſcio ubi poſuerunt eum*. Non ait: ſi tuliſtis; quia no- Jo. 20. verat eos eſſe Angelos: nec ipſos furatos eſſe Dominum ſuum. Dum ergo ſic alloqueretur, vidit ipſos ſurgentes, & facere reverentiam, & proſpiciens retro ſe, cui fieret illa E reverentia, vidit Dominum in figura hortulani prope ſe; qui dixit ei: *Mulier, quid* Ibidem. *ploras?* Origenes (*c*): O Domine, cur tu (*c*) & Angeli tui ſic inflammatis animum mulieris jam ardentis, & ardenti prunas immittitis? Nonne, cum cauſam doloris inquiritis, ejus vulnera renovatis? *Mulier, quid ploras?*

(*a*) Sermo eſt 58. de diverſis, cujus ſententias a verbis illis, *Mens, lingua, manus*, ad hæc uſque, paucis immutatis, refert S. Orator.

(*b*) Super Joan. Homil. in cap. 20. ante medium. *O Maria, ecce multam conſolationem inveniſti, & forſitan melius contigit tibi, quam ſperaſti; nam tu quærebas unum, & duos inveniſti. Quærebas hominem, & Angelos inveniſti: quærebas mortuum, & viventes reperiſti. Reperiſti eos, qui videntur de te curam habere, & qui volunt dolorem tuum lenire.*

(*c*) Verba ex laudata Homil. in cap. 20. Joann. allegata ſunt Concione præced.

ploras? Quare non ploret, quæ dilectum Dominum ſuum, totum bonum ſuum amiſit? Quæ tam glorioſo colloquio & conſortio privata eſt; quæ unicum refrigerium ſuum præſens viderat morte crudeliſſima affectum, & hoc quod ei relictum erat conſolationis, ſcilicet corpus ejus, ſublatum videt? Cogitaverat namque animo ſuo mulier devota ut, quoniam, poſtquam corpus Domini de cruce depoſitum fuerat propter imminentem feſtivitatem ſabbati, non licuerat corpus illud deoſculari, modo tranſacto ſabbato, venire ad monumentum, ut liniret corpus ſacratiſſimum, deoſculari vulnera, & ſingulis vulneribus oſcula imprimere, lacrymis totum corpus perfundere, & ibi diu ferventem animum lenire, ſolutis habenis lacrymarum, & cor ſuum ibi effundere. Et forte, ſi corpus reperiſſet, pro deſiderio cordis ſui ibi animam exhalaſſet in amplexibus, & oſculis dilecti Domini ſui. Hoc eſt ergo unde ſic plorat, unde ſic anguſtiatur; quia hoc unicum ſolatium ſibi ſublatum videbat, nec erat jam, unde triſtitiam cordis ſui leniret.

XV. Sed audiamus, quid ipſa Domino reſpondeat. *Si tu*, inquit, *ſuſtuliſti eum*, *Jo. 20.* (*a*) *dicito mihi*. Origenes (*a*): O quam ſcienter neſcit, & quam devote errat! Ad Angelos dicit: *Tulerunt;* & Domino dicit: *Si tu ſuſtuliſti eum*. Ita eſt Maria, ita eſt. Ipſe ſuſtulit, ipſe rapuit de monumento, ipſe habet. Sed quem, *eum? Si tu ſuſtuliſti*, inquit, *eum*. Quem *eum?* Numquid prædixeras illi, quem quærebas? O grandis amor feminæ! Omnibus putabat notam eſſe cordis ſui paſſionem, quaſi fronte ſcriptum ha- (*b*) beret Domini ſui nomen: Hæc Bernardus (*b*). (*c*) *Dicito mihi, & ego eum tollam*. Origenes (*c*): *Ibidem.* O Maria, ſi corpus Jeſu forte poſitum eſt in atrio Principis Sacerdotum? *Ego eum*, inquit, *tollam*. Et ſi inter armatos, & inter lanceas & frameas? *Ego eum tollam*. Tune (*d*) mulier tenera & delicata (*d*), corpus ponderoſum & grave, ferre poteris? *Ego eum tollam*. Nam vires, quas denegat ſexus, præbebit affectus. Miſeratus igitur Dominus mulieris ſanctæ amorem tam violentum, & inflammatum, ſeipſum illi manifeſtavit, dicens: *Ibid.* 1. *Maria!* Et ipſa ſtatim, *Rabboni*. Multa comprehenduntur in illo verbo Domini. Fuit enim quædam pia increpatio incredulitatis feminæ. *Maria?* Sic ſic me hominem purum credis? Sic me quaſi unum ex mortuis

A ploras? Sic oblita es operum meorum, & divinitatis meæ omnino incredula? Sic verbis meis quibus prædixeram tibi reſurrectionem meam, fidem abnegas? Numquid computreſcet in monumento, qui quatriduanum fratrem tuum jam fœtentem de monumento ſo- *Jo. 11.* lo vocis imperio in vitam revocavit? Hæc fides tua, hæc ſpes tua? *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum* in cor- *Ibid. 20.* de tuo; quia æqualem me Patri non confiteris. Sed vade, dicito Fratribus: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum: Deum meum, & Deum veſtrum*. Verba digna om- B ni acceptione. Per omnia ſimilis fratribus eſt, eundem Patrem & Deum cum ipſis habens communem. Siquidem ante incarnationem ſuam, Deus illi Pater erat, & non Deus. Et nobis Deus erat, & non Pater. In Filio autem ſuo adoptavit nos, *ut eſſet* *Rom. 8.* *ipſe primogenitus in multis Fratribus*.

XVI. Venit ergo in mundum, & levando nos ad ſe fecit de Patre ſuo Patrem noſtrum, & deprimendo ſe ad nos, fecit de Deo noſtro Deum ſuum in totum. Unde illi magis ſumus debitores? An quia ſic exaltavit nos, ut eſſemus Filii Dei, an quia ſic humiliavit C ſe, ut eſſet ipſe Deo, ſervus Dei? O bone Jeſu, Deus es, & Deum habes, & tu, & tuus Deus unus Deus. Noverat hoc Pſalmus, cum ait: Propheta, o Deus! *Unxit te Deus,* *Pſal. 44.* *Deus tuus oleo lætitiæ, &c.* Hoc eſt myſterium, quod nobis Dominico annuntiatur eloquio, dum ait: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum: Deum meum, & Deum ve-* *Jo. 20.* *ſtrum*. Quo dicto diſparuit: & remanſit mulier illa ſancta plena gaudio, tripudians, & præ gaudio illacrymans. Videte, quæ tam anxie deſiderabat mortuum, quo gaudio replebitur, cum invenerit vivum? Vocat ergo D ſocias: venite, venite cito, venite. Quid *Marc. 16.* hoc Maria? Unde tanta lætitia? Unde tam ſubita mutatio? Nolite quærere: venite mecum, eamus, eamus. Quo? Quid vis? Eamus. Quid dicam vobis ſorores meæ dilectiſſimæ. *Inveni, quem diligit anima mea*. Vi- *Cant. 3.* vit Dominus meus, vivit Jeſus Nazarenus, vivit gaudium meum. Ego vidi eum, ego eum allocuta ſum. Hoc, & hoc dixit mihi. Venite, properate, eamus nuntiare fratribus tam lætum, tam jucundum nuntium. Ibant igitur per viam, & ne aliæ mulieres ſanctæ tanto bono privarentur, apparuit eis iterum *Mat. 28.* in via, & permiſit ſe ab omnibus illis tractari,

---

(*a*) Homil. prælaudata poſt med. *O quam ſcienter neſciebat, & quam docte errabat. Angelis dixit: tulerunt, & poſuerunt, & non dixit tuliſtis, & poſuiſtis, quoniam Angeli neque de monumento te tulerunt, neque in alio te repoſuerunt. Tibi vero dicit: ſi tu ſuſtuliſti, & poſuiſti. Quia in re vera, te ipſum de monumento ſuſtuliſti, & in loco, ubi tu es, te poſuiſti.*

(*b*) Serm. 7. in Cant. num. 8. *Sicut & Maria Magdalena non exprimebat ex nomine, quem quæreret, ſed tantum ajebat ei, quem putabat hortulanum: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum. Quem eum? non aperit, quia palam omnibus eſſe credit, quod a ſuo corde, nec ad momentum recedere poteſt.* Non aliter Angelicus Doctor in cap. 20. Joann. Lect. 3. *Quem eum? ſed dicendum quod vis amoris hoc agere ſolet in amato, ut quod ipſe ſemper cogitat, nullum alium credat ignorare.*

(*c*) Homil. toties jam allegata in cap. 20. Joann. non procul a fine. *O Maria, ſi corpus Jeſu poſitum eſſet forte in atrio Principis Sacerdotum, ubi Apoſtolorum Princeps calefaciebat ſe ad ignem: quid factura es? Ego eum tollam. O mira mulieris audacia? O mulier, non mulier? &c.*

(*d*) Eadem ferme legimus apud Angelicum Doctorem in cap. 20. Joann. Lect. 3., & penes Nicolaum Clarevallenſem in Sermone de S. Maria Magdal. num. ult., Operum S. Bernardi vol. 3. edit. Mabillon.

ctari, & oſculari manus, & cum omni ſuavitate eis locutus eſt, dixitque eis, ut nuntiarent Apoſtolis reſurrectionem ſuam. Vadunt ergo, & intrant cœnaculum, ubi congregati erant Apoſtoli muſſitantes, & hæſitantes de eo, quod illis Petrus, & Joannes nuntiaverant. Intrant ergo vociferantes: Gaudium, gaudium, Fratres, & lætitia! Vivit Dominus! Nos eum vidimus, & allocutæ ſumus, & hæc mandavit dicere vobis. Stant tunc primum attoniti Apoſtoli, & quaſi extra ſe. Quid eſt, quod audimus? Somniamus, an vere expergefacti ſumus? Viſuri ſumus iterum Dominum, & eum allocuturi, & cum eo converſaturi? Eum, qui pependit in ligno, & jacuit in ſepulchro? Quid dicunt iſtæ? Non audiviſſe ab alio, ſed vidiſſe, ſed tractaſſe.

Luc. 24.

Jo. 22.

IN DOMINICAM RESURRECTIONIS DOMINI

CONCIO QUINTA.

De Resurrectione Domini.

Præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis. Marci 16. v. 7.

Concio LXVII.

I. DOminicæ Reſurrectionis hodie ſacra dies lætior cunctis refulſit, Fratres: gaudeamus: *Hæc* enim *eſt dies, quam fecit Dominus.* Bonorum dierum mater, vitæ immortalis exordium, totius gloriæ noſtræ principium. In hujus ergo tam venerandæ ſolemnitatis die & Chriſto congratulemur, & nobis. Chriſto, inquam, poſt crucis trophæum de hoſtibus ſpolia reportanti, cui ob diri agonem certaminis, & inviolati obſequii humilitatem ſupernus arbiter Deus, poſt immortalitatis gloriam, cunctorum univerſale dominium tribuit, ſicut ipſe non inaniter gloriatur, dicens: *Data mihi eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Quam glorioſus, quam decorus, hodie victor reſurgit ab inferis! Quam novum, quam mirandum in ſua carne præbuit cœlicolis ſpectaculum! Nova quædam creatura ſæculis demonſtratur in carne, qualis ab initio non fuerat ſpectata in orbe. Nobis autem propterea congratulandum eſt, quia futuræ noſtræ reſurrectionis ſpeciem jam videmus, & ſperatæ ſpecimen gloriæ in Chriſto conſpicimus. Noſtra eſt, Fratres, gloria, quam recolimus, noſtrum eſt decus, quod veneramur, inchoata eſt in Chriſto reſurrectio noſtra, ſuo tempore in nobis quoque perficienda. Radix noſtra jam vivit, non dubium quin quandoque vivificabuntur & rami. Glorioſa jam vitis comparuit, pro certo glorificabuntur & palmites. *Ego*, inquit, *ſum vitis, & vos palmites.* An non ſpectat ad palmites, an non pertinet ad ramos glorificatio vitis, & vita

Pſ. 117.

Mat. 28.

Jo. 15.

A radicis? Multum utique per omnem modum: quia qualis radix, tales & rami: & quod radici donatum eſt, ramis omnibus præſtitum eſt in radice. In vita namque radicis, certa eſt ſpes vitæ ramuſculis. Surrexit Chriſtus radix noſtra, procul dubio ſurgemus & nos. Non conturbet nos, Fratres, reſurrectionis promiſſæ dilatio, poſtquam illius jam in trunco noſtro pignus accepimus. Caput vivit, vita deferetur ad membra.

Rom. 3.

II. In te Domine Jeſu omnes jam vivimus, in te conſurreximus, in te jam ad dexteram Patris omnes conſedimus: ſicut Apo-

Act. 17.

B ſtolus memorat, dicens: Qui *conreſuſcitavit nos, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu.* Collatum eſt jam in virtute, quod aliquando conferetur & opere. Novus hodie Adam formatus apparuit, non in animam viventem, ſed in ſpiritum vivificantem. Futuri ſæculi deſtinatus Pater & origo: a quo nova quædam oriunda progenies, non terrena & ſordida, ſed cœleſtis & lucida. Ut qualis Pater cœleſtis, tales ſint & filii cœleſtes. Denique *Juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum.* Primogenitus mortuorum hodie Chriſtus ſurrexit ab inferis, glorioſuſque regenerationis futuræ tempus expectat:

Ephes. 2.

1. Cor. 15.

Iſaiæ 9.

1. Cor. 15.

Mat. 13.

C hunc glorioſum quoque filiorum ſequetur innovata propago. *Ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* In multis dico, non in omnibus. Nam etſi propter ipſum *omnes reſurgemus*, non tamen cum ipſo omnes *immutabimur.* Immutabuntur autem, qui ejus imaginem in vita portarunt: & configurabuntur corpori claritatis ejus, qui in hac mortali vita configurari cruci humilitatis ejus non ſunt dedignati. Omnibus ergo Chriſtus reſurrectionem promeruit, ſed non omnibus immutationem glorificationis ſuæ præſtabit,

Coloſſ. 1.

Rom. 8.

1. Cor. 15.

D ſed quibus paratum eſt a Patre ſuo. Hæc feſtivitas, Fratres, hoc gaudium noſtrum, hæc noſtra jucunditas. Congratulemur Domino noſtro, ad tantum gloriæ faſtigium ſublimato: congaudeamus Principi noſtro, toti hodie creaturæ prælato, & cœleſtibus principatibus præſidenti. Solent namque vernaculi, ſolet familia, exaltato Domino gratulari, & de Domini ſui novo principatu vehementer lætari. Si ergo de familia Chriſti ſumus, ſi ad ejus domum pertinemus, perfuſa genis lætitia monſtrabit, jubilus laudis & exultationis oſtendet. Naſcenti de Virgine

Mat. 20.

Lucæ 2.

E Domino plauſerunt Angeli, naſcenti de terra Domino plaudant populi. De Virginis namque utero mortalis exortus eſt Dominus, de terræ gremio hodie naſcitur immortalis. Virgo partus dolorem non ſenſit. Terra hodie tantum fœtum paritura contremuit. O novum partum! o novam ſobolem! o novam nativitatem! Vetera (inquit) tranſierunt. *Ecce nova facio omnia.* Novum cœlum, novam terram, novam familiam. Hujus novitatis exordium in Chriſto monſtratur ab inferis reſurgente. Innovatus eſt Chriſtus, innovabuntur ſuo tempore poſt ipſum & omnia.

Apoc. 21.

III.

III. Hujus autem ſacræ reſurrectionis ſeriem narrare vobis ex Euangelica hiſtoria mens eſt, attentiores vos cupio propter hoc: quia non facile eſt unam ex omnibus Euangeliis elicere formam, quæ omnibus congruat, & nulli in aliquo contradicat. Sed unde ſumemus exordium? Unde tuam incipiam Chriſte gloriam enarrare? Si juſtus Deus, rerum omnium moderator & rector, unius quantumvis exigui laboris officiique munus non dimittit inglorium, & potum aquæ frigidæ pro ſe pauperi exhibitum ſine juſto præmio non relinquit, quid tibi donatum eſt, o bone Jeſu, fortiſſimo ac potentiſſimo præliatori, humillimo & obſequentiſſimo ſervitori? Qui propter gloriam & obedientiam Patris, & mundi totius ſalutem, tale certamen aggreſſus es, talia non recuſaſti ſubire ſupplicia, extremamque pati mortem non formidaſti? Vere *dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt* (ut *in Apocalypſi* cœleſtium militum turma proclamat) *accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*, & dominationem ſuper omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo. Vere dignus eſt, *ut in nomine* ejus *omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum*. Ut quia cunctorum Dominus, propter Patris obedientiam, omnibus ſe ſubjecit; propter eandem iterum omnibus præferatur. Talem ſe hodie præſtat magnificus noſter Triumphator, cum tartareas manſiones perluſtrans, ſua poteſtate vectes ferreos, portaſque confringens, tenebrarum latebras mirifica luminis ſui claritate perfundit. Quantus ibi tremor, quanta turbatio totam invaſit abyſſum, inſolitam potentiam expaveſcentem? Scripturam ſuper hoc audiamus: *Tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Irruat ſuper eos formido, & pavor in magnitudine brachii tui* Domine. *Fiant immobiles quaſi lapis, donec pertranſeat populus tuus Domine, populus iſte quem poſſedisti*. Populus, inquam, ſanctorum Patrum quem *in ſanguine teſtamenti eduxiſti vinctum de carcere, & lacu in quo non erat aqua*. Eduxiſti eos, inquam, velut paſtor oves, quas devorarat abyſſus, & in paſcuis uberrimis collocaſti. Quo autem eas tua præſentia gaudio perfuderis, quo repleveris jubilo, quibuſve te laudibus proſecuti ſint, quia lingua non explicat, deguſtet affectus. Momordiſti infernum Domine, juxta Prophetæ vaticinium, non totam devorans reorum abyſſum, ſed velut morſu quodam Sanctorum evacuans limbum. Horum autem Sanctorum præconia, voceſque, in myſtica illa eductione populi de Ægypto cognoſcito, cum per ſiccum mare perſonant acclamantes: *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem projecit in mare. Dominus, quaſi vir pugnator, omnipotens nomen ejus. Currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare. Electi principes ejus ſubmerſi ſunt in mari rubro. Abyſſi operuerunt eos, &c. Dextera tua, Domine, magnificata eſt in fortitudine: dextera tua, Domine, percuſſit inimicum. Et in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti adverſarios tuos*. Quanto potentius impleta ſint hæc in hoc exitu quam in illo, exprimere non eſt opus. Sed neque modo vacat Prophetiæ hujus ſingula verba notare.

IV. Eductos igitur de barathro, ut creditur, in paradiſo de qua ejecti fuerant collocavit: ut non ſolum cœleſtem, ſed & terrenam eis hæreditatem reſtitueret. Sicut ſcriptum eſt: *Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*. Quo loco uſque ad aſcenſionis diem (*a*) conſediſſe cum Patribus ſuſpicamur. Interea Virgo cum Apoſtolico cœtu, in ſancto illo cœnaculo commoratur: illuc namque mœſta familia poſt Domini ſui obitum convenerat, Matris ſolatium, & magiſterium, loco Filii ſuſceptura. Veluti cum rapidus invadit columbas accipiter, diſpergitque per campos, aut turbidus imber & inviſus ſocialia agmina turbat: ſereno poſtmodum lucente cœlo agglomerantur ſingulæ paſſim, junguntur que per ſata; ita puſillum gregem paſſio turbaverat Paſtoris, diſperſeratque per abrupta. O quantus pudor facies eorum perfuderat, quia talem tantumque Magiſtrum reliquerant in agone! Quanta eorum occuparat triſtitia mentes! Glomerantur ad Matrem, neque audent præ pudore in eam attollere vultus. Felicem dixerim hoſpitem illum, qui tantam promeruit hoſpitari familiam: felicem domum, in qua tot myſteria peracta ſunt. Apoſtolicus ibi cœtus abluitur, ibi agnus paſchalis comeditur, ibi Dominici Corporis & Sanguinis myſterium inſtituitur, ibi nova mater Eccleſia congregatur, ibi Spiritus ſanctus e cœlo demittitur: ex hoc quoque cœnaculo, veluti ex quodam horreo diſperſa grana per orbem, multiplici illum diſcipulorum ſegete repleverunt. Quid hoc loco divinius? quid ſanctius? Vix ulla tunc apud eos Dominicæ reſurrectionis ſpes: vix in eis ulla fidei ſcintilla remanſerat: eorum undique cor mœror luctuſque repleverat.

V. Sola omnium Virgo Mater plena fidei, plena ſpei, myſterium pectore volvebat ſuo: ſola rem tacita conſiderabat. Neque tamen ſuam mœſtis animis pandebat certiſſimam ſpem, quia ſolatii nullum in eis reliquerat tri-

Marc. 9. *Apoc. 5.* *Philipp. 2.* *Exodi 15.* *Zach. 9.* *Exodi 34.* *Oſee 13.* *Exodi 15.* *Pſal. 15.* *Jo. 13.* *Mat. 26.* *Act. 1.* *Ibid. 2.*

(*a*) Nimirum decuit, ut Chriſtus, quemadmodum primus reſurgentium fuit, ita & aſcendentium primus eſſet: propterea juſtorum animæ, quas e ſinu Abrahæ eduxerat, ipſum in cœlum aſcendentem non præire, ſed comitari deberent. Hoc autem a SS. Patribus erui ex illo Pauli ad Epheſ. 4. *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem*, teſtatur Suarez tom. 2. Comment. in 3. part. diſp. 51. ſect. 3. Porro quocumque demum in loco manſerint eo temporis intervallo animæ, illud certum eſt, ſtatim poſt Chriſti mortem clara Dei viſione fuiſſe donatas.

triſtitia locum. Quis tuam nunc Virgo explicet mentem, ſenſuſque tuos quis valeat propalare? Quibus nunc pectus æſtuat fluctibus, quibus agitur nubibus anima? Poſt illum namque acerrimum paſſionis dolorem, & ultimam omnium mœſtitudinem, poſt tranſ-
Luæ 2. verberantem viſcera gladium, novi nunc inſurgunt lætitiæ motus, veluti cum turbida nocte inſperatum oritur hemiſphærio lumen, faceſſit paulatim invaleſcente fiducia metus, mœſtoſque deſerit triſtitia ſinus. Exclamat itaque cum Propheta amore furens, longoſque ab imo pectore rugitus emittit: *Exurge*
Pſal. 56. *gloria mea, exurge pſalterium & cythara.* Exurge, ne moreris o Fili, triſtemque hanc ſolare familiam. Non glorientur ſuper te *qui oderunt* te *gratis:* retribue viciſſitudinem
Pſal. 68. inimicis tuis, & confuſionem æmulis tuis: confundantur pudore qui te contempſerunt,
Mat. 27. & moverunt ſuper te capita ſua. *Memor eſto*
Pſal. 73. *opprobriorum tuorum, eorum quæ ab inſipiente ſunt tota die.* Memento quia nulla eſt ſubſtantia amicis tuis, nulla fiducia puſillis tuis. Hæc dicens, placido rigat liquore vultus, totaque liqueſcit intus amore: purpurata fulget ruboribus gena, flagrat cœleſti ſpiritus ignita candore. Audit e tumulo catulus æſtuantis leænæ rugitus, nec longum differt protelare ſoporem. Properat reſumere quos fœdarat cruore tempeſtas paſſionis artus, proſtratumque tumulo levare cadaver. Prædixerat olim Patriarcha Jacob, cum ſub nomine Judæ, Chriſtum ſignaret elogio. *Catulus,*
Gen. 49. inquit, *leonis Juda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?* Pulchre filium matris clamoribus ſuſcitandum denuncians,
(a) ſicut ſolent mortui catuli (*a*) leænæ rugitibus ſuſcitari. Hæc igitur Virgo virtutibus ſuis Deum cœlo deduxit: hæc eum iterum ſuis clamoribus ab inferis revocavit. Sicut ſcriptum eſt: *Quis aſcendet in cœlum, id eſt,*
Rom. 10. *Chriſtum deducere? aut quis deſcendet in abyſſum: hoc eſt, Chriſtum a mortuis revocare?*

VI. Jam ergo tertia dies aderat, & ſerenior cæteris oriens rutilabat aurora, cum Anima illa potenti unita Verbo, graviſſimo comitata ſenatu Sanctorum Patrum, tumulum quo corpus jacebat ingreditur, circumſtantibus foris Angelorum agminibus, quos Pater e cœlo pius miſerat ſpectare miraculum, dignaſque triumpho concinere laudes. Hærebat ſaxo corpus lacerum, cruore perfuſum, livoribus uſquequaque turgidum, cor-
Lucæ 1. pus ſacrum, non humano opere, ſed Spiritus ſancti virtute formatum; corpus mundiſſimum, quod nulla umquam peccati contagio fœdaverat, corpus cœlo dignum, angelicis virtutibus præferendum. Cujus con-
Mat. 8. Jo. 11. Marc. 4. tactu curantur ægroti, cujus voce ſuſcitantur mortui, cujus veſtigiis ſubjicitur pontus, cujus nutui omnis obtemperat creatura. Subintrat animus viſcera frigida, & tepentes artus redivivus calor immutat: clarior ſole ſplendet pallida prius caro, rutilantque fulgoribus membra Deifica, purpureis immixtæ candori vernant coloribus plagæ, fulgidoque cælata corpore, veluti carbunculi vulnera rubent. Surgit e tumulo redivivum corpus, clauſoque procedit ex antro. Quantus tunc plauſus omnium! Quis cantus, quæ laus, quæve perſonat harmonia, dicere quis ſufficiat? Stupent ad novum ſpectaculum cœlorum agmina paſſim, nec eſt qui poſſit tantum jubilum enarrare? Quid ſentis o Virgo, cum ſacras ad aures cœlicolarum pervenit cantus? Quæ te tunc lætitia tenet, cum vides Filium ſuper aſtra fulgentem cœlo terraque prælatum, illiuſque potiris affatibus, amplexibuſque teneris? Crediderim ego, nec me opinio fallit, divina te tum fruitione beatum vidiſſe Verbum, cunctoſque luſtraſſe ſanctorum Angelorum cuneos, qui te miris efferunt ſuper aſtra præconiis, prædicantque felicem.

VII. Interim mulieres devotæ, quæ pendenti in cruce Domino aſtiterant, parant Lucæ 24. unguenta, ut tranſacto ſabbato Dominicum corpus inungant, totaque nocte pervigiles morantem lucem expectant. Sed amor impatiens longas non ſuſtinet moras, denique nocte prodeunt, oblitæ ſexus conditioniſque fœmineæ. Hæc autem earum maxima cura erat, quis videlicet lapidem eis ab oſtio monumenti revolveret; quaſi non major eſſet illis in milite, quam in lapide difficultas. O vim amoris quæ nulla reputat incommoda, modo ſuo potiatur deſiderio! Quid de harum dicam ſanctarum fœminarum amore? Sepulchrum armatis cuſtodiri non ignorabant, ſignatumque mira diligentia lapi- Mat. 27. dem: ne videlicet corpus ab aliquo auferretur in triduo: neque timent per media caſtra in ſepulchrum irruere; ſignaturamque dirumpere, & corpus militibus inviſis honorifice perungere. O fœminæ devotæ quo pergitis? Quis vos amoris furor exagitat? Non attenditis circumſtantes armatos tumulo, qui vos ſuſpicati latrones, rapient ad pœnas, & per mediam urbem arreptas in ſenatum trahent, ſimilemque in vobis crudelitatem, qualem ipſum pati vidiſtis, explebunt? Putatiſne prece aut pretio flectentur crudeles, ut optatum vobis permittant tractare corpus, unctioniſque illi beneficium impendere? Ardent Crucifixi odio, neque ſine magno veſtro detrimento poteritis explere, quod vultis. Nihil horum æſtuans amore animus formidabat: ſed ungendi corpus abſorptæ deſiderio facilia cuncta putabant: omnia ſubire ſupplicia paratæ, modo daretur dulces tractare manus, vulneribus ſacris imprimere oſcula, dilectique corpus Magiſtri non tam unguentis, quam lacrymis irrigare.

(*a*) Id quidem ex Phyſiologo narrat Geſnerus de Quadrup. lib. 1. ſed tamquam rem, cui fides non ſit facile habenda.

VIII. Prodeunt ergo domo, cum adhuc tenebræ eſſent, & *veniunt ad monumentum orto jam ſole:* non quod ſegniter irent, quæ quaſi aquilæ volabant ad corpus, ſed quia euntibus medio ſe itinere crux obtulit (cur ita non credamus?) quæ inſtante ſabbato adhuc erecta manebat, priſtinoſque illis renovavit dolores: dumque illam ſæpius amplexantur, repetitiſque deoſculantur amplexibus, Dominicam paſſionem multis gemitibus & ejulatibus proſequentes, hora abiit, lugenteſque ortus reperit ſol. Neque tamen ab incœpto deſiſtunt, ſed propinquum adeunt tumulum, & forte proſtratos circumcirca ſatellites ſemineces reperiunt, nimioque ſtupore correptos: Angelus ſiquidem Domini veſte fulgenti, aſpectu terribili, cujus erat vultus ut fulgur, ſua eos viſione terruerat, ſemimortuoſque proſtraverat: qui, ne ſimilia paterentur & fœminæ, blando eas ſermone ſolatur. *Nolite*, inquit, *timere vos* o fœminæ ſanctæ, quæ Dominum pietate requiritis. Timeant ſacrilegi, qui ſtulte impieque cuſtodiunt: *Scio enim, quod Jeſum, qui crucifixus eſt, quæritis: non eſt hic: ſurrexit enim ſicut dixit. Venite, & videte locum ubi* communis *poſitus erat Dominus*. Sed hoc citiſſime Apoſtolis nuntiate, dicentes, quia ſicut eis olim prædixerat, ſic implevit. Accedunt ergo trepide: locum ſine corpore vident: & nimis exterritæ juſſa nuntiare diſcedunt.

Marc. 16.

Mat. 28.

Ibidem.

IX. Sopor armatos reliquit cuſtodes, & quæ eos tenuerat mortis imago: ſurgunt attoniti, celerique fuga iter arripiunt. Intrant erectis crinibus civitatem, ſtupidi pavidoque geſtu, trementi affatu tremorem cordis oſtendunt. Verba dimidiant, neque valent anhelo, quæ viderunt, proferre ſermone. Stupent Pontifices, quibus prius nuntiata res eſt, nimioque timore correpti convocant concilium, in medioque cuſtodibus eductis, rem ut facta fuerat addiſcunt. Quantus tunc tremor, quis pavor improbas illas invaſit mentes? Neque enim negare fas erat, quod evidenti patebat tot teſtium indicio. O nefanda rabies, o progenies ſcelerata draconum, quæ te concitat inſania? quis furor impellit adverſari Deo, tantumque palliare ſermonem? Cur non redis ad cor? Quid contra ſtimulum calcitrare conaris? Cur non ſubdis colla jugo, & vel nunc pietati ſuccumbis? Publico efferunt ærario pecuniam, corruptiſque cuſtodibus furatum publicant ab Apoſtolis corpus. Nec ulla erat apparentia mendacio; ſed hoc ſcuto tutari vitas potuere, ne veritate comperta, in fruſta eos populus laniaret, crimenque expiaret horrendum. Vadunt itaque greſſu celeri fœminæ, junctiſque diſcipulis nuntiant myſterium, neque creditur illis, ſed delirare putant, fœmineaque levitate permotas confinxiſſe fabulam. Neque ita res erat. Accurrunt igitur ex Apoſtolis, duo, Petrus, & Joannes, veritatem perquirere, quos grandior Magiſtri affecerat dilectio. Currit uterque viam; neque ſeniorem junior expectat, tanta erat videndi miraculum aviditas. Sepulchrum ſimul intrant, vacuumque conſpiciunt, neque erat qui eos prohiberet armatus. Stupent nimis, redeuntque præcipites nuntiare myſterium ſociis, quos anxia ſuſpenſos expectatio tenebat.

Mat. 28.

Iſaiæ 46.

Jo. 20.

X. Hos ſecutæ fœminæ ad ſepulchrum redeunt, ibidemque manentes, amariſſime plorant: neque enim eas oraculi verba lenierant, oblitæ quæ prius illis inſpectus prædixerat Angelus; divertuntque ad hortuli angulos ex illis duæ: manet ſola Maria ſoror Lazari ad ſepulchri oſtium, neque enim inde divelli eam ſinebat amor affectuſque Magiſtri: luget totumque replet ejulatibus locum, neque eſt qui tantum poſſit mitigare dolorem. Proſpicit iterum, iterumque ſepulchrum, ſi forte reperiat quem ante quæſierat: ſic namque ſolemus auream ſæpius requirere drachmam, neque inſpectæ ſemel oculis confidere arcæ. Dum ergo ſic proſpicit, Angelos in veſte fulgenti inſidere videt lapidi, quo conditum dudum corpus jacuerat: qui placido vultu ploranti ajunt. *Mulier, quid ploras?* Quid vivum inter mortuos quæritas, inſciaque deploras? Sed illa majori depreſſa mœrore, neque Angelos curat, neque cœleſtes veretur vultus: totam namque poſſidebat dolor, candentique ſuccenſa camino, quem amabat pleno quærebat affectu. Luctus ergo ſui cauſam brevi ſermone perſtrinxit: *Tulerunt*, inquit, *Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum*. Hoc eſt quod defleo, hæc mei cauſa mœroris. Dumque eos alloquitur, aſſurrexiſſe venienti proſpicit cuipiam; converſaque retro viſura quem colunt, aſpicit ad latus hominem, neque Chriſtum agnoſcit horti ſuſpicata cultorem: qui ſimili eam voce affatur. Quid ploras o mulier? Cur anxia gemis? At illa: *Si tu*, inquit, *ſuſtuliſti eum, dicito mihi, & ego eum tollam*. Per mille pericula, per medios enſes, media per arma, per mille diſcrimina rerum, ego eum tollam: neque meum quiſpiam poterit arcere vigorem.

Luc. 15.

Jo. 20.

XI. O quam inſcia facti mulier prophetat. Ipſe eum tenet, ipſe quod quæris corpus arripuit: repete ut reddat, neque tibi tale ut requiris reddat, ſed quem mortuum requiris, vivum oſtendat. Moventur dilectæ ſuæ lacrymis pia Magiſtri viſcera, & proprio eam ſermone affatus, Maria, inquit: verboque ſe permittit agnoſci. Maria, inquit, o Maria, quænam eſt hæc hæſitatio Maria? Ubi Maria fides? Sic verbis meis credidiſti Maria? Cur me Maria luges? Purum me hominem exiſtimaſti Maria? Ubi ſunt prodigia, quæ coram te feci Maria? Me negas dum ploras, non eſt pietas hæc o Maria. Agnoſcit illa Dilecti vocem, & anima ejus omnino liquefacta eſt, poſtquam Dilectus locutus eſt. Potentem hunc lætitiæ ictum, quo animus illius ſubito transfigitur,

Cant. 5.

dicere

dicere quis ſufficiat? Mirum quod non eſt extincta præ gaudio. Clamat furens gaudio, nec ſe valet ipſa portare. Magiſter, clamat, o Magiſter, ſic enim eum nominare ſolebat, Magiſter mea gloria, mea tota lætitia, Magiſter, Magiſter meus, Deus meus, quem ſuper omnia colo, Magiſter te ſuper omnia amo, tu noſti: juva me, tantum gaudium ut ſuſtineam Magiſter. Vivis Magiſter meus, viviſne mea gloria, vivis? Vigilo, an dormio? Eſtne vera quam proſpicio forma? Vera eſt, & credo: credo te potuiſſe, quod dixiſti, implere facto, mortuamque reſumere carnem. Sed ille: Ne me, inquit, tangito. Non enim eſt digna contactu fœmina, quæ oculo pluſquam oraculo credit. Vade cito fratribus, ſcilicet nuntiare, quod vivo. Hæc dices ad eos: ad communem Deum Patremque conſcendo. His dictis diſparuit, & beata illa fœmina manſit plena gaudio, totaque tripudians, lætitiæ voces, plauſuſque fundebat. Accurrunt aliæ exultationis clamoribus concitæ; mirantur valde tam ſubitam mutationem: quid factum ſit percontantur. Sed illa præ gaudio non valet proferre quæ viderat. Vivit Dominus meus, inquit, vivit, ne dubitetis ſorores. Vidi ego eum his oculis. Hæc & hæc mihi mandavit, eamus, eamus, tantamque lætitiam fratribus nuntiemus. Dum ergo irent, ne ſe tanta viſione fruſtratas aliæ quererentur, quæ ſimili eum devotione quæſierant, medio illis itinere rurſus Dominus apparuit, eaſque placide ſalutavit dicens: *Avete*; tractarique ſe permiſit ab eis. Et cum nonnulla dixiſſet, diſparuit iterum.

Jo. 20.

Mat. 28.

XII. Vadunt ovantes, ingredienteſque cœnaculum, invenerunt turbatos ſcandalizatoſque Diſcipulos. Audierant enim legatos, quos miſerant veritatem perquirere, Petrum ſcilicet & Joannem aſſerentes, verum eſſe quod mulieres prædixerant: neque quid factum eſſet ſuſpicabantur, ſed hærebant ſtupidi, hujus rei exitum exſpectantes. Intrant ergo fœminæ plaudentes, oculiſque ſalientibus cordis lætitiam demonſtrantes. Quid hæretis? clamant: non in dubio res eſt; nolite Fratres hæſitare: pro certo Dominus vivit; his nos eum oculis conſpeximus, his eum manibus tractavimus, & hæc vobis dicere verba mandavit. Gaudent, neque tamen omnino credunt illis, ſed majori deinceps admiratione tenentur; donec poſt modicum viſo Domino Petrus mulierum nuntio fidem fecit. Adventantibus Diſcipulis a caſtello, roborata grandiori teſtimonio fides eſt. Denique jam veſpere, eodem die, ne ullus maneret dubitationis ſcrupulus, omnibus congregatis Dominus apparuit, & mira eos alacritate replevit. Quis tunc fuerit Apoſtolis animus, quæ mens, quantumque ex tunc innovata familia Chriſti fuerit, nemo poterit pro merito cogitare. Agnoſcunt aperte, ſe non purum hominem, ſed Deum habuiſſe magiſtrum; & facta ejus memorantur & dicta felices ſe tanto magiſtro putant, præteritamque mentis cæcitatem incuſant. Ubi fuimus, inquiunt, ubi noſter tunc ſenſus abierat, cum te cœleſtia loquentem Jeſu non agnovimus? Ubi erat tunc animus, cum tot patrares ubique prodigia? Quomodo hæc non advertimus ſtulti? Tuam quomodo non percepimus majeſtatem? Neque enim in obſcuro res erat, ſi mens non cæca fuiſſet. Cur ſic tuos illuſiſti Domine? Cur tanta nos felicitate fraudaſti? Noſtros cur non revelaſti ſenſus? Te cur non aperte monſtraſti? ut te ſciremus, divinoſque tibi exhiberemus honores? Ad Matrem vero converſi; O te felicem, inquiunt, Virginem! O te ſuper omnes feminas benedictam, tantum quæ ſæculis genuiſti Filium; orbemque tuo fœtu beaſti! Sancti te cujuſpiam hominis huc uſque Parentem venerati ſumus, ex nunc Dei hominiſque te credimus Genitricem. Nos ergo ſuſcipe Virgo, noſtroſque ſola dirige actus. Hæc ajunt; panditurque audientibus cunctis magnum illud montis Thabor ſacramentum, quod Dominico præcepto hucuſque fuerat occultatum. Audiunt ſuſpenſi narrante Petro, tantæ Majeſtatis faſtigium: inopinatamque Domini ſui omnes admirantur gloriam, plaudunt manibus cuncti, nec tantam capit lætitiam ſenſus. Dignis etiam teſtibus roborata fides, hoc amplius teſtimonio coaleſcit. Fit gaudium immenſum, impreſſaque dudum animis triſtitia venienti lætitiæ cedit: excuſſoque mentis ſopore reviviſcit ſpiritus. Divinis vacant laudibus, die nocteque orantes, ſe totos Domino commendantes. His ergo quadraginta diebus multiplici eos Dominus apparitione ſolatur, & in fide firmat, altum donec conſcendit olympum. Hæc de hiſtoria.

Luc. 24.

Mat. 17.

Act. 1.

XIII. Sed non leviter prætereunda legatio, quam per mulieres Dominus fratribus deſtinavit, dicens: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum: Deum meum, & Deum veſtrum*; communem ſe nobiſcum habere Patrem Deumque profitens. *Debuit enim*, ut Apoſtolus ait, *per omnia fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret*. Quid prius Domine magnificabo, aut pro quo tibi majores gratias dabo? An, quia tuum Patrem feciſti noſtrum? An, quia Deum noſtrum feciſti tuum? In priori namque exaltaſti nos ſublimiter ad te; in ſecundo dejeciſti te humiliter ad nos. Prius enim quam noſtram indueres formam Patrem habebas, ſed Deum non habebas: nos autem Deum habebamus, Patrem non agnoſcebamus. Veniens autem ad nos, Deum ſuſcepiſti, Patrem dediſti, utrobique magnificus, utrobique miſericors. Tecum igitur ad Deum in ſpiritu tuo audenter clamamus: *Abba Pater*. Tu quoque nobiſcum ſimili voce proclamas: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Mira res, & omni dilectione proſequenda. Deus Deum habet: Deus Deum ſibi interpellat adjutorem in agone. Pro ſervo Deus factus eſt ſervus, ut me ſervum faceret filium; ille ſic humiliatus, ego

Jo. 20.

Heb. 2.

Galat. 4.

Mat. 27.

sic exaltatus. In nullo igitur *differs a servo, cum sis Dominus omnium*. Gratias tibi Domine pro tanta humiliatione tua, gratias tibi iterum pro tanta exaltatione mea. Quid dicam? Ex terræ vermiculo filius Dei factus sum, ut Joannes proclamat: *Dedit*, inquit, *eis potestatem filios Dei fieri*. Et alibi: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus*. O verbum potens, o verbum omni acceptione digniſſimum, o dignam tali tempore legationem! *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum*.

Galat. 4.

Jo. 1.

Ibid. 2.

XIV. Hujus autem sacræ resurrectionis typus olim præcesserat in Joseph, cum vidit in somnio manipulum stare suum, stratis fratrum suorum manipulis, & adorantibus ipsum. Quod in Dominica resurrectione impletum esse non ambigimus. Stetit manipulus quem ex agro Virgineo cœlestis sibi agricola collegerat, quem synagoga crudelis odio & invidia tumulo prostraverat: stetit post triduum in terra seminatus, revixit mortuus, grandemque in cumulum crevit; stetit gloria, & honore coronatus, immortali vita ditatus: fratrum vero manipuli sternentur ad tempus, tumulisque sepulti jacebunt, *donec aspiret dies, & inclinentur umbræ:* donec tempus messis adveniat, & quæ nunc sub altari quiescunt ipsorum animæ, cum exultatione veniant, & manipulos suos reportent. Aderunt tunc e cœlo messores, qui rejecta zizania, jacentes colligant manipulos: statimque manipulos in horreum Domini sui recondant. Interim *caro* nostra *requiescet in spe*, suo tempore colligenda. Ubi enim meum conspicio caput, ibi me futurum esse non ambigo: & talem me futurum qualis est ipse. Præcessit in Galilæam Dominus, prior transmigravit ad vitam: cum tempus transmigrandi advenerit, sequemur & nos. Ibi eum videbimus, ibi eum adorabimus. Ibi in ipso pertransito flumine pede lætabimur, ibi *similes ei* apparebimus: *Quoniam videbimus eum sicuti est*, Ibi nos filios esse noscemus, quoniam similitudo genus ostendet. Ibi ergo eum videbimus, & amabimus, amabimus, & gaudebimus; perpetuaque cum illo jucunditate fruemur: quam nobis indulgeat, qui mortuus fuit, & vivit cum Patre, & Spiritu sancto Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

Gen. 3.

Psal. 8.

Cant. 2.
Mat. 13.
Apoc. 6.
Ps. 125.
Mat. 13.

Ps. 151.

Psal. 65.
1. *Jo.* 3.

IN DOMINICAM RESURRECTIONIS DOMINI

CONCIO SEXTA.

DE RESURRECTIONE DOMINI,

Surrexit, sicut dixit, Matth. 28. v. 34.

CONCIO LXVIII.

I. DIgnum profecto tractatu & inquisitione videtur; investigare, & scire propter quid tertia die post mortem Dominus resurrexit, & non usque ad finem sæculi, & generalem omnium resurrectionem, suam distulit. Sed, *quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* An & nos cum Apostolo dicere audebimus, quia nobis revelavit hoc per Spiritum suum? Revelavit utique, sed Sanctis suis: ex quorum codicibus plures hujus rei causas, & rationes didicimus. Factum est hoc primo ad Christi gloriam, & inimicorum ejus confusionem. Si enim non ita propere Christus a mortuis surrexisset, bone Deus, quis Judæorum fastum, quis Sacerdotum, & Pharisæorum supercilium sustinere potuisset? Quibus verbis familiam Domini subsannarent? Quibus ludibriis in Christi Matrem & Discipulos insultarent? Quanta Christi sequacibus confusio? Quantus pudor discipulis ejus, & ignominia fuisset in populo? quo irent? ubi comparerent? Delusos eos ab illo omnes dicerent, & Pharisæorum providentiæ omnis populus applauderet, quia videlicet hominem illusorem digna morte multasset. Gloriaretur in Christum perfida synagoga tota die, & sicut scriptum est, exultantes ad se invicem acclamarent: *Euge, euge, viderunt oculi nostri*. Sed non decuit ita fieri: absit, ut in Deum glorietur homo, & gloriatio ista permaneat. Unde per Prophetam, ipse Dominus ad synagogam ait: *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam, cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est*. Et ad Patrem in Psalmis: *In hoc cognovi quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me*. Pro Discipulis vero, sic orat ad Patrem: *Non erubescant in me, qui expectant te Domine, Domine virtutum. Non confundantur super me, qui quærunt te, Deus Israel*. Et rationem petitionis suæ adjungit: *Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam*, &c. Ac si dicat: Non mihi vertatur in ignominiam zelus, & in confusionem obedientia tua.

Rom. 11.

1. *Cor.* 2.

Psal. 34.

Mich. 7.

Psal. 40.

Psal. 68.

Ibidem.

II. Oportuit etiam ita fieri, ad Catholicam fidem cordibus hominum inserendam. Audeo dicere: si Christus a mortuis non surrexisset, nihil ejus adventus, nihil passio, nihil miracula profuissent. Unde in Psalmis: *Quæ utilitas*, inquit, *in sanguine meo*, cum descendero *in corruptionem?* Quasi dicat: nulla. Si enim non surrexero, nullus convertetur, nemo mihi credet. Tanta namque fuerat passionis ejus ignominia, ut etiam ipsi qui ejus opera viderant, & doctrinam audierant, & vitæ innocentiam noverant, vehementissime turbarentur. Atque ita consternati animo defecerant, ut non putarent se illum videre, quem videbant, sed spiritum aut phantasma esse. Quid de illis putandum est, qui ista neque viderant, neque noverant? Fideles Apostoli non facile credunt Christo viso, infideles populi quomodo crederent prædicantium verbo? Itaque si diligenter inspicias, plus ad fidem nostram sola Christi resurrectio, quam tot prodigiorum contulit multitudo. Hæc enim sola totius

Psal. 29.

Mat. 24.

tius Christianæ Religionis immobilis columna, anchora firma, & stabile fundamentum est. Unde Apostolus ad Corinthios ait: *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides vestra.* Quis enim, obsecro, quamvis clarus eloquio, peritus verbo, potens miraculo, gentili mundo, dæmoniorum idololatriæ tot retro sæculis dedito persuadere potuisset, ut hominem crucifixum, inter latrones pendentem medium, relicto patrum suorum ritu, ut verum Deum ac Dominum adoraret; nisi cujus tanta præcesserat passionis ignominia, major sequeretur vitæ immortalis honor & gloria? Hæc sola omnium, & maxima furentes in Christum Principes mitigat, insultantes paganos humiliat, adversantes populos conciliat, irridentes Judæos confundit, & hæreticos subsannantes prosternit. Hæc omnem intellectum contra veritatem Dei superbientem in fidei obsequium captivat, & omnem altitudinem adversus fidei pietatem extollentem se, in Christi servitutem redigit: hæc fideles munit: infideles confundit: homines Christo conciliat: Angelos in Christo lætificat. Tolle Christi resurrectionem, & omnis fides nostra tepescit, omnis gloria nostra labascit. Noverat hoc Apostolicus ille cœtus, qui Spiritu sancto edoctus, in concionibus ad populum Christi resurrectionem frequentius, & maxime personabat: quia videlicet in illa totius fidei nostræ vigor est, & ex illa credentium populorum fruges abundantior surgit.

1. Cor. 15.

1. Cor. 10.

Act. 2.

III. Neque solum ad fidem plantandam, sed etiam ad spem nostram erigendam decuit Christum resurgere. Ut quod in Christo jam factum credimus, in nobis aliquando futurum non dubitemus. Si enim radix vivit, vivificabuntur & rami. Unde Apostolus: Nunc *mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum* autem *Christus apparuerit vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Et iterum. *Si Spiritus* Dei *habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum ejus in vobis.* Transibit utique hyems temporis hujus, & approximante sole flores apparebunt in terra nostra. Quamvis enim in sacris codicibus mortuorum resurrectio sæpius promissa legatur, valde tamen spem nostram erigit, hanc in Christo videre completam. Propter quod idem Apostolus quorundam duritiam admiratus ait: *Si Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Resurrectio enim Christi, resurrectionis nostræ exemplar, & causa est. Ne autem quispiam super hoc aliquatenus hæsitaret: multi Sanctorum qui dormierant, cum illo surrexerunt, & apparuerunt multis; ne videlicet quispiam dicat: si Christus surrexit, nil mirum, quia Deus & sine peccato erat: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Ne quispiam igitur de sua resurrectione desperet, fecit Dominus resurrectioni nostræ a consortibus fidem. Quam eleganter, quam luculenter, quam potenter hoc ipsum sanctissimus ille Job tot ante sæculis personavit? *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* Quid autem sit quod tam vehementer scribi desiderat, attendite: *Scio enim, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum* Salvatorem *meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Unde reposita o Vir sanctissime, unde reposita? Attendite unde: Quia *Redemptor meus vivit.* Inde mihi vitæ spes magna reposita est: in illo enim quodammodo vivo, in illo jam quodammodo suscitatus sum, ut Apostolus ait: Qui *conresuscitavit nos, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu.* Amen.

Coloss. 3.

Rom. 8.

Cant. 2.

1. Cor. 15.

Mat. 27.

Rom. 7.

Job 19.

Ephes. 2.

IN FERIAM SECUNDAM PASCHATIS

CONCIO.

ITEM, DE RESURRECTIONE DOMINI.

Tu es ſolus peregrinus in Jeruſalem?
Lucæ 24. v. 18.

CONCIO LXIX.

I. IN lectione Euangelica tractatur de ſecunda apparitione Domini facta Diſcipulis euntibus in Emmaus, & fuit ſic. Duo ex ſeptuaginta duobus Diſcipulis, illo mane reſurrectionis, ob-

Lucæ 24.

lato negotio ibant in illam villam, quæ diſtat a Jeruſalem plus minus tres leucas (*a*): & dum irent per viam, loquebantur ad invicem de his omnibus, quæ audierant: ſcilicet de atrociſſima crudelitate Sacerdotum, & graviſſimo peccato eorum, qui Hominem ſanctum & juſtum ſic occidiſſent: de prodigiis quæ in morte Domini contigerant, & de patientia maxima qua mortem ſuſtinuit: de nuntio mulierum quod adduxerant illo mane: & inter hæc recordabantur ſuaviſſimæ converſationis ejus, & doctrinæ, & vitæ innocentiſſimæ, & ingentium miraculorum, & quam deſtituti, & orphani remanſerant ſine illo: & fluebant lacrymæ per maxillas eorum abundanter, & ſingultus verba interpolabant. Erat quoque inter hæc maxima hæſitatio, an ille fuiſſet Filius Dei, & verus Chriſtus. Dicebant enim, ſi erat ille Chriſtus, quomodo ſic mortuus eſt morte ignominioſa? Quomodo populum non liberavit a ſervitute Romanorum? Si non erat. Quomodo mentiretur homo tam juſtus & ſanctus? Quomodo faciebat tam magna prodigia?

(*a*) Stadium quippe 125. paſſus continet. Stadia igitur ſexaginta, paſſus reddunt 7500., hoc eſt milliaria Italica ſeptem cum ſemiſſe; proinde leucas circiter tres Gallicas unius horæ: tribus enim circiter Italicis milliaribus leuca Gallica conſtat.

II. Dum ergo hæc & ſimilia loquerentur; Dominus poſt tergum veniebat in habitu peregrini: & extenſo greſſu appropinquavit, & ait illis: *Qui ſunt hi ſermones quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes?* Video vos afflictos, & mœſtos, cupio ſcire cauſam. Tunc reſpondens unus illorum Cleophas nomine, dixit: *Tu es ſolus peregrinus in Jeruſalem*, & ſolus hæc ignoras? Non eſt enim quiſpiam in diſtrictu, qui ignoret hæc quæ loquimur. O ſi ſciretis, quam bene ſcit, & quam bonam poteſt dare rationem de eis! Dicit eis: *Quæ?* & illi: *De*

Ibidem.

A *Jeſu Nazareno, qui fuit Vir Propheta, potens in opere, & ſermone coram Deo, & omni populo. Et quomodo eum tradiderunt ſummi Sacerdotes, & Principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſrael: & nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie quod hæc facta ſunt. Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non invento corpore ejus, venerunt, dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex noſtris ad monu-*
B *mentum: & ita invenerunt ſicut mulieres dixerunt, ipſum vero non invenerunt.* Pondera verbum: *Nos ſperabamus:* nam, jam ſine ſpe erant. *Et mulieres terruerunt nos.* Quia turbati ſunt illo nuntio, non lætificati: immemores quippe erant verborum Domini, quæ de reſurrectione ſua prædixerat.

III. Et ait Dominus: *O ſtulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Hæc ejus paſſio & mors quæ vos ſcandalizat, magis oſtendit Magiſtrum veſtrum eſſe Chriſtum.
C Scrutamini ſcripturas, & videbitis, quod Chriſtus talia paſſurus erat. Non legiſtis in lege: quomodo Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto æneum, & aſpicientes ſanabantur? Quænam ratio ut ſic curarentur ægroti? Imo potius ex recordatione ſerpentum debebant majori ægritudine teneri. Hæc figura fuit, quod Meſſias in ſimilitudine carnis peccati veniens, exaltandus eſſet in cruce, ut omnes qui in illum crederent a peccato ſanarentur. Non legiſtis in Geneſi, quomodo Abraham obtulit arietem loco filii? Figura
D erat, quod Filius Dei non in ſua natura, ſed in humana occidendus erat. Non legiſtis etiam quod Deus formavit Evam de coſta Adæ dormientis? Quare non ipſam ſicut Adam formavit de limo terræ? Hæc figura erat, quod de latere Chriſti dormientis in cruce, fundanda eſſet Eccleſia. Quod ſi Prophetias attenditis, multo amplius hoc intelli-

Num. 21. Jo. 3.

Gen. 22.

Ibidem.

lige-

ligetis. Quam aperte Propheta David in illo *Pſalmo vigeſimo primo* prophetizavit, quod Chriſtus occidendus eſſet? Ibi omnia legite quæ Magiſtro veſtro contigerunt. *Foderunt* Pſal.21. *manus meas, dinumeraverunt omnia oſſa mea.* Et ſubſannationem eorum: *Speravit in Do-* Ibidem. *mino eripiat eum, ſalvum faciat eum.* Et in alio Pſalmo: *Quare fremuerunt gentes?* Con- Pſal. 2. ſpiratio Sacerdotum aperte deſcribitur. Et in alio Pſalmo: *Dederunt in eſcam meam fel,* Pſal.68. *& in ſiti mea potaverunt me aceto.* Legite Iſaiam, & videte totam ſeriem Paſſionis Magiſtri veſtri deſcriptam: *Non eſt ſpecies ei ne-* Iſaiæ53. *que decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus: deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: & nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum a Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. Et poſuit Dominns in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et Dominus voluit conterere eum. Tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit.* Videtis certe quod ipſa paſſio magis probat Magiſtrum veſtrum fuiſſe Chriſtum verum in lege promiſſum.

IV. Dum hæc exponeret: verba illa quaſi carbones igniti inflammabant corda eorum, & fervebant intus viſcera a ſermonibus ejus. Aſpiciebant ſe mutuo, & dicebant intra ſe: D O mirabilem Peregrinum! o doctiſſimum Peregrinum! In qua ſchola hæc didiciſti? Numquam ſic locutus eſt homo, videtur doctrina Magiſtri noſtri: ſed hic nunquam audivit ab eo, neque fuit Diſcipulus ejus; neſciunt ſic loqui noſtri Sacerdotes & Rabbini. Duravit hæc prælectio per totam viam, neque ſenſerunt laborem itineris; vellent amplius protendi viam. O ſi habuiſſemus hanc prælectionem! O ſacer Euangeliſta! Quare non ad longum ſcripſiſti, quot & quanta myſteria declarata ſunt in hoc tam longo ſermone? *Appropinquaverunt* ergo *caſtello quo* E Luc.24. *ibant: &* Dominus *finxit ſe longius ire. Et* illi *coegerunt illum dicentes: Mane nobiſcum* Domine, *quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies. Et intravit cum illis*, annuens petitioni eorum. Et intrantes domum, illi paraverunt cœnam, & inter ſe admirantes dicebant: O qualis eſt ille Peregrinus!

A Felices nos qui talem ſocium invenimus. Sperabant poſt cœnam tota nocte loqui, & audire. Stratis ergo thoris Peregrinus dixit benedictionem (*a*) menſæ conſuetam. Et illi (*a*) mirabantur, quod eandem diceret, quam Magiſter illorum conſueverat dicere. Et accipiens panem fregit. Dicunt aliqui (*b*) quod (*b*) manu ſine cultello, ſed non eſt opus: & dum frangeret & porrigeret eis, *aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum:* & volentes amplecti eum, *ipſe evanuit ex oculis eorum:* & manſerunt attoniti, & ſtupidi ad modicum: & reverſi ad ſe, cum ingenti gaudio B dicebant, perfuſi lacrymis: O Domine! Quare feciſti ſic, quare illuſiſti nobis? Quare non permiſiſti, ut agnoſceremus te, & manus & pedes tuos oſcularemur, & tecum gauderemus? O nos ſtolidos! Quomodo non advertimus, quando loquebatur in via, quod verba illa non erant humana, ſed Divina? Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis?

V. Relicta ergo menſa; ſicut fulmina, & aquilæ veloces eadem hora redeunt Jeruſalem. Unde cum jam dies feſtinaret ad occaſum, ante ſolis occaſum pervenerunt Jeruſalem currentes: & ingreſſi domum ubi erant C Apoſtoli, cum gaudio, antequam ipſi loquerentur, prævenit ſunt a dicentibus. Gaudete Fratres: quia *ſurrexit Dominus vere & apparuit Simoni:* nam de mulieribus non curabant. *Et ipſi narrabant* per ordinem *quæ geſta erant in via.* Et cum iſta cum ſummo gaudio confabularentur, Dominus coram omnibus apparuit iterum, & ait illis: *Pax vobis.* Nolite timere. Conturbati autem, & conterriti, exiſtimabant ſe Spiritum videre. Et ait illis: Quid turbati eſtis? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum; palpate & videte, quoniam Spiritus carnem & oſſa non habet. *Habetis hic aliquid quod manducetur?* Et comedit coram eis: & factum eſt gaudium magnum, & lætitia incredibilis: tanta, ut ſuperaret & abſorberet totam triſtitiam præteritam. Et quaſi a ſomno profundo excitati, ſic admirabantur, & ſtupebant de his quæ videbant: ſcientes, & intelligentes quoniam Magiſter eorum non ſolum verus eſſet Meſſias Salvator in lege promiſſus, ſed etiam verus Deus omnipotens Creator; a quo tam magna præmia expectarent. O felicem familiam! O felicem ſcholam tanti Magiſtri! Hæc de Euangelio.

VI. Sub quatuor formis, ſive figuris Dominus ſe monſtravit poſt ſuam reſurrectionem. Magdalenæ apud ſepulchrum in forma hortulani: Diſcipulis in Emmaus tendentibus, in forma peregrini: Apoſtolis in cœnaculo in forma propria humana: Virgini in oratorio in forma propria glorioſa. Omnibus iſtis modis monſtrat ſe Deus electis ſuis, quos

(*a*) Hunc Euangelii locum, non de ſimplici, ac conſueta benedictione, ſed de Euchariſtiæ conſecratione intelligendum probant graves Scriptores. Maldonatus in Luc. cap. 24. v. 30. *Ego quidem*, inquit, *certe non dubito, mirorque dubitare aliquos, quin hic locus de Euchariſtia ſit intelligendus.* Eamdem ſententiam Patrum teſtimoniis, ac rationibus deinde firmat.

(*b*) Nicol. de Lyra in hunc Euang. textum. *Sic enim frangebat panem, ac ſi ſcinderetur cum cultello.*

quos ipse secum resuscitavit de morte ad vitam, ut jam in novitate vitæ ambulent. *Rom. 6.* Nam incipientibus, & qui noviter susciti sunt, ostendit se in forma hortulani. His enim animabus exhibet se hortulanum, eradicans malas radices vitiorum, emolliens terram cordis eorum, & ordinans omnes eorum potentias, plantans in eis multiplices & varios flores, & rosas desideriorum, cogitationum cœlestium, varias quoque arbores bonorum morum, & virtutum, quibus fructificent Deo: faciens animam illam, ex hispida & horrida eremo, viridem & floridum hortum, & amœnum quasi paradisum. Sicut scriptum est: *Et eris quasi hortus irriguus, Isaiæ 58. cujus non deficient aquæ.* Talis est omnis anima justa in principio, quando convertitur ad Dominum. Felix anima quæ talem habet hortulanum. Talis erat illa quæ dicebat: *Veniat Dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Cant. 5.* Justum quippe est & rationabile, ut fruatur ipse fructibus operum, & actuum bonorum morum, & virtutum quas ipse plantavit. Unde dicebat: *Omnia poma, nova, & vetera, servavi Ibid. 7. tibi Dilecte mi.* Id est: nihil perdidi ex eis, nihil comedi, nihil usurpavi, sed omnia servavi tibi. Illa anima hoc dicere potest, quæ omnibus suis viribus, & potentiis fructificat Deo. Cor bonos affectus & desideria, mens bonas cogitationes, lingua verba sancta, manus bona opera: totum quod optat, quod intelligit, quod loquitur, quod agit, quod videt, quod audit, totum ex omni parte Deo tribuit, nihil usurpans sibi: sicut hortus totum quod producit, fructificat hortulano suo.

VII. Sed postea, jam proficiscentibus in via Domini, & festinantibus in Emmaus, ostendit se in forma peregrini docentis mysteria. Nam postquam plantavit animam bonis desideriis, & virtutibus, & moribus; contemptum mundi suadet. Docet eam festinare in cœlum: peregrinum se ostendit in mundo, faciens etiam animam peregrinam. Sicut scriptum est de Sanctis: *Confitentes Heb. 11. quia peregrini & hospites sunt super terram.* Et Psalmus: *Et non dixerunt qui præteribant: Ps. 128. benedictio Domini super vos.* Bonus peregrinus Apostolus qui dicebat: *Non habemus hic Heb. 13. manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Prius est homines esse bene institutos in moribus, quam mundi contemptores, & æternorum inquisitores. Unde Salomon prius in *Eccl. 2.* Ecclesiaste se exhibet animarum hortulanum; & postea se ostendit peregrinum, ad mundi contemptum omnes exhortantem. Quam pauci sunt, qui tecum in hac vita peregrinari velint bone Jesu, qui in mundo radices non habeant, qui de terrenis nihil inquirant, qui cœlestibus & æternis inhient!

Apostolus: *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Nam quæ videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna. Istis tamen, si qui sunt; quam familiarem & jucundum socium te exhibes in *Luc. 24.* via, docens mysteria, instruens de Scripturis, ut viæ labores, & fatigationes vitæ præsentis non sentiant, sicut scriptum est: *Beatus homo quem tu erudieris Domine & de lege tua docueris eum. Ut mitiges ei a diebus malis, Psal. 93. donec fodiatur peccatori fovea*, id est, corpori sepultura. Felix peregrinus qui talem habet socium in itinere, cum quo loquatur, & confabuletur, a quo instruatur. Erit ei certe talis socius pro vehiculo, ut ait Bernardus (*a*). Sed valde notandum est, ut inquit Gregorius (*b*), quod isti Discipuli, quem non cognoverunt disputantem de Scripturis, cognoverunt in fractione panis. Quia sæpius contingit, ut major lux & cognitio Dei reperiatur in bonorum operum exercitio, quam in sacrarum Scripturarum scrutinio. Sicut scriptum est: *A mandatis tuis intellexi.* Et iterum: *Super senes intellexi, quia mandata Ps. 118. tua quæsivi.* Quot videmus sæculares simplices, & sine litteris, eleemosynis & fractioni panis vacantes, fervidos, devotissimos, illuminatissimos. Et quot litteratos, & prædicatores theologos, mundanos, tepidos, frigidos, & sine lumine. Illa *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mun- Jo. 1. dum.* Credite mihi; operibus & eleemosynis potius, & perfectius invenitur quam in libris. Unde Isaias: *Frange esurienti panem Isaiæ 58. tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur. Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & implebit splendoribus animam tuam.* Frange ergo, da pauperibus panem tuum, & franget etiam tibi Deus panem suum: id est lumen. Hoc etiam nos prædicatores sæpius experimur, quod cum vobis Euangelicum panem frangimus, cœlestis luminis amplius participes efficimur: & quoties ab hujus fractione cessamus, quasi opposita nube & caligine a cœlesti sole minus illustramur. Propter vos enim nos illuminat Deus: & hic panis quanto amplius frangitur & donatur, tanto magis abundat. Nam fideli ministro in modico ampliora dantur.

VIII. Tertio: post morum institutionem, in quibus est quasi hortulanus post sæculi contemptum, in quo videtur ut peregrinus, sedentibus in domo, inclusis in oratorio viris religiosis & contemplantibus, quorum *Jo. 19. Philipp. 3.* conversatio in cœlis est; jam non aliam exhibet formam, sed in propria apparet: non jam hortulanum aut peregrinum, sed Christum

(*a*) Serm. 31. in Cant. num. 6.

(*b*) Homil. 23. in Euang. num. 2. *Mensam ponunt, cibos offerunt, & Deum, quem in Scripturæ sacræ expositione non cognoverant, in panis fractione cognoscunt. Audiendo erga præcepta Dei, illuminati non sunt, faciendo, illuminati sunt.*

ſtum ſe exhibens, multiplici oleo, & ſuaviſſimo chriſmate ungens, & demulcens animas variis conſolationibus in terris. Non jam de Scripturis diſſerens, ſed in terris docens; ſicut Joannes ait: *Non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos: ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium.* 1. Jo. 2. Sed iſtis, ut ait Bernardus (*a*) *ſuper Cantica*, aliquando ſe oſtendit in propria forma glorioſa. Nam, quidam Sanctorum in contemplatione Humanitatis Chriſti ſuam habent conſolationem, ſemper habentes præ oculis Hominem illum ſanctiſſimum, puriſſimum: vitam Chriſti, opera, & exemplum ejus imitantes: redemptionis myſteria ſæpius pertractantes: de conceptione, nativitate, paſſione, & reſurrectione, aſcenſione, & miſſione Spiritus ſancti ſæpius cogitantes; in quibus meditationibus abundantiſſimum oleum dulcedinis & ſuavitatis inveniunt. Siquidem corpus illud ſacratiſſimum vas plenum eſt balſamo cœleſti. Unctum eſt enim *oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis*, Pſal. 44. ac propterea tractantes illud, ungi neceſſe eſt. O quanta dulcedo in his myſteriis contemplandis reperitur! Ut alia omittam: in hac ſacra reſurrectione imitanda & contemplanda, in conſiderando illo fulgore corporis, & potentia, in feſto Angelorum, & animarum tripudio, in gaudio Virginis & Diſcipulorum, in confuſione illa iniquorum crucifigentium, in quibus anno præterito totum ſermonem conſumpſimus; & erat ſicut mel ſuaviſſimum.

IX. Sed ſunt alii perfecti & contemplativi, quos non tam delectat Chriſti Humanitas, quam Divinitas; qui oculis lynceis ſacrum illud carnis velamen penetrantes interiorem fulgorem & divitias penetrant: qui dicere poſſunt cum Apoſtolo: *Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum: ſed nunc jam non novimus.* 2. Cor. 5. Nam ſtatim figunt oculos in Verbo, penetrantes carnem. Sicut ait Propheta: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus.* Thren. 4. Felix anima quæ tam clarum habet viſum, ut plus jam in Verbo quam in carne Domini delectetur. Talis erat quæ dicebat: *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu.* Iſtis Dominus in propria figura glorioſa monſtratur, quibus nihil jam deeſt, niſi ut rupto ac ſciſſo velo carnis, Sancta Sanctorum appareat intra velum, & videatur Deus intus in corde ipſorum, ſicut videtur ab Angelis & Beatis. Non jam *per ſpeculum & in ænigmate*, ſed ſicut eſt. *Non* 1. Cor. 13. *ſunt*, inquit Apoſtolus, *condignæ paſſionis hujus* Rom. 8. *ſæculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Non quaſi a foris: nam *regnum Dei intra vos eſt.* Luc. 17. Intus eſt illa gloria in intimis: ſed occultatur velo corporis Sancta Sanctorum; rupto autem velo revelabitur illa gloria in intimis cordis. *Nunc enim*, inquit, *filii Dei ſumus, ſed nondum apparuit quid erimus.* 1. Jo. 3. Et Apoſtolus: Nunc *mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto. Cum* autem *Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos* ſimul *apparebitis cum* Chriſto *in Deo*: Coloſſ. 3. in gloria: ad quam nos perducat. Amen.

IN FERIAM TERTIAM PASCHATIS

CONCIO BIPARTITA.

DE FŒDERE BURGIS INITO, INTER ROMANUM PONTIFICEM, IMPERATOREM, ET VENETORUM REMPUBLICAM.

PARS PRIMA.

DE PACE.

Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum.
Pſalm. 132. v. 1.

Concio LXX.

I. NOn omne bonum eſt jucundum, neque omne jucundum eſt bonum; ſed aliquid eſt bonum, quod non eſt jucundum; & aliquid eſt jucundum, quod non eſt bonum; & aliquid eſt jucundum & bonum; & aliquid neque eſt bonum, neque jucundum. Pœnitentia, crux, aſperitas, bona eſt, quia ducit ad vitam, ſed non eſt jucunda, ſed laborioſa & gravis. Gaudium, ſæculi ſolatium, voluptas, jucunda ſunt, ſed non bona, quia ducunt ad mortem. Peccatum, neque bonum neque jucundum, ſed malum, & moleſtum. Teſtes ſunt qui dicebant: *Laſſati ſumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles.* Sap. 5. O magna cæcitas

(*a*) Huc faciunt Sermones 20. 31. & 32. in Cant.

tas filiorum Adam, qui malunt ſervire peccato cum labore, quam Deo cum jucunditate! Pſalmus: *Odiſti* omnes *obſervantes vanitates ſupervacue*. An non ſupervacue, qui potuit Deo ſervire cum requie, & regnare, & maluit peccato ſervire cum labore, & ardere? Omne peccatum amarum eſt & moleſtum, ſicut ait Hieronymus (*a*). *Scito & vide, quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem* ejus *apud te*. Bonum autem & jucundum eſt ſola Charitas: hoc privilegium quippe ſoli charitati reſervatum eſt, ut cum ſit non ſolum bonum, ſed maximum omnium bonorum; ſit quoque jucundiſſimum. Omnis quippe alia virtus pœnam habet annexam. Noſtra humilitas, patientia, abſtinentia, caſtitas, paupertas, fortitudo, &c. laborem habent: neque enim ſine labore homo ſubmittitur, patitur injurias, abſtinet a cibis, & voluptatibus carnis, caret bonis temporalibus, & reſiſtit timoribus. In amore autem quænam difficultas? Quis labor eſt amare? P. Auguſtinus (*b*): Poteſt mihi aliquis dicere, non poſſum jejunare, non poſſum vigilare, non poſſum orare: nunquid dicere poteſt, non poſſum amare? non ſolum nulla eſt difficultas in amando, imo magna & grandis jucunditas. Nam vita ſine amore non eſt vita, & homo qui non amat, aut beſtia eſt, aut truncus. Advertite, Fratres, & conſiderate, quam leve tributum Dominus a nobis exigat: pro tantis beneficiis, nihil aliud petit, niſi amorem. O quam merito, quam juſte damnabitur, qui maluit ardere quam amare! O peccator! Talis tibi viſus eſt Deus, tam oneroſus amor Dei tui, ut malis ſempiternis incendiis deputari, quam amare? O pertinacia! O duritia! O nequitia cordis noſtri! Quid dicere poterimus in judicio, niſi: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum?* Hoc enim pro certo eſt, quod nullus habens in morte charitatem damnabitur. Et ſi hanc habuerit veſtem nuptialem, non mittetur in tenebras exteriores. Ecce igitur bonum jucundum, de quo loquitur thema: *Ecce quam bonum, & quam jucundum, &c.*

(*a*) *Jer.* 2.

Pſal. 3.

Pſ. 118.

*Mat.*22.

Pſ. 132.

II. In toto ſacro Euangelio non invenio, quid nobis Chriſtus Dominus noſter amplius commendaverit, quam charitatem. Hanc commendavit non ſolum opere: quia cum eſſet Filius Dei ſemetipſum exinanivit pro ſalute noſtra; ſed etiam verbo, in illo dulciſſimo ſermone poſt cœnam cum iret ad paſſionem. Ultimo; hanc ſæpius, iterum, iterumque commendans, atque præcipiens, ut firmius imprimeretur cordibus ſuorum Diſcipulorum. Verba enim quæ recedentes dicimus, amplius commendamus. Unde ait: *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem*. Et iterum: *In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi charitatem habueritis ad invicem*. Non in miraculis, non in ſapientia Scripturarum; ſed in ſola dilectione diſcipulus Chriſti, & bonus Chriſtianus agnoſcitur. Neque contentus commendare, & præcipere hoc Apoſtolis, ſed elevatis oculis in cœlum oravit ad Patrem, dicens: *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos*. Et hoc iterum, atque iterum poſtulat a Patre pro diſcipulis ſuis, & illis qui crediturі ſunt in eum. Poſt reſurrectionem quoque iterum atque iterum ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Dicite Fratres: quibus verbis potuit amplius charitas nobis a Chriſto Domino commendari? Sed & Apoſtolus Paulus ſæpiſſime hoc ipſum in ſuis epiſtolis commendat dicens: *Eſtote imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi: & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos*. Iterum: *Charitate fraternitatis invicem diligentes:* Et iterum: *Soliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis:* Et iterum: *Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum*. Et in omni Epiſtola: *Gratia vobis, & pax, &c.* Quid loquor? Hora non ſufficeret, ſi omnia vobis Apoſtoli adducerem teſtimonia de pace, & charitate.

Philipp. 2.

Ibid. 13.

Ibid. 17.

Ibid. 14.

*Epheſ.*5.

*Rom.*12.

*Epheſ.*4.

2. *Cor.* 13.

*Rom.*1.

III. Tres rationes potiſſimas tangit Apoſtolus, propter quas debemus diligere invicem. Prima quia ſumus unius corporis membra. Secunda quia ſumus unius Patris filii. Tertia quia ad unam menſam ſedemus, & unum panem manducamus. Membra quippe ejuſdem corporis mutuo compatiuntur & fovent. Cum patitur unum membrum, compatiuntur & alia membra: & cum gaudet unum membrum, congaudent omnia membra. Corona in capite ponitur, ſed omnia membra venuſtat. Item membra ad invicem ſerviunt: nam oculus non videt pro ſe ſolo, ſed omni corpori: & auris non ſibi ſoli audit, ſed toti corpori; & manus non ſoli ſibi palpat, nec pes ſibi ſoli ambulat, ſed toti corpori. Ita & nos ſtudeamus gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, & omnibus ſervire, omnibus prodeſſe. Secunda cauſa, quia ſumus unius Patris filii: ſic ipſe ait: *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & Pater omnium*. Si ergo fratres ſumus, cur non invicem diligimus? Tertia, quia unum panem comedimus, ad unum Sacramentum Altaris accedimus. Unde, *unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus*. Ideo enim Sacramentum hoc convivium dicitur, quia Sacramentum eſt unitatis & pacis, in con-

1. *Cor.* 12.

*Rom.*12.

1. *Cor.* 10.

*Epheſ.*4.

1. *Cor.* 10.

(*a*) In cap. 2. Jerem. *Notandum, quod malitia, ſive prævaricatio, poſtquam ſaturaverit prævaricantem, & inſtar coturnicum uſque ad nauſeam venerit, erudiat agentem pœnitentiam: cui imperatur, ut videat, quid reliquerit, & quid ſequutus ſit: & quomodo ſpernens bona, & dulcia; mala, & amara elegerit.*

(*b*) Serm. 225. num. 3. ex rejectis in Append., alias Serm. de Sanctis 47. *Poteſt mihi aliquis dicere, non poſſum jejunare, non poſſum vigilare: numquid poteſt dicere, non poſſum amare?* Eadem leguntur Serm. 271. num. 5., & Serm. 273. laudatæ Append., alias 6. ex 50. Homil., & 61. de temp.

concordia edentium inſtitutum. Unde, ſicut
(a) ait P. Auguſtinus (*a*): Propterea Dominus noſter Jeſus Chriſtus Corpus & Sanguinem ſuum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur. Ex multis namque granis panis unus efficitur, & ex multis racemis vinum confluit: ut ſcilicet meminerimus hæc ſumentes unitatis & pacis, &c. Vides certe, quam multa ſunt quæ nos ad hanc invitant charitatis fraternitatem. Quis contemnat Dominum commendantem, præcipientem, & pro ea orantem; Apoſtolum commendantem, rationem ſuadentem?

IV. Sed ſi hæc omnia non te movent, moveat te ſaltem ipſa, quam diximus, jucunditas charitatis. Quis non vult jucunde vivere, & cum lætitia vitam agere? Hoc ſine fraternitate habere non poteris. Quid namque jucundius, quam concordia? Quid moleſtius, quam diſcordia? Experimentum facite in matrimonio. Si uxor & maritus, & filii, & domeſtici in pace ſunt, quid eſt domus illa niſi paradiſus. Si autem e contra diſcordia eſt inter eos, quid eſt aliud niſi infernus? Unde Apoſtolus pro bono iſto con-
Epheſ.5. cordiæ, ſuadet viris, ut diligant uxores ſuas. Alioquin, quid opus eſſet hoc ſuadere, cum ſæpius ſic excedant in amando, ut pro eis Deum deſerant, & fræno potius quam calca-
(b) ribus egeant? Et P. Auguſtinus (*b*) in tantum exaltat conjugatorum concordiam, ut ſuadeat uxoribus, omnia damna, moleſtias, & venditionem dotis ſuſtinere, ne rumpatur concordia. Facite periculum in bellis, & videte quot mala, quot infortunia ſunt in eis, quot mortes, rapinæ, adulteria, tormenta, amaritudines, miſeriæ fiunt in præliis: quot terrores, timores, dolores, anguſtiæ, afflictiones, injuſtitiæ intolerabiles, cum una civitas ab inimicis ſuccenditur, & hoſtibus traditur diripienda, diripitur & devaſtatur. E contrario: in pace omnium rerum abundantia eſt: abundat juſtitia, religio, virtus, ſapientia, officia, ingenia: abundat panis, vinum, fructus, & omnia temporalia. Sicut Propheta ait: *Fiat pax in virtute tua,*
Pſ. 121. *& abundantia in turribus tuis.* Denique, ſicut
(c) ait Hieronymus, ex Saluſtio (*c*) citans: *Concordia parvæ res creſcunt, & diſcordia maximæ dilabuntur.* In particularibus quoque diſcordiis, quantum pondus moleſtiæ eſt? Qui enim habent inimicitias non dormiunt, non quieſcunt, quotidie pavidi, ſuſpicioſi, anxii, inquieti; ſi oſtium ſonat, ſi canis latrat, ſi ſtrepitus fit, ſuſpicantur inimicum, timent mortem. Quot curæ, quot ſolicitudines, quot timores, quibus anxietatibus miſeri diſtenduntur? Quibus doloribus vexantur? O vitam miſeram & laborioſam! Nonne recte vobis videbitur & merito illa omnia pati, qui placitam concordiam recuſavit? Unde ait Job: *Stultum interficit iracundia.* Vere *Job 5.* ſtultiſſimus, qui hæc omnia in odio & inimicitia potius pati elegit, quam in pace & ſecuritate jucunde, & lætanter vivere.

V. Denique, quam bona ſit pax iſta & concordia, vel ex hoc maxime apparet, quod *Jo. 3.* hæc Deum de cœlis in terram traxit. Ad quid enim venit Filius Dei in mundum, niſi ut diſſolveret opera diaboli? Id eſt: ut omnia quæ diabolus per peccatum primorum parentum diſſociaverat, reduceret in concordiam? & ſicut Apoſtolus ait: ut pacificaret *ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt.* *Coloſſ.1.* Ut Deum & hominem, Angelum & hominem, carnem & ſpiritum peccato diviſos, concordaret. Sicut idem Apoſtolus ait: *Ipſe* *Epheſ.2.* *eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, ſolvens inimicitias in carne ſua in ſemetipſo.* Optimus Mediator, qui ut conciliaret inimicos, de proprio ſolvit injuriam, & ſatisfecit offenſo, non auro, non argento, ſed tormento, ſanguine, cruce, morte. O immenſum pondus amoris! O ineffabilem charitatem! Ac ſi ad Patrem diceret: Quid Pater piiſſime adverſus hominem meditaris? Quid indignaris? Ecce ego homo ſum, homines perire fratres meos pati non poſſum. In me excute vindictam, in me expende omnem furorem tuum, vindica in me & quieſce. Ego feci, ego luam, ego curabo & ſanabo. Hunc fratres imitemur, hunc ſequamur, ſi cum illo in æternum regnare cupimus.

IN FERIAM TERTIAM PASCHATIS CONCIONIS BIPARTITÆ, PARS ALTERA.

ITEM, DE PACE.

Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum.
Pſalm. 132. v. 1.

Vel, *Pax vobis.* Joann. 24. v. 36.

CONCIO LXXI.

I. NOn omnis concordia bona eſt, & jucunda. Convenerunt fratres Joſeph, ut occiderent fratrem ſuum, aut venderent: convenerunt principes ſacerdotum

(*a*) In Joann. Euang. cap. 6. tract. 26. num. 17. *Propterea quippe, ſicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noſter Jeſus Chriſtus Corpus, & Sanguinem ſuum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conſit: aliud in unum ex multis acinis confluit.* Ita Cyprianus ad Cæcilium Epiſt. 63., & ad Magnum Epiſt. 76., ad quem reſpicit Auguſtinus in recitato teſtimonio.

(*b*) Non procul ab argumento ſunt, quæ tradit S. Parens de Serm. Dom. in monte ſec. Matth. lib. 1. num. 54.

(*c*) In Matth. lib. 2. cap. 12. *Non poteſt regnum, & civitas contra ſe diviſa perſtare; ſed quomodo concordia parvæ res creſcunt, ita diſcordia maximæ dilabuntur.* Hæc tradit Saluſtius Bell. Jugurth. tamquam Micipſæ verba: *Equidem ego regnum vobis trado firmum, ſi boni eritis, ſi mali, imbecillum. Nam concordia parvæ res creſcunt; diſcordia maximæ dilabuntur,*

dotum *in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*. Conveniunt latrones ut faciant furta: conveniunt hæretici ut perdant Eccleſiam. Non eſt bona pax iſta, Fratres, non eſt jucunda, ſed deteſtanda & abominabilis. Ita Dominus ait: *Pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Innuens quia erat alia pax mundi, quam ipſe non dat, ſed reprobat, & odit eam. De hac pace Propheta: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*. In pace hæreticorum, tyrannorum amaritudo Eccleſiæ amariſſima eſt. Illa ergo amabilis & jucunda concordia eſt, quæ a Dei amore & charitate procedit, non quæ ab iniquitate vel cupiditate eſt, ſicut Hieronymus (*a*) ait: Vera neceſſitudo eſt, & Chriſti glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præſentia tantum corporis, non ſubdola & palpans adulatio, ſed Dei timor & ſacrarum Scripturarum ſtudia conciliant. Unde aperte Propheta cum dixiſſet in themate: *Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum*, ſtatim ſubjungit: *Sicut unguentum in capite, &c.* Quaſi dicat: Fraternitas optima eſt, & jucunda: illa tamen quæ ab unguento charitatis procedit; hæc eſt unguentum de quo in Canticis: *Curremus in odorem unguentorum tuorum*. Et de quo Pſalmus: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*. Et de quo Joannes: *Unctio ejus* docebit *vos de omnibus*. Et de quo Iſaias: *Computreſcet jugum a facie olei*.

Pſal. 2. *Jo. 14.* *Iſaiæ 38.* (*a*) *Pſ. 132.* *Cant. 1.* *Pſal. 62.* *1. Jo. 2.* *Iſaiæ 10.*

II. Hæc unctio quatuor ſitus habet. Primum in capite. Secundum in barba. Tertium in veſte. Quartum in ora veſtimenti. Et ita quatuor facit maximas & ſingulares conformitates, ſive concordias. Hujus ergo unctionis abundantia maxima in capite eſt. Caput Chriſti Deus, id eſt inter Divinas Perſonas. Diligunt enim ſe mutuo ex charitate, & inter eas infinita eſt dilectio. Nulla charitas huic comparari poteſt ſicut etiam nulla conformitas. Qualem putas eſſe concordiam in illa ſuper benedicta Trinitate? Ubi Tres, Unus Deus, una ſubſtantia, una bonitas, una voluntas, unus amor ſunt. Neque enim ibi concordia amorum eſt, ſed unus amor: non concordia voluntatum, ſed una voluntas in omnibus, imo omnes una voluntas. Non poteſt imaginari major concordia in mundo. Nam ſicut unio infinita, ita & concordia infinita eſt. Unde & Bernardus (*b*): Lex eſt ergo, & lex Domini charitas, quæ Trinitatem in unitatem quodammodo cohibet, & colligat in vinculo pacis. Nam ubi infinitus eſt amor, neceſſe eſt quoque infinitam eſſe concordiam. Infinita autem concordia, identitas eſt. Nam infinitus ille amor quo Pater diligit Filium non ſatiaretur omnino, niſi cum ipſo quem diligit unum eſſet. Hæc eſt enim amoris proprietas ſecundum Dionyſium (*c*): Transformare diligentem in dilectum. Ubi ergo infinitus amor, infinita eſt transformatio: infinita transformatio identitas eſt. Hoc igitur quod amor in omnibus deſiderat fieri unum cum dilecto, illum qui diligit, in Divinis ſolummodo obtinuit. Ibi ſolum invenit, quod in omnibus perficere cupit. Sed nunquid in ſolo capite ſervabitur unguentum iſtud, & balſamum odoriferum, & pretioſiſſimum? Non; ſed a capite utique deſcendet.

(*c*)

III. Et primo in primum, & altiſſimum faſtigium totius creaturæ: ſcilicet: in barbam: barbam autem non cujuslibet, ſed Aaron ſummi illius Pontificis, qui ſe obtulit Deo hoſtiam pro mundo in odorem ſuavitatis. Id eſt: in Humanitatem Chriſti. Poſt illam enim ineffabilem charitatem, qua Tres Perſonæ Divinæ ſe mutuo diligunt; ſecunda hæc eſt, qua Humanitas hæc ſacratiſſima a Deo diligitur. Ipſum enim Hominem Chriſtum, ſicut ſuper omnem poteſtatem & principatum conſtituit: ita & ſuper omnes diligit. Nullus Angelus, nullus Archangelus, nullus Cherubim, aut Seraphim ita dilectus eſt. Unde ait: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Unde *in Canticis*, merito repetito vocabulo: *Dilectus ex dilecto* nuncupatur: id eſt, Primum Dilectum & prima ratio diligendi: quoniam in ipſo electi & gratificati ſumus omnes ante mundi conſtitutionem. Sicut ait Apoſtolus: & ſicut hæc ſecunda charitas eſt, ita etiam ſecunda concordia. Nam in prima ſunt tres amantes, & unus amor: hic autem e contrario ſunt duo amores, & unus amans. In prima, tres volentes & una voluntas: in ſecunda duæ voluntates & unus volens; in prima eſt concordia amantium in amore, in ſecunda concordia amorum in volente. Sed neque hic ſtetit unctio ſalutaris.

Epheſ. 1. *Mat. 3.* *Cant. 5.* *Epheſ. 1.*

IV. Sed adhuc amplius deſcendit a barba in veſtimentum: id eſt ſupernos illos Spiritus & beatas mentes civitatis ſupernæ. De his enim dixerat Iſaias: *Vivit Dominus quia omnibus his, velut veſtimento veſtieris*. In hac beata conformitate, & amores & amantes diſtincti ſunt, ſed indiſſolubili nexu beatitudinis conglutinati, ut disjungi non poſſint, aut ab invicem diſcordare. O pax! O unitas admirabilis illius ſanctiſſimæ civitatis! O prodigium! O miraculum grande, ut in tanta multitudine & tam varia differentium perſonarum, Angelorum, & hominum, nulla ſit omnino diſcrepantia voluntatum, neque tantillum unus diſcordet ab altero, ſed quod unus vult velint omnes! O beatam rempublicam tam unanimem tam concordem! Unde hoc? niſi quia ibi non eſt proprietas voluntatum, ſed quod Deus vult hoc omnes volunt?

Iſaiæ 49.

(*a*) Epiſt. 50. ad Paulinum ſecunda, initio, alias Epiſt. 103. Unica periodus ſequens eſt Hieronymi.

(*b*) Epiſt. 11. ad Guigonem Priorem, & cæteros Carthuſiæ majoris Religioſos num. 4. Unica periodus prima eſt S. Bernardi.

(*c*) De Divinis Nominibus cap. 4. §. 13. *Eſt præterea Divinus amor ecſtaticus, qui non ſinit eſſe ſuos eos, qui ſunt amatores, ſed eorum, quos amant.*

volunt? Divina voluntas omnium voluntatum una, & sola regula est: & ideo impossibile est discordare. Hæc enim sanguisuga
Prov. 30. illa cum suis filiis, de qua Salomon; id est, propria voluntas, pacem tollit, discordiam parit. Tolle propriam voluntatem, & non erit dissensio, non erit scandalum in mundo. Non est & ibi cupiditas mater divisionis, quoniam hæreditas illa indivisa ab omnibus possidetur hæredibus, sicut ait Psalmus: *Je-*
Ps. 121. *rusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum*, id est: cujus bonum ab omnibus simul possidetur, totum ab omnibus, & totum a quolibet eorum; ideo non est dissensio. Charitas quoque immensa: cujus est facere propria communia, & communia propria, omnem illam parit concordiam. O quando hac pace perfruemur Fratres?

V. Sed adhuc salutaris unctio descendit a vestimento ad oram vestimenti, id est Ecclesiam militantem. Descendit autem sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.
(a) P. Augustinus (*a*): Hoc juxta litteram intelligi non potest: nam Hermon mons est valde distans a monte Sion. Quomodo ergo ros ejus potest descendere in Sion? De monte illo superno loquitur, de quo in alio Psalmo:
Psal. 67. *Mons Dei mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit* in eo *in finem*, id est, in fine, ab illo monte, qui & vestimentum ejus dictus est, & mons Hermon qui interpretatur Anathema mœroris, quia ibi non habet locum omnis mœror. Ab illo descendit hæc unctio,
Act. 2. sicut ros in montem Sion; quoniam in die Pentecostes distillaverunt cœli a facie Dei Sinai, super Apostolos in Sion congregatos pluviam illam voluntariam, quæ inebriavit terram, & locupletavit eam: & in
Psal. 64. stillicidiis ejus lætata est germinans. Hic est ros de quo Isaias: *Ros lucis, ros tuus*. Hæc
Isaiæ 26. autem sic distillata charitas, bone Deus, quantam fecit in toto orbe concordiam, quantam peperit unitatem? Græci, Latini, Barbari, Hebræi, Æthiopes, Indi, Hispani, & omnes aliæ orbis nationes, tam diversis moribus, conditionibus, ritibus, in unam fidem mirifico glutino, hac unctione copulatæ, & agglutinatæ sunt. Sicut in Apoca-
Apoc. 5. lypsi dicitur: *Ex omni gente, & populo, & natione fecisti nos Deo* salutari *nostro regnum*. Illic ergo in isto monte distillavit Dominus
Ps. 132. benedictionem, & vitam; sed inde per totum orbem dispersa est in omnes gentes, &
Malach. 1. ab ortu usque ad occasum pervenit. Denique, quantam tunc temporis concordiam fecerit in fidelibus, Lucam audiamus:
Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*. O principium Ecclesiæ, quam longe fuisti ab eo quod nunc es? Quanta tunc pax & concordia, quot nunc rixæ, dissensiones, controversiæ, litigia? Quam longe sumus ab illa unitate & pace, quam nobis moriens Dominus sic commendavit? Tunc
Jo. 14. autem non sic, sed erat illis anima una, & cor unum in Domino. Nulla quippe hodie religio tam sancta, tam una, tam reformata est, sicut erat tunc omnis religio Christiana.

VI. Sed hostis generis humani non dormit, sed more suo sicut a principio seminavit zizaniam in cœlo & in mundo; ita &
Mat. 13. tunc in Ecclesia Dei super bonum triticum doctrinæ, seminavit zizaniam multarum hæresum. Nam illico Cherintus, & Hebion, & Nicolaitæ, deinde Arius, & Sabellius, Helvidius, Donatus, & alii hæretici magnam in Dei Ecclesia discordiam & divisionem fecerunt, præcipue tempore Arii: quoniam ex una parte concilia Catholicorum, ex alia conciliabula hæreticorum: ex una parte Principes, ex alia & Principes: ex una Episcopi & plebes, & ex alia Episcopi & plebes contra se invicem diffidebant, atque certabant. Denique tunc Ecclesia orientalis ab occidentali sæpius dissentiebat, atque Alexandrinus, & Antiochenus Patriarchæ ab Apostolica Sede sæpius diffidebant. Unde, quia omne regnum divisum desolabitur, hæc discordia fecit ut mahometica se-
Ibid. 12. cta, ab Ecclesia orientali facile reciperetur: nec destitit multiplicari seminatum lolium inter Ecclesiam Græcam & Latinam, quæ multo tempore duravit. Nam in multis Græci a Sede Apostolica diffidebant: ut in processione Spiritus sancti, & in fermentato Sacramenti, & in cœlibatu Clericorum, & aliis. Nec omnino Patriarcha Constantinopolitanus Romano Pontifici obediebat, donec ex hac discordia (*b*) Ecclesia Græca omnino perdita (*b*)
est, & per octoginta tres annos a Turcis Constantinopolis occupata. Mansit ergo sola Ecclesia Latina in fide, perdita orientali Ecclesia Græca, neque in hac cessat a zizaniæ seminatione; sed ut videtis, in Germania hæreses seminavit, & inter Hispaniam & Galliam bellum atrocissimum & longissimum: quæ discordia quantum detrimentum attulerit Ecclesiæ, omnibus notum est, perdito Belgrado, & Buda (*c*), & magna parte Hun- (*c*)
gariæ, & Rhodo insula, quæ erat Christianitatis porta. Unde enim ampliata est Turcarum

(*a*) In Psal. 132. num. 11. *Sed Hermon quid sit nosse debetis. Mons est quidam longe disjunctus ab Jerusalem, id est a Sion. Itaque mirum est, quod sic ait: sicut ros Hermon, qui descendit super montes Sion: cum mons Hermon longe sit disjunctus ab Jerusalem: nam trans Jordanem esse dicitur. Ergo aliquid interpretatione Hermon quæramus.*

(*b*) Recte S. Orator Græcorum excidium in eorumdem pervicaciam, ac defectionem ab Ecclesia Romana refundit; quandoquidem calamitatem hujusmodi triennio ante, manifesto vaticinio prænuntiavit Nicolaus V. Pontifex Maximus, litteris ad Græcos datis, siculneæ Euangelicæ exemplo usus, quemadmodum ex Gennadio Patriarcha refert Spondanus ad an. 1451.

(*c*) Belgradum Solimanus II. Turcarum Imperator anno 1521. oppugnavit; Budam, & magnam Hungariæ partem vastavit anno 1526.; Rhodum anno 1522. occupaverat, ut alibi jam notavimus.

carum potentia, unde ejus imperium sic sublimatum est, nisi ex discordia Christianorum?

VII. Videns itaque Christianissimus Imperator damnum maximum Christianæ religioni ex hac discordia provenire, zelo fidei motus, cum Summo Pontifice & Venetis pacem & concordiam (*a*) procuravit, per quam turcicæ potentiæ & exercitui posset obviari; quam pacem speramus in maximam Ecclesiæ utilitatem profuturam: *Funiculus* enim *triplex difficile rumpitur*. Triplex potestas tam magna non facile superabitur. *Et frater qui juvatur a fratre, quasi civitas* munita. Et quia hanc concordiam a Deo esse non dubitamus, (*Potestas* enim *& terror apud eum est qui facit concordiam in sublimibus suis*) ideo præcepit ut in omnibus sui regni Ecclesiis cathedralibus hujus tantæ concordiæ commemoratio & solemnitas fiat, ad duo: ad dandas scilicet gratias omnipotenti Deo pro tanto beneficio, & ad devote supplicandum, ut confirmet hoc beneficium, quod operatus est a Templo sancto suo, & fixa & durabilis sit ista concordia. O si placeret Deo, ut reliqui Principes Christiani in hoc fœdus conjungerentur! *Quam bonum, & quam jucundum* esset, *habitare Fratres*, Principes unius Ecclesiæ filios, *in unum?* Quis tunc Ecclesiæ nocere posset? Non solum Turca, & reliqua barbaries non esset sufficiens contra eam; sed ipsa maximam partem Dominii perditi recuperaret. Faciat hoc Deus pius & misericors: respiciat hæreditatem suam, pro qua Sanguinem suum fudit: & det pacem Ecclesiæ suæ in virtute sua; ut sit abundantia omnium bonorum in turribus suis, ut per hanc temporalem abundantiam ad æternam gloriam transeamus: ad quam nos perducat ipse Jesus Christus Dominus noster. Amen.

Eccles. 4.
Prov. 18.
Job 25.
Psal. 67.
Ps. 132.
Ps. 121.

(*a*) Fœdus inter Carolum V., Paulum III., & Venetorum Rempublicam adversus Turcarum insolentiam initum est anno 1538., ut communiter Historici, pactæque conditiones Romæ die 8. Februarii in Consistorio; quæ quidem conditiones proferuntur a Raynaldo ad ann. 1538. num. 4.

IN DOMINICAM IN ALBIS

CONCIO.

DE DUABUS CHRISTI APPARITIONIBUS; ET DE PROBIS RESURRECTIONIS DOMINI AC NOSTRÆ.

Quia vidisti me Thoma credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.
Joann. 20. v. 29.

CONCIO LXXII.

I. DUas nobis apparitiones Euangelica narrat historia. Primam, quæ ad solos decem Apostolos ipso die resurrectionis facta est, de qua juxta Lucam, feria tertia Paschæ dictum est: alteram, quæ octavo die ad undecim Apostolos facta est, de qua hodie futurus est sermo. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam*. Admiranda durities: cui tot fratrum authoritas, & gaudium inspectum non sufficit ad fidem. Ut hanc curaret Dominus apparuit: pius Pastor ovem suam perire non patitur; sicut ad Patrem dixerat: *Quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam*. Discant Prælati, quam commissis ovibus solicitudinem exhibeant; si pro una sola Dominus apparuit. Omnis solicitudo, omnis labor unius animæ negotio minor est. Civem Romanum fieri olim magni pretii res erat, civem cœlorum fieri quanti erit? Qui errantem ovem reducit ad ovile, si illa ovis a vita discedat, magnum sibi apud Deum advocatum legavit. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis*. Felix manus quæ Dominici pectoris secreta rimavit. Quas divitias non intus invenit? Ab illo pectore arcana cœlestia Joannes hauserat dormiendo. In illo, Thomas grandes thesauros reperit scrutando. Grandis illa schola, quæ tales Discipulos facit. Inde alter super astra volans mira de Divinitate dictat, cum ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Alter radio veritatis tactus, sublimiter exclamat. *Dominus meus, & Deus meus, Dominus meus, & Deus meus*. Major incredulitate confessio altius sonare non potuit: quidquid fides habet, brevi elogio comprehendit. O miram hominis perspicaciam! Hominem palpat, & Deum vocat. Aliud tetigit; aliud credidit. Si mille codices ederet, non ita Ecclesiæ profuisset. Quam aperte, quam fideliter, quam nude Christum vocat Deum. O verbum Ecclesiæ Dei utiliſſimum & necessarium! quo multæ hæreses & validissimæ olim ab Ecclesia extirpatæ sunt. Laudatus est Petrus, quia dixerat: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Expressius intonat Thomas: *Dominus meus, & Deus meus*; simplici verbo utramque naturam in Christo con-

Lucæ 24.
Jo. 20.
Lucæ 15.
Jo. 18.
Jo. 20.
Ibid. 13.
Ibid. 20.
Ibid. 1.
Ibid. 20.
Mat. 16.
Jo. 20.

confeſſus. *Quia vidiſti me Thoma credidiſti; beati qui non viderunt & crediderunt.*

II. Grandis ex hoc verbo nobis eſt conſolatio Fratres. Quoties dicimus, quoties clamamus: O beati oculi! O tempora felicia! O ſæcula dulcia, quæ tanta myſteria inſpicere, ac videre meruerunt! Ita eſt: *Beati* Luc. 10. *oculi, qui vident quæ vos videtis*, ait Dominus: *Sed & beati qui non viderunt, &* Jo. 20. *crediderunt*. Fuit illud majoris ſolatii, hoc altioris meriti. Viſio magis lætificat, fides amplius honorat. Quid magnum quod Petrus, & Andreas, & Thomas, & alii Apoſtoli, pro Domino quem viderant a mortuis vivum, & in cœlo ſublimatum, vitam expoſuerint? An non altioris meriti videtur, pro non viſo mori? Niſi quod Apoſtoli duplici hoc titulo beati ſunt; & quod viderint Chriſtum a mortuis ſurrexiſſe, & quod ſic viderint, ut viſio hæc fidei meritum non evacuaret: quæ poſteris relicta eſt in exemplum. Admiramur autem amplius aliorum fidem & conſtantiam, qui cum neque Chriſtum, neque Apoſtolos viderint, apoſtolicæ tamen fidei & perfectionis imitatores, & veluti hæredes ſunt. Non ſic ſtupeo, cum Petrum & Andream crucifixos video, ſicut cum Laurentium inter prunas, & Sebaſtianum inter ſagittas gloriantes inſpicio. (a) Unde Bernardus (a) ad Fratres: Quid eſt quod vita veſtra apoſtolicam repræſentet? Illi reliquerunt omnia in ſchola Salvatoris, ſub ejus præſentia congregati: vos autem non in præſentia, ſed in abſentia: non ad verba oris ejus, ſed ad vocem nuntiorum ejus ſimile aliquid feciſtis. Defendite vobis hanc prærogativam Fratres: quod illi ad viſum & ad verbum, vos ad auditum & nuntium credidiſtis. Hæc Bernardus. Et ipſe Dominus per Prophetam, ut eos confunderet, qui videntes Chriſtum increduli fuerunt, inquit: *Populus quem non cognovi, ſervivit* Pſal. 17. *mihi, in auditu auris obedivit mihi*. Et Petrus in canonica, commendans eos, qui cum Chriſtum non vidiſſent, fidem apoſtolicam imitabantur, ait: *Quem cum non videritis,* 1. Petr. 1. *diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata: reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum* veſtrarum. Hæc de Euangelio.

III. De fide & teſtimonio Dominicæ reſurrectionis dicendum eſt hodie: quomodo videlicet Chriſtus ſuam reſurrectionem probavit: quomodo etiam nos probabimus noſtram. Inter fidei noſtræ orthodoxos articulos, unus ex difficillimis & magis arduis, *reſurrectio mortuorum* invenitur. Quam difficile fuit hoc mundo perſuadere, ut incineratum corpus, & uſquequaque per elementa diſtractum, iterum reparari ad vitam crederet, & vitales rurſus auras haurire. Animas corporibus ſolutas rurſus alia vivificare corpora hominum, vel brutorum, aut in melius mutatas, fulgida in aſtra transferri, quorundam philoſophorum (b) dogma tenebat: ſed carnem & oſſa poſt cineres ſuo vivificata ſpiritu, in vitam quandam immortalem reſurgere, niſi fides doceret, quis unquam hominum ſuſpicaretur, aut cui unquam veniret in animum? Paulus Apoſtolus cum Athenis, in philoſophorum gymnaſio publice concionaretur, ſumma attentione, & magno ſilentio auditus eſt, quouſque ad hunc articulum perveniret: ſed hoc audito, riſerunt omnes, & veluti delirus ab omnibus exploſus eſt. *Quid*, inquiunt, *vult ſeminiverbius hic dicere?* Act. 17. Quanto igitur veritas hæc mundo difficilior ad credendum viſa eſt, tanto fortiori indiguit teſtimonio. Fuit reſurrectio Chriſti reſurrectionis noſtræ exemplar, & cauſa. Unde ut perſuaderet noſtram, decuit validiſſimis mediis probare ſuam: ſicut & factum eſt: nam per quadraginta dies, ſuam diſtulit aſcenſionem: ut hoc temporis interſtitio, ſicut ait Lucas, Diſcipulis ſuis præberet *ſeipſum vivum poſt paſſionem ſuam* Ibid. 1. *in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*. Sicut enim quadraginta horis (c) mortem ſuam probavit, ita quadraginta diebus ſuam firmavit reſurrectionem.

IV. Triplici autem teſtimonio ad hoc uſus eſt Dominus: Scripturarum, Angelorum, & ſenſuum. Non ſolum enim exteriori quodam magiſterio ex ſacra Scriptura, plurima ad hoc, & fortiſſima loca & citavit & expoſuit; ſed etiam interiori quodam lumine eorum intellectus illuſtravit, ſicut Euangeliſta ait: Aperiens *illis ſenſum, ut intelligerent* Luc. 24. *Scripturas*. Ipſe enim qui exterius docebat, interius illuminabat: quia Lux & Magiſter erat.

(a) Ita porro Bernardus Serm. 22. de diverſ. num. 2. *Quid enim eſt (gratias illi, cujus gratia hoc totum factum eſt) quod vita veſtra vitam Apoſtolicam repræſentet? Illi reliquerunt omnia, & in ſchola Salvatoris, ſub ejus præſentia congregati, hauſerunt aquas in gaudio de fonte Salvatoris, ipſum vitæ fontem in ipſo fonte bibentes. Beati oculi, qui viderunt. Numquid non & vos, non in præſentia, ſed in abſentia ipſius: non ad verba oris ejus, ſed ad vocem nuntiorum ejus, ſimile aliquid feciſtis? Defendite vobis hanc prærogativam, quod illi ad viſum, & ad verbum, vos ad auditum, & nuntium credidiſtis.* Hoc etiam explicat Bernardus Serm. de diverſis 27. num. 3., & 37. num. 7.

(b) Pythagoreorum dogma notiſſimum.

(c) Ita S. Pater Auguſtinus lib. 4. de Trin. cap. 6. Nam Chriſtus hora nona, ideſt tertia pomeridiana feriæ ſextæ expiravit: ſurrexit vero illuceſcente aurora diei Dominicæ, ut fert communis Doctorum, & Eccleſiæ ſenſus. Erant autem tunc dies noctibus æquales, quia Paſcha circa æquinoctium. Quocirca quatuor horæ, incluſa ipſa nona, uſque ad ſolis occaſum feriæ ſextæ numerandæ ſunt, duodecim noctis ſequentis, totidemque diei Sabbati: horæ itidem duodecim noctis Dominicam antecedentis, quæ ſummam horarum 40. reddunt; ita tamen, ut primam, & ultimam horam ex parte aliqua tantum intelligamus. Opinionem hanc amplectitur, & probat Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 46. ſect. 3. Hinc non eſt cur Cornelius a Lapide in Matth. cap. 28. mirum dicat, Auguſtinum a morte Chriſti ad ejus reſurrectionem numerare horas 40.

erat. Quam potenter, quam luculenter Discipulis illis in itinere Emmaus, omnes Scripturas evolvit & expoſuit? *Incipiens* enim *a Moyſe*, & per cæteros Prophetas diſcurrens: *interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant*. O ſacram lectionem! O deſiderabilem expoſitionem! O quis eam noſſet! O Euangeliſtæ ſancti, cur nobis hanc lectionem conticuiſtis? Plurima P. Auguſtinus (*a*) *in libro de Civitate Dei* ad hoc adducit teſtimonia. Sed non ſic juvat illa audire ab Auguſtino, ſicut juvaret a Chriſto. Ex his autem, illa potentiora, & evidentiora reputamus, quæ in Pſalmis leguntur; ut eſt illud: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*. Quod in hoc ipſum ab Apoſtolo Petro allegatum eſt. Et illud: *Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me*. Et rurſus: *Exurrexi & adhuc ſum tecum*. Et rurſus alibi: *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cythara, exurgam diluculo*. Ubi non modo reſurrectio, ſed & reſurrectionis tempus exprimitur. Et illud, quo nihil apertius: *Adverſum me ſuſurrabant omnes inimici mei, adverſum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum conſtituerunt adverſum me: nunquid qui dormit, non adjiciet ut reſurgat? Etenim homo pacis meæ, in quo ſperavi: qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem. Tu autem Domine miſerere mei*. Sed in quo? Nunquid ut liberes me ab illis? Nunquid ut a cruce iſta deponas me? Non, inquit: Sed *reſuſcita me, & retribuam eis*. In hoc miſerere. Sicut & per alium Prophetam ad æmulam ſynagogam loquitur dicens: *Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cecidi: conſurgam cum ſedero in tenebris: Dominus lux mea eſt*. His & ſimilibus teſtimoniis ſuam reſurrectionem ex Scripturis ſacris Dominum comprobaſſe credimus, quæ paſſim per omnes Prophetas leguntur: adjunctis figuris & typis, quorum Lex plena eſt. Ut eſt illud Jonæ in ceti utero navigantis, & illud Samſonis parabolicum: *De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*: & ſimilia.

V. Fidem quoque Prophetiæ fecerunt, Angelorum viſa oracula, & audita. Non enim unius tantum, ſed trium aut quatuor Angelorum teſtimonio roboratum eſt hoc ſacramentum. Jeſum *quæritis*, ait unus, *Nazarenum crucifixum: ſurrexit, non eſt hic*. Et duo alii ad mulieres ſanctas: *Quid*, inquiunt, *quæritis viventem cum mortuis?* Neque tantum dixerunt hoc, ſed etiam ut aliis dicerent injunxerunt. Non ſolos autem Angelos Filio ſuo teſtes pius Pater miſit e cœlo; ſed etiam plures ſanctorum Patrum, in hujus rei teſtimonium deſtinavit ex limbo; qui ut Euangeliſta ait: *Exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis*. Et procul dubio Dominicam reſurrectionem, & ſuam, illis teſtificati ſunt. De quibus poſtmodum quid factum fuerit, ardua inter doctores quæſtio eſt, quibuſdam aſſerentibus: quod poſtea dormierunt nobiſcum iterum ſuſcitandi, & Apoſtolico teſtimonio id roborantibus, *ad Hebræos capite undecimo*; ubi ait: *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem. Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur*. Cui conſonat Pſalmographus dicens: *Me expectant juſti, donec retribuas mihi*. Aliis autem e contrario opinantibus: perfectam in illis reſurrectionem fuiſſe, & cum ſuis corporibus æthereas poſſidere manſiones. Neque enim, ut inquiunt, tam ardenter & cupide prope regionem illam ſe ſancti Patres ſepeliri curarent, ut etiam ab Ægypto corpora, reliquiaſque ſuas quidam illorum transferri mandaverint; niſi cum Chriſto, ſuam anticipare reſurrectionem ſpiritu prophetico cognoviſſent. Quid enim illis contulit reſurrectio poſt modicum morituris? Sed in re tanta tutius exiſtimarem cum Hieronymo (*b*) dubitare, quam certum aliquid definire, niſi me illa Apoſtoli verba cum P. Auguſtino (*c*) ſentire compellerent; Nondum fuiſſe ſine nobis perfecta reſurrectione conſummatos, ſed meliore ſui parte beatos, ſtola prima, Dei videlicet viſione frui.

VI. Utcumque tamen res ſe habet; hoc pro certo credimus & ſentimus: neque Scripturas, neque Angelos, neque Patres e limbo ſuſcitatos, mundo ad reſurrectionis plenam fidem ſatis fuiſſe, niſi idem ipſe Dominus qui ſurrexerat, Diſcipulorum oculis appareret. Viſus enim apud homines in teſtificatione veritatis principatum tenet: cujus teſtimonium Dominicæ reſurrectioni defuiſſe non decuit. Apparuit enim non tantum ſemel: ſed plus decies (*d*): non uni ſoli, aut duobus, ſed *pluſquam quingentis fratribus ſimul*: non in ſecreto, ſed in publico, non in obſcuro, ſed in monte, die claro; non a longe, ſed in medio eorum, ut ab omnibus diſtincte videri poſſet, notus omnibus. Uſque adeo *ut nemo audebat diſcumbentium interrogare eum. Tu quis es? Scientes quia Dominus eſt*, ut Joannes ait. Et ut viſui concordaret auditus, ſono, voce, ſtylo, organo ante paſſionem conſuetis, & uſitato eloquio, locutus eſt cum illis: ut etiamſi

non

(*a*) De Civit. Dei lib. 17. & 18.

(*b*) Hieronymi locum, ad quem S. Orator reſpicit, allegavimus jam in notis ad Concion. 2. in Dom. Reſurr.

(*c*) Agit de hoc S. Parens Epiſt. 164. num. 9., alias Epiſt. 99. ad Evodium. Recentioribus tamen oppoſita magis arridet opinio.

(*d*) Forte intelligendum *Undecies*. Nam Chriſtum ante Aſcenſionem novies apparuiſſe perhibent Euangeliſtæ: quibus, ſi addas primam apparitionem B. Mariæ Virgini, de qua in Concion. 2. & 4. in Dom. Reſurrectionis egit S. Orator, & apparitionem die ipſo Aſcenſionis, undecies apparuiſſe conſtabit.

non videretur, ex auditu ſolo poſſet agnoſci. Et ne ullus in eis ſcrupulus remaneret, palpabilem ſe illis exhibuit, ut tactu probaretur, non habere corpus phantaſticum, ſed verum; non aereum, ſed ſolidum; non alterius naturæ, ſed oſſeum & carneum; & idem ipſum quod in cruce pependerat. In cujus fidem vulnera reſervavit, & oſtendit. Et quia glorificatis corporibus, ut P. Auguſtinus (*a*) ait: non poteſtas, ſed egeſtas edendi aufertur: comedit etiam, & bibit coram eis, ut vivum & animatum ſe eſſe monſtraret. Denique nihil omiſit, quod ad plenam & integram fidem a quopiam ſcrupuloſiſſimo & incredulo efflagitari potuiſſet: ne forte poſtmodum fidelium quiſpiam diceret: O ſi attrectaſſent, o ſi palpaſſent! O ſi hoc, aut illud viſores Diſcipuli experti fuiſſent! Unde mira diſpenſatione incredulitatem illam Diſcipulorum eveniſſe putandum eſt, ut dum eorum hæſitatio evidentioribus argumentis plene convincitur, illorum cunctatione fides noſtra ſolidetur; quantumvis enim modicæ fidei homo, quantumvis imbecillis ingenii Chriſtianus, ut Leo (*b*) ſanctiſſimus inquit, numquam ſolicitudinem ſuam inquiſitioni Thomæ æquiparare potuiſſet. Numquam enim poſt agnitam veritatis loquelam auſus eſſet petere, ut etiam tactu Chriſtum perſcrutaretur in Chriſto, & in ipſo homine quem cerneret, hominis corpus inquireret. Quis, obſecro, poſt tot, & tam evidentia teſtimonia, cuipiam dubitandi relictus eſt locus?

(*a*) Act. 1.

(*b*)

VII. Omne quantumvis arduum & difficile creditu, ſi quinque vel ſex hominum graviſſimorum oculata fide aſſeritur, ab omnibus ſuſcipitur, & indubie creditur, & acceptatur. Et quingentis teſtibus oculatis, & talibus teſtibus fidem quis non adhibeat? Qui non ſolum hoc doctrina & verbo aſſeruerunt, ſed morte & ſanguine confirmarunt. In hujus enim rei teſtimonium a tyrannis mundi, atrocibus ſuppliciis, & dira morte occiſi ſunt. Pendet in cruce Petrus: biduo in cruce pendebat Andreas; ex patibulo veluti ex pulpito populo acclamans: Videte, Fratres, quid ſuſtineo, conſiderate, quæ patior, credite crucifixo, credite morienti. Si enim vera non ſunt, quæ vobis prædico, ut quid miſer iſta ſuſtineo? Si non vidi, quæ vidiſſe me aſſero, ut quid libens, ac volens in hac cruce pendeo? Pro falſitate agnita quis moritur? Aut quis exſpectatur ex mendacio fructus? *Si Chriſtus non reſurrexit*, ut dicimus, *invenimur falſi teſtes Dei: quoniam teſtimonium diximus adverſus Deum, quod ſuſcitaverit Chriſtum; quem non ſuſcitavit.* Sed falſus teſtis cum non erit impunitus: pro falſo teſtimonio a vero Deo gloriam quis exſpectet? Quænam igitur nobis moriendi ratio, quæ ratio tam dira tormenta patiendi? Non enim ea vobis prædicamus, quæ aliis narrantibus audivimus, aut pro libito ipſi confinximus, ſed quæ oculis noſtris perſpeximus, & oculata fide probavimus. Non ergo fallimur, quia vidimus; non fallimus, quia pro veritate morimur.

1. Cor. 15.

VIII. O Fides Catholica, quam firma es, quam bene radicata, quam bene fundata ſuper firmam petram! *Cœlum & terra tranſibunt:* tu autem præterire nunquam poteris. Totus orbis a principio tibi contradixit, ſed tu potentiſſime de omnibus triumphaſti. *Hæc eſt enim victoria quæ vincit mundum fides noſtra.* Hæc Reges potentiſſimos Chriſti Imperio ſubjugavit; hæc populos ferociſſimos Chriſti obſequio mancipavit. Quid fecit Martyres diros agones, & acerrimas pœnas ſubire, niſi fides? Quid fecit Anachoretas contemptis deliciis, ſpretis honoribus, calcatis divitiis, cœlibem in ſolitudine vitam agere, niſi viva fides? Quid hodie Chriſti fideles facit inter lutoſas ſæculi delicias impolluto pede tranſire, niſi *fides, quæ per charitatem* talia *operatur?* Hæc veros Chriſticolas facit mollia abjicere, dulcia relinquere, aſpera ſubire, laborioſa ſufferre. Hæc facit ſpe futurorum, præſentia bona dimittere; & futuris præſentia commutare. Quid mirum ſi vitam hanc ardentiſſime diligit, qui aliam aut non credit, aut non ſperat? Denique *juſtus ex fide vivit.* Quod ſi fidei ſaluberrimis monitis per inobedientiam ſe ſubtraxerit, Deo non placebit. Fides prava deſideria, effrenes appetitus cohibet, feroces cordis motus ſedat, vitia pellit, virtutes inſerit, mollia calcat, aſpera tolerat, in proſperis non erigitur, in adverſis non dejicitur: denique nihil eſt tam arduum, & tam durum, quod non aggrediatur propter Deum, qui viva fide credit in Deum. Apoſtolum audiamus: Sancti *per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum; extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello. Alii autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem. Alii vero ludibria, & verba experti, inſuper & vincula, & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, circuierunt in melotis: in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti; quibus dignus non erat mundus. In ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ. Et hi omnes teſtimonio fidei pro-*

Mat. 24.

1. Jo. 5.

Galat. 5.

Rom. 1.

Heb. 11.

(*a*) De Civit. Dei lib. 13. cap. 22. *Certe fides Chriſtiana de ipſo Salvatore non dubitat, quod etiam poſt reſurrectionem, jam quidem in ſpiritali carne, ſed tamen vera, cibum, ac potum cum Diſcipulis ſumpſit. Non enim poteſtas, ſed egeſtas edendi, ac bibendi talibus corporibus auferetur.*

(*b*) Hæc habet S. Pontifex Serm. 73. noviſs. edit. an. 1753. *Quam utique hæſitationem humana infirmitate nutantem nequaquam permiſiſſet Spiritus veritatis prædicatorum ſuorum ineſſe pectoribus, niſi illa trepida ſollicitudo, & curioſa cunctatio, noſtræ fidei fundamenta jeciſſet. Noſtris igitur perturbationibus, noſtriſque periculis in Apoſtolis conſulebatur.*

probati. Quam mire, quam luculenter, fidei virtus & potentia a Spiritu ſancto deſcripta eſt? Decuit igitur, talem ac tantam fidem hujuſmodi argumentis corroborari, ne violentia principum, & æmulorum invidia caſſaretur. Niſi enim ſupra omnem dubitationem firmiſſimo teſtimonio firmaretur, poterat forſitan malignorum impetu, & contradictione labefactari.

IX. Sed dicet quiſpiam: Cur igitur toti populo Chriſtus publice non apparuit? Sic enim & fortius æmulos ſuos confunderet, & firmius reſurrectionem ſuam probaret. Sed in aperto eſt reſponſio: Hoc enim non eſſet fidem fundare, ſed evertere: non eſſet homines ad ſe allicere, ſed convincere. Utilior autem mundo fides, quam ſcientia erat. Non etiam divinæ ſapientiæ ordo poſcebat, quæ non indifferenter omnes, ſed dignos admittit, & indignos excludit. Propterea, ut Petrus Apoſtolus ait, *dedit eum* Deus *manifeſtum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis a Deo*. Sed adhuc manet ſcrupulus, cur iſtis teſtibus non in forma glorioſa, ſed in forma communi Dominus apparuit? In quo diluendo non nimis laboramus: quoniam ſi in forma glorioſi corporis appareret, putaretur alter: & ſic reſurrectionem ſuam minime comprobaret. Sed cur, inquies, cum Diſcipulis non continue per illos quadraginta dies converſatus eſt, ſicut prius? Reſpondeo: Ne videlicet ad priorem vitam reſurrexiſſe, & mortalis ſicut prius fuerat, putaretur. Si enim eadem eſſet converſatio, eadem exiſtimaretur & vita. Evaneſcebat ſubito ab oculis eorum, ut eadem Perſona, ſed alius putaretur ſtatus. Neque tamen ulla præſtigiarum, aut ludificationis, in Chriſto tibi ſuſpicio ſubrepat. Quoniam, etſi in veritate caro ejus ſole fulgidior, & luna clarior refulgebat, tamen in poteſtate ejus erat monſtrare ſe ſecundum fulgorem, aut ſecundum colorem; palpari autem, & comedere, corpori glorioſo non naturali diſpoſitione, ſed gratiæ diſpenſatione contigiſſe putandum eſt. O mirum Divinæ ſapientiæ ordinem! quam artificioſe, quam perite, quam decenter omnia feciſti! O Deus attingens *a fine uſque ad finem fortiter*, & diſponens *omnia ſuaviter*. Hæc de Chriſti reſurrectione, & ejus teſtimonio dicta ſunt.

Act. 10.

Sap. 8.

X. De noſtra nunc vel modicum differamus. Quicumque enim cum Chriſto reſurrexit, ſimilibus indiciis vitam ſuam probare debet. Omitto nunc decem illa teſtimonia viventis animæ, quæ in juſtificatione peccatoris a doctoribus enumerari ſolent; non enim nunc ea teſtimonia inquirimus, quibus vitam in ſe ipſa anima deprehendat, ſed quibus vivam ſe eſſe aliis oſtendat. Hæc autem ſunt quæ de Chriſto diximus. Si vita conſonat Scripturis; ſi Sanctorum judicio commendatur; ſi vulnera cordis, & manus per confeſſionem oſtendit; ſi mellis favum, id eſt Dominici Corporis Sacramentum comedit; ſi laudes Dei fervide loquitur; ſi Scripturas prius abſconditas, & intelligit, & exponit; ſi Deum animæ palato guſtat; ſi tentationibus, & infirmitatibus tactus, non facile cedit, ſed ſolidum & firmum ſe in omnibus exhibet, & ſimilia. Quibus indiciis vita animæ reſtituta, etſi non evidenter cernitur, tamen probabiliter conjectatur. Primum igitur & maximum teſtimonium Scripturarum eſt: ſi ſecundum Euangelium vivimus; ſi ea quæ ad noſtram eruditionem ſcripta ſunt, vita, & opere implemus. Ne te quæſieris extra: non te ex vulgi fama, ſed ex vita commenda. Sacra Scriptura nitidiſſimum ſpeculum eſt, talem reddens vultum hominis, qualis eſt: quem Pagina Sacra redarguit, etiam ſi ab omnibus commendetur, deformis, & fœdus putandus eſt.

XI. Sed poſt hoc, præſtat etiam Angelorum, id eſt Sanctorum Virorum pro ſe habere judicium; quoniam, ut Apoſtolus ait: *Oportet autem* Sanctos *teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt*. Non a profanis & mundanis, a quibus laudari vituperium eſt: ſed a juſtis & bonis: qui quoniam bonitatis artifices ſunt, de bonitate merito judicare poſſunt. Sutor de calceo judicat, & de imagine pictor: miles arma diſcernit; & tractant fabrilia fabri. Qui ergo bonus eſt, bonitatis rectus eſt judex: cæcus male judicat de coloribus; & de virtutibus pravus. Sed quoniam *in multis offendimus omnes*: tunc in nobis peccatorum vulnera agnoſcimus, ſi ſicut cognoſcimus, ita per confeſſionem Sacerdoti medico pandimus. Vulnera, inquam, manus & lateris: non ſolum enim peccata exteriora operum, ſed & vulnera interiora cordium confiteri debemus. Qui modo confeſſus non eſt, qui ad Domini menſam neque in Paſchate acceſſit, quomodo cum Domino ſurrexiſſe credendus eſt? Væ tibi miſero! In pallio luti maculam vel ad horam ſuſtinere non vales, & in animo diuturnam, & annoſam peccati ſuſtines lepram? Eſtne aliud quod imiteris in Chriſto? Eſt utique: *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Et tu quoque reſurgens ab operibus mortuis, non ultra moriaris peccato, neque *regnet* ultra *peccatum in* tuo *mortali corpore*. Perpetua ſit tua reſurrectio ſicut Chriſti. Ut quid iterum ſepulchrum repetis unde ſurrexiſti? Non qualis ſepultus eſt Chriſtus talis reſurrexit; ſed immortalis & glorioſus. Et tu quoque in novitate vitæ conſurgito, in novam creaturam innovatus & immutatus. Vixiſti peccato, vive jam Deo: vixiſti ſecundum carnem, vive de cætero ſecundum ſpiritum. *In Chriſto enim Jeſu neque circumciſio aliquid valet neque præputium, ſed nova creatura*. Quæ ſcilicet de veteri per ſpiritum formata eſt in vitæ novitatem. Hæc prima reſurrectio eſt, quæ fit a ſpiritu transformante. In quibus hæc prima inventa fuerit, perficietur

1. *Tim.* 3.

Jacob. 3.

Rom. 6.

Galat. 6.

ali-

aliquando, ſecunda. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur:* ſed illi tantum, qui fuerint hic prius per Spiritum immutati. Unde Apoſtolus: *Si Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum a mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Confi- A gurabit enim corpori claritatis ſuæ, quos configuratos invenerit cordi humilitatis ſuæ. *Beatus & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione* hac *prima: in his* enim *ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti* ejus, *& regnabunt cum illo* in ſæcula ſæculorum. Amen.

1. Cor. 15. Rom. 8. Philipp. 3. Apoc. 20.

IN DOMINICAM SECUNDAM POST PASCHA

CONCIO.

DE BONO PASTORE,

SIVE

IN CAPITULO, IN ELECTIONE NOVI PASTORIS.

Ego ſum Paſtor bonus. Joann. 10. v. 11.

Vel, *Eligite ex vobis virum.* 1. Reg. 17. v. 8.

* CONCIO LXXIII. 1. Reg. 17.

I. ELIGITE *ex vobis virum.* Magnum creditum de vobis, Fratres, habet Deus, ex quo vices ſuas vobis in eligendo committit. Suum quippe eſt eligere, qui novit interiora cordis. In populo judaico ipſe elegit te. Apoſtoli duodecimum Apoſtolum Deo committunt. Primum votum Dei eſt. Dominus Redemptor noſter videns animarum excellentiam, & pretium magnum ſanguinis ſui; videns theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, noluit ſoli noſtræ prudentiæ relinquere, quod tantum ei conſtitit, quod tanto dolore & labore quæſivit; ſed & nobiſcum, ſuper te Jeruſalem poſuit cuſtodes, qui tota die & nocte non tacebunt. Poſuit cuſtodes hominum Paſtores, qui opera exteriora judicarent & regerent; poſuit cuſtodes Angelos, qui motus interiores malos cohiberent, tentationes fugarent, dæmonibus reſiſterent. Sed vere: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Sit homo, ſit Angelus qui cuſtodit eam: *Montes in circuitu ejus;* ſed nihil prodeſt: niſi etiam *Dominus* ſit *in circuitu populi ſui.* Eſt autem in Deo electio, prædeſtinatio. Non reſpiciens merita, ſed conferens. *Beatus quem* tu Domine *elegiſti & aſſumpſiſti.*

Act. 1. 2. Cor. 4. Iſaiæ 62. Pſ. 126. Pſ. 124. Pſal. 64.

II. Firma eſt electio Dei, & propoſitum immutabile, ſed abſcondita eſt. De Seraphim B velantibus faciem & pedes. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum: & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Hoc, quod diſtincte in latinis codicibus ſcriptum eſt: *Caput ejus & Pedes ejus*, teſtatur interpres noſter in hebræo verbum eſſe commune (*a*), quod interpretari poſſit *Ejus & Suam*, ut Seraphim, juxta hebræi ſermonis ambiguitatem, vel faciem pedeſque Dei, vel ſuam faciem pedeſque operire dicantur. Quod ſi de ipſis ergo C Seraphim accipiatur; ut quid, operto capite & pedibus, ſolum apparet corpus medium? Sed, & ipſum quoque non penitus, propter eas nimirum alas quibus volare perhibentur? Conſidero quaſi caput, corpus & pedes meos in verbis Apoſtoli, quibus ait: *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui: quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Caput velatum, initium meum, prædeſtinatio mea ſolius gratiæ eſt: & non habeo quid mihi in ea attribuam. Non ſic tamen ab opere juſti- D ficationis alienus ſum. Operatur quidem & illud gratia, ſed plane mecum. Videſne quemadmodum Seraphim in medio corporis appareat aliquatenus? Porro & pedes velati ſunt: quia & ipſa conſummatio mea, glorificatio mea ſolius gratiæ eſt. Nec eſt mihi & hac

Iſaiæ 6. Rom. 8.

in

(*a*) Hebræum enim *Panaf*, tam facies ſuas, quam facies ejus ſignificat, ſicuti & *Raglaf*, tam pedes ſuos, quam pedes ejus denotat. Priori inſiſtunt ſignificationi verſiones Chaldaica, Syriaca, & Arabica, Forerius, Sanctes Pagninus, Vatablus, & S. Joann. Chryſoſtomus Homil. in hanc viſionem. Poſteriorem ſequuntur S. Hieronymus, & S. Cyrillus, Hugo, Petrus Damiani Epiſt. 6. Cæterum tota hæc Concionis portio ab Iſaiæ teſtimonio, uſque ad ea verba, *nec ignarus extiterit, nec ingratus*, paucis exceptis, hauſta eſt ex S. Bernardo Serm. 4. de verbis Iſaiæ Prophetæ.

in parte, vel cum ea ſive in ea gloriari, quaſi coadjutor videar aut cooperator: primum ergo & ultimum velantur, ſcilicet prædeſtinatio & glorificatio; ſed juſtificatio aperta eſt. Velat itaque Seraphim caput ſuum duabus pennis, ſi, & veraciter cognoverit, & humiliter fateatur, quia miſericordia eum ſola prævenerit: velat & pedes alis æque duabus, ſi miſericordiæ quoque quæ ſubſecutura eſt, nec ignarus extiterit nec ingratus. Quomodo Deus fecit Seraphinos in terra: *Ignem veni mittere in terram;* ſicut in Pentecoſte fecit; ſic faciat modo. In quorum numero indignos nos ſervos nominis ſui, ipſa de qua locuti ſumus conſtituere dignetur miſericordia, quæ eſt ab æterno & uſque in æternum ſuper Electos.

Luc. 12.

Pſ. 102.

III. Quidam Dei ordinationi reſiſtunt, & cum Sponſa queruntur. *Filii Matris meæ pugnaverunt contra me*, invitum eligendo *poſuerunt me Cuſtodem:* & oblatis officiis repugnant; dicentes: Domine, quid eſt hoc quod voluiſti facere? Nonne mihi mea peccata ſufficiunt, ut pro alienis impendar reddere rationem? Quid eſt hoc? *Abſit a te Domine*. Spiritum Domini aliqui corrigunt ſua ratione: quibus bene reſpondit Dominus, ut Petro: *Vade poſt me Satana*. Adverſarie quid mihi adverſaris? Sequere potius me. Cur me Rectorem tuum corrigis, quem ſequi magis debebas?

Cant. 1.

Mat. 16.

IV. Pro quo notandum eſt: quod vix Dominus umquam ſe laudavit. In hoc autem Euangelio determinat laudare ſe ipſum. De quo Domine laudas te? Poteras de genere: quia Filius Dei. De potentia: quia Rex ſæculorum. De divitiis: quia omnia tua ſunt. Non de hoc; ſed quid ait: *Ego*, inquit, *ſum Paſtor bonus*. Vide quomodo confunditur noſtra ſtultitia. Paſtores contemptibiles ſunt apud nos. Et de hoc tamen ſe jactat. Sed audite probationem: *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Mercenarius autem, & qui non eſt Paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit & diſpergit oves*. O quanti mercenarii ſunt! Quare fugit? *Quia mercenarius eſt*. Talis eſt omnis qui propter reditus temporales curam gerit animarum. *Non pertinet ad eum* cura *de ovibus*, ſed de reditibus. Exemplum de dæmonis pacto, cum aliquibus paſtoribus. Accipe ovem; relinque mihi vellus & lanam. Tu quid vis? Animam. Ego volo reditus. Concludit dæmon: *Da mihi animas: cætera tolle tibi*. Beatus ergo populus cui contigit, & datum eſt, optimum habere Præſidem. Regina Saba venit ad Salomonem, & ait illi: *Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper Thronum Iſrael, eo quod dilexerit Dominus Iſrael in ſempiternum, & conſtituit te Regem ut faceres judicium & juſtitiam. Et Hiram Rex Tyri per litteras, quas miſerat Salomoni: Quia dilexit Dominus populum ſuum, idcirco te regnare fecit ſuper eum. Et addidit, dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael qui fecit cœlum & terram, qui dedit David Regi filium ſapientem & eruditum & ſenſatum atque prudentem.*

Jo. 10.

Gen. 14.

3. Reg. 10.

2. Paral. 2.

V. Quatuor conditiones boni Paſtoris in littera. Prima, quia paſcit oves. Secunda, quia cognoſcit. Tertia, quia defendit. Quarta, quia congregat diſperſas. Prima ibi: *Ego ſum Paſtor bonus*. Secunda ibi: *Et cognoſco oves meas*. Tertia ibi: *Bonus Paſtor animam ſuam ponit*. Quarta ibi: *Et fiet unum ovile & unus Paſtor*. Iſtæ fuerunt in Chriſto. Ideo potuit dicere: *Ego ſum Paſtor bonus*. De Prima: triplex paſtus. Scilicet, corporalis, ſpiritualis, beatificus. Paſcit corpus, providendo de neceſſariis: quomodo Deus creavit fructus, piſces, carnes, &c. ad paſtum hominis. Pſalmus: *Qui dat eſcam omni carni* de diverſitate fructuum ſecundum tempora. Secundus paſtus ſpiritualis ſacræ doctrinæ & ſanctarum inſpirationum: nam, *non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Sicut corpus ſine cibo attenuatur, ita anima ſine viſitatione Dei. Moyſes minabat oves ad interiora deſerti. Moyſes, littera legis; interiora, ſenſus myſticus, vel interiora deſerti ſunt internæ conſolationes, & deſideria. O qualis paſtus eſt in interioribus cordis! Tertius paſtus beatificus: quo cibat *eos ex adipe frumenti*, inebriando illos torrente voluptatis ſuæ præſentiæ. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo:* id eſt, præſentia tua. O qualis paſtus ille! Sponſa in Canticis: *Indica mihi quem diligit anima mea ubi paſcas, ubi cubes in meridie*. Ecce hic paſcis, ſed tenuiter, ſed non ad ſatietatem, ſed in nocte. Paſtum illum ego deſidero quietum, ubi cubas, & meridianum. Hic periculis plena ſunt omnia: paſcis, & quaſi ſollicitus es mei, ne peream. Ibi vero non eſt lupus, non eſt leo: ideo cubas. Hic mane paſcis paſtu doctrinæ, nos tenebra carnis involutos; *ſed mane tranſeat, decidat, induret, & areſcat;* non ſatis eſt mihi iſte cibus; oſtende mihi *ubi paſcas: ubi cubes in meridie*. Ezechiel trigeſimo quarto capite. *In paſcuis uberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis Iſrael erunt paſcua earum;* id eſt, Iſraelitæ de quibus dicitur: *Iſrael poteſtas ejus;* Chriſtus, mons. Corpus, mons. Anima, mons. Verbum, mons. Pſalmus: mons Domini Chriſtus. Mons coagulatus, corpus. Mons pinguis, pinguedine doctrinæ, anima. *Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare*, Verbum Dei. Ecce in monte Domini montes tres; tres ſubſtantiæ.

Ibidem.

Gen. 1.

Pſ. 135.

Mat. 4.

Exodi 3.

Pſal. 80.

Pſal. 35.

Pſal. 15.

Cant. 1.

Pſal. 89.

Cant. 1.

Ezech. 34.

Pſ. 113.

Pſal. 67.

VI. Secunda conditio boni paſtoris, quod agnoſcat vultum pecoris ſui. Contra Prælatos qui non reſident. Deus omnes agnoſcit, ſed ſolas oves cognoſcit ſcientia approbationis. Ad cognoſcendas oves ponitur ſignum. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: in quo credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto*. Ad Epheſios; & ad Corinthios: *Qui unxit nos Deus, qui & ſigna-*

Pſal. 4.

Epheſ. 1.

2. *Cor.* 1.

ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris. Vultus quo cognoſcit Deus, eſt Filius. Lumen, eſt Fides Chriſti. Ecce ſignum. Dic de charactere beſtiæ Apocalypſis: quomodo etiam ſunt ſignatæ perditionis oves. Figura Laban, & Jacob. Fecerunt pactum, ut oves unius coloris eſſent Laban, & oves multi coloris eſſent Jacob. Laban, aduſtio: ſignificat diabolum. Jacob, Chriſtum. Oves multi coloris per virtutum varietatem ſunt Chriſti. Oves rudes, carentes multiplicitate virtutum, ſunt Laban: quæ ſolo carnali appetitu, & ſenſuali veſtiuntur. Pſalmus: *Circumdata varietate*.

Gen. 30.

Pſal. 44.

VII. Sed dices: quomodo fiet anima multi coloris? Audi prudentiam Jacob: aſſumpſit virgas, & poſuit eas in canalibus, & decorticavit a parte ſuperiori; & in ipſo conceptu prolis videbant oves virgas, & concipiebant maculoſas. Quæ ſunt virgæ niſi rationales ſenſus a parte ſuperiori; id eſt, quæ in portione ſuperiori ſunt decorticatæ? Quia cogitatio, deſiderium, ſpes omnis libera ſunt ſine carnis, vel terrenæ negligentiæ cortice. Portio vero interior animæ activa, iſta eſt viridis, ut ſcilicet cogitatio nuda Deum contempletur, & operatio viridis proximo ſubveniat. Sit ergo mens pura ut Deum contempletur, & diligat; & actio viridis, ut proximum foveat, & delectet. Sed oportet eas ponere in canalibus. Canales ſunt fontes illi, de quibus fluxit nobis aqua viva, *de fontibus Salvatoris*. Canales abundantes ſanguine, plagæ illæ pretioſæ. Ecce, ſi vis ut bona cogitatio concipiat bonum deſiderium, bonam operationem; pone virgas in canalibus. Ecce quando deſideras pœnitere, ſervire Deo, contemnere proponis ſæculum; venit dæmon, rapit verbum ſanctum de corde tuo, ponit multas difficultates in pœnitentia & obſtacula. Ecce non vales concipere, nec conceptum parere: *Venerunt filii uſque ad partum*, & non eſt virtus in parturiente. Ecce remedium: pone virgas in canalibus, & contemplare, & concipies. Ecce fige deſideria ſancta, & ſanctas cogitationes in paſſione Domini, & non erunt ſteriles. Cogita, quid paſſus eſt Chriſtus pro te, & erit tibi facile omnia ſuſtinere pro Chriſto. Apoſtolus: *Recogitate eum, qui talem adverſus ſemetipſum recepit contradictionem, ut non deficiatis*.

Isaiæ 12.

4. Reg. 19.

Heb. 12.

VIII. Tertia conditio boni Paſtoris eſt, ut defendat oves. Figura David: rapiebat prædam de leone & de urſo. *Paſcebat*, inquit Sauli, *ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis: & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi conſurgebant adverſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos. Nam leonem & urſum interfeci ego ſervus tuus: Erit igitur & Philiſthæus hic in-*

1. Reg. 17.

A *circumciſus, quaſi unus ex eis*. Ecce David, manu fortis, Chriſtus eſt. Hic primo fuit paſtor, poſtea Rex. Quare Domine? Si vis facere David Regem, nutriatur apud Principes, diſcat mores & conſuetudines aulicas. Quomodo nutritur in agro, qui debet præſidere in regno? Figura fuit Chriſti: nam, primo fuit paſtor ovium, ut poſtea per potentiam regnaret. Hic, veniente urſo, rapit prædam, quoties incircumciſum peccatorem de faucibus dæmonis rapit. Fecit hoc Chriſtus in morte, facit hoc quotidie in Sacramento Pœnitentiæ. Job: *In ſudibus* B *perforabit nares ejus*.

Job 40.

IX. Quarta conditio eſt: congregare in unum. *Joannis undecimo. Jeſus moriturus erat, ut Filios Dei qui erant diſperſi congregaret in unum. Ezechielis trigeſimo ſeptimo*. Duæ virgæ in unam redactæ. Beda (*a*) *ſuper Epiſtolam ad Philippenſes capite primo:* ex fructibus cognoſcuntur Paſtoris conditiones. Prima: cognoſcit oves, & cognoſcitur ab eis; cognoſcit vultum pecoris ſui, id eſt, conſcientiam. Cognoſcitur: quia ejus eleemoſynas, & beneficia recipiunt. Secunda conditio: ponit animam pro ovibus. Ter- C tia: intrat per oſtium. Mercenarii duæ conditiones. Prima: fugit, non defendit oves. Secunda: quia mercenarius eſt, non pertinet ad eum de ovibus, ſed de lucro. Furis tres conditiones. Prima: rapit, etiam quæ ſibi non debentur. Secunda: deglutit. Tertia: non intrat per oſtium, ſed per ſimoniam. Videant nunc qui regunt Eccleſiam, quid horum ad ſe pertinet.

Jo. 11. Ezech. 37.

(*a*)

Jo. 10.

Prov. 27.

Jo. 10.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

X. Qualis debeat eſſe Paſtor. Prima conditio boni Paſtoris charitas. Hæc ſola petitur a Petro. Petre *amas me?* Petre *amas me?* Et Petrus: *Domine, tu ſcis quia amo* D *te*. Cui Dominus: *Paſce oves meas*. Vox Paſtoris: *Nigra ſum;* ſcilicet, propter curam, propter diſtractiones. *Sed formoſa;* in intentione, in charitate. Nigra, *ſicut tabernacula Cedar:* ſicut mundani homines, ſic ſum negotiis implicitus & curis; ſed propter charitatem: *Sicut pelles Salomonis:* id eſt, Chriſtus in carne; qui propter homines fuit humiliatus, & denigratus forma ſervili propter amorem; imitatus boni Prælati formam, non quærentis quæ ſua ſunt.

Ibid. 21.

Cant. 1.

XI. Secunda conditio: vigilantia. *Super* E *muros tuos Jeruſalem poſui cuſtodes: tota die & tota nocte non tacebunt*. Cum Dominus inveniſſet tres dormientes, ad ſolum Petrum dixit, de ſolo Petro conqueſtus eſt, dicens: *Simon dormis?* Non mirum ſi alii dormiant: ſed tu quem conſtitui ſuper oves, tu dormis? Sed cur, obſecro, *Simon?* Nonne jam Domine ei nomen impoſueras *Petrus? Tu es Petrus, tu vocaberis Cephas?* Reddidit nomen antiquum, quia in eo quod dormit, nondum fuerat vetuſtatem exu-

Isaiæ 62.

(*a*) Ex Auguſtini centonibus conflata ſunt Bedæ Commentaria in Epiſtolas S. Pauli, ut notum eſt.

exutus: nec nomine Petri congrua erat illa dormitio.

Num.27. XII. Tertia conditio: doctrina. *Provideat Dominus Deus Spiritum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc: & possit exire & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere: ne sit populus Domini sicut oves absque pastore. Qui possit exire*, per bonam operationem; & intrare, per bonam exhortationem & doctrinam. *Educere*, ad sanctam operationem; *introducere*, ad bonam meditationem. Figura: Moyses bonus Pastor, minabat *gregem ad interiora deserti.* *Exodi 3.* De quo Apostolus: *Qui bene præsunt* *1.Tim.5.* *Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Ipse Pastor, & in ipso pascua doctrinarum. *Psal.77.* Psalmus: *Elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium: de post fœtantes accepit eum. Pascere Jacob servum suum, & Israel hæreditatem suam.* Ecce Pastor. Sed in ipso pascua. Sequitur: *Et pavit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* *Psal.67.* Psalmus: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri. Si dormiatis inter medios cleros, &c.* Scilicet inter clerigiam, & religionem. Job: *Job 24.* *Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.* Ibi debent esse acervi doctrinæ, pietatis, consolationis. Ad hoc ordinatæ sunt Ecclesiasticæ dignitates. *Qui calcatis torcularibus sitiunt.* Qui sæcularibus negotiis pressi & fatigati, recurrunt ad viros spirituales, quærentes consolationem doctrinæ & verbi Dei. Sed heu! Mater *Nahum 3.* Sancta Ecclesia, *Custodes tui quasi locustæ;* & qui debuerant pascere pauperes, isti sunt qui vexant in reditibus suis, spoliantes eos. O Pastor & idolum! sine sibilo vel uno ad gregem. Sicut, si quis statuæ marmoreæ committat oves suas. *Job 39.* Job, de Rinocerote: numquid audebis ei committere labores tuos? Animas pro quibus sudasti & laborasti?

XIII. O qualis ratio reddenda de iis, pro quibus Christus tam dira supplicia sustinuit! (*a*) Bernardus (*a*): De triplici custodia animarum & de difficultate curæ pastoralis. Graviori ac periculosiori debito tenentur adstricti, qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Quid ego infelix, quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum illud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius judicaverit, contigerit negligentius custodire? Si stillantem sub cruce Domini sanguinem collegissem, effetque repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret; quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certe id servandum accepi, pro quo Mercator non insipiens (ipsa utique Sapientia) sanguinem *2.Cor.4.* illum dedit. Sed & habeo *thesaurum istum in vasis fictilibus*, & quibus multo plura, quam vitreis imminere pericula videantur. Accedit sane ad sollicitudinis cumulum, & pondus timoris, quod cum meam & proximi conscientiam servare necesse est, neutra mihi satis est nota. Utraque abyssus est imperscrutabilis, utraque mihi nox est, & nihilominus exigitur a me utriusque custodia, & clamatur: *Custos quid de nocte? custos quid de nocte?* Non est mihi dicere cum *Isaiæ21.* Cain: *Num custos fratris mei sum ego?* In eo tamen excusabiles mihi videntur Prælati, si *Gen. 4.* debitam exhibeant custodiam pariter & disciplinam *in omni patientia & doctrina. Ergo, si dormiatis inter medios cleros:* per quie- *2.Tim.4.* tem & tranquillitatem, instructi, consolati, securi eorum institutionibus, exhortationibus ac doctrinis. *Pennæ columbæ deargentatæ.* Ecclesia sancta columba est. Sponsus: *Una est columba mea, perfecta mea.* *Psal.67.* Corpus ejus, populus, grave & ponderosum. *Cant. 6.* Sed pennæ sunt, alæ duæ; clerigia, religio: quæ uti prædixi sustinent & levant corpus, suis consolationibus & doctrinis. Sed *pennæ columbæ*, quare *deargentatæ?* Quare deargentata columba? nempe: quia videmus nunc in speculo & enigmate. Sed *posteriora dorsi ejus in pallore auri. Tunc facie ad faciem* in gloria. *Psal.67.*

XIV. Canticorum ultimo: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea:* *1. Cor. 13.* scilicet regiminis & prædicationis. *Si ostium est* apertum, nec resistens tentationibus, *Cant. 8.* *compingamus*, claustro scilicet. *Si murus est, ædificemus super eum.* Vide, si est fortitudo. *Deut.15.* *Non operaberis in primogenito bovis.* Apostolus: non sit Neophitus. *Jeremiæ tertio: Da-* *1.Tim.3.* *bo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent* *Jer. 3.* *vos scientia & doctrina.* Ezechiel: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: &* *Ezech.3.* *audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me.* Item, tertio Regum capite vigesimo: *Custodi virum istum: qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus.* *3. Reg. 20.*

XV. Pastoris sufficientiam, vide in Gregorio (*b*), exponente illam figuram de base. (*b*) Nam præcepit Deus, ut in base sculperentur Cherubin, leones, boves, lora dependentia. Cherubin significat scientiam in Præ- *3.Reg.7.* lato necessariam, leones, zelum. Ecce Moyses mitissimus erat: sed peccante populo quam *Num.12.* crudelem fecit vindictam? Quomodo vindi- *Exodi32.* cavit Deum, ne destrueretur populus? Dolebat de morte populi, sed zelus Dei faciebat, ut eos occideret. Sciebat enim quod alias omnes perderet. Prælatis enim convenit aliquo modo esse impetuosos: sed sint etiam boves. Non sit omnino leo, non sit omnino bos: Sed bos leoninus, aut leo bovinus. Lora dependentia frenum significant. Exemplo frenet alios a vitiis, & disciplinam libens habeat. Sit doctus ut Cherubin;

(*a*) Serm. 3. de Adventu Dom. num. 6. usque ad illud, *non est mihi dicere cum Cain*, Bernardi verba sunt.
(*b*) Homil. 17. in Euang. toto num. 12.

bin; sit fortis, ut leo; sit patiens, ut bos; sit corrector: P. Augustinus in regula: Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes, disciplinam libens habeat.

XVI. De Christo Domino Isaias in spiritu vaticinans, quid ait? *Factus est*, inquit, *principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*. Talis debet esse Prælatus in populo. Exemplo illius, qui pugillo continens mundum, super humerum portat principatum suum, onus suum, imperium suum. Onus putet maximum se suscipere qui regnum suscipit. Pastor Pastorum de ovibus suis rationem petet. Cum tradiderit Patri regnum, & evacuabit omnem principatum & potestatem, ut ait Apostolus: Tunc *incurvabitur altitudo virorum*, & *exaltabitur Dominus solus in die illa*. Tunc omnes erunt subditi, & de gregibus fortem rationem petet a Pastoribus. Ostendet vulnera quibus eas acquisivit, portans ovem super humeros. Calcantes eas sub pedibus, ipse etiam pessundabit. Bernardus (*a*): Pars tua sumus bone Jesu, quam acquisivisti arcu & gladio. Arcus tuus, incarnatio tua. Gladius tuus, Verbum tuum. Ecce: incarnatione & prædicatione, acquisivit sibi partem pro qua se totum dedit. Aliam partem in cœlis habet, quam non acquisivit, sed creavit: illam creavit & acquisivit.

Isaiæ 9. *1. Cor. 15.* *Isaiæ 2.* *Lucæ 15. (a)* *Gen. 48.*

XVII. Conditio ultima ac præcipua: innocentia seu vitæ integritas. Cum ira Dei grassaretur in populo, Moyses dixit ad Aaron, ut acciperet thuribulum & ignem de Altari; & ponit se medium inter mortuos & viventes, ut placet Dominum, & resistat iræ ejus. Utique, talis debet esse Prælatus: tam innocens, ut possit inter justos & peccatores intereesse. Horum justitiam conservans orationibus, eorum veniam impetrans

Num. 16.

A lacrymis, & qui resistat Deo irato. Sed hei Domine! *non est*, inquit Propheta, *qui invocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te*. De quo alibi etiam Dominus conqueritur, dicens: *Et quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni*. Utique quilibet vix pro peccatis suis sufficit: qua audacia, qua præsumptione se opponet Deo pro alienis? Christus Dominus *Sacerdos in æternum*, sumpto thuribulo carnis, & igne charitatis, & incenso orationis, Sacrificium obtulit Deo in cruce, positus *Mediator Dei* B *& hominum*, pro omnibus satisfecit. Obstitit Moyses Deo, dicens: Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro. Obstitit Abraham, qui increpans Dominum, & consulens, dicebat: *Absit a te, ut rem hanc facias: non est hoc tuum: qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc*. Mirabilis audacia in utroque. Charitas nimium audax est, non tam rogabant Dominum, quam urgebant.

Isaiæ 64. *Ezech. 22.* *Ps. 109.* *1. Tim. 2.* *Exodi 32.* *Gen. 18.*

XVIII. De antiquis Prælatis, religiosis & de novis: Candidi facti sunt Nazaræi ejus, splendorem Deo dederunt, & sicut lac coagulati sunt. *Candidiores nive, nitidiores lacte,* C *rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores*. O quam illustres, quam præclari, quam fulgidi isti antiqui Nazaræi! Sequitur: *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis*. Pondera verbum: *Non sunt cogniti in plateis*. Nam tunc præ singularitate, & reverentia, & sanctitate, cum contingeret eos exire ad populum, omnes eos venerabantur ut patres. Nunc autem, *sicut populus, sic Sacerdos. Et commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum*. Quomodo obscuratum est aurum; fulgor sanctitatis antiquæ. *Mutatus est color optimus*, observantiæ & charitatis. *Dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum*.

Thren. 4. *Isaiæ 24.* *Ps. 105.* *Thren. 4.*

IN

(*a*) In Sententiis num. 13. tom. 3. in edit. Mabillonii. *Pars tua sumus, Domine, quam tulisti de manu Amorrhæi in gladio, & arcu tuo. Gladius tuus sermo vivus, & efficax: arcus tuus incarnatio tua.*

IN DOMINICAM TERTIAM POST PASCHA CONCIO.

SUPER ILLUD EUANGELII:

Modicum, & jam non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me.
Joann. 16. v. 16.

SALUTATIO.

Concio LXXIV.

I. SOLENT pauperes petituri mercedem, offerre Principibus munuscula. Pauperes Filii Adam, ad te Reginam divitem & magnificam confugimus. Petimus mercedem nobis magnam gratiæ. Suscipe munusculum:

AVE GRATIA PLENA.

Jo. 16. II. *Modicum, & jam non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me.* Abscondit se Deus a nobis, ut ardentius quæratur, & fructuosius inveniatur. An non absconsus est, quando justus tentatur, affligitur, persecutionem patitur? Quando omnia ejus ossa concutiuntur a dæmone, & conturbantur? *Avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus. Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi inimici mei: dum dicunt mihi per singulos dies: ubi est Deus tuus?* Sed, *expecta Dominum*, non deficias: *viriliter age, & confortetur cor tuum*. Nam *modicum* durabit. *Modicum* est, quando *non videbitis me*, & statim aderit, *& iterum modicum & videbitis me*. Necessaria est per *modicum* absentia, ut suavior sit ejus præsentia. *In quo exultabitis, modicum si oportet contristari in variis tentationibus. Ut probatio vestræ fidei multo* purior sit *auro, quod per ignem probatur*. In hac vicissitudine tribulationis & consolationis tota vita spiritualis consistit. *In talibus vita Spiritus mei, corripies me & vivificabis me. De mane usque ad vesperam finies me*. Non semper erit *Mane*, sed aliquando & *Vespera*. Sed, si advesperascit, ne diffidas: *Rursum post tenebras* spera *lucem*. Et, *a custodia matutina usque ad noctem* tribulationis, spera *in Domino*. Sponsus in Canticis: *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*. Et Sponsa: *Surrexi, ut aperirem Dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est: quæsivi, & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi*. Ecce vocat, & pulsat, ut quæratur, & quæsitus fugit, ut ardentius quæratur. Psalmus: *Ego dixi in abundantia mea: non movebor in æternum*. Sed *modicum videbitis me*. Nam statim sequitur: *Avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus*. Multum prodest quod recedit: nam alias, homo levaretur, & vanesceret, si non probaretur, & agnosceret infirmitatem suam. Psalmus: *Proba me Domine, & tenta me*. Adest ergo ne deficiamus in via; abest, ne pereamus elatione. Fructuosa præsentia quæ perficit, fructuosa absentia quæ humiliat. Sponsa in Canticis: *Fuge Dilecte mi*. Et alibi: *Revertere Dilecte mi*. Vult ut recedat, & revocat. Sed forte ideo subtrahit se, ut avidius revocetur, teneatur fortius. Nam & quandoque simulavit se longius ire. Non quia hoc volebat, sed volebat audire: *Mane nobiscum* Domine, *quoniam advesperascit*. Et alias: videns Discipulos laborantes in remigando, ambulans super mare, quasi volebat præterire eos, sed nec tum quidem illud volebat, sed magis probare fidem, elicere precem. Teste namque Euangelista: *Illi, ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, & exclamaverunt*. Ergo istiusmodi piam simulationem, imo salutarem dispensationem, quam tunc corporaliter Verbum corpus interdum exhibuit, non cessat identidem Verbum Spiritus modo suo spirituali cum devota sibi anima sedulo actitare: præteriens teneri vult, abiens revocari. Neque enim Verbum hoc irrevocabile; it & redit pro beneplacito suo, quasi visitans diluculo & subito probans. Et ire quidem illi, quodammodo dispensatorium: redire vero, semper voluntarium est; utrumque autem plenum judicii; at penes ipsum horum ratio. Nunc vero constat in anima fieri hujusmodi vicissitudines euntis & redeuntis Verbi, sicut ipse ait: *Vado, & venio ad vos*. Item *Modicum, & non videbitis me; & iterum Modicum, & videbitis me*. O *Modicum* & *Modicum*! o *Modicum* longum! Pie Domine: *Modicum* dicis quod non videmus te? Salvum sit verbum Domini mei, longum est, & multum valde nimis. Verumtamen utrumque verum est. Et *Modicum* meritis, & multum votis; ut hactenus Bernardus (*a*).

Ps. 29.
Jo. 16.
Ps. 29.
Ps. 25.
Cant. 8.
Ibid. 2.
Luc. 24.
Ibidem.
Job 7.
Jo. 14.
Ibid. 16.

(*a*)

III.

(*a*) Serm. 74. in Cant. num. 3. & 4., scilicet a verbis illis, *& forte ideo subtraxit se, quo avidius revocaretur, teneretur fortius*, ad hæc usque.

III. O Domine! Anima mea desiderat te. Quid bonis istis creatis satiari? Quid est totus mundus ad unam animam? *Modicum* est: imo quasi nihil est. Tot animæ quærunt unum mundum; quasi in medio multorum sitientium esset media scutella aquæ, sic ista temporalia animam non satiant, sed magis sitim accendunt. Salomon exoptans omnia genera deliciarum, & honorum, & bonorum sæculi apud Ecclesiasten clamat mundo: Credite sapienti, credite experto: *Vanitas vanitatum,* Eccl. 1. *& omnia vanitas!* Feci hortos, habui mulieres, habui equos, familiam, cibaria, famulos, & quidquid desideravi pro libito. *Dixi in corde meo: Vadam & affluam deliciis &* Ibid. 2. *fruar bonis. Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas, feci hortos, & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium: possedi servos & ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque & magnos ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem: coacervavi mihi argentum, & aurum, & substantias Regum, ac Provinciarum: feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scbyphos & urceos in ministerio ad vina fundenda: & supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem: & omnia quæ desideraverunt oculi mei non negavi eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ præparaveram: & hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. Cumque me convertissem ad universa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* Et quid dico? *Vanitas vanitatum, & omnia va-*
Ibid. 12. *nitas.* Quid ergo? Deum time: *hoc est omnis homo.* Si ergo Domine curo te: satisfac amanti, vel ad *modicum* tolle cortinas, ad *modicum* tolle velamina: *Ostende mihi faciem tuam;* Exodi 33. videam te sicut vides me. Appare *coram Ephraim,* Psal. 79. *Beniamin, & Manasse,* coram sitienti te. *Si-*Psal. 62. *tivit anima mea,* non divitias, non delicias, sed *in te.* Et *quam multipliciter tibi caro mea!* Lex amatorum est nihil celare: si me amas, noli celare te. Cur miseram animam tam diu affligis post te? Sed o homo! Ad videndum Deum puritas via est: nam oculo mundo cor-
Mat. 5. dis cernitur pulchritudo quæ inflammat. Tu purificare cor stude, & mundare ab omni contagio terræ; & Dominus perficiet, formabit, depinget, implebit, sigillabit altissimis thesauris & affectibus cœlestibus, & igne Spiritus; ornabitque gratiis & donis, illapsuque ineffabiliter. Prorsus ego sentio præsentiam Dei, quæ utique sentiri magis quam dici possit. Quam & tu quoque senties, si post purificatum cordis oculum etiam incli-
Ps. 102. naveris aurem tuam *ad audiendam vocem ser-*

A *monum ejus.* Alioqui obturatio & paupertas aurium facient te non approximare Domino, sed idololatram vitiorum. Mulieres dederunt inaures suas Aaron, & factus est vitulus conflatilis. Unde adorant vitulum? Quia depauperaverant aures. Si non audis Deum loquentem & prædicatores, adorabis jumentum. Quod jumentum? corporale vitium & delicias, & præsentia utique Dei frui non poteris. *Exodi 32.*

IV. *Modicum & non videbitis me,* sed magna consolatio; *& iterum modicum, & vi-* Jo. 16. *debitis me. Modicum* est, Fratres, vita præ-
B sens *modicum* est. Erubesce Christiane! Gentilis philosophus, cui nulla spes fuit præmii, nullus timor gehennæ erat, qui se cum corpore mori fortasse credebat: & tamen solo amore virtutis, & solo rationis lumine, temporalium vilitatum brevitatem attendens, divitias sæculi, & delicias & pompas contemnebat. Indignum homine judicans istis applicari, puerulos reputans istorum amatores. Unde, nec ipsum *modicum* quod erant, secundum opinionem eorum, in istis expendere volebant. Quid tu facturus, cui nota spes immortalitatis, cui tanti præmii pro-
C missio, cui tantæ pœnæ expectatio præ oculis posita est? *Erubesce Sidon ait mare.* Dio- Isaiæ 23. genes (*a*) philosophus Alexandrum Imperatorem a sole expulit. Et alius philosophus Imperatori non surrexit; & cum argueretur, respondit: Indignum esse, ut servo servi sui, id est mundi, assurgeret. Ecce, quam *modicum* vita præsens. Hinc etiam nemo causetur, dicens: Fatigor, tribulor, vexor, tentor. *Modicum* est, *tempus breve est.* Et malum, quod secundum se malum est in ordine ad universum, in universitate bonum est. Fecit Deus a principio malum: *Lignum scien-*
D *tiæ boni & mali.* Ad quid Domine scientia 1. Cor. 7. mali? Ad quid malum? Propter bonum est malum; & malum secundum se in ordine ad Gen. 2. bonum, bonum est; per malum enim, bonum decoratur. Malum illustrat bonum; quia bonum juxta malum apparet melius. Exemplum: Latebat patientia & bonitas Job. Tentatus est, vexatus est, tribulatus est: perdidit substantiam suam, & filios suos; percussus est a Satana ulcere pessimo a plan- Job 1. ta pedis usque ad verticem capitis, sedens Ibid. 2. in sterquilinio; illusus est ab uxore: & quam illustris factus est? Aliud exemplum: Late-
E bat castitas & innocentia Joseph: tentatus est ab uxore impudica, ligatus catenis in Gen. 39. carcere, propter talem causam: quam illustris pudicitia juvenis, quam decora! Sic fel malum est & amarum valde: sed quandoque homini *modicum* fellis bonum est, necessarium est & suave.

V. Bonum ergo est *modicum* persecutionis malum: vel ex eo maxime; quod, *id quod in præsenti est momentaneum & leve tribula-* 2. Cor. 4. *tionis*

(*a*) Ex Laertio de Vitis Philosoph. lib. 6. *Ad solem sedenti in craneo, sibi assistens Alexander ait: Pete a me quod vis: at ille inquit: Noli mihi umbram facere.*

tionis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, ut inquit Apoſtolus. Magnum argumentum futuræ gloriæ, & ejus magnitudinis eſt, quod Deus pro ea præcipit in hac vita pati, negare ſeipſum, tollere crucem ſuam. Niſi enim iſta *modica* eſſent ad tantam gloriam, non illa imponeret. Non decipit Deus. Apoſtolus: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur. Tollat crucem ſuam:* non confidat in *mea* cruce, niſi & ad meum exemplum ferat etiam *ſuam*. Sunt qui ſe tradunt peccatis, confidentes cruci Chriſti. Tollat *ſuam:* bona *mea*, ſufficiens *mea*, ſed tamen non mihi totum onus imponatur. Tollat pro peccatis ſuis & *ſuam* crucem. *Suam* portet, adjuvet me, ſicut bonus Cyrenæus. Tollat *ſuam*, levem, & *modicam*. *Exiſtimo enim, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Ne qua gloria nos privaremur, ipſe talia ſuſtinuit, hoc ſufficit. Si enim non eſſet inenarrabilis illa lætitia, ut quid ipſe uſque ad mortem triſtaretur? De Beatorum gloria Apoſtolus: Vidi arcana. Si qui vidit non poteſt explicare: quomodo ego qui non vidi? Ideo Iſaias: *A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti exſpectantibus te*. Et idem Apoſtolus: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*. Non potuerunt melius, quam: *nec oculus vidit, nec auris audivit, &c.* Supra viſum, ſupra auditum, ſupra cogitationem eſt illa felicitas. Et cur hoc? Perpetuitas: in æternum exultabunt. Tempus licet breve pars eſt temporis longi, omne tempus nihil eſt ad æternitatem. Mille anni una hora augentur: ſed centum mille anni non augent æternitatem. Pſalmus: *mille anni* ſicut *dies heſterna quæ præteriit*. Pondera: non *ſicut dies*, ſed, *ſicut dies heſterna*, quæ non eſt: ſicut nihil, ſic ſunt. O Domine! Hoc maximum frænum eſt. Æternitas gloriæ, æternitas pœnarum. Hoc eſt, quod mundum detinet ab omnibus vitiis, ne labatur, hoc frænum maximum.

Mat. 16. Rom. 8. Mat. 27. Rom. 8. 2. Cor. 12. Iſaiæ 64. 1. Cor. 2. Pſal. 89.

VI. Sed ſpecialiter dicamus aliquid de gloria. P. Auguſtinus (*a*), Gregorius (*b*): Angelorum choris intereſſe. Dic de ſocietate Angelorum, Sanctorum, de poſſeſſione omnium, de pace, de gaudio, de ſecuritate. *Sicut turris David quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea*. Turris eſt, quia alta. *Ædificata eſt cum propugnaculis*. Non ingredietur labor, non timor, non fames, non ægritudo, non mors. Sunt propugnacula ibi. Non tranſibunt illa. Pſalmus: *Lauda Jeruſalem Dominum; lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Qui poſuit fines tuos pacem*. Hic, ſive dormiam ſive vigilem, ſemper labor. Poſt laborem requies. Sed quare dixit: *Pendent?* Utique animæ ingredientes, exutis exuviis ſcuta ponunt, jam non amplius præliaturæ. Nonne ſcutum eſt patientia? Nonne ſcutum eſt fortitudo? &c. Jam non eſt opus Laurentio patientia. Non Stephano fortitudo. Non eſt perſecutio, non lapides, non craticula, non tormenta.

(*a*) (*b*) Cant. 4. Pſal. 147.

VII. Alia deſcriptio gloriæ: *Sapientia ædificavit ſibi domum*. In cœlis utique: *Excidit columnas ſeptem*. Quatuor dotes corporis. O quanta gloria corporum! Fulgent præ ſole & Angelis. Aliæ tres dotes animæ. *Poſuit menſam*. Beatus qui manducat ad iſtam menſam. Hic homines communiter parant convivia: guſtui capones, gallinas. Si eſt Princeps natus, fit convivium, ibi parantur dapes, ut guſtet guſtus: ſonat harpa & melodia, ut guſtet auditus: ibi tapetes, ut guſtet oculus: ibi mollia, ut guſtet tactus: ſic omnibus ſenſibus paratur convivium. O generale convivium in domo Dei! Omnibus ſenſibus exterioribus & interioribus paratur convivium. Ibi intellectus, ibi voluntas, ibi omnes vires, tam interiores quam exteriores proprias habent dapes, & delicias. Ibi *Deus, eſt omnia in omnibus*. Ipſe ſapor guſtui. Et qualis ſapor Deus! Ipſe melodia auditui. Et qualis melodia Deus! &c. *Miſcuit vinum*. Quomodo miſcuit? Nonne ibi purum eſt gaudium? Quomodo ergo miſcuit? Utique hic mixtura eſt; ſæpius cum labore gaudium cum luctu, &c. Ibi alia mixtio. Quæ mixtio, ubi purum eſt bonum ſine malo? *Miſcuit:* quia illud unum quod Deus eſt, niſi mixtum, creatura bibere non poſſet. Quomodo toleraret potentiæ fervorem? *Miſcuit:* non lucem cum tenebra, non bonum cum malo; ſed *miſcuit*, quia ſeparavit lucem ſuam, voluptatem ſuam, ut eſſet captibilis & guſtabilis. Et pro merito cujuſque datur. Solus ipſe bibit ſeipſum purum: nam ſolus ipſe, ſe & ſuam gloriam, & ſuam voluptatem comprehendit. Quomodo Animæ Beatorum non vident Deum ut eſt, licet videant utique; ſed Deus omnino ut eſt, ſeipſum videt: vide S. Thomam & Bernardum (*c*).

Prov. 9. 1. Cor. 15. Prov. 9. (*c*)

VIII. Sed, o Domine, quomodo *modicum* videbimus te! Imo in æternum videbimus te, imo ſemper. Multum me fatigat quod ais: *Modicum, videbitis me*. Attendite quod non ait: Per *modicum* videbitis, ſed *modicum* erit, ſcilicet tempus: & tunc po-

(*a*) In Pſal. 136. num. 17. *Ibi eſt enim ſumma jucunditas, ubi Deo perfruimur, ubi de fraternitate cohærente, & civica ſocietate ſecuri ſumus. Nullus ibi tentator nos violabit, nullus vel ad aliquam illecebram percellere poterit, nihil ibi delectabit, niſi bonum. Morietur ibi omnis neceſſitas, orietur ibi ſumma felicitas.* Alibi de hoc S. Parens.

(*b*) Homil. 37. in Euang. num. 1., cujus notiſſima ſunt verba.

(*c*) Illum quidem 1. 2. quæſt. 4. art. 3. ad 1. Hunc vero Serm. 4. in Feſto omnium Sanctor. num. 3., & Serm. 31. in Cant.

poſtea in æternum videbitis me. O quam longum *modicum!* O quam dilatatum, & magnum *modicum!* Pſalmus: Uſquequo avertis faciem tuam a me? *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Modicum & jam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.* Sic eſt Fratres, ſic eſt. Nam nec omnino ipſum ignoramus, nec omnino ſcimus. Job: *Omnes homines vident eum*, & quilibet eum *intuetur procul. Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram.* Bernardus (*a*): ſuſtinete *modicum* quid inſipientiæ meæ. Volo dicere, nam & hoc pactus ſum, quomodo mecum agitur in ejuſmodi. Non expedit quidem: ſed prodar ſane ut proſim, & ſi profeceritis vos, meam inſipientiam conſolabor. Si non; meam inſipientiam confitebor. Fateor & mihi adventaſſe Verbum, in inſipientia dico, & pluries: cumque ſæpius intraverit ad me, non ſenſi aliquoties cum intravit: adeſſe ſenſi, affuiſſe recordor, interdum & præſentire potui introitum ejus, ſentire numquam, ſed ne exitum quidem. Nam unde in animam meam venerit, quove abierit denuo eam dimittens; ſed & qua vel introierit, vel exierit, etiam nunc ignorare me fateor, ſecundum illud: *Neſcis unde veniat, & quo vadat.* Nec mirum tamen; quia ipſe eſt, cui dictum eſt: *Et veſtigia tua non cognoſcentur.* Sane per oculos non intravit, quia non eſt coloratum; ſed neque per aures, quia non ſonuit; ſed neque per nares, quia non aeri miſcetur, ſed menti; nec inficit aerem, ſed fecit; neque vero per fauces, quia non eſt manſum vel hauſtum; nec tactu comperi illud, quia palpabile non eſt. Qua igitur introivit? An forte introivit quidem, quia non de foris venit? neque enim eſt unum aliquid ex iis quæ foris ſunt. Porro, nec de intra me venit, quoniam bonum eſt, & ſcio quoniam non eſt in me bonum. Aſcendi etiam ſuperius meum, & ecce ſupra hoc Verbum eminens. Ad inferius quoque meum curioſus explorator deſcendi, & nihilominus infra inventum eſt. Si foras aſpexi, extra omne exterius meum comperi illud eſſe; ſi intus, & ipſum interius erat. Ecce quam *modice* cognoſcatur adeſſe. Et cognovi tamen verum eſſe quod legeram: quia *in ipſo vivimus, & movemur, & ſumus.* Hinc beatus ille eſt, in quo eſt ipſum; qui illi vivit, qui eo movetur. *Modicum & non videbitis me.*

IX. *Modicum* eſt, Fratres, propter quod amittitur ejus præſentia, viſio ejus. O quam *modicum* & facile conſenſus quidam iræ, luxuriæ, ambitionis. *Modicum* eſt, propter quod tantum bonum, tam grande bonum amittitur. Vigilate, cavete, prævidete. Magnum eſt æternaliter videre Deum, Angelis aſſociari in æternum; ſed difficile eſt, non perdere. *Nam modicum, & jam non videbitis me.* Sed, o Dei Bonitas! o Clementia Dei! Conſolamini Fratres: nam ſi per *modicum* amittitur, per *modicum* recuperatur. *Modicum & videbitis me, modicum* eſt, dolere de commiſſis, *modicum* eſt dicere: *Peccavi: modicum* eſt petere veniam. Et tum, viſio amiſſa per *modicum*, recuperatur per *modicum*. *Pro nihilo ſalvos facies illos.* Sed, quomodo de reatu dolendum, ut recuperetur? Jeremias: *Vox in viis audita eſt, ploratus & ululatus filiorum Iſrael: quoniam iniquam fecerunt viam ſuam, obliti ſunt Domini Dei ſui.* Bene dolent de peccato: ſed quid reſtat? *Convertimini Filii revertentes, & ſanabo averſiones veſtras.* Ecce dolor cordis, converſio per bonum propoſitum corrigendi vitam: reliquum eſt, ut opere offendicula derelinquamus: illud eſt, *converti revertentes.* Qui bonum agere proponit, ſed malum non derelinquit, non revertitur adhuc.

Modicum & jam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Non fuit conveniens ut differatur reſurrectio uſque ad diem judicii ne labatur fides. Mortuus eſt in pretium redemptionis; reſurrexit ad confirmandam fidem; alias non crederetur Deus.

Pſal. 29. Pſal. 41. Pſ. 119. Jo. 16. Job 36. (a) 2. Cor. 11. Rom. 7. Act. 17. Jo. 16. Pſal. 55. Jer. 3. Jo. 3. Pſal. 76. Jo. 16.

(*a*) Uſque ad illa, *Hinc beatus ille eſt, in quo eſt ipſum, qui illi vivit, qui eo movetur*, Bernardi verba ſunt Serm. 74. in Cant. num. 5., exceptis proxime antecedentibus, *Ecce quam modice cognoſcatur adeſſe*, quæ a S. Oratore interjecta ſunt.

IN DOMINICAM QUARTAM POST PASCHA

CONCIO PRIMA.

DE EUANGELIO.

Cum venerit ille arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio.
Joann. 16. v. 8.

CONCIO LXXV.

1. LITTERA Euangelii pars quædam eſt illius dulciſſimi, & ſuaviſſimi ſermonis, quem Dominus fecit poſt cœnam jam proximus paſſioni; in quo, velut cygnus morti proximus ſuavius cecinit. Adeo, ut Diſcipuli illo ejus eloquio delectati dicerent: *Nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis.* Fuit autem hujus cauſa maxima, triſtitia Apoſtolorum: nam dici non poteſt, quanto dolore, & mœrore affecti ſunt, audientes quod tam cito Dominus ſeparandus eſſet ab eis, & tam crudeliter occidendus. Conſternati ſunt animo, & amaritudine pleni, oculis in terra defixis, & vultu demiſſo, non poterant ſe mutuo aſpicere præ multitudine lacrymarum. Unde Bernardus (*a*): Quid ni concuterentur viſcera, turbaretur affectus, hæſitaret animus, hæreret vultus, paveret auditus, nec omnino æquanimiter diſceſſionis ejus ſermo poſſet admitti, ut relinqueret eos pro quo omnia reliquiſſent? Sicut enim gallina in ſinu ſuo fovet, & a milvo protegit pullos ſuos ſub alis; ita eos Dominus ſua præſentia protegebat. Et propterea, ut Chryſoſtomus (*b*) ait: Cognito ejus diſceſſu, non poterant aſpicere in eum, neque eum alloqui præ dolore. Hoc eſt quod ait: *Vado ad eum qui miſit me: Et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? Sed quia hæc loquutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum.* Sicut enim cum paterfamilias dilectus longe recedit: filii, filiæ, ſervi, ancillæ ſeorſum lacrymantur, & plorant; ſic tota illa familia mœſtitia plena erat. Unde ad eos conſolandos uſus eſt Dominus ſermone tam longo, & conſolatorio. O benignitas! O charitas! O clementia! Ipſe poſt modicum tam duros cruciatus, & tormenta paſſurus, oblitus dolorum ſuorum, de Diſcipulorum triſtitia magis angitur: & ipſe magis conſolandus, conſolatur Diſcipulos. O quanta pietas, quanta dignatio, quanta viſcera miſericordiæ! Uſus eſt autem Dominus triplici conſolationis medio, ſicut ſolet paterfamilias a ſuis receſſurus. Nam primo dicit ſui diſceſſus utilitatem, & quantum omnibus expedit ut recedat. Secundo: non dimittam vos ſolos; nam ecce filius, vel frater meus manet, qui curam veſtri habebit, & non ſentietis meam abſentiam. Tertio conſolatur eos ex abſentiæ brevitate, dicens: Nolite triſtari, nam citiſſime redibo: ſic Dominus. Primo proponit eis utilitatem ſui diſceſſus, dicens: *Ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam.* Secundo ait: *Non relinquam vos orphanos, ſed alium Paraclitum dabo vobis: & gaudebit cor veſtrum.* Tertio ait: *Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me; quia vado ad Patrem.* Et iterum: *Si quo minus dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præparavero vobis locum; iterum venio & accipiam vos ad me ipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis.* Sed tanta erat triſtitia eorum, quod nec iſta ſufficiebant ad ſolatium, & ad reprimendum dolorem. Sed quia Paracletum illum, quem ſæpius promittit in illo ſermone, illi non agnoſcebant, neque modum adventus ejus, neque utilitatem ſciebant; ideo in littera oſtendit duo. Quiſnam ſit ille Paracletus, & ad quid venturus.

II. Primo utilitatem adventus ejus tractat, dicens: Veniet ille Paracletus, propter mundum: ad illum ſcilicet corrigendum, & reformandum. *Nam cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me: de juſtitia vero, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me: de judicio autem, quia Princeps hujus mundi jam judicatus eſt.* Obſcura Littera, quod & ipſe vidit: unde ait: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Veniet pro-

Jo. 16. — Ibid. 14. — Ibid. 16. — Ibid. 14. — Ibid. 16.

(*a*) Serm. 5. in Aſcenſ. Dom. num. 11. uſque ad verbum *reliquiſſent*. Similia habet S. Bernardus Serm. 2. in Aſcenſ. num. 3., & Serm. 20. in Cant. num. 6.

(*b*) Homil. 77. in cap. 16. Joann. poſt initium. *Nam præ anxietate multa tum ob illius diſceſſum, tum ob mala ipſis obventura, neſciebant enim an ſatis conſtanter illa ferre poſſent, attoniti erant.* Et Homil. de Aſcenſ. Dom. poſt medium: *Et ſi amicorum, ſeu cognatorum ſeparatione triſtantur, quanto magis Salvatorem, Magiſtrum, Dominum, Miſericordem, Pium, Manſuetum, cum a ſe viderent ſeparari, non omni cum dolore triſtabantur?*

propter vos: *Nam cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis:* veniet propter me: *Nam ille me clarificabit*, ille manifestabit mundo quis ego sum: meam potentiam, divinitatem, majestatem & gloriam: & totum orbem pedibus meis prosternet. Sed *non loquetur a semetipso, sed quæcunque a me audiet loquetur*. Sicut & ego quæcumque audivi a Patre meo, nota feci mundo: *Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Nam sicut doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me Patris;* sic ejus doctrina mea est, & de meo accipiet illam: non sicut discipulus a magistro: sed sicut productus a suo principio. Erit enim legatus meus, sicut & ego legatus sum Patris. Et quomodo hoc fiat exponit: *Omnia*, inquit, *quæcumque habet Pater, mea sunt*. Unde & ipsa Patris substantia mea est. Et ideo, sicut Spiritus sanctus a Patre procedit, sic & procedit a me: & sicut mittitur a Patre, sic etiam a me; una est enim substantia de qua procedet. Propterea dixi, quia de meo accipiet, quia a quo habet substantiam, ab illo habet & sapientiam & doctrinam. Nescio an in tota sacra Scriptura de Persona Spiritus sancti, & modo procedendi ejus a Patre, & a Filio, tam late, & tam aperte differatur. Sic itaque exposuit, & quis esset ille Paracletus mittendus, & ad quid mittendus esset. Hæc de Euangelio.

Jo. 7.

Ibid. 16.

III. Ex quo colligitur triplex utilitas adventus Spiritus sancti. Prima, mundi reformatio: *Ille arguet mundum de peccato, de justitia, & de judicio*. Secunda, doctrina: *Ille docebit vos omnem veritatem*. Tertia, fides. *Ille me clarificabit*. De prima solum fiet sermo. Et dicemus duo. Primo: in quo consistat ista mundi reformatio. Secundo: quomodo Spiritus sanctus mundum reformabit. Quantum ad primum; notandum, quod homo tripliciter potest considerari. Scilicet: in se: quo ad proximum: quo ad Deum. Et ita indiget triplici reformatione, sive ordinatione. Scilicet: quo ad se, ut sit sobrius: quo ad proximum, ut sit justus: quo ad Deum, ut sit pius. Sicut Apostolus ait: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem; & sæcularia desideria, sobrie, & juste, & pie vivamus in hoc sæculo. Sobrie*, ad nos; *juste*, ad proximum; *pie*, ad Deum. Homines autem, ante adventum Salvatoris, erant flagitiosi quo ad se, facinorosi quo ad proximum, impii quo ad Deum. Erant enim brutales, vitiosi, carnales, ut satis ostendit Apostolus ad Romanos. Erant quoque cupidi, elati, raptores, pernicioſi ad proximos; utpote sine timore Dei. Erant & impii, infideles, idololatræ, & sicut illis ait Apostolus: Eramus sine Deo aliquando. At per adventum Spiritus sancti de carnalibus & brutalibus facti sunt justi & benigni. Ex infidelibus & idololatris facti sunt fideles & pii. Hoc est quod ait: *Arguet mundum de judicio* corrupto, scilicet, quia bestiales erant quo ad se. *Arguet de justitia*, non servata ad proximum. *De peccato* impietatis & infidelitatis quo ad Deum. Et sic reformavit perfecte hominem quo ad se, quo ad proximum, & quo ad Deum. Sed expositio hujus triplicis reformationis in littera posita, obscurissima est. Ait enim: *Arguet de judicio, quia princeps hujus mundi jam judicatus est*. Ac si dicat: corruptor ille humani judicii, & malus suggestor, per meam passionem jam erit explosus; & sic poterit homo in suo judicio reformari. *Arguet de justitia, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me*. Quasi dicat: si ego per longum tempus fuissem mansurus in mundo, mea doctrina homines arguerem, & reducerem ad justitiam. Sed quia recedo, & vado ad Patrem: mittam Spiritum sanctum, qui hoc agat. *Arguet etiam de peccato* quo ad Deum; *quia non crediderunt in me*. Nam ipsa incredulitas, & infidelitas satis magna est impietas ad Deum. De hac ergo triplici reformatione, in qua tota hominis perfectio est, in quo consistat, & quomodo facta sit a Spiritu sancto, dicemus.

Ibidem.

Tit. 2.

Rom. 1.

Tit. 3.

IV. Prima hominis reformatio quo ad se, in tribus consistit. Scilicet: in ratione illuminata. In voluntate bene inclinata. In sensualitate subjecta: qui hæc tria habet in se perfectus est. Primum valde necessarium est homini. Nam ipsa ratio est regula humanorum actuum, & totius vitæ lumen. Et sicut auriga in curru, vel gubernator in navi; & sicut oculus in corpore. Ab illa enim dependet tota vitæ ordinatio, & gubernatio. Unde Dominus in Euangelio: *Si lumen, quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Si lumen tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Et iterum: *Si oculus tuus fuerit simplex;* id est: ratio illuminata; *totum corpus tuum lucidum erit;* id est: tota vita perspicua, & illustris. *Si autem oculus tuus fuerit nequam* & tenebrosus; *totum corpus tuum tenebrosum erit*. Unde Psalmus: *Intellectum da mihi, & vivam*. Magnum donum, & grandis felicitas, præstare intellectu, pollere ingenio, vigere sensu & prudentia, & rationis acumine. Respice duos juvenes, filium Regis, filium pastoris: Deus bone! Homo homini quid præstat? Unus quasi Angelus, alius quasi bestia. Hæc autem rationis illuminatio in tribus consistit. Primo: in acumine intellectus, & vigore luminis naturalis intellectus. Secundo: in industria per quam acquiruntur quinque illi habitus, seu virtutes intellectuales, quæ perficiunt intellectum; de quibus Aristoteles (*a*) in metaphysicis. Scilicet: intellectus, sapientia, scientia, prudentia, & ars:

Mat. 6.

Ps. 118.

(*a*)

(*a*) De his Aristoteles agit Ethicorum lib. 6. cap. 3.

de quibus non oportet modo dicere. Tertio: in donis Spiritus sancti: scilicet; dono intellectus, sapientiæ, scientiæ, & consilii: quæ supernaturaliter illustrant rationem hoc modo: nam donum intellectus facit intellectum vivacem, perspicuum, subito intelligentem, & penetrantem veritatem modico discursu, & Angelico similem; donum sapientiæ illuminat ipsum quoad spiritualia, & æterna; donum scientiæ quoad visibilia naturalia: donum consilii quoad agibilia, & operabilia.

V. Sed quid prodest habere clarum intellectum, si voluntatem habeas corruptam, protervam, & male inclinatam? Quantos vidimus ingeniosos, & malitiosos, versutos, dolosos, vitiosos, quibus ingenium non servit nisi ad iniquitatem? Sicut scriptum est: *Sapientes sunt ut faciant mala*. *Jer. 4.* Quibus melius fuisset esse simplices, & bonos. *Ps. 118.* Unde Psalmista postulabat dicens: *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine*. Id est: da ut voluntati placeat, quod ratio probat. Sic enim plurimos videmus quasi natura bonos, & bene inclinatos, qui sine labore & studio sunt probi: alios vero natura male inclinatos, qui non sine violentia magna boni sunt. Sicut in equis, quidam leniter, & tenui filo ducuntur, alii effrænes fræno duro indigent, ut regantur. Non minor est, sed major hæc felicitas, quam prima. Fit etiam hoc tripliciter. Primo, per virtutes congenitas naturaliter, ut videmus in pueris: secundo; per virtutes morales acquisitas: tertio; per virtutes infusas, & per dona Spiritus sancti: scilicet; pietatis, & fortitudinis, quibus firmantur in bono. His non restat nisi habere sensualitatem subditam & domitam: non enim oportet expectare, quod sit bene inclinata; vipera venenosa est: *in malum prona ab adolescentia sua*. *Gen. 8.* Non potest bene inclinari: sed fræno, censura, & flagello opus est ad illam. Unde Apostolus: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo; 1. Cor. 9.* *nam scio quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum:* caro enim *legi Dei non est subjecta*, neque *enim potest:* semper parata concupiscere adversus Spiritum; effundit venenum, & repugnat legi mentis nostræ. *Galat. 5.* *Rom. 7.* Ideo in illa non est habenda fiducia, sed semper suspecta existimanda, castiganda, domanda, & frænanda. Facit autem hoc Spiritus per donum timoris; nam per timorem *Prov. 14.* Domini declinat omnis a malo. Unde P. Augustinus (*a*) de Matre sua Monica: Erat autem timor castus in corde ejus tanquam fascia pectoralis qua cogitationes adstringeret; in ore, tanquam frænum quo linguam deprimeret: in opere, tanquam stimulus, ne pigritia torperet, in cunctis tamquam regula, ne modum excederet. Ecce in quo constat hominis reformatio quoad se. Talis erat Sapiens, qui de se ipso dicebat: *Puer eram ingeniosus*, quo ad primum: *Et sortitus sum animam bonam*, quo ad secundum; *& cum essem magis bonus veni ad corpus incoinquinatum;* quo ad tertium. *Sap. 8.* Unde, hujusmodi homo ordinatissimus est in omnibus quasi horologium: in cogitationibus, desideriis, sermonibus, operibus, in victu, vestitu, motu, gestu, conversatione, totus est ordinatus moderamine rationis: sicut in horologio motum rotarum sequitur manus index. De hoc, figura in Ezechiele. De quatuor rotis oculatis, & *rota in medio rotæ*, & ubi erat impetus spiritus sequebantur & rotæ. *Ezech. 1.* Quatuor rotæ sunt quatuor animæ potentiæ. Scilicet: intellectus, sensus, voluntas, appetitus sensitivus. Rota in medio rotæ: quia intellectus comprehendit sensum: nam quicquid potest sensus sentire, potest intellectus intelligere & amplius. Similiter voluntas comprehendit appetitum: nam quicquid appetitus appetere potest, voluntas potest velle & amplius. Istæ quatuor rotæ sequuntur in homine justo motum rationis, & ratio motum spiritus; sicut in horologio motum ponderum sequitur motus rotarum. In nullo enim repugnant neque discrepant a ratione & spiritu. In hoc ordine consistit illud decorum, & honestum maxime quærendum. *Væ impio in malum!* Qui totus inordinatus discerpitur & fatigatur: sicut ait P. *Isaiæ 3.* Augustinus (*b*): Ordinasti Domine; & ita (*b*) est, ut omnis animus inordinatus sibi ipsi pœna sit.

VI. Secunda hominis reformatio quo ad proximum, quam facit integra & perfecta justitia; consistit in quinque partibus; scilicet: in distributione temporalium, in communicatione gratiarum, in supportatione onerum, in redditione debitorum, in innocentia operum. Oportet primo, ut homo sit justus ad proximum in distributione temporalium. Nam, ut ait Ambrosius (*c*) *in Libro de Officiis*. Natura omnia fecit communia; (*c*) & hic mundus non est, nisi quasi quædam communis hæreditas hominum, sed jure positivo appropriata sunt in particulari, & locum habet in populis *Meum & Tuum*. Unde sententia Clementis (*d*): Communis usus (*d*) omnium quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse

(*a*) In Epistola ad Sororem, quæ tamen suppositia est. Refertur a Bollandistis ad diem 4. Maji post Vitam S. Monicæ ex MSS., & Mombritio ad calcem Vitarum. Extat etiam in editione Lovaniensium ad calcem tom. 10. Operum S. Augustini.

(*b*) Confess. lib. 1. cap. 12. *Jussisti enim, & sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.*

(*c*) Lib. 1. de Offic. cap. 28. *Natura enim omnia omnibus in commune profudit. Sic enim Deus generari jussit omnia, ut pastus omnibus communis esset, & terra foret omnium quædam communis possessio. Natura igitur jus commune generavit, usurpatio jus fecit privatum.*

(*d*) Refertur a Gratiano 12. q. 1. can. *Dilectissimis. Communis enim usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit. Sed per iniquitatem alius hoc suum esse dixit, & alius illud: & sic inter mortales facta divisio est.* Ubi Glossa advertit, *per iniquitatem*, intelligendum, *per consuetudinem juris gentium*, vel, *per sollicitudinem*, ut aliis juribus ibi allegatis concordet sententia.

esse debuit; sed per iniquitatem, alius hoc dixit esse suum, & alius illud, & sic inter mortales facta est divisio per iniquitatem ex jure gentium. Pertinet ergo ad justitiam, ut ex hac communi hæreditate nullus usurpet superflua cum damno aliorum. Qui namque pater & æquus, & justus, si haberet decem filios, libenter pateretur, ut unus omnem sibi hæreditatem, vel maximam ejus partem usurparet, fratribus in paupertate relictis? Sic etiam Deo displicet quorumdam abundantia, cum damno proximorum. Unde per Prophetam dicit: *Væ qui conjungitis* Isaiæ 5. *domum ad domum, & agrum agro copulatis, usque ad terminum loci? Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Sed quando jure positivo permissa est appropriatio, pertinet quoque ad justitiam, ut si quis de communi naturæ cellario sibi multum appropriavit, illud quod supereſt distribuat indigentibus. Unde Apostolus: *Vestra abundantia illorum* 2.Cor. 8. *inopiam suppleat, ut fiat æqualitas.* Sicut scriptum est: *Qui multum, non abundavit; & qui modicum, non minoravit.* Qui multum scilicet habuit, non abundavit, quia superfluum indigentibus erogavit; & qui modicum habuit, non minoravit; id est non ei defuit, quia aliorum abundantia illius supplevit indigentiam: & sic fiet æqualitas justitiæ inter proximos. O si hæc regula servaretur ab omnibus! profecto totus mundus omnibus bonis ad plenum redundaret, & nullus esset indigens in toto orbe. Unde enim tanta in mundo indigentia, nisi ex iniqua avaritia plurimorum? Quæ pestis est & (a) venenum justitiæ, ut ait Ambrosius (*a*). Deus enim & natura sufficientem, imo redundantem & divitem mundum hominibus creavit, opulentamque eis mensam in campis, rivis, arboribus, avibus, animalibus & piscibus posuit, etiamsi decies tantum & supra, homines redundarent. Sed nimia multorum abundantia indigentiam in divite mundo parturiit: nam dum unus quinquaginta ciborum genera apponit in mensa, fit ut quinquaginta non habeant unam escam: & dum alius quinquaginta vestes servat in arca, cogit ut quinquaginta non habeant unam vestem: & dum alius horreis plenis abundat, necesse est ut alteri cibarius & hordeacius panis deficiat; & sic in aliis. Hæc utique prima portio justitiæ est; ut in temporalibus unusquisque de communi naturæ cellario neque nimius sit in conservando, & si forte juris permissione abundat, æquus sit & largus in distribuendo.

VII. Secunda justitiæ portio consistit in communicatione gratiarum. Non enim nobis nati sumus, & naturales dotes gratuitasque gratias, quas accepimus non nobis solis, sed ut omnibus prosint, accepimus. Apostolo teste qui ait: *Manifestatio Spiritus datur ad utilitatem*, scilicet communem Eccle- 1. Cor. 12. siæ. Unde ad justitiam spectat, ut gratias, dona, scientias, & artium peritiam, quam quisque vel dono accepit, vel industria quæsivit, in communem utilitatem expendat: dicente Domino: *Gratis accepistis, gratis* Mat. 10. *date.* Et Petrus ait: *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes,* 1.Petr.4. *sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Dispensatorem se noverit gratiæ non dominum, ut sit fidelis in dispensatione. Nam, qui *abscondit frumenta*, non tam panis quam doctrinæ, *maledicetur in popu-* Prov.11. *lis, benedictio autem super caput vendentium.* Non enim servandi, sed communicandi gratia accepit. Theologus ergo libenter impartiatur populis doctrinam. Medicus non vendat pauperibus curandi peritiam, sed libenter visitet, gratis curet egenos: nam si a divitibus accipit stipendium, non facit injuriam: quia de sua arte vivere debet. Similiter advocatus non vendat pauperibus patrocinium, neque Sacerdos suffragium: & unusquisque in sua arte sic quærat utilitatem, ut non communem respuat commoditatem. Neque enim sibi tantum didicit, neque sibi soli sapit; sed omnibus, quibus sua arte vel scientia prodesse potest: quod si tyrannice vendit quibus non debet, injuste agit.

VIII. Tertium pertinet ad hanc ordinationem sustinere onera proximorum. Sicut scriptum est: *Alter alterius onera portate,* Galat.6. *& sic adimplebitis legem Christi.* Non solum corporalia onera, mœstos consolando, infirmos visitando, egenos adjuvando: sed etiam spiritualia, defectus, ignorantias, stultitias, malitias tolerando. Sicut Apostolus ait: *Sup-* Coloss.3. *portantes invicem, & donantes vobis metipsis, si quis adversus aliquem habet querelam.* Quis enim est, qui non in aliquo indigeat tolerari? Qui non interdum conqueratur injuste? Qui non aspere aliquando respondeat? Qui non frequenter importunus, onerosus, morosus, & molestus existat? Tu iracundus es, & ego superbus: sustine meam superbiam & ego tuam portabo iracundiam. Tu loqueris plusquam oportet, & ego neque interroganti respondeo: sustenta meam taciturnitatem, & ego tuam sustinebo loquacitatem. Quam necessaria est hæc ad invicem supportatio degentibus in communi! Ut maritus uxorem, & uxor maritum: parentes filios, & filii parentes: servi dominos, & domini servos invicem supportent. Sunt parentes senes, ut plurimum tristes, rigidi, onerosi, rixosi, avari, molesti: juvenes vero filii e contrario, leves, vani, prodigi, petulantes, stulti, loquaces. Quomodo convenient in una domo, si non se invicem supportent & tolerent?

(*a*) Lib. 1. de Offic. cap. 28. de justitia loquens, hæc habet: *Quis non cuperet hanc virtutis arcem tenere, nisi prima avaritia infirmaret, atque infleeteret tantæ virtutis vigorem? Etenim dum augere opes, aggregare pecunias, occupare terras possessionibus cupimus, præstare divitiis, justitiæ formam exuimus, beneficentiam communem amisimus.*

rent? Insigne virtutis est, alienam tolerare nequitiam. Neque est omnino justus qui impios tolerare non valet. Exemplum nobis posuit Petrus Apostolus hujus tolerantiæ in Lot; de quo ait: *Aspectu & auditu justus* 2.Petr.2. *erat: habitans apud eos qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant.* De qua re Paulus quoque utilissimum exhibuit documentum dicens: *Si præoccupatus* Galat.6. *fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis;* id est: non excandescentes, non exasperantes, non criminantes. Cavens *ne & tu* Psal.65. *tenteris:* scriptum enim est: *Qui exasperant non exaltentur in semetipsis.* Ipsa namque superba crudelitas qua infirmum fratrem exasperas, te ejicit in præcipitium similis, aut gravioris delicti.

IX. Quartum documentum spectat ad probum virum & justum. Redditio debitorum: juxta Apostolicum præceptum: *Nemini quic-* Rom.13. *quam debeatis. Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Pariformiter: cui obedientiam, obedientiam: cui reverentiam, reverentiam: cui obsequium, obsequium: cui fidem, fidem. Sit quispiam quantumvis largus, & liberalis, & benignus in proximos: si superbus & procax est in prælatos, non eis deferens reverentiam, præceptisque, obedientiam denegans; non est justus: subtrahit enim debitum non pecuniæ, sed obedientiæ & reverentiæ, quam debet. Debitum autem hoc justitiæ non solum inferiorum est ad superiores, id est subditorum ad prælatos, filiorum ad parentes, servorum ad dominos; sed etiam e contrario. Debet enim prælatus subditis custodiam & doctrinam, debet pater filiis disciplinam & alimoniam, debet dominus servis stipendium & curam. Neque minus justitiam deserit prælatus, si subtrahat curam, quam subditus si deneget obedientiam aut reverentiam.

X. Sed ne quicquam desit ad plenam perfectamque justitiam, decet ultimo; ut innocentiam erga proximum custodiat: ut neque dicto, neque facto, neque etiam negotio, neque etiam desiderio proximo noceas; vel 1.Thess. fratrem in negotio circumvenias. Veritas 4. custodiatur in verbo; fides in promisso; justitia in negotio; æquitas in officio: sic, ut in nullo; neque in fama, neque in persona, neque in substantia, neque in arte, vel dignitate, vel officio proximum indebite lædas, vel ei molestus sis; sed quantum in te est, vivas sine querela. Unde non omnino justus est, qui etiam sine causa proximum judicat, & bonam de eo existimationem, & opinionem quam habebat amittit. Læsit namque indebite proximum quo ad se, iniquе suspicans malum, ubi non debuit. Pertinet quoque ad justitiam, non solum non inferre injuriam; sed & propulsare cum potest: Illator enim est injuriæ, qui cum eam possit prohibere permittit. In jure sic habetur (*a*): Facientis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Unde (*a*) Job de se ipso ait: *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Job 29.

XI. Perstrinxi breviter justitiæ formam, quam quilibet debet servare cum proximo. De hac Spiritus sanctus mundum iniquum, & facinorosum, sine timore, & pudore viventem redarguit; & in justitia reformavit, uniendo scilicet homines in unam fidem, in unum cultum, & baptismum, sub uno Deo, in una Ecclesiæ domo; sicut de illo scriptum est: *Qui habitare facit unius moris in domo.* Et infundens hominibus erga proximos charitatem, quæ est verum & perfectum justitiæ complementum. *Charitas enim,* ut ait Apostolus: *Patiens est;* scilicet, ad 1.Cor. portanda onera. *Benigna est,* ad dona com- 13. municanda. *Non æmulatur, non est ambitiosa, non irritatur,* ad persolvenda debita. *Non agit perperam,* ad inferenda nocumenta. *Non quærit quæ sua sunt,* ad temporalia distribuenda. Vides quomodo omnia quæ ad perfectionem justitiæ pertinere insinuavimus, sola contineat atque impleat charitas, quæ non ab hominibus, sed a Spiritu sancto est.

XII. Tertia reformatio hominis ad Deum in tribus consistit: in fide, obedientia, latria. Nam homo debet Deo hæc tria: fidem, obedientiam, & gratitudinem. Fidem dictis ejus: obedientiam præceptis: gratitudinem beneficiis. Debet ei fidem, quia Veritas est. Debet obedientiam, quia Dominus est. Ego Dominus; solus Dominus naturalis: nam alii sunt facti domini. Debet latriam; quia Deus, quia summe bonus, summe beneficus. Si ratio naturalis sufficeret nos dirigere in vitam æternam sine divina illustratione & doctrina, non opus esset fide, sed quia per se non sufficit, sed indiget dirigi & illustrari a Deo, juxta illud: *Erat lux vera: quæ illuminat omnem homi-* Jo. 1. *nem venientem in hunc mundum;* ideo oportet Deo credere, & captivare intellectum in obsequium fidei. Magna enim superbia 2. Cor. est, velle suo dirigi consilio in via tam lu- 10. brica & tenebrosa. Unde Petrus de sacra Prophetia ait: *Cui benefacitis attendentes,* 2.Petr.1. *quasi lucerna lucenti in caliginoso loco.* Neque minor superbia est, velle suo regi arbitrio & voluntate, & nolle obtemperare mandatis, neque dirigi a Dei præceptis; nam Dei præcepta regula vivendi sunt, & forma humanæ vitæ. De his Job: *Tamquam pullum ona-* Job 11. *gri liberum se natum putat,* scilicet: ut faciat quicquid vult. Unde Psalmus: *Tu man-* Ps. 118. *dasti mandata tua custodiri nimis.* Hoc generale mandatum est, ut custodiantur & ser-

ventur

(*a*) 83. dist. c. 3. *Error, cui non resistitur, approbatur, & veritas, cum minime defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cum possis deturbare perversos, nihil aliud est, quam fovere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.*

ventur nimis, ſcilicet: ut neque cogitatu, neque deſiderio, nec verbo, neque facto homo audeat attentare oppoſitum; ſed quaſi a natura ſint, ſic ſerventur. Ita ut homo pauper Chriſtianus, etiamſi inveniat alienas pecunias, neque cogitet eas accipere, quoniam a Deo prohibitum eſt; & homo famelicus alienas dapes non eſuriat, quoniam Deus ſic mandavit; neque aſcendat in cor ejus. Tertio debemus latriam: id eſt; honorem, reverentiam, amorem, gratitudinem, & obſequium Deo, & propter ipſum, & propter ſua beneficia. Quantum eſt totum, quod quis tribuere poteſt laudis & amoris, ad id quod ipſe meretur? Et ſimiliter: *Quid* retribues *Domino* pro tantis donis & beneficiis, quæ tibi donavit? Pſalmus: *Te decet hymnus Deus in Sion*, id eſt: tibi debetur laus, tibi propria eſt laus. Et ſicut Apoſtolus ait: *Soli Deo honor & gloria*. In his tribus pietas conſiſtit.

Pſ. 115. *Pſal. 64.* *1. Tim. 1.*

XIII. Vis videre hominem vere pium, & quoad Deum bene ordinatum? Attende Abraham: qui jubente Domino: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui;* & pollicente ſe daturum illi & ſemini ejus poſt eum terram illam, ſtatim credidit, & obedivit, neſciens quo iret: factus exul & peregrinus ſuper terram omnibus diebus vitæ ſuæ. Nec hæſitavit de promiſſione, aut quæſivit: Quomodo poſſeſſurus ſum terram tot populis inhabitatam? Homo alienigena, & peregrinus, quibus armis, quo exercitu, expugnaturus ſum eam? Et poſtea jam ſenex, cum poſt tam longam, & diuturnam peregrinationem, neque paſſum pedis illius terræ accepiſſet, & videret ſe jam ſenem, & emortuam vulvam Saræ, neque filiorum ſpem abjecit, neque diffidit; non hæſitavit in promiſſione, neque ſe deceptum conqueſtus, in terram ſuam de qua exierat rediit, ſed firmam fidem & obedientiam ſervavit. Et quod magis ſtupendum, cum poſtea dato filio illum juberetur occidere, in quo repromiſſionem acceperat, dicente Domino: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen;* non hæſitavit, non percontatus eſt: quomodo ergo implebis Domine quod mihi promiſeras, ſi filius promiſſionis occiditur? Sed incunctanter Domini præceptum implere feſtinat. O vere Virum fidelem, pium, & Dei amicitia digniſſimum! De cultu autem quid dicam? Cum in medio mundi undique per totum orbem vigente idololatria ſolus cum domo ſua, Dei veri culturam tenuerit, illibatamque ſervaverit. Nonne veniebat ei in mentem, quod ſolus ex omnibus mundi incolis hunc ritum ſervaret, quod a toto penitus orbe deviaret? Nonne ſecum aliquando volvebat: Quid facio? Solus ego ſapio? Totus deſipit orbis? Nihil tale cogitavit, ne a ſolius Dei amore & timore deviaret. Propter quod eximio illo honore a Deo ſublimatus eſt, ut verus Deus, omnipotens, totius orbis creator, & rector, Deus Abraham vocari dignatus ſit. Quam eximius titulus, quantum faſtigium dignitatis!

Gen. 12. *Rom. 9.* *Exodi 3.*

XIV. Hanc reformationem fecit Spiritus ſanctus in mundo, ut liquet. Mundum infidelem, incredulum, idololatram, a Deo alienatum, dæmonibus mancipatum, per doctrinam Apoſtolicam ad veram fidem, & obedientiam, & cultum reducendo: ſicut ſcriptum eſt: *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ*. Quid enim profuiſſet per tuam paſſionem hominem redimere, & cœlum aperire, & gloriam promereri, niſi per Spiritum tuum homines reformares, perficeres, ſanctificares, ut idonei eſſent tantæ ſaluti? Nunquid beſtialibus, & carnalibus, impiis, idololatris, & ſacrilegis daturus eras regnum cœlorum, & brutales cum Angelis collocaturus? Per paſſionem tuam hominibus cœlum aperuiſti, & per Spiritum ſanctum homines reformaſti, renovaſti, & capaces cœli feciſti. O quam reformatus fuit mundus illis diebus! Quanta bonitas, quanta innocentia, quanta juſtitia, quam ſobrii & continentes, & ſtudioſi ad ſe! quam juſti, benevoli, benefici ad proximum! Quam devoti, quam pii, quam ſancti ad Deum! Quæ Religio hodie tam ſancta & reformata ſicut tunc erat Eccleſia? Lege Actus Apoſtolorum, & vide mores Eccleſiæ congregatæ in Jeruſalem. Lege Philonem (*a*) Judæum, & vide ſanctitatem Eccleſiæ congregatæ Alexandriæ ſub Marco. Vere Carthuſia non eſt hodie tantæ perfectionis. Sed heu! *Egreſſus eſt a filia Sion omnis decor ejus*. Periit omnis illa reformatio paulatim, & ad priſtinos mores rediit mundus. Levate oculos, & videte quæ fiunt hodie in Eccleſia. Ubi hodie judicium? Ubi juſtitia? Ubi pietas? O ſi hodie redires Spiritus ſancte, quantos argueres de judicio, quantos de juſtitia, quantos de peccato? Pudet videre quæ fiunt: & liberet in montibus, & ſolitudine commorari cum beſtiis, nec videre fraudes, dolos, calumnias, nequitias, injuſtitias, & cætera flagitia, quæ quotidie fiunt in populis. Oremus Dominum, ut mittat iterum inviſibiliter Spiritum ſanctum in ſuam Eccleſiam: qui eam arguat, purificet, ſanctificet, reformet, & in priſtinum ſanctitatis fulgorem reſtituat: ut ſic munda & ſanctificata, coram eo in hoc mundo placeat, & poſtea cum eo ſine fine quieſcat in gloria: ad quam nos perducat. Amen.

Pſ. 103. *Thren. 1.*

(*a*) De Vita contemplativa.

IN

IN DOMINICAM IV. POST PASCHA CONCIO SECUNDA.

De Euangelio; et Postilla.

Ego veritatem dico vobis: Expedit vobis, ut ego vadam. Joann. 16. v. 7.

Concio LXXVI.

I. TOtum Euangelium est consolatio Apostolorum. Non potest dici aut facile credi, quanta fuerit Discipulorum tristitia, quantus dolor & mœror appropinquante passione in discessu Domini sui. Toto quippe cordis affectu diligebant eum, neque poterant ab eo quacumque ratione separari: gravis erat illis ejus absentia, neque ulla poterant consolatione levari. Erat cor eorum mœrens, & juste: præsentes enim tribulationes, præsentia Domini solabatur. Erant sicut pulli, quos a milvo gallina sub alis protegit. Sicut enim gallina in sinu suo fovet, & a milvo defendit pullos suos sub alas, ita eos Dominus sua præsentia protegebat. Unde Petro ait: *Luc. 22.* *Simon ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* (a) Unde Bernardus (a), *Sermone tertio Ascensionis:* Quid ni, ait, conciterentur viscera, turbaretur affectus, hæsitaret animus, hæreret vultus, paveret auditus: nec omnino æquanimiter discessionis ejus sermo posset admitti, ut relinqueret eos pro quo omnia reliquissent. Ac propterea, ut ait Chrysostomus: Cognito ejus discessu, undique tanta tristitia cor eorum invaserat, ut nec aspicere in eum, neque omnino alloqui eum poterant præ dolore. Hoc est quod *Jo. 16.* significatur in Euangelio quando ait: *Vado ad eum, qui misit me; & nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?* Et quare non interrogent, sequitur: *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Cor omnino plenum est tristitia: & bene, *implevit;* quia undique dolore & mœstitia pleni erant. Augebat autem eorum tristitiam futurorum malorum aperta prænuntiatio, & instantis persecutionis prænuntiata tribulatio. Quia dixerat illis: *Absque synagogis* *Ibidem.* *facient vos:* & ante Reges & præsides duce- *Mat. 10.* mini propter me; & veniet tempus, in quo *Jo. 16.* omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Hæc autem omnia illo absente gravia & importabilia videbantur. Itaque, cum quispiam Dominus familiæ suæ gratus & carus a domo sua longe discedit; hinc uxor plorat, inde filii & filiæ lamentantur, & passim per compita tota familia lacrymatur: sic Domino discedente, Apostolicus ille cœtus mœstitia plenus erat.

II. Ipse autem pius Dominus instantium tormentorum & mortis oblitus, de suorum mœstitia amplius fatigatur. Unde longo & dulcissimo sermone eos consolatur. Inspice & vide, quia in toto Euangelico textu non est sermo dulcior illo. More quoque discedentium dominorum, fecit Dominus in consolatione Discipulorum (ut ait Hugo Cardinalis (b) hic) quod facit paterfamilias, quando recedens consolatur suam familiam tripliciter. (b) Primo, quia discessus ejus illis utilis sit. Secundo, dicens: Ecce filius meus, aut frater meus manet qui optime vobis providebit: & sicut ego, diliget vos. Tertio, dicens: se cito reversurum, & ab eis videndum. Ita Dominus: de primo ait: *Ego veritatem dico vobis:* ecce juramento firmat ex *Jo. 16.* amore: *Expedit vobis ut ego vadam.* De secundo inquit: *Non relinquam vos orphanos,* *Ibid. 14.* sed *alium Paraclitum dabo vobis.* Et in littera: *Si* ego *non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad* *Ibid. 16.* *vos.* Quem merito Paraclitum nominat: ut ex illius nomine consoletur eos. De tertio ait: *Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me,* ut in *Ibidem.* Euangelio præcedentis Dominicæ. Et rursus: *Vado, & venio ad vos, & gaudebit cor* *vestrum.* Et iterum: *Si quo minus dixissem* *Ibid. 14.* *vobis: quia vado parare vobis locum;* & cum *Ibid. 16.* paravero *vobis locum: iterum veniam, & as-* *Ibid. 14.* *sumam vos ad me ipsum; ut ubi sum ego & vos sitis.* Quid isto Domino clementius? Quid benignius? Quis ita suos amavit ut Dominus morti proximus hac eos consolatione levavit? Sed quia Paracleti hujus virtutem & potentiam penitus ignorabant; adventus ejus efficaciam utilitatemque futuram brevi sermone designat dicens: *Cum ve-* *Ibid. 16.* *nerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.* Quasi dicat: non incassum veniet; sed valde conductibilis erit ejus adventus. Veniet quippe propter mundum, veniet propter vos, veniet propter me. Propter mundum quidem: quia cum venerit ille, *arguet mundum de peccato, de* *Ibidem.* *justitia, & de judicio.* Propter vos: quia *Ibidem.* *cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit* *Ibidem.* *vos omnem veritatem;* magnosque orbis magistros efficiet. Propter me: quia *ille me cla-* *Ibidem.* *rificabit,* & in populis gloriam, Deitatem, majestatem, & potentiam meam monstrabit. *Non* tamen *loquetur a semetipso,* quia *Ibidem.* non est a se ipso; sed de meo accipiet sapientiam a quo accepit substantiam. Non quasi a magistro discipulus, sed quasi a principio productus. Hæc adventus ejus utilitas,

(a) Testimonia S. Bernardi, & Chrysostomi Concione præced. quoque allegata sunt, ubi eadem ferme, Concionis initio tradit S. Orator.

(b) Ita Hugo in cap. 16. Joan. *Homo peregrinaturus familiæ suæ prædicit suum recessum, & consolatur eam lugentem, & maxime tribus modis: aut promittit se non sine lucro venturum, aut per aliquem probum virum illis in omnibus provisurum, aut per se ipsum in continenti reversurum.*

tas, hæc causa. Sed quod dicitur de mundo; quia arguet eum *de peccato*, & *de justi-*
Jo. 16. *tia*, & *de judicio*, valde obscurum est; & expositio quæ in littera ponitur, obscurior. Sed nec longius exponendi illud, est locus.

III. Tria missio Spiritus sancti præstitit mundo: lucem, qua veritatem cognosceret: charitatem, qua justitiam diligeret: libertatem, qua diaboli tyrannidem evaderet. Illuminavit enim mundum per fidem convincens incredulos: justificavit mundum per gratiam, bonificans pessimos: liberavit mundum per virtutem, erigens captivos. Hoc est quod ait: *De peccato quidem, quia non*
Ibidem. *crediderunt in me*. Ecce peccatum incredulitatis maximum, de quo convicti, & ad veram fidem conversi sunt. *De justitia ve-*
Ibidem. *ro, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me*. Hoc est obscurum. Quasi dicat: non potest dicere mundus, quia per violentiam & fraudem decepi eum; ecce enim ego recedo & in absentia mea potentior apparebo. *De judicio, quia princeps hujus mundi*
Ibidem. *jam judicatus est*; & foras exclusus captivitate sublata. Hæc de Euangelio.

IV. *Expedit vobis ut ego vadam: Si enim*
Ibidem. *non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos*. Quomodo potest nobis expedire absentia vitæ, o bone Jesu? An non hæc est vita æterna, præsen-
Ibid. 5. tia vestra? Quæ, obsecro, Domine utilitas in recessu tuo? Nonne qui te derelinquunt & *elongant se a te, peribunt?* Quare Domi-
Psal. 72. ne discessus tuus? Itane invisa est Paraclito, præsentia tua? Tanta est contrarietas, ut non capiatis in uno mundo, qui simul capitis in uno corde? *Ad eum*, inquit, *venie-*
Jo. 14. *mus & mansionem apud eum faciemus*. Quid est in te, quod repugnet Paraclito? Ex Verbo Paraclitus procedit, & utrique una sub-
Isaiæ 11. stantia, una potestas, una voluntas. Super Hominem Christum requievit Spiritus Domini: ab ipso est & in ipso requiescit. Quæ ergo repugnantia ista? An non poterat dare in terra Spiritum sanctum, qui poterat mit-
Jo. 20. tere de cœlis? Absit: imo insufflavit, & dedit illis Spiritum sanctum.

V. Duplex ratio, quare Christo præsente in carne Spiritus non datur. Prima, ex parte Apostolorum. Secunda, ex parte ipsius
(a) Domini. De Prima; Bernardus (a): Ut, inquit, alliceret ad se corda Discipulorum, & totaliter a sæculi removeret amore. Objecit carnem suam, ut de sæculo ad carnem, & de carne transferret ad Spiritum. Psalmus:
Psal. 63. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*. Cor altum, cor Apostolicum. Accessit homo, & exaltatus est Deus. Per Christum hominem ascenditur ad Christum Deum. Carnem objecit ut perveniret ad Deum. Non ascendit Deus in corde alto, nisi prius ascendat homo; vide in Paulo. Accessit homo: *Domine, quid me vis facere?* Sed excluso homine, exaltatus est Deus in corde alto. Audi dicentem: *Etsi cognovimus Christum secundum carnem*. Quomodo ergo cognoscis, o Paule? Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam. *Exaltabitur Deus*. Non jam hominem justum, sed Deum justificantem. Non jam hominem sanctum, sed Sanctum Sanctorum. Non jam Prophetam magnum, ut dicunt Discipuli Emmaus, sed Deum Prophetarum. Non jam hominem sapientem & fortem, sed Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Nos autem sic, Fratres mei, ascendimus, dum considerantes quæ pro nobis fecit in carne, toto desiderio, & ardore cordis in Deum ferimur, laudantes, glorificantes Deum, qui sic nos dilexit. Accessit ergo homo ad cor altum, & elevatus homo in altum, secum duxit corda sibi adhærentia ad Deum in excelso. *Ascendens Christus in altum captivam*
Act. 9. 2.Cor. 5. Lucæ 24. Ephes. 4. *duxit captivitatem*. Affectus, desideria, corda, & amores nostros secum tulit. Per hominem igitur in Deum pervenitur: sed adepto Deo, exclusus est homo. Sicut per timorem ad sapientiam. *Sed perfecta charitas*
1. Jo. 4. *foras mittit timorem*. Ita Dominus in proposito, Apostolos jam adultos, a lacte removet humanæ dilectionis, docens eos spiritua-
Heb. 5. liter amare.

VI. *Expedit vobis ut ego vadam*. P. Augustinus (b): *expedit*, ut forma servi subtra-
Jo. 16. (b) hatur, & sic discatis formam Dei amare. *Expedit:* Ut subtrahatur corpus, ut ametur Verbum. Si enim carni adhæseritis, capaces Spiritus non eritis. Bernardus (c): Nisi (c) carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem, occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus. Ecce Apostoli amore tenero quidem & intimo Christum diligebant; dum corpus attendunt, Verbum oblivisc untur. Ut addiscerent ergo Spiritum agnoscere, removit corporis præsentiam. Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Apostolus: *Etsi cognovimus secundum carnem Chri-*
2.Cor. 5. *stum: sed nunc jam non novimus*. Bonum lac, sed infantibus. Adultis solidus cibus magis congruit. Bonus amor Christi secundum carnem: sed imperfectis. Sed vos occupate altiorem locum.

VII. *Si*, inquit, *diligeretis me, gauderetis*
Jo. 14. *utique, quia vado ad Patrem*. An non diligebant

(a) Serm. 3. in Ascens. Domini num. 3. *Ad hoc autem carnem eis proposuit, ut omnem cogitatum eorum ab humanis rebus ad carnem suam (qua & mirabilia dicebat, & mirabilia faciebat) adunaret, & sic de carne transferret ad Spiritum, quia Spiritus est Deus; & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare*. Vide etiam Serm. 20. in Cant. num. 6., & Serm. 29. de Divers.

(b) In Joann. Euang. tract. 94. num. 4. *Tamquam diceret, expedit vobis, ut hæc forma servi auferatur a vobis: caro quidem factum Verbum habito in vobis; sed nolo me carnaliter adhuc diligatis, & isto lacte contenti semper infantes esse cupiatis*.

(c) Serm. 5. in Ascens. Dom. num. 12. Usque ad illud, *non capit affectus*, Bernardi verba sunt.

gebant qui omnia reliquerunt, qui parati
Mat.19. *Luc.22.* sunt pro te mori, qui tecum permanserunt
Ibidem. in tentationibus? Quid ergo ais: *Si diligeretis me?*
Jo. 14. Non erat ille amor perfectus, non erat prudens, licet erat tener & intensus.
(a) Bernardus (a): Si amor illius sanctissimæ carnis retrahebat Apostolos ab amore Dei; quanto magis amor obscœnus, amor vanitatis, & iniquitatis? Iterum Bernardus: Quid vobis videtur, Fratres, si hæc ita sunt? Audeat quis de cætero phantasticis illecebris deditus, sectans lenocinia carnis suæ, carnis assuetæ peccatis, carnis, in qua bonum non est, illum pariter expectare Paracletum? Audeat, inquam, qui huic sterquilinio semper inhæret, qui carnem fovet, in carne seminat, carnem sapit, illam nihilominus consolationem supernæ visitationis, torrentem voluptatis illum, illam sperare gratiam Spiritus vehementis; quam, uti Veritas ipsa testatur, ne cum ipsa quidem Verbi carne percipere ullatenus Apostoli potuerunt? Erat omnino; si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illum balsamum huic veneno, charismata illa Spiritus misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur. Nihil Spiritui magis adversum, quam caro.
Galat.5. Carnis delectatio Spiritus delicias penitus excludit. *Non permanebit Spiritus meus in bomine in æternum, quia caro est.*
Gen. 6.

VIII. *Expedit ergo vobis, ut ego vadam.*
Jo. 16. Ad tria. Ad remotionem impedimenti: ad augmentum meriti: ad securitatem præmii. De primo dictum est. De secundo. Crescit
Heb. 11. fides absentia: nam *argumentum* est *non apparentium*.
(b) P. Augustinus (b): Si vides, tum non est fides. Quantum putatis, Fratres, nobis datum est meriti, qui cum non viderimus, nec mortuos suscitantem, nec leprosum mundantem, tamen credimus, & parati sumus extrema pro ipso pati. Petrus: *In*
1.Petr.1. *quem nunc quoque non videntes creditis.* Bonus Christianus non vult videre visionis miracula. Peccator plorans pedes habet Salva-
Luc. 7. toris præsentes, ut Maria Magdalena, quos
(c) rigat lacrymis. S. Thomas (c): Argumenta & testimonia non minuunt meritum fidei, cum eis non dumtaxat insistatur. *Secunda secundæ: quæstione de Fide.*

IX. Sed quomodo ergo Apostoli credebant? P. Augustinus (d): Aliud credebant, aliud videbant. Videbant corpus, credebant Verbum. Videbant caput, & non corpus mysticum, Ecclesiam. Nos per oppositum, videmus corpus, & non caput. Magnum erat in eis audire hominem pauperem de sua Ecclesia, & futura excellentia prædicantem. Illud fuit illis ad meritum, nobis in testimonium; quoniam vidimus impleta, quæ ipse tanto ante de Ecclesia sua dixit. (d)

X. Tertio: *Expedit* ad securitatem præmii. *Expedit*, ut sedens cum Patre, pro vobis interpellet apud Patrem; magnam partem habet in cœlesti curia. Princeps hæres regni, pro nobis est apud Regem Deum Patrem. Filius, & Mater certatim causas miserantur humanas: ut ait S. Bernardinus (e), & (e)
S. Bernardus: Mater ostendit Filio ubera, Filius Patri vulnera. Joannes: *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed &* 1. Jo. 2.
si quis peccaverit: advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Justitia advocati peccatorem reum absolvet. *Et ipse est propitiatio.* Optimum genus advocandi, in quo est solutio debiti. Allega de tuo Domine; non nostram justitiam, sed tuam; non nostra opera, sed tua; non nostra merita, sed tua; tuos dolores, tuos allega cruciatus. P. Augustinus (f): Vide carnis Sacramentum, (f)
& remitte carnis delictum. Vide in Filio, quo propitieris in servo; vide qui patitur, & recordare benignus, pro quo patitur; vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via iniquitatis; vide manus innoxias; candet nudatum pectus; rubet cruentum latus.

XI. Diximus; cur ex parte Apostolorum, non datus est Spiritus Christo præsente, quoniam erat eis impedimento præsentia corporis, ut dictum est. Sed ex parte Christi etiam congruum erat prius recedere de mundo secundum carnem, quam Spiritus daretur, ad osten-

---

(a) Serm. 3. in Ascens. Dom. num. 8. *Si enim Apostoli, adhuc carni Dominicæ inhærentes (quæ sola sancta, quia Sancti Sanctorum erat) Spiritu sancto repleri nequiverint, donec tolleretur ab eis; tu carni tuæ, quæ sordidissima est, & diversarum spurcitiarum phantasiis repleta, adstrictus, & conglutinatus, illum meraciissimum Spiritum te posse putas suscipere, nisi carneis istis consolationibus funditus renuntiare tentaveris?*

(b) In Joann. Euang. tract. 68. num. 3. *Fides autem, qua eorum, qui Deum visuri sunt, quamdiu peregrinantur, corda mundantur, quod non videt credit: nam si vides, non est fides.*

(c) 2. 2. quæst. 2. art. 10. per totum.

(d) In Joann. Euang. tract. 95. num. 2. *Nam & qui viderunt Christum, non in eo laudata est fides eorum, quia credebant, quod videbant, idest Filium hominis; sed quia credebant, quod non videbant, id est Filium Dei.*

(e) De hoc S. Bernardinus Serm. in Ascens. Dom. infra diem art. 3. cap. 1., ubi locum S. Bernardi citat mox a S. Oratore nostro allegatum; cujus quidem sententiam, si non verba, habes Serm. in Nativit. B. V. M. num. 7. fusius expressam. Verba hic recitata extant & apud S. Antonin. part. 4. in Serm. de Assumpt. tit. 15. cap. 44. non procul ab initio: afferuntur etiam a S. Bonaventura in Speculo B. M. V. cap. 11.

(f) Lib. Medit. cap. 8. *Adtende in Filio, quo propitieris servo: vide carnis sacramentum, & remitte carnis reatum.* Eodem lib. cap. 6. *Respice clementissime Rex, qui patitur, & reminiscere benignus, pro quo patitur.* Et infra: *Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulaverunt in lege tua, diris confixa clavis; & perfice gressus meos in semitis tuis, facque odio habere benignus omnem viam iniquitatis.* Paulo supra: *Cerne manus innoxias pio manantes sanguine, & remitte placatus scelera, quæ patraverunt manus meæ.* Non procul a fine capitis: *Candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis unda.* Extant Meditationes in Append. tom. 6. novissimæ editionis.

oſtendendam potentiam ſuæ majeſtatis. Ut enim oſtenderet in mortuo virtutem ineſſe vivam, & abſentem virtute ubique præſentem eſſe, & non ſolum hominem qui apparebat, ſed Deum qui latebat; mortuus & abſens ſuæ ditioni ſubjugavit univerſum. Magnum utique creſcit teſtimonium fidei ex hoc. Quis enim pro mortuo a quo nihil expectat, moriatur, & mundum contemnat, labores ſuſtineat, & tormenta, & mortem libenter patiatur? Quæ omnia paſſi ſunt Apoſtoli pro Domino mortuo & abſente. Hæc Origenes.

XII. Videamus nunc, quos effectus Spiritus ſanctus agat in nobis, & quis fructus miſſionis ejus ad nos. Sequitur: *Et cum venerit ille arguet mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio.* Tres effectus agit in nobis Spiritus ſanctus, quando venit in mundo, id eſt, in corde mundano. Primo; arguit *mundum de peccato*, oſtendens peccati deformitatem, & turpitudinem. Secundo; illuminat oculos ad videndam juſtitiæ pulchritudinem: ut ſcilicet luxurioſo placeat jam caſtitas; iracundo, patientia; ſuperbo, humilitas, aperta jam veritate, & fugato nubilo peccati. Et hoc eſt, quod ait: Ille *docebit vos omnem veritatem.* Tertio: levat affectus ad conſideranda bona cœleſtia futura, & timenda tormenta gehennæ. Et hoc dicitur quando ait: *Et quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis.*

XIII. De primo effectu; nota, quod, ſicut ignis diſſolvit gelicidium peccati, ita Spiritus ſanctus gelicidium cordis ſtatim diſſolvit, & excutit teporem, & liqueſcit omnem rubiginem. Malachias: *Ipſe enim quaſi ignis conflans & quaſi herba fullonum: & ſedebit conflans & emundans argentum.* Expone authoritatem. Argentum igne a ſtamno, a plumbo, & terra, & cæteris metallis purgatur: ita in præſentia Spiritus ſancti omnis ſcoria cordis cedit. Pſalmus: *Sicut fluit cera a facie ignis, ſic pereant peccatores*, id eſt (a) peccata (a), *a facie Dei.* Ipſe ergo arguit, interius pungit, inſtigat cor, ut exeat de vitio, nec permittit quieſcere intra ſe, uſque dum totam rubiginem conſumat; ut veluti in ſublimatorio, ex dolore lacrymæ per oculos diſtillentur. Hoc facit hic ignis in corde. Magnum ſignum eſt amoris Dei ad hominem, quem ſic intus corripit. Multo magis, quam ſi exterius corripiat per flagella: nam flagellum exterius hoc agit, ut intus animus compungatur, & redeat ad Deum. Gaudeat qui ſe tali flagello videt flagellari, & libenter ſuſtineat dolorem purgantem, & confuſionem ſanantem. *Eſt* enim *confuſio adducens gloriam & gratiam.* Ecce vadit Filius peccata excuſaturus apud Patrem; venit Spiritus ſanctus peccata cogniturus: hic arguit, ille excuſat, omnia propter ſalutem noſtram, ne venias ad judicium, & arguat in perpetuum. Pſalmus: *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Tu te poſtergaſti, ego te ponam contra te, & illuminabo conſcientiam tuam, ut etiamſi nolis videas ignominiam tuam, & ulcera cordis tui, & corruptionem animæ, & exhorreſcas. *Et revelabo pudenda tua in facie tua. Et ſuſcitabo ego pactum meum tecum: & ſcies quia ego Dominus. Ut recorderis & confundaris, & non ſit tibi ultra aperire os, præ confuſione tua, cum placatus tibi fuero in omnibus quæ feciſti, ait Dominus Deus.* Multi ſunt, qui cum ſint miſerabiles, ipſam ſuam miſeriam ignorant; & duplicata miſeria eſt, ipſam ſuam miſeriam non agnoſcere; & duplicata cæcitas ſi cæcus ſis, & ipſam cæcitatem non videas: ſecundum illud Apocalypſis: *Quia dicis quod dives* ſis, *& locupletatus, & nullius* eges: *& neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Duplicatur periculum quando neſcitur, & vulnus quod non ſentitur lethale eſt. Sic ſunt multi: ſic ſunt, Fratres. Pudet videre tantam mundi iniquitatem, & tantam ſecuritatem. Omnia plena malis, & tamen omnia plena lætitiæ, & gaudii. Heu! heu! Gaudet homo: *Et jam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt.* Hodie in gaudio, & cras in tormento æterno. O ſi ſcires, quid tibi craſtina dies pariet doloris! Sic ſumus, Fratres; ſicut boves qui chorda per cornu ducuntur gratis ad macellum, nec vident uſque dum ferrum perfodit jugulum, vel malleus percutit caput. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Non me permittas tu Domine in peccato ſic quieſcere, talem habere ſecuritatem. *Ecce* enim *in pace* iſta *amaritudo mea amariſſima.* Pax eſt iſta quam mundus dat. Eſt enim duplex pax. Quædam in bonitate, quando nos conſcientia non redarguit, & iſta bona eſt. Joannes: *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: Epiſtola prima, capite tertio.* Alia eſt pax in iniquitate, quæ eſt inſenſibilitas: de qua Sapiens: *Sunt impii qui ita ſecuri ſunt, quaſi juſtorum facta habeant:* & iſta peſſima eſt. Non faciamus pacem cum noſtris vitiis, Fratres, ſed bellum cum eis. Hæc autem pax procedit ex tenebris intellectus, quia non videtur deformitas affectus & cordis, propter carentiam luminis Divini. Job: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te; idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.*

XIV. Siquidem, Deo recedente de corde, ſtatim cor induratur, & obſcuratur. Job: *Reverſus mirabiliter me crucias.* Reverſus Dominus, *reſpexit Petrum, & flevit amare.* Reverſus ad cor, reſpicit, & ſtatim cruciatur mirabiliter. Quomodo mirabiliter, quomodo ſapienter? Nonne eſt maxima ſapien-

Ja. 16. — Ibidem. — Malach. 3. — Pſal. 67. — Eccli. 4. — Pſal. 49. — Nahum 3. — Ezech. 16. — Apoc. 3. — Lucæ 3. — Job 21. — Iſaiæ 38. — 1. Jo. 3. — Eccl. 8. — Job 42. — Ibid. 10. — Lucæ 22.

(a) Innuit hanc interpretationem S. P. Auguſtinus in eadem Pſalmi verba tom. 4. num. 3. *Quamquam fortaſſe eos hoc loco ſignificaverit, quorum duritia, in pœnitentiæ lacrymas ſolvitur.*

tia *de peccato* damnare *peccatum in carne*, & vertere in ſupplicium quod fuit in reatum, & de lectulo in quo anima requievit, facere onus quod vexet? Sic Deus facit, puniens peccatum ipſo peccato. Nam, ut ait Bernardus (*a*): Sæpius ipſam illecebram in qua prius quievimus, cum incipit diſplicere, jam inviti portamus, & volentes eam expellere de corde, altius figitur, Divinæ juſtitiæ juſto judicio, & noſtri reatus merito, ut jam vertatur in tormentum ea ipſa voluptas, quæ fuit in peccatum. Mirabiliter ergo cruciatur, qui in ſe ipſo purgatorium ſui peccati habet, & ſeipſum etiam invitum flagellat. Uſque adeo ſolet excreſcere, ut homo non inveniat, quo fugiat; & vellet ſe abſcondere a Deo, viſa turpitudine ſua. Agnoſcite vocem peccatoris interius correcti: *Quo ibo a Spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam?* Ecce fugere a Deo cupit, præ timore, qui prius noluit Deo amore inhærere. Fruſtra quæris fugam o peccator: *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a deſertis montibus* tibi patet fuga. *Periit fuga a me*, ait Pſalmus. Siquidem: *Si aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades.* Vigilemus ergo, Fratres, vigilemus, ne dormientes, & imparatos, & improviſos mors capiat nos. Audiamus quod dicitur Ezechielis *capite ſeptimo: Fac concluſionem: quoniam terra plena eſt judicio ſanguinum, & civitas plena iniquitate.* O Domine, ſi tibi placet, jam conclude; obſecro, ne concludas me in manus inimici. Magna gratia Dei eſt, vocare hominem in tempore congruo, & fluctuantem inter fluctus hujus ſæculi conſervare, ut tandem optato potiatur littore: multum enim refert ad ſalutem hominis, qui non in eodem ſtatu permanet, quo tempore vocetur: quando, ſcilicet, habet oleum in vaſe ſuo cum lampade charitatis incenſa; & non quando quivit emere, & carebat.

XV. Secundus fructus eſt illuminatio intellectus: *Ille docebit vos omnem veritatem.* Chryſoſtomus (*b*) in Jeremiam ſic ait: O qualis eſt iſte Doctor, qui cathedram habet in cœlo, & ſcholam habet in terra! Gregorius (*c*): O qualis eſt iſte artifex Spiritus! Nulla mora agit ad docendum: ſed in quocumque voluerit, mox ut tetigerit, mentem docet: ſolumque tetigiſſe, docuiſſe eſt. Libet oculos fidei in virtutem opificis hujus attollere; atque ſparſim Patres Teſtamenti novi ac veteris conſiderare. Ecce. Apertis eiſdem oculis fidei, David, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor. Et ſanctus ille Spiritus, qualis ſit artifex, conſiderare volo. Implet, namque citharœdum puerum, & Pſalmiſtam facit. Implet paſtorem, & prædicatorem facit. Implet perſecutorem, & Doctorem Gentium facit. Implet publicanum, & Euangeliſtam facit. Penſemus ſanctos prædicatores noſtros, quales reperit, quales fecit. Sed quando evidentius id præſtitit, niſi poſtquam Chriſtus abſceſſit? Certe in uno conclavi pro Judæorum metu reſidebant, nativitatis ſuæ linguam noverant, & tamen nec ipſa ea lingua quam noverant, aperte loqui Chriſtum præſumebant. Venit Spiritus, & in ore eos per diverſitatem linguarum docuit, in mente autem ex auctoritate roboravit. Cœperunt & in aliena Chriſtum eloqui, qui de illo prius, & in ſua lingua loqui metuebant. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Nardus, Eccleſia parvula (*d*), congregatio illa modica & meticuloſa. Illa, de qua dicitur: *Nolite timere puſillus Grex.* Sed licet puſillus tamen decorus. Hæc ergo nardus: tunc, cum Chriſtus erat in vita mortali, paſſionibus ſubjecta, non florebat, non flagrabat. O quanta imperfectio in Apoſtolis tunc! Sed, *dum Rex eſſet in accubitu* Paterno, jam ſecurus & immortalis; tunc *nardus dedit odorem ſuum.* Opus eſt ergo ut flagret nardus; ut redeat Rex ad accubitum unde exivit.

XVI. Tertius effectus eſt: *Et quæ ventura ſunt annuntiabit vobis.* Non omnes facit Prophetas Spiritus ſanctus. Quomodo ergo hoc dicitur? Imo omnis Juſtus Propheta eſt. Apoſtolus: *Magis autem ut prophetetis.* Quomodo Apoſtole eſt in noſtra poteſtate prophetare, ut ſuadeas nos ad prophetiam? Amos tertio: *Dominus Deus locutus eſt, quis non prophetabit?* Qualis iſta prophetia? Omnis vita juſti prophetia eſt. Magnum ſane prophetandi genus (*e*), cui illos deditos eſſe conſpicio. Magnum prophetiæ ſtudium, cui eos video mancipatos. Quod illud? Nempe juxta Apoſtolum: Non conſiderare quæ videntur, ſed quæ non videntur, ſine dubio prophetare eſt. Ambulare in Spiritu, ex fide vivere, quæ ſurſum ſunt quærere, non quæ ſuper terram: obliviſci quæ retro ſunt, & extendi in anteriora; ex magna parte prophetare eſt. In eo quod quis fugiat voluptates, annuntiet majores futuras delicias; timeat tormenta gehennæ: in eo quod mortificatus annuntiat futuram vitam aliam.

XVII. Poſtilla. *Expedit vobis ut ego vadam. Expedit* adventus, *expedit* receſſus. Sponſa: *Fuge Dilecte mi!* O quam importuna videris!

Rom. 8. Pſ. 138. Pſal. 74. Pſ. 141. Pſ. 138. Pſal. 30. Job 14. Mat. 25. Jo. 16. 1. Reg. 16. Amos 7. Dan. 13. Mat. 4. Act. 9. Lucæ 5. Cant. 1. Lucæ 12. Jo. 16. 1. Cor. 14. Amos 3. 2. Cor. 4. Coloſſ. 3. Jo. 16. Cant. 8.

(*a*) Similia habet S. Bernardus toto cap. 6. Opuſc. de Converſione ad Clericos, ubi difficultatem converſionis, & luctam reſipiſcere optantis graphice deſcribit.

(*b*) Fruſtra teſtimonium hoc apud Chryſoſtomum quæſivi. Similem legi ſententiam apud S. Bernardum Serm. 4. de Diverſ. num. 1. de Chriſto. *Tu es enim Magiſter, & Dominus, cujus ſchola eſt in terris, cathedra in cœlis.* Legitur etiam apud S. P. Auguſtinum de Diſcipl. Chriſt. cap. 14.

(*c*) In Euang. Homil. 30. num. 8. *O qualis eſt artifex iſte Spiritus! Nulla ad diſcendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox ut tetigerit mentem docet: ſolumque tetigiſſe, docuiſſe eſt.* Quæ ſequuntur uſque ad ea verba, *implet publicanum, & Euangeliſtam facit*, ex eodem Gregorio ibidem hauſta ſunt, ſed ordine inverſo, & nonnullis omiſſis.

(*d*) Ita S. Bernardus Serm. 42. num. 11.

(*e*) Verba ſunt S. Bernardi Serm. 37. de Diverſ. num. 6. uſque ad illa, *ex magna parte prophetare eſt.*

ris! Paulo ante clamabas, vociferabaris, clamabas ut veniret; modo dicis ut recedat? Cujus erat illa vox niſi tua? Utinam diſrumperes cœlos & venires! Et illa: *Emitte Agnum*
Iſaiæ 16. *Domine Dominatorem terræ*. Quid ergo modo dicis? *Fuge Dilecte mi?* Quid hoc? Niſi
Cant. 8. quod utilis fuit adventus, utilis fuit receſſus: qui propter nos utiliter adveniſti, propter nos utiliter recede. Pſalmus: *Exurge Domi-*
Pſal. 7. *ne Deus meus in præcepto quod mandaſti, & ſynagoga populorum circumdabit te*. Ecce adventum. Attende quod ſequitur: *Et propter hanc;* ſcilicet ſynagogam, propter quam veniſti, *in altum regredere. Expedit vobis ut ego*
Jo. 16. *vadam: ſi non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos*. Bone Jeſu: caro tua ipſo Paraclito fabricante concepta; caro tua Domine de Spiritu
Lucæ 1. ſancto formata, impedit adventum Spiritus ſancti? Opus eſt, ut abſit caro, ut præſens ſit Spiritus? *Expedit vobis ut ego vadam*. O
Jo. 16. Domine! Cur tua abſentia expediri poteſt? *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet*. O Domine! Cur hoc! Tantane eſt tui, & Spiritus ſancti operatio, ut non ſimul compareatis in mundo? *Si autem abiero, mittam eum ad vos*. Quaſi minus potens ſis, etiam exiſtens in terra mittere, quam dum eſſes in cœlo. Sed quæ utilitas Spiritus ſancti? Solutio. Tria fecit in mundo; ſcilicet: ſubjectare, reformare, liberare mundum. Hæc tria deſumuntur ex littera.

2. Cor. 10. XVIII. Primum: mundum fidei ſubjecit, captivans omnem intellectum in obſequium fidei, ut credant mortuo crucifixo, qui non crediderunt viventi. Hoc fuit arguere, convincere *mundum de peccato* incredulitatis. Convincitur incredulus, quando fit credulus. Secundo: reformavit in moribus, & ſanctificavit mundum per omnia genera vitiorum labentem, ſanctificando ipſum; & ſic convicit *de juſtitia*, id eſt, ſanctitate & bonitate, dum ipſum mundum bonificavit. Tertio: mundum liberavit ab omni imperio diaboli. Siquidem diabolus victus in cruce fuit; ſed nondum ſpoliatus dominio. Perdidit quidem titulum mundi, quoniam Chriſtus: *De-*
Coloſſ. 2. *lens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo*. Sed, licet in cruce titulum perdidit; non erat ejectus a poſſeſſione. Nunc autem de judicio mundus convincitur, quando facto judicio a dæmonum poteſtate liberatur. Unde diabolus modo injuſte poſſidet hominem. Tamen peccator juſte poſſidetur & merito a diabolo: ipſe enim ſe dedit. Habet mercedem ſuam. Diabolus tamen quem titulum habet ad peccatorem, niſi quia decipit ipſum? Quomodo igitur Deus venit liberare nos de poteſtate diaboli, & redimere? Non quia dæmonis erat homo, quem tyrannice poſſidebat; ſed dicebat intra ſe: Deus juſtus eſt: non remittet peccatum, & injuriam ſine ſatisfactione. Satisfacere nemo poteſt pro peccato, quia naſcitur in peccato: ergo perpetuo poſſidebo. Audierat tamen, neſcio quid luculenter nimis, ex Prophetis, & timebat. Igitur dedit Deus medium quoddam, nempe: ut eſſet Deus Homo: & ſic ſolveret Deus, quia poterat; & Homo, quod debebat. Hoc eſt conſilium, quod P. Auguſtinus (*a*) mirabatur ſuper ſalutem generis humani. Excuſſit ergo Deus Homo jugum diaboli ab homine. Iſaias: *Jugum oneris ejus, & virgam humeri ejus, & ſceptrum exactoris ejus ſuperaſti,* Iſaiæ 9. Judic. 7. *ſicut in die Madian*. Tria per ordinem: jugum peccati, virgam tormenti, & ſceptrum dominii. Primo: diabolus blanditur: ſicut bovi jugum imponit peccatori. Secundo: dum firmum tenet ſub jugo; tunc virgam exercet mille injuriarum, tormentorum, laborum, inquietudinum. Percutit ergo virga ſubjectum jugo. O quam difficile ſervire dæmonio! Quam ſuave jugum Dei! Etiamſi non eſſet aliud præmium bonæ vitæ; mala Mat. 11. vita vitanda erat, quia pœnoſa. Tertio: exercet regnum & imperium tamquam rex animæ iniquæ. Plene dominatur ei, & ſceptrum habet in ea. Hæc omnia abſtulit Chriſtus. Eripiens quidem gentilitatem Dominus ſuperavit jugum oneris ejus, cum eam adventu ſuo, ab illa dæmoniacæ tyrannidis ſervitute liberavit. Superavit virgam humeri ejus, cum percuſſionem illius, quæ ex perverſo opere graviter deprimebat, ab humano genere Redemptor compeſcuit. Superavit ſceptrum exactoris ejus, cum regnum ejuſdem diaboli, qui pro peſtifera perpetratione vitiorum exigere conſueverat tributa pœnarum, de fidelium corde deſtruxit.

(*a*)

(*a*) Confeſs. lib. 9. cap. 6. *Nec ſatiabar illis diebus dulcedine mirabili conſiderare altitudinem conſilii tui ſuper ſalutem generis humani.*

IN DOMINICAM QUINTAM POST PASCHA

CONCIO.

DE ORATIONE.

Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.
Joann. 16. v. 24.

* CONCIO LXXVII. *Jo.* 16.

I. TRES partes. Prima: an petere debeamus: *Petite*. Secunda: quomodo petendum est, *ut accipiamus*. Tertia: quid petendum est, *ut gaudium vestrum sit* legitimum ac *plenum*. Prima pars: S. Thomas *secunda secundæ, quæst.* 83., *artic.* 2. Inter cæteros errores ponit unum: *Non debemus petere*. Nam petens, aut ideo facit, ut ostendat necessitatem, si latet; aut, ut insinuet voluntatem. Hæc non habent locum in Deo. De primo dicitur: *Scit Pater* *Mat.* 6. *vester quid opus sit vobis*. De secundo dicitur: *Porro Triumphator in Israel*, non est 1. *Reg.* 15. Deus sicut homo *ut agat pœnitentiam*. In quo voluit Samuel significare Sauli, ut patet ex littera, quia non prodesset oratio. Solutio. Non oramus ut informemus Deum de nostra necessitate, neque ut persuadeamus sicut homini. Ideo ait Dominus: *Orantes no-* *Mat.* 6. *lite multum loqui sicut Ethnici*, quasi intendentes persuadere Deum. Ideo oratio simplex melior est, & humilis. Quæ est enim nostra sapientia ad Sapientiam Dei? Stultitia est, & omnis rethorica balbutiens. Oramus (*a*) tamen, ut ait S. Thomas (*a*), non propter hoc, ut divinam dispositionem immutemus, sed, ut impetremus, quod Deus disposuit per orationes Sanctorum esse implendum. Nam divina providentia, non solum disponit qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, & quo ordine fiant: & sic Deus dicitur inclinari Sanctorum precibus, vel nostris orationibus. Non quia velit dare quod prius non volebat, ut mutatio sit in ejus voluntate; sed, quia merito orationis datur, quod alias non daret. Non quia mutatur voluntas dandi, sed mutatur res ipsa, & effectus ipse donandus. Ista materia difficilis est, & caute dicenda est in pulpito.

II. Ad petendum, duplex ratio. Ex parte nostra, necessitas petendi. Ex parte Dei, voluntas dandi. Invitat enim ad petendum. Chrysostomus (*b*) *super Matthæum capite septimo*, quærit cur homo ita necessitatus & infirmus creatus sit præ cæteris animantibus? Tangit hoc & Plinius (*c*) *septimo libro*. Extende: exponendo, ut ibi facit Chrysostomus. Solutio physica: Aristoteles (*d*) *in libro de Animalibus*: quia dedit artem supplentem naturæ indigentiam. Solutio theologica Chrysostomi (*e*): ut homo ex indigentia cogeretur convertere oculos ad Deum, cujus favore & auxilio quotidie indiget. Ecce enim ipsis cataractis nubium egemus; nec semel sat est pluere, sed sæpius; ut semper in ejus fiducia vivamus: & quo in se infirmior est homo, eo sit firmior in Dei providentia.

III. Ex parte Dei autem, vide liberalitatem ejus. Non solum dare paratus est, sed invitat ad petendum, & quasi queritur dicens: *Usque modo non petistis quidquam:* *petite & accipietis*. Imo, minatur pœnas, si *Jo.* 16. non recipias dona. Major est voluntas dandi in Deo, quam in nobis recipiendi, & plus appetit perficere nos, quam nos perfici ab illo. Dionysius (*f*): Bonum est sui diffusivum. Usque adeo autem Summum Bonum, vult suam gloriam, & dona communicare, ut si resistas, vel impedias, minetur æternam gehennam. O homo; ergo recipe beneficia, si non, saltem ut evadas tormenta; recipe gratiam, ut evadas pœnam; recipe benedictionem, ut evadas maledictionem. Ecce quærit inter suas creaturas, ut recipiant ipsum cunctis bonis plenum. In Canticis: *Aperi* *mihi Soror mea* Sponsa, *quia caput meum ple-* *num est rore* gratiæ temperantis ardorem con- *Cant.* 5. cupiscentiæ.

IV. Secunda pars: qualis autem debeat esse petitio, ut impetret, Dominus innuit dicens: *Si quid petieritis Patrem in nomine* *Jo.* 16. *meo*. Quatuor conditiones. Prima: ut petas aliquid. Deus est, spiritualia pete. Deus æternus est, æterna pete ab eo. Si temporalia petis, nihil petis. *Petitis*, inquit Ja- *Jacob.* 4. cobus,

(*a*) Loco præallegato in textu.
(*b*) Seu quicumque est auctor Homiliarum 54. in Matth., quæ inter Opera S. Joann. Chrysostomi leguntur in editione Parisiensi an. 1570. De hoc argumento agitur ibi Homil. 18. paulo post initium.
(*c*) Hist. natural. in Procemio lib. 7.
(*d*) De Partibus animalium, & earum causis lib. 4. cap. 10. ante medium.
(*e*) Loco paulo ante allegato.
(*f*) De Cœlesti Hierarch. cap. 4. §. 1., & de Divin. Nominib. cap. 4. §. 1.

cobus, & *non accipitis, eo quod male petatis.* Male petit, qui contra ſalutem ſuam petit. Et tunc miſericors negat, quæ concedit iratus. Petit infirmus ſanitatem, & ſi daretur, eſſet vitioſus. Petit pauper divitias, & ſi darentur, implicaretur curis. Petit ignorans ſcientiam, & data illa, eſſet ſuperbus, & ambitioſus. Si negantur, miſericordia Dei eſt; ſi concedantur, ira Dei eſt. Pſalmus: *Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum.* Pſ. 80. Et alibi: *Dedit eis petitiones eorum.* Pſ. 105. Mala deſideria non ut impleantur, ſed ut mutentur deſiderandum eſt. Sola ergo ſpiritualia bona abſolute petenda; ſcilicet: amor Dei, eſſe in gratia cum illo, pœnitentia peccatorum, fortitudo contra tentationes, patientia in tribulationibus. Alia vero bona, ut, ingenium, ſcientia, vita, gratia prædicandi, & ſimilia, conditionaliter: ſi Deo placet, & nobis ſunt profutura. Temporalia vero ad neceſſitatem, licet. Ecce Apoſtolus Paulus, unus erat ex Apoſtolis, quibus dictum eſt: *Petite, & accipietis:* &, *ſi quidem petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Jo. 16. 2. Cor. 12. Tamen ter Dominum rogavit, ut recederet ſtimulus, & non impetravit, quia non ei conveniebat. Non ergo velis voluntatem Dei conformari tuæ voluntati, ſed potius tuam ſuæ voluntati conforma. Sæpius autem conceditur; ſed in alio majori bono, petitur, & ignoratur. Vide Gregorium (*a*): Sæpius permittit Dominus manere aliquas pravas tentationes in viris perfectis, quas non poſſunt vincere, ad humilitatem. (*a*)

V. Secunda conditio eſt: *Patrem.* Id eſt, ut ſis in gratia cum illo a quo petis. Quis enim ab inimico vel irato audeat petere beneficia? P. Auguſtinus (*b*), *quarto capite Meditationum in principio.* Vis tu, quod Deus faciat voluntatem tuam in magnis, fac tu voluntatem ejus in parvis. Contemnis præceptum, & ſperas beneficium? *Scimus autem quia Deus peccatores non audit,* in operibus ſcilicet prærogationis; nam in neceſſariis ad ſalutem: *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Ideo in Euangelio dicitur: *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Et Joannes: *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram eo facimus.* Quid prodeſt, ſi lingua clamet miſericordiam, & opus contrarium clamet vindictam? Clamor operis validior eſt clamore vocis. (*b*) Jo. 16. Ibid. 9. Pſal. 50. Jo. 15. 1. Jo. 3.

VI. Tertia conditio eſt: *In nomine meo.* P. Auguſtinus (*c*): Nomen Domini Jeſus, id eſt, Salvator. Non petit in nomine ejus, qui petit contra ſalutem. Forma orationis ſecundum Apoſtolum eſt, orare Patrem & Filium. Et hanc formam ſervat Eccleſia. Dic contra illos qui faciunt orationes ſtolidas, & profanas, & alia impia, & vana. Omittunt *Pater noſter, & Euangelia;* & dicunt vanitates & characteres dæmoniorum. Illudunt enim mulierculas, & ut ait P. Auguſtinus (*d*) *ſecundo de Doctrina Chriſtiana:* Tales ſæpius ſanantur: vel evenit illis quod optant, quia cæcitas & impietas eorum hoc promeretur: ſicut de ſortilegis & aſtrologis. Jo. 16. (*c*) Mat. 6. (*d*)

VII. Quarta conditio: *Vobis.* Non quia pro aliis orandum non ſit, quia ut ait Chryſoſtomus (*e*) *in Sermone de Oratione:* Opera quæ pro aliis facimus perfectiora ſunt; ſed tamen licet oremus, ſæpius non impetramus pro aliis, quia eorum indiſpoſitio impedit effectum orationis. Quomodo autem ſit intelligendum illud Joannis: *Eſt peccatum ad mortem, & non pro illo dico, ut oret quis?* Dico, quod non debet intelligi de peccato mortali; ſed peccatum ad mortem dicitur, quod durat uſque ad mortem; quoniam pro illo de quo conſtat, quod in peccato mortuus eſt, ſicut nec pro damnato, non eſt orandum, ut ait P. Auguſtinus (*f*). Pono conditionem: ſi quis ſaluti neceſſaria petat fide credens, & confidens, & perſeverans in petendo, & ſibi petat; ſemper exauditur a Deo, & impetrabit, & licet non videat, tamen impetrat illud, vel in ſe, vel in alio majori bono aperto vel occulto, præſenti, vel futuro. Et hoc eſt, quod ait Dominus, *ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Amen, amen dico vobis.* Ecce certificationem, & ſubſcriptionem. Jo. 16. (*e*) Ibid. 5. (*f*) Ibid. 16.

VIII. Tertia pars: *Ut gaudium veſtrum ſit plenum.* O Domine quomodo præcipis pete- Ibidem.

(*a*) Moral. lib. 19. cap. 6. num. 9. *Quia Sancti ipſi, qui ſancto ſublevante Spiritu ad ſumma rapiuntur, quamdiu in hac vita ſunt, ne aliqua elatione ſuperbiant, quibuſdam tentationibus reprimuntur: ut nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt: ſed ne extollantur ſuperbia, fit in eis ipſarum quædam menſura virtutum.*

(*b*) Cap. 3. Medit. Append. tom. 6. noviſs. edit. *Cum enim odio quis dignus ſit, qua fronte gratiam requirit? Cum pœna debetur, qua temeritate gloria poſcitur?*

(*c*) In Joann. Euang. tract. 3. num. 3. *Si autem qui eum credit, aliquid per ignorantiam contra ſuam ſalutem petit, non in nomine Salvatoris petit: quia Salvator ejus non erit, ſi quod ejus ſalutem impedit fecerit.*

(*d*) De Doctr. Chriſtiana lib. 2. cap. 23. *Hinc enim fit, ut occulto quodam judicio Divino cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi, & decipiendi pro meritis voluntatum ſuarum, illudentibus eos, atque decipientibus prævaricatoribus Angelis, quibus iſta mundi pars infima ſecundum pulcherrimum ordinem rerum divinæ providentiæ lege ſubjecta eſt.*

(*e*) Homil. 79. ad popul. Antioch. poſt medium: *Nullum enim meritum eſſe magnum poſſet, niſi lucrum & aliis communicaret, ſive jejunus maneas, ſive dormias humi, ſive favillam comedas, ſive lugeas continue, & nulli proſis alteri, nil magnum efficis.* Et paulo poſt: *Bonum eſt igitur Sanctorum oratione frui, ſed cum & nos ſimus cooperatores: quod ſi non affuerit, nihil aliorum prodeſt auxilium, verum & cum illo perimus.*

(*f*) Hoc Joannis teſtimonium de peccato ad mortem plurimis ſubeſt interpretationibus, quas congerit Cornelius a Lapide. Auguſtini explicationem ſequitur Sanctus noſter, quam lib. 1. Retract. cap. 19. tradidit: non eſſe autem pro damnatis orandum probat S. P. Auguſtinus de Civit. Dei lib. 21. cap. 24. num. 1. & 2.

re gaudium, qui mones tollere crucem? Audi, & intellige. Non minus est gratum Deo gaudere in Domino, quam tristari de peccato. Alioquin non diceret Apostolus: *Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete.* Multum impinguat animam, multum fortificat gaudium spirituale. Gaudium enim Domini est fortitudo nostra, ut ait Chrysostomus (*a*). Tristitia de re temporali nimis est nociva, & signum est imperfectionis sic tristari. Tribulationes ergo & tentationes, ut inquit S. Thomas (*b*), si venerint, viriliter sustinendæ sunt, sed petendæ non sunt: sapit enim stoliditatem & superbiam, petere tribulationes. Sed gaudere in eis, quando a Deo mittuntur, excellentissimum est. Apostolus: *Non solum autem*, scilicet gaudemus in spe, *sed* gaudemus etiam *in tribulationibus*. Pete ergo gaudium, sed plenum. Qui de spirituali bono & æterno gaudet, plenum est gaudium: De temporali vero & vento gaudere, vacuum est gaudium. Sic enim vas plenum vento, vacuum dicimus. Gaudium ergo plenum dupliciter; ex objecto, & ex subjecto dici potest. Plenum ab objecto, quando est de bono solido, non transitorio. Et hujus gaudium ideo plenum est, quia non interrumpitur luctu, morte non finitur, sed augetur: tunc enim magis gaudebit spiritus. *Levate*, inquit, *capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra*. Gaudium autem temporale plenum non est. Et, quia *extrema gaudii luctus occupat;* &, quia evanescit sicut fumus; &, quia sic gaudens timet amittere; item sic gaudens, dolet quia gaudet. Quomodo ergo plenum gaudium, quando gaudere pœnitet?

Mat. 16.
Philipp. 4.
(*a*)
(*b*)
Rom. 5.
Luc. 21.
Prov. 14.

IX. Item, ex subjecto non est plenum. Gaudet corpus, cruciatur anima; lætatur caro, stimulatur conscientia. O vere beatum gaudium in te Domine! Tale enim, totum replet, & sine timore est. Gaudeo, & gaudeo quia gaudeo. Sed dices, etiam gaudium spirituale a corpore non sentitur, non ergo replet totum hominem. Imo: catulus comedit de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Animæ sedentium ad epulas spirituales. *Et cognoscit bos possessorem suum: & asinus præsepe domini sui*. O quanta suavitas in corpore, quando anima cum Sponso suo lætatur! Utique redundat etiam inscio jucunditas in corpus, major omni corporali gaudio. Siquidem, etiam cum spiritu quodammodo rapitur, ut ait Propheta Ezechiel. Cum stantibus, scilicet Cherubim, stabant, & cum elevatis elevabantur, scilicet rotæ. Et *capite primo:* Cumque elevarentur animalia de terra, elevabantur simul & rotæ; id est, elevato Spiritu, rotæ, id est, appetitus sensitivi, vel rota, id est, caro simul elevatur. Est enim Spiritus Domini in rotis. Hoc gaudium est supremum istius fruitionis quod expectamus. Et propinatur etiam in hac vita ad sustinendos labores, & contemnendas omnes alias voluptates. Si quidem gustato Spiritu, desipit omnis caro. Non tamen facile est eum acquirere. Oportet eum præcedere prius peccatorum amaram lamentationem, & dolorem. Secundo oportet præcedere subjectationem omnium passionum, & tentationum, & cupiditatum, ut sit in anima pax & tranquillitas. Et tunc incipit anima sentire gaudium istud, ut ait Bernardus (*c*) super illud: *Regnum Dei non est esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto*. Ecce victoriam peccatorum. Ecce victoriam passionum. Pax, & justitia, & gaudium. Quando ergo sublatis peccatis anima fuerit justificata, & victis passionibus fuerit pacificata, ut jam non sentiat motus efrænatos, insilientes & perturbantes, tunc incipit gustare cœlestia. Non enim plene potest Spiritus saporem sentire, dum aliquid corporeum sapit. Maxime autem obest illecebra, & prodest omnis munditia, & castitas. Malus sententiatus igni æterno, quem dira tormenta expectant, quem jam hians infernus devoraturus præstolatur; quid gaudii potest habere perfecti? E contrario, qui sperat se cum Deo æternaliter regnaturum, Deo sine fine potiturum; quid potest accidere ei, ut tristetur?

Isaiæ 1.
Ezech. 10.
Ibid. 1.
(*c*)
Rom. 14.

X. Vel humanam consule rationem, si fides penitus in te obdormivit. Tres in carcere quondam fuisse legimus, tres in cruce: Joseph siquidem cum pincerna & pistore Regis carcerali custodia mancipatus est. Christus *cum sceleratis* duobus utique *reputatus est*. Posteriorum primus pro se interpellavit Regum Regem: *Domine, memento mei, cum veneris in Regnum tuum;* & accepit repromissionem: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Priorum alter propinabat Regi & audivit: Restitueris in gradum pristinum. Quid ergo putamus duobus illis qui testimonium habebant salutis molestum fuisse præter ipsam solam dilationem? Alter pascebat aves, spurcus utique & elatus; qui vel ideo avis nomine merito designatur. Sed responsum mortis accepit. Porro, eorum qui crucifixi sunt cum Salvatore alteri blasphemanti; non quidem a Domino (neque enim tunc ille judicabat quemquam) sed a socio responsum est: *Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es?* Quid illos potuit delectare, qui sententiam pro delictis suis acceperant mortis æternæ?

Gen. 40.
Luc. 23.
Isaiæ 53.
Luc. 23.
Gen. 40.
Luc. 23.

XI. Denique nemo sanæ mentis amplio-

rem

(*a*) Satis fuse de hoc argumento agit S. Joannes Chrysostomus Homil. 18. ad popul. Antiochen. in illud Apostoli: *Gaudete in Domino semper*.

(*b*) In Epist. ad Hebr. cap. 10. lect. 4. *Numquid amandæ sunt tribulationes? Certe videtur quod non, quia dicit Augustinus, tolerari jubes eas, non amari. Respondeo dicendum est, quod non amantur propter se, sed propter aliud*, id est bonum spirituale.

(*c*) Scilicet Serm. 18. & 19. de Divers. Vide etiam Serm. 5. de Ascens. Dom. num. 8., ubi nonnulla ad argumentum spectantia.

rem esse in vitiis credat, quam in virtutibus delectationem. Præsertim, cum sit Deus totius veræ jucunditatis fons, lætitiæ & exultationis origo; gaudium vero mundanum vacuum sit, quoniam de vacuo est. Quid enim vacuum est nisi peccatum? Quod etiam *nihil* nominatur in Scriptura. Audi Psalmistam: *Confundantur omnes inique agentes supervacue*. Neque enim carni seu mundo aut maligno principi, sed Christo utique servire regnare est. Audi hominem de propria utique experientia perhibentem fidele testimonium veritati: *In via*, inquit, *testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis*. Quid erit in patria, si tanta est copia delectationis in via?

Psal. 24.

Psal. 118.

XII. *Pater noster*. Heu me! qualis Pater, & qualis filius! Ignosce Domine ignosce. Audet vilis vermiculus te Patrem nominare? Pater mi, qui fecisti me. Pater, qui redemisti me. Pater, qui de igne inferni, & tenebris, & umbra mortis liberasti me. An non opera Patris hæc sunt? Sed ubi filius in me? Ubi amor, ubi reverentia, ubi honor, vel saltem ubi timor filii in me? *Si*, inquit, *Pater ego sum, ubi amor meus?* Væ mihi! Pater tu es, sed filius ego non sum. Sed numquid pater sine filio esse potest? Filius igitur sum beneficio tuo, sed degener filius crimine meo. Filius, sed alienus. *Filii* utique *alieni mentiti sunt* tibi. Filiorum igitur mendacium verus Pater tu es. *Mendaces filii*, & Veritatis filii. Absorbuit Veritas tua mendacium nostrum, ut filii simus. Sed unde geniti? Sed quomodo geniti? *Genuit nos*, inquit, *verbo veritatis*. In illo filii sumus qui natura Filius est. Ipse *dedit* nobis *potestatem filios Dei fieri in* nomine ejus. *Videte*, Fratres, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus*. Ergo Pater noster, noster, inquam, Pater communis omnium. Nam Pater singularis est Domini nostri, qui in horto deprecans te dicebat: *Pater mi;* quoniam solius illius natura Pater est.

Mat. 6. Luc. 4.

Malach. 1.

Psal. 17.

Psal. 61.

Jacob. 1.

Jo. 1.

1. Jo. 3.

Mat. 26.

XIII. *Qui es in cœlis*. Numquid solum in cœlis? Nonne etiam in terris? Nonne in abysso? *Cœlum & terram*, inquit, *ego impleo*. Ubique præsens, ubique totus. Intra omnia, & non inclusus, extra omnia, & non exclusus. Ut quid igitur in cœlis specialiter; nisi, quia ibi appares, nisi, quia ibi cerneris, quia ibi manifestaris? Ibi esse te dico, ibi esse te video, ibi præsens es, ibi omnibus appares.

Ibid. 6.

Jer. 23.

XIV. *Sanctificetur nomen tuum*. Ut quid sanctificetur nomen semper sanctum & glorioſum? Quid ei sanctitatis, aut quid addi potest ut sanctificetur in me, & a me, & per me sanctificetur nomen tuum quod de se sanctum est? Quomodo sanctificatur in nobis, nisi quando laudatur a nobis, dum magnificatur a nobis? An quia per illud sanctificamur & nos? Vel certe hoc dico, ut nomen tuum ab universo mundo, ab omni gente, populo, & natione agnoscatur, laudetur, benedicatur, & magnificetur.

Mat. 6. Luc. 11.

XV. *Adveniat regnum tuum*. Quomodo adveniat? Nam *regnum Dei intra* nos *est*. Adveniat igitur gratia tua, per quam regnum tuum, quod est intra nos, in nobis appareat. Rege tu interiora & exteriora nostra, cogitationes, affectiones, & opera: & erimus nos tibi regnum. Nutu tuo, voluntate tua, cor nostrum, intentio nostra dirigatur, & regnum tuum adveniet nobis. Primum est, ut agnoscamus te. Secundum est, ut regamur a te. Restat, ut sequamur te.

Ibid. 17.

Apoc. 5.

XVI. *Fiat voluntas tua*. Si in vitam, in vitam; si in mortem, in mortem; si in altum, in altum; si in profundum, in profundum; voluntas tua in me compleatur. Tu fictor meus, & ego lutum. Quidquid tibi placuerit, fiat. Sive vas in honorem, sive vas in contumeliam, sive magnus, sive parvus in domo tua. Quis ego sum ut contradicam tibi? *Fiat voluntas tua*.

Mat. 6.

Rom. 9.

Mat. 6.

XVII. *Sicut in cœlo & in terra*. Quomodo fit in cœlo sine contradictione, sine tædio, sine labore: cum gaudio, & exultatione; sic fiat in terra, sic tibi homines subjiciantur in terra sicut Angeli subjiciuntur in cœlo. Et numquid hoc plene? Plene, inquam, non natura nostra, sed gratia tua. Primum igitur est agnoscere te: secundum a te interius regi: tertium est te opere sequi. Hæc tria perfice.

Ibidem.

XVIII. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Quid restat nisi præmiari pane tuo viventes nutu tuo? Panem igitur nostrum quotidianum, panem, inquam, dulcedinis tuæ, panem contritionis, panem doctrinæ, panem Corporis tui, panem corporis nostri, alimentum quotidianum, quo quotidie & corpore & mente egemus. Hunc hodie etiam nobis præsta. Da etiam hodie, id est, in hac vita. Apostolus: Donec *hodie cognominatur*. Dum durat *hodie* vitæ hujus, superflua non inquirimus, necessaria petimus, temporalia vana refugimus. Patris est pascere filios: justum est igitur, ut Pater noster filiis tuis panem quotidianum præstes. Præsta quotidie, præsta continue. Hunc nunc panem præsta, nam alium supersubstantialem Panem, Panem, inquam, Angelorum, Manna illud cœleste aliquando præstabis. Hunc petimus, illum expectamus: hic in mensa Altaris velatum, ibi in mensa gloriæ tuæ revelatum manducabimus. *Beatus, qui manducat Panem in* domo *Dei*.

Ibidem. Luc. 11.

Heb. 3.

Luc. 14.

XIX. *Et dimitte nobis debita nostra*. O bone Jesu, qualia debita! Quanta debita! Quis solvere poterit omnia debita? Tibi debemus, quod sumus, quod possumus, & quidquid valemus. Plantasti arborem, tibi debetur omnis fructus arboris, tibi laus, tibi amor, tibi gloria, tibi timor, tibi reverentia, tibi servitus, tibi cultus, tibi denique vita nostra tota debetur. Quis tibi in horum aliquo plane satisfecit? Quis debitor non remansit?

Mat. 6. Luc. 11.

manſit? Quis tantum te amavit, quantum debuit? Quis tantum te laudavit, quantum potuit? Debitor igitur eſt, etiam qui in quolibet horum ſupremus eſt. Solutio plena fieri non poteſt; reſtat igitur, ut fiat a te debiti remiſſio. Eo enim, quod plane non ſolvimus, tibi debitores remanſimus. Omnes tibi debemus dona tua. Et numquid non aliud debemus? Utique debemus etiam & peccata noſtra. Debitores ex dono tuo, debitores ex peccato noſtro. Illa tibi debemus, quæ non tibi reddidimus, & illa debemus, pro quibus exolvere pœnas æternas meruimus. Utrumque nobis debitum remitte. Debitum laudis, debitum criminis. *Dimitte* igitur *debita noſtra*.

Mat. 6.

Ibidem. Lucæ 11.

XX. *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. O quanto aliter, quanto amplius tibi debemus, quam nobis debeant homines! Quæ comparatio debiti ad debitum? Quid debere poteſt homo, quem non feci, non redemi? Si offendit me, æqualem ſui offendit. Ego autem te Creatorem meum offendi. Quæ proportio offenſæ ad offenſam? Ut pro tam modica remiſſione, præſtetur nobis tanta remiſſio? Et iterum: numquid, ſi quid homini dimittimus, hoc tibi præſtamus, ut remittentibus aliena tu dimittas propria? Tu ipſe gratis recipis, quidquid ſervo tuo impenditur. Tibi donatur, quod fratri indulgetur. Sane utrobique juſtitia eſt. Tamen hoc tu ſic vis, ut remittenti parvas injurias ſuas etiam ſcelera remittantur. Dimitte igitur magna; quia propter te, nos dimittimus parva.

XXI. *Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo*. Amen. *Deus intentator malorum eſt*. Non ipſe ad malum tentas, ſed permittis. Sic permitte, ut non dimittas: ſi enim dimittis, inducis; ſi non tollis, præſtare videris. Ne igitur inducas. Foris invadat, non intus graſſetur tentatio. *Proba me Domine, & tenta me*, verumtamen noli recedere a me. Tentari patiar, ſed vinci non me patiaris. Non adeo ſuperbus ſum, ut tentari non ſuſtineam, cum ipſe dixeris: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*, tentatus eſt Dominus, & non tentabitur ſervus? Sed ſit mihi Domine tentatio ad coronam, non in ruinam.

Mat. 6. Lucæ 11. Mat. 6. Jacob. 1.

Pſal. 25.

Lucæ 22.

IN ROGATIONIBUS

CONCIO.

PRO EXPEDITIONE ADVERSUS TURCAS SUSCEPTA.

Exurge Domine, judica cauſam tuam: memor eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab inſipiente ſunt tota die.
Pſal. 73. v. 22.

CONCIO LXXVIII.

I. NATURALIS infantium mos eſt, quoties ab aliquo aut læduntur, aut deterrentur, ſtatim fugere ad ſuas matres, & ſub earum pallio ſe abſcondere, ab eiſque favorem, & præſidium implorare. Infantes ſumus, & parvuli in hac vita, omnia perturbant nos, omnia nos conſternunt, & deterrent, & ſæpius puerorum more formidamus timore, ubi non eſt timor. Si qua ergo tribulatio, ſi qua preſſura, ſi qua perturbatio, aut pavor occurrit, ſtatim ad Virginem ſacram omnes refugiamus. Illa unicum præſidium noſtrum, unicum refugium, & ſolatium noſtrum: quia ad te Virgo clamamus, ad te ſuſpiramus exules filii Evæ, gementes, & flentes. Eja ergo advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. *Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi*. Omnes tuum favorem requirimus, omnes tuum auxilium imploramus. *Tu es refugium* noſtrum *a tribulatione, quæ circumdedit* nos, *exultatio noſtra erue* nos *a circumdantibus* nos. Filii parvuli, & timidi ad te confugimus: Monſtra te eſſe matrem, ſumat per te preces, qui pro nobis natus tulit eſſe tuus. O Virgo! Si tu nos deſpicis, quis nos reſpiciet? Si tu nos projicis, quis nos defendet? Si tu abjicis ad quem ibimus, & ad quem nos recipiemus, ad quem confugiemus? Aliis concionibus a te lucem poſtulare conſuevimus, hac concione lucem, & favorem petimus: offerentes gratum tibi munus:

Pſal. 13.

Iſaiæ 49.

Pſal. 31.

AVE MARIA.

II. *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Iſrael. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea: etenim non potuerunt mihi*. Ab initio naſcentis Eccleſiæ non ei unquam defuerunt perſecutiones, neque deerunt uſque ad finem mundi. Sed præcipuæ quatuor; quæ deſignantur per quatuor illas beſtias, quas vidit Daniel. Quarum prima erat ſimilis leænæ, & habebat alas, ut aquila: ſecunda ſimilis urſo ferociſſimo, & habebat tres ordines dentium, quibus comedebat carnes, & gentes plurimas: tertia ſimilis erat pardo, & habebat quatuor alas, & quatuor capita, & poteſtas data eſt ei.

Pſ. 128.

ei. Quarta terribilior cæteris, nulli beſtiæ ex his quas novimus comparabilis, ſed monſtroſa beſtia: & habebat dentes ferreos, & omnia pedibus conculcabat: habebat, & decem cornua. Apte in hac viſione univerſus ſtatus Eccleſiæ monſtratus eſt Danieli, ſicut *Dan. 7.* & Joanni in Apocalypſi. Quamvis aliqui *Apoc. 14.* hanc viſionem Danielis ad ſtatum ſynagogæ referant, & ad quatuor regna, vel imperia eam perſequentia: & viſionem Joannis ad ſtatum Eccleſiæ. Ita ut antiquus Vates ſui temporis deſcribat perſecutiones: & Euangelicus Vates noſtri temporis deſcribat anxietates. Sed quoniam illa viſio aperte ad finem judicii terminatur, videtur ex hoc magis de noſtri temporis Eccleſia loqui.

III. Prima igitur fuit perſecutio tyrannorum, qui per leænam alatam deſignantur. Leo enim, & aquila reges ſunt animalium, & avium, & hæc per Reges facta eſt. Secunda fuit hæreticorum, qui per urſum omnia comedentem deſignantur. Urſus enim ſolo ore lædit, & hæretici ſolo ore occidunt, & comminuunt omnia falſa ſua doctrina. Tres ordines dentium ſignificant tria quæ ſunt in omni hæreſi; ſcilicet: fraus, hypocriſis, & ornatus ſermonis, vel diſſolutio. Tertia perſecutio maxima fuit paganorum, quæ per Mahometum facta eſt, & quotidie fit. Hæc omni alia acerbior eſt. Habet quatuor capita, id eſt, quatuor regna principalia, ſcilicet: Turcarum, Soldani, Africanorum, & Orientalium. Habet alas quatuor, quia celerrime volavit, mira enim celeritate majorem partem mundi infecit. Cum enim largam hominibus voluptatum licentiam concedat, & quicquid erat in fide ad credendum difficile, & ad agendum aſperum, tollat: homines ad talium promiſſionem ſecuti ſunt hanc peſtilentem ſectam. Totam igitur Africam occupavit, & fere totam Aſiam, excepta parte Indiæ, & ipſa Europa. Hæc noſtris temporibus occupari cœpta eſt. Anno enim Domi- (a) ni 1453. (a) ultima Decembris aut prima Januarii, Conſtantinopolis civitas illa imperialis capta eſt, & tota deinde Græcia poſſeſſa. Nunc quoque Rhodus, & poſtea Hungaria capta eſt. Quotidie velut mare, terram Eccleſiæ comedit, & arctat vehementer.

IV. Nunc quoque imminet Italiæ & Auſtriæ: niſi ei Dominus reſiſtat, brevi omnia devoraturus. O quam in anguſto nunc Eccleſia poſita eſt! O quantum Eccleſiæ imminet periculum! Cum ex exercitu valido 400000. hominum venit: & ſiquidem, quod abſit, exercitum noſtrum devicerit multo minorem illo; Romam uſque illi patet via. Unde Eccleſia in tam arcto poſita, elevans oculos in cœlum, ad Sponſum & Dominum ſuum, protectorem ſuum, quaſi conquerens & admirans, quod ſe ita tribulari & affligi permittat, pia querimonia clamat: *Exurge,* *Pſal. 43.* *quare obdormis Domine? Exurge.* Quis iſte ſomnus eſt, quis ſopor? Uſquequo dormis, uſquequo diſſimulabis, uſquequo ſilebis? Quamdiu fatigabor, quamdiu vexabor? *Exurge Deus judica cauſam tuam;* tuam, inquam, tuam pluſquam meam, quia tua ego ſum ſponſa, & famula. An non ſponſi ignominia eſt injuria quæ fit ſponſæ? An non pertinet ad Dominum injuria famulæ ſuæ, & domeſticorum ſuorum? Tua eſt Domine cauſa, tua eſt, defende eam, & ſi non movent te labores mei, ſudores, preſſuræ, afflictiones meæ, quia forte indignatus es mihi propter peccata, ſaltem moveant te injuriæ tuæ, & irriſiones tuæ: *Memor eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab* iſto *inſipiente ſunt*, non una hora, ſed *tota die*, tota vita. Memor eſto, inquam, blaſphemiarum tuarum, irriſionum, improperiorum, ſacrilegiorum, inceſtuum. Ecce enim ſacra profanantur, conculcantur altaria, templa fœdantur, reliquiæ Sanctorum comminuuntur, monaſteria ſubruuntur, violantur tibi dicatæ virgines, ſacerdotes occiduntur, monachi laniantur: & tu Domine dormis, & ſiles? Ad te non pertinent iſta? Non attinet ad te, quod perimus? Quid dicam Domine mi, quid dicam? Heu confundor quotidie, & clamo, & non eſt qui eruat. In illa enim vexatione Conſtantinopolis, quanta fecit iſte? Ut ait Silvius (b) poſtea Papa (b) Pius: capta civitate Imperator jugulatus eſt, ſacerdotes & monachi non ſimplici morte, ſed diris ſuppliciis laniati, templum illud Sophiæ ampliſſimum nongentis ſacerdotibus decoratum, eſt profanatum, populus virorum & mulierum a ſeptimo anno & ſupra occiſus & jugulatus, rivis ſanguinis defluentibus per plateas. Tota deinde Græcia occupata & deſtructa; obſides dat filios primogenitos in tributa.

V. Proh dolor! Proh facinus! Proh miſeria! Et *tu Domine uſquequo?* Quid tantum peccare potuimus tibi, ut noſtri ſic oblivi- *Pſal. 6.* ſcereris? Nam etſi mali ſumus, veruntamen filii ſumus non negantes ſaltem teipſum, & Deum te confitemur & colimus; tuam fidem tenemus, tua ſacra veneramur, tuo ſignaculo ſignati ſumus. *Ne tradas Domine beſtiis* *Pſal. 73.* *animas confitentes tibi!* Beſtiis, inquam, atrocibus,

(a) Hoc anno captam a Turcis Conſtantinopolim probat Spondanus adverſus Scriptores eam cladem in annum præcedentem referentes. Die tamen non ultima Decembris, ſed vigeſima nona Maji urbe potitum fuiſſe Tyrannum tradit Raynaldus ex Phrantze lib. 3. cap. 17., & ex Epiſtola Franciſci Foſcari Venetorum Ducis ad Fridericum III. Imperatorem.

(b) Conſtantinopolitanæ cædis magnitudinem graphice deſcribit Pius Secundus, antea Æneas Sylvius, in Decreto de ineunda in Turcas expeditione Cardinalium aſſenſu, edito XI. Kal. Novemb. an. 1463. Extat illud inter ejuſdem Epiſtolas ſub num. 412. editionis Rurebergenſis an. 1481. Ejus exemplar, licet non integrum, habetur & apud Raynaldum ad an. 1463. num. 29.

cibus, & crudelibus, laniantibus, & devorantibus omnia. Si offensus es, si iratus es nobis, tu Domine interfice, tu jugula, tu castiga nos manu tua. Flagella libenter suscipiemus. Scimus enim: *Quia cum iratus* *Habac.3.* *fueris misericordiæ recordaberis*. Famem ergo, pestilentiam, ægritudines varias, dolores libenter de manu tua suscipiemus. Ecce in *Psal.37.* flagella parati sumus. Tantum Domine bestiis his ne tradas nos. Exurge ergo Domi- *Psal.78.* ne libera nos propter nomen tuum. Propter te, propter te fiat, non propter nos. Memento dolorum tuorum, & passionis acerrimæ: memento sanguinis quem effudisti pro nobis: memento laborum & dolorum tuorum: memento etiam sanguinis Sanctorum tuorum, qui effusus est, & labenti Ecclesiæ tuæ succurre. Ne obliviscaris voces adversariorum tuorum insultantium tibi. *Su-* *Psal.73.* *perbia*, & fastus, & imperium *eorum qui te oderunt*, *ascendit semper*. Quotidie augetur, in dies te silente prosperatur & crescit.

VI. Sed nunquid oblivio apud Deum? *Ps.* 120. Nunquid dormitas Deus, aut dissimulas adjuvare? O si sciremus, quanta est illi solicitudo pro nobis. Non potest oblivisci Ecclesiæ suæ, quam de latere suo in cruce formavit, pro qua tam diram mortem sustinuit. Unde per Prophetam ait: *Qui tetige-* *Zach. 2.* *rit vos*, *tangit pupillam oculi mei*. Et per alium Prophetam, quasi respondens huic querimoniæ Ecclesiæ suæ, inquit: *Et dixit* *Isaiæ49.* *Sion; dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Nunquid obliviscí potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te*. Signatam te habeo in manibus & in latere meo, in illis vulneribus quæ pro te suscepi. Quomodo obliviscar tui? Tu oblita es mei diebus innumeris, tu dormis, tu dissimulas: quid me dormire conquereris? Non ego dormio, sed tu. Surgamus ergo, Fratres, a somno, & properemus ad Dominum. Clamemus ad eum: & ipse liberabit nos de manibus inimicorum nostrorum: nostrum est clamare, suum est liberare. Agamus quod nostrum est, & ipse aget quod suum est. In illo omnium nostrum spem & fiduciam collocemus. Non enim in equis, & *Psal.19.* curribus, non in exercitu & armis, non in virorum multitudine & robore. *Qui sperat* *Psal.90.* *in adjutorio Altissimi*, *in* ejus *protectione com-* *morabitur*. Ipse enim salvat sperantes in se: *Psal.16.* & præsumentes de propria virtute & gloriantes humiliat. Attendite Fratres charissimi, & pensiculatius ruminate quod dico. Si bellum hoc humanis viribus & industria gerendum esset, rationabiliter timeremus, & trepidaremus. Quis enim illi bestiæ ferocissimæ, tantorum militum & armorum multitudine frementi posset occurrere? Potentissimus est & audacissimus, & super omnes homines crudelissimus, & dominandi libidine inebriatus. Non inficior Occidentale Imperium semper Orientali prævaluisse, quoties ad arma ventum est. Sic Julius Cæsar Pompejum, sic Augustus Cæsar Marcum Antonium, sic Constantinus Maxentium superavit, & ab Europa nostra semper victus evasit.

VII. Sed heu! Non consonant Reges (*a*)! (*a*)
Non unus a tota Europa congregatur exercitus! Solus Imperator relictus est, ut Ecclesiæ partes tueatur. Proh dolor! Quale tempus reminiscendarum injuriarum! Quamvis autem Imperator potentia multa sit: tamen ad illam bestiam truculentam, armis & militibus impar est, & valde impar. Sed non hoc humana industria & labore agendum est. Quid timemus? *Si Deus pro nobis* *Rom. 8.* *quis contra nos? Libera me Domine, & pone* *Job 17.* *me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me*. Quid est totus orbis ad Deum? *Quo-* *Sap. 11.* *niam tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram*. Omnes enim gentes non quasi formicæ, aut quasi muscæ: sed quasi non sint, sic sunt coram eo. Cur ergo armati divino præsidio, timebimus gentes illas sine Deo venientes contra nos? Quare non quasi umbram reputabimus eos? An rursus experimentum quæritis protegentis suos virtutis Dei? *Tanto*, inquit, *tempore vobiscum sum, & non cogno-* *Jo. 14.* *vistis me? Interroga*, inquit, *patres tuos, &* *Deut.32.* *annuntiabunt tibi: majores tuos, & dicent tibi*. Audi unum ex patribus, expertum in bellis Regum, narrantem Prophetam, & quæ audierat ipse a patribus, & quæ experimento multo didicerat. *Deus*, inquit, *auribus no-* *Psal.43.* *stris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis*. Quod si adhuc sigillatim opera Dei requiris, dies non sufficeret ad narrandum *Heb. 11.* ea. Ecce: invito toto orbe, in ejus medio populum debilem & modicum, regnis eradicatis plantavit, & per mille annos invitis omnibus illum defendit. Quanta operatus est in plantatione illius? Quando non armis, sed tubis Jerico cadit: & vespis *Josue 6.* populos disperdidit. Recole postea, quoniam tempore Gedeonis, cum trecentis armatis *Judic. 7.* profligavit multitudinem copiosam, non armis, sed lanternis & buccinis. Recordare, *Ibid. 15.* quomodo solus Samson virtute Dei, in mandibula asini inimicos prosternit & fugat. Quid jucundius? pastorem David ex fœ- *1. Reg.* tantibus & grege patris assumit & superat *17.* Philisthiim. Ita & una mulier Judith cum *Judith* Dei præsidio Holofernem potentissimum oc- *13.* cidit, & exercitum dissolvit. Quid dicam de Eliseo, cui currus cœlestes in auxilium missi sunt? Neque quidem opus fuit juvari: *4. Reg. 6.* nam cæcitate perculsi milites ad civitatem Samariæ introducti sunt sponte, sine viribus & ar-

(*a*) Præclara sunt, quæ gessit sapientissimus Pontifex Paulus III., ut Christianos Principes ad concordiam revocaret, quo facilius ad conferendas in sacram hanc expeditionem copias induceret. Sane nec suæ quidem pepercit ætati, dum Niciam profectus est de pace inter Cæsarem, & Christianissimum Regem stabilienda acturus. Verum res non plene votis respondit.

& armis. Ad liberandum etiam Ezechiam ab exercitu Senacherib, unus Angelus miſſus, nocte una centum octoginta quinque millia occidit. Sed quid moror in ſingulis enarrandis? Legite Scripturas, & innumera exempla ſimilia reperietis. Unum vellem latius narrare, valde mirum & memoria digniſſimum de Jonata & armigero ejus, qui ſoli exercitum invadunt. Sed lege hiſtoriam. O Virum ſtrenuum! O Virum fidelem, qui optime noverat ſperare in Deo! O ſi vel nunc unus Jonatas eſſet in exercitu noſtro!

2. Paral. 32.

1. Reg. 14.

VIII. Dices hæc omnia facta ſunt olim: jam hujuſmodi ſigna non videmus. Sed audi Prophetam iſtam objectionem excludentem: *Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus qui mandas ſalutes Jacob*. Idem ipſe es qui tunc eras; nunquid abbreviata eſt manus tua, ut non poſſis modo ſalvare ſicut tunc? Aut nunquid poſtquam veniſti, & mortuus es, & ſanguinem pro tuo populo fudiſti, rigidior factus es, ut nolis populo ſic redempto ſubvenire? Nunquid poſtquam pro nobis mortuus es, oblitus es miſereri? Imo magis ex his quæ paſſus es miſericordiam didiciſti. Fateor in populo Chriſtiano tam aſſiduas & potentes victorias non vidimus; cujus cauſa, ut opinor, hæc eſt: non quia aut minus potens, aut minus benevolus ſit Deus in populum Chriſtianum quam Hebræum, cum pro iſto, ut perfectior & charior ille ſubrogatus ſit; ſed quia non ita indiguit. Nam ſynagogam armis plantavit Deus, Eccleſiam vero non armis, ſed miraculis. Unde in principio fundationis Eccleſiæ, non illa portenta victoriarum facta ſunt, ne vi videretur fides in mundum introducta. Poſtmodum vero populus Chriſtianus ita adauctus eſt, ut ſemper multitudine & robore inimicos ſuperaverit uſque nunc: unde non opus fuit miraculo, ubi robur ſufficiebat exercitus. Nec tamen omnino, quando opus fuit, in periculo populo ſuo defuit Deus. Nam ut extera omittamus: in noſtra Hiſpania in principio, quando reſtitui cœpit a Saracenis, ſæpius Apoſtolus Jacobus (*a*) Hiſpaniæ Patronus, viſus eſt in exercitu impios Saracenos exterminans. Et etiam in illo bello navarum ad Toloſam (*b*), quid mirabilius, quid prodigioſius contingere potuit, quam ut tanta multitudo occideretur, ſine exercitus læſione, & crux per medios hoſtes illæſa tranſiret? Hucuſque ergo Eccleſia talibus miraculis non indiguit, & quando indiguit, habuit. At nunc quia potentiores nobis facti ſunt hoſtes, Domine immuta ſigna, innova mirabilia, *quoniam fortitudo* noſtra, *& refugium es tu*.

Pſal. 43. Iſaiæ 50.

Heb. 5.

(a)

(b)

Pſal. 30.

IX. Non eſt ergo Fratres, cur Turcarum ferocitatem timeamus nos, quibus Deus præſidio eſt, qui illis eſt contrarius. Alium turcam ego magis timeo, qui intra nos latet. Peccatum ſcilicet, ingratitudinem, averſionem. Ita dico, Fratres, hunc turcam timete. Si enim te infenſum non habemus, bone Deus, quis nocere nobis poterit? Tuam indignationem Domine, non Turcam ego timeo. *Si populus meus audiſſet me: Iſrael ſi in viis meis ambulaſſet: Pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem: & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam*. Quid mirum ſi hoc agnoſcat Chriſtianus, cum etiam hoc olim agnoverit Achior gentilis? Unde ait ad Holofernem: *Nunc ergo, mi Domine, perquire ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum: aſcendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & ſubjugati erunt ſub jugo potentiæ tuæ. Si vero non eſt offenſio populi hujus coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis; quoniam Deus eorum defendet illos: & erimus in opprobrium univerſæ terræ*. Simile etiam propheta ille iniquus Balaam dixit Balach Regi ſuadenti ut malediceret populo, cui dedit conſilium peſſimum, ſed utile ad victoriam, ut peccare faceret Iſraelem; objectis mulieribus: quia alias non poſſet populum Domini ſuperare. Quod & fecit. O peſſimum ſuaſorem! ſed prophetam verum. Ita enim erat ut dixit: ſine peccato populus Dei toti mundo invincibilis eſt, etiam ſi modicus numero ſit. Sed quamvis hæc omnia vera ſint, & certiſſima, tamen non eſt nobis propterea dormiendum: Deus ſupplicandus eſt; non tentandus. Vult enim ipſe, ut & nos ſperantes in ejus auxilio faciamus quod noſtrum eſt, non tamen in noſtra virtute, ſed in illius auxilio ſperantes. Diligentiſſime ergo quæ neceſſaria ſunt ad bellum præparentur, & nos omnes ad fidem & vitam defendendam læti accingamur. Eamus ovantes contra blaſphemum illum Eccleſiæ Dei, minitantem & irritantem. Nam proculdubio ſuperabimus ſpurciſſimum illum paganum, & profligabimus a finibus noſtris. Imo & ſi Deo placuerit, Imperium perditum recuperabimus. Quia enim nos timide agimus, habentes Deum adjutorem; & non illos paganos bellolo

Pſal. 80.

Judith 5.

Num. 23.

(*a*) Binas S. Jacobi apparitiones memorat Vaſæus in Chronico Hiſpan., unam quidem ad an. 825. Ranimiro Rege adverſus Saracenos pugnante. *D. Jacobus*, inquit, *in eo conflictu equo candido, vexillo niveo, & in eo cruce rubea conſpicuus apparuit*. Tantam porro in Saracenos Chriſtiani tunc edidere ſtragem, ut ſupra ſexaginta Barbarorum millia in acie cæſa ſint. Pridie autem de proſpero belli exitu certum fecerat in ſomnis Ranimirum S. Apoſtolus. Alteram vero apparitionem memorat ad an. 931. *Poſtremo*, inquit, *die D. Jacobus in acie viſus Chriſtianis laborantibus opem ferre*. Nimirum tertia prælii die, qua Almanzor Caſtellam vaſtandam ſuſceperat, Comite Gundinſalvo Chriſtianorum partes tuente. Vide Bollandi Continuatores ad diem 25. Julii §. 11.

(*b*) Inſignis hæc eſt victoria anno 1213. apud Toloſam ſingulari Dei beneficio a Cruceſignatis obtenta; cum nempe Comes Montisfortis octingentorum dumtaxat militum manu fultus, Albigenſium exercitum centum millibus hominum conſtantem fugavit, abſumptis in eo viginti millibus, uno tantum e Cruceſignatorum numero cum pauciſſimis ſervientibus occumbente. Rem narrat Petrus Cœnobii Vallis-Sarnenſis Ord. Ciſtercienſis in Pariſienſi Diœceſi Monacus, oculatus teſtis cruceatæ militiæ, in ea quam reliquit Albigenſium Hiſtoria. Extat Pariſiis edita an. 1615. in 8.

lo eradicamus: ideo permittit Deus propter nostram ignaviam & desidiam, ut e contrario ipse provocet nos, & cogat ad conflictum, sed in malum suum.

X. Tria admonitos vos esse volo, si vultis victoriam obtinere. Primum, ut in solo Deo tota vestra spes & fiducia sit. Cavete ne in hominem ponatis fiduciam. *Quoniam maledictus homo qui confidit in homine. Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.* Et iterum: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebitur in æternum.* Secundum est, ut vitam nostram corrigamus, & Deo appropinquemus: peccata publica per Magistratus rigidius corrigantur, & vindicentur. Aleatores, blasphematores, usurarios, adulteros, & concubinarios tollant. Confiteamur etiam peccata occulta, & mundemus conscientias nostras. Unde consulerem, ut modo Papa & Imperator (*a*) Deo cœli voverent, post victoriam de inimicis facere Concilium, & reformare Ecclesiam Dei. Meo judicio esset nunc hoc utile & opportunum, ut sponte reformemus nos, ne Turcam habeamus violentum reformatorem. In reformationem enim Ecclesiæ forte a Deo mittitur, ut erudiat Deus per illum Ecclesiam: sicut olim per Jebusæum Israelem. Tertium, ut cum devotione fiducia & lacrymis vehementer clamemus ad Dominum, & ipsum in nostrum adjutorium invocemus. Licet enim ille volens paratus sit subvenire, attamen supplicari vult a nobis, ut fiat quod scriptum est: Clamabis ad me & *eruam te, & honorificabis me.* Unde ut ostenderet Propheta Regius, quantum prosit iste clamor ad liberationem; in uno Psalmo quater repetit: *Et clamaverunt ad Dominum & exaudivit eos, & de omnibus necessitatibus eorum liberavit eos:* ut cognoscas, quia nec difficilis est ad audiendum, neque impotens ad salvandum. Unde & alibi: *Clamabit ad me & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum,* neque solum eripiam, sed *glorificabo eum.*

XI. Omnes ergo & publice & secrete in cubiculis cordis clamemus, omnes quæramus Dominum, juvemus fratres nostros non solum armis & pecunia, sed orationibus & precibus. Sic enim plures sumus in exercitu, quam cum rege Turcarum. Fortiores & penetrabiliores sunt sagittæ orationum, quam arcuum: potentiora sunt tela linguarum, quam manuum, hinc eminus possumus cum Turcis præliari & confligere, si volumus. An non recolitis Ducem illum populi Judaici? Moysen dico; quantam fecit in Amalecitis stragem non a prope præliando, sed eminus ex monte orando? O mirabilem Ducem! Exercitum mittit ad prælium, & ipse e regione confugit ad montem. Quid hoc Moyses? Quis modus iste ducendi? Ita te exhibes Ducem? Ita hortaris exercitum? Ita quæ sunt necessaria provides? Cum Amalech tibi bellum est: & tu ab eo recedis? Tempus nunc præliandi, non orandi. *Omnia tempus habent.* O vere virum secundum cor Dei! Non cum Amalech, sed cum Deo negotium agendum erat: quia quicquid Deus voluerit, fiet de prælio. Ad rem summam pergit Dux: alia populo committit. O Amalech! Quid tibi cum populo? Ex monte tibi damnum infertur, ex monte major tibi conflictus. Moysen ab oratione conturbato, ipsum invadito, & vicisti. Mira res, in manibus non præliantis pondus victoriæ, & propterea manus ejus graves erant, utpote in quibus erat totum belli pondus, sed sustentabant eas Aaron & Hur.

XII. Nos itaque, Fratres, hunc Ducem imitantes, eminus cum Turca orationibus confligamus. Propter hoc enim exemplum istud scriptum est, ut noscat omnis posteritas, quanta est orationis virtus, quantum erga Deum pondus in justorum clamore. Quid scimus si in tanta populi multitudine, erit alius Moyses, quem exaudiat pro sua Ecclesia Dominus, & ejus precibus & meritis eliminet eos, aut certe disperdat? Quod si in terra forte non est, in cœlo tamen multos habemus Moyses populi Dei zelatores, & Deo proximiores. Invocemus Apostolos, invocemus Martyres, invocemus Doctores & Sanctos omnes. Quanto enim zelo Ecclesiam Dei & fidem zelant! Testis est sanguis quem fuderunt: testis est mors acerbissima, quam pro fide & Ecclesia passi sunt: testes labores & sudores continui: testis omnis eorum vita & exitus. Pro illa plantanda tot dolores sustinentes mortui sunt, & nunc in ea tuenda trepidi erunt, aut contemptores? Absit, absit. Levemus ergo, etsi non continue, assidue tamen manus nostras cum Moyse in cœlum, quoadusque obtineamus victoriam. Nec deflectamus eas donec vincamus, & superemus adversarios nostros. Quod si graves fiunt ex tædio: sustineant eas Aaron & Hur: id est, timor, & amor: timor nostri, amor proximorum. Moveat, inquam, nos & detineat in oratione zelus fratrum nostrorum, qui in tanto periculo sunt, ne tradantur genti crudeli, & dilanientur, ut solet agnus a leone dilaniari. Moveat & labor, & discrimen Imperatoris & Regis nostri clementissimi, qui personam suam ut optimus Princeps, pro fide & populo Dei exponit. Quod si minus ferventes sumus charitate, saltem detineat sursum manus Aaron, id est timor nostri periculi: scitote enim quia si modo vicerit Turca, statim nos in eodem periculo erimus. Nam ab Italia ad nos facilis est ingressus, maxime quum propinquiores habeamus Africanos hostes, & ejusdem factionis & sectæ cum Turcis.

IN

Jer. 17. *Ps.* 117. *Ps.* 124. (*a*) *Judic.* 1. *Ibid.* 3. *Psal.* 49. *Ps.* 106. *Psal.* 91. *Exodi* 17. *Eccl.* 3.

(*a*) Uterque in Concilium optime animatus erat; jamque biennio ante expeditionem in Turcas Paulus III. Concilium indixerat Mantuæ habendum, ut constat ex Diplomate hac de re edito die 4. Junii an. 1536. Verum interjecti non semel obices, tantæ molis opus retardarunt, donec anno 1545. Tridenti feliciter inchoatum est die 13. Decembris.

IN PROCESSIONE CONCIO.

PRO EPIDEMIA, PRO TRIBULATIONIBUS, AD INVOCATIONEM ALICUJUS SANCTI.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus, in tempore opportuno.
Pſal. 31. v. 6.

* CONCIO LXXIX.

I. DUo ſunt quæ maxime permovent Sanctos ad interpellandum pro nobis; ſcilicet, amor, & experientia noſtrarum neceſſitatum. Siquidem fratres noſtri fuerunt peregrini ut nos; & de medio noſtrum rapti ſunt ad ſupernas ſedes. Et licet modo gloria potiantur; tamen, *ludibria & verbera experti ſunt, inſuper & vincula & carceres: Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ.* Bene ergo dicitur in themate: *Pro hac*, ſcilicet Eccleſia, *orabit ad te omnis Sanctus.* Sed, o Sacratiſſima Dei Genitrix, quanto amplius tota hæc multitudo in tua benignitate confidit, quam in tota Sanctorum multitudine! Utique, *in te* ſunt *oculi totius Iſrael*; id eſt, Eccleſiæ. Tu majorem confœderationem nobiſcum habes, & malorum noſtrorum, & tribulationum etiam habes experientiam. P. Auguſtinus: O Maria (*a*): multum gaudeo, multum audeo, multumque gaudium, magnam mihi præſtat audaciam. Mira loquar, ſed ſic eſt: nos enim tibi, teque nobis mira neceſſitudo confœderat; ut ſcilicet pro nobis habeas illud quod es; nos vero per te id quod ſumus. Nam ſi nulla noſtra fuiſſet tranſgreſſio, non fuiſſet ſecuta noſtra redemptio. Et ſi redimi neceſſarium non fuiſſet, non fuiſſet neceſſarium te Redemptorem peperiſſe. Ut quid enim neſcium peccati pareres, ſi defuiſſet qui peccaſſet? Ut quid nomen ferret Salvatoris, ſi nulla fuiſſet indigentia ſalutis? Quantas vero tribulationes ſuſtinuerit, quis poterit dicere? Ecce ſtatim poſt partum profuga per deſerti vaſtitatem, aſperam in Ægyptum perrexit. Ubi, quaſi alienigena per ſeptennium ſtetit. Deinde poſt Domini prædicationem: quot tormina, quot cordolia, quot inquietudines, quot dolores ad pedem crucis ſuſtinuit? Ut poſſit dicere: *Non ignara mali* (*b*), *miſeris ſuccurrere diſco.* Ad ipſam igitur Sanctam, Sancti Sanctorum Matrem accedamus cum fiducia: offerentes ei ſalutationem:

Heb. 11.

Pſal. 31.

Mat. 2.

(*a*)

(*b*)

AVE MARIA.

II. Duo puncta in ſermone. Primum: de utilitate tribulationum. Secundum: de Sanctorum favore *in tempore opportuno*. De primo, dic: quomodo inter multa mala quæ contraximus ex peccato, fuit unum, ſcilicet, cæcitas & ignorantia eorum quæ ad ſalutem expediunt. Ecce totus mundus quærit proſperitatem: &, ut ait Gregorius (*c*): Nulla juſto major adverſitas, quam proſperitas: ſiquidem, tam adverſitas quam proſperitas continuo invadunt animam. Sed adverſitas eſt inimicus apertus, aperto marte pugnat; ideo minus timendus, quia apertam gerit frontem inimici. Ideo animus vires colligit, & undique rationibus, conſilio & orationibus innititur, & præparat ſe, ut ei occurrat. Sed proſperitas, inimicus occultus, perfidus, infidelis; dum animam mulcet, inſontem premit; dum animum delectat, opprimere ſatagit; dum fovet, inſidias parat. Et eo citius capit, quo incautum & improviſum rapit. Per dulces gradus paullatim animam ad inferna deducit. Pſalmus: *Ad te Domine clamabo!* O Propheta, quis clamor iſte tuus? Quæ tua vox? Ecce ſequitur: *Ne quando* ſileas aut *taceas a me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum.* Nulla major ira, quam non iraſci. *Exacerbavit Dominum peccator, ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret.* Et Iſaias: *Abiit vagus in via cordis ſui: Vias ejus vidi, & dimiſi eum.* Similiter alio loco: *Miſereamur impio.*

(*c*)

Pſal. 27.

Pſal. 10.

Iſaiæ 57.

Ibid. 26.

(*a*) Aliqua ex his quæ ſequuntur adducit Angelicus Doctor in 3. Sent. diſt. 1. qu. 1. art. 3. tamquam excerpta ex *Oratione S. Auguſtini ad B. Virginem*. Hanc tamen Orationem in editionibus S. P. Auguſtini, quæ mihi ad manum ſunt, non invenio.

(*b*) Virgil. Æneid. lib. 1. prope fin.

(*c*) Moral. lib. 5. cap. 1. *Quia ergo inter divina judicia gravi incertitudinis ſuæ caligine humana mens premitur: ſancti viri, cum ſibi ſuppetere proſpera hujus mundi conſpiciunt, pavida ſuſpicione turbantur.* Et paulo infra: *Unde fit, ut ſancti viri, magis in hoc mundo proſpera, quam adverſa formident.* Cauſas affert ibidem S. Doctor, cur Sancti magis proſpera timeant, quam adverſitates.

(a) Bernardus (a): Nolo talem misericordiam. Respondent Angeli: *Non discet justitiam*. O non discet facere justitiam! Sequitur: *In terra Sanctorum iniqua gessit*. Iniquitatem operatus est in terra Sanctorum; *& non videbit gloriam Domini*. Similiter Job: Et conversus *mirabiliter me crucias*, id est: misericorditer me corripis. Si vis exempla; quis, obsecro, dilectus Domini peccasse scribitur in sacra Scriptura, qui statim non fuerit punitus? Ecce Adam de paradiso pellitur. Moyses non introduxit populum. Ozias lepra perfunditur. Heli Sacerdos cervicibus truncatur. Ezechias, quia non dedit laudem infirmitate percutitur. David pro adulterio de regno pellitur. Pro populi murmuratione, peste percutitur populus. Petrus non percutitur flagello, quia manum Domini prævenit pœnitentia. Nam, *egressus foras, flevit amare*. Hoc signum dilectionis est in Deo, quando peccata etiam modica hic punit, ut ibi parcat.

Job 10. Gen. 3. Deut. 32. 2. Paralip. 26. Isaiæ 38. Ibidem. 2. Reg. 15. Num. 14. Mat. 25.

III. Duæ autem sunt utilitates tribulationum. Prima: cognitio sui. Nam, licet cor hominis dicat sæpius, quoniam diligit Deum, sed non semper ita est. Psalmus: *Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt*. Dixerat Petrus: *Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire*. Paratus sum tecum ire in mortem & in vitam. Sed ad vocem ancillæ retrocessit. *Proba* ergo *me Domine & tenta me:* ut vox humiliet, dum superbit cor; ad laudem dum resisto. Nam qualis unusquisque est, ignis probat, & *quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo in ore laudantis*. Volo ergo scire, an aurum, vel argentum, vel plumbum sim. Quot homines de se magna credebant, qui jam cœlos manibus tenere cogitabant, & tamen levi tentatione pulsati, agnoverunt se non solum attigisse centrum perfectionis, sed nec cœpisse.

Psal. 11. Luc. 22. Psal. 25. Prov. 27.

IV. Secunda utilitas est: ut mali & boni dignoscantur. Nam ad beneficia capessenda, omnes simul sunt propensi, & parant manus, sed ad sustinendos labores pauci. Sic enim cum Gedeone omnes simul ad bibendum aquam venerunt, sed pauci processerunt ad prælium. *Lapidem caliginis, & umbram mortis, dividit torrens a populo peregrinante*. Lapis caliginis est, qui in tenebroso ædificio inferni, tanquam lapis mortuus debet ædificari. Umbra mortis est peccator induratus etiam præscitus. Nam durities quam hic habet peccator, imago est obstinationis damnatorum. Populus peregrinans est de quo Apostolus: Quamdiu *sumus in corpore, peregrinamur a Domino*. Et ad Hebræos: *Confitentes*, quoniam *peregrini & hospites sunt super terram*. Torrens est, de quo Psalmus: *De torrente*, id est, de tribulatione: *in via*, id est, in vita ista: bibit in passione, & *propterea exaltabit caput* in resurrectione. Ecce ergo inter lapides mortuos ædificii tenebrosi, & lapides vivos ædificii superni, solus torrens, id est tribulatio ponit differentiam. Verum enim argentum igne est probandum & purificandum. Sed falsum in scoriam vertitur, dicente Isaia: *Argentum tuum versum est in scoriam*. Justus enim tribulationibus perficitur & mundatur: sed malus deterior fit, nec mundatur. Ideo ait Jeremias: *Frustra conflavit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ*. Nota, quod ait Gregorius (b): Quod si post tribulationem sequitur correctio, patris disciplina fuit: si non, ira judicis fuit. Nota etiam exemplum: P. Augustinus (c) *in libro de Civitate Dei:* de liquore bono: qui, si revolvatur, mittit de se odorem bonum: & cœnum si revolvatur, mittit de se malum odorem. Opus ergo est, ut revolvatur quisque, & talem spiret odorem qualis ipse est.

Heb. 11. Psal. 109. Isaiæ 1. Jer. 6. (b) (c)

V. Pro secundo puncto, in quo agitur de Sanctorum favore: nota, quod epidemia comparatur ad alias tribulationes, sicut falx succidens ad securim amputantem. Nam, ut ait Dominus *in Euangelio Lucæ*, de ficu non mittente fructum; volebat succidere. Et dicunt servi: Domine ecce nos mittemus stercora, & fodiemus, & si non fecerit fructum amputabitur. Ita qui post fossionem, & amputationem, & rigationem præliorum, infirmitatum, famis, laboris, non facit fructum; venit falx epidemiæ, ut totaliter arbor succidatur de vita. Ideo est maxima & periculosissima omnium tribulationum: eo quod non dat tempus ad meditandum pro peccatis. Ideo pro singula quaque tribulatione est unus Sanctus advocatus; sed *pro hac orabit ad te* Domine non solum unus Sanctus, sed omnes Sancti, tota cœlestis curia. Sed hoc: *In tempore opportuno*. Nota, quod tempus opportunum per conversionem peccatoris, est tempus salutis. Nam, ut Isaias: *In tempore placito exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tui*. Psalmus: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis*. Nam, *cum exarserit in brevi ira ejus*, tunc jam non pœnitentiæ locus, sed, beatus qui bene dispositus repertus est. Quid est Domine, *in tempore opportuno?* An non omni tempore exaudis Sanctos tuos?

Luc. 13. Psal. 31. Isaiæ 49. Psal. 2.

VI.

(a) Serm. 42. in Cant. num. 4. *Vides, quia tunc magis irascitur Deus, dum non irascitur. Misereamur impio, inquit, & non discet facere justitiam. Misericordiam hanc ego nolo. Super omnem iram miseratio ista sepiens mihi vias justitiæ ... Volo irascaris mihi, Pater misericordiarum, sed illa ira, qua corrigis devium, non qua extrudis de via.*

(b) Moral. lib. 21. cap. ult. *Constat autem, quia in hac vita cum percutit, si percussionem correctio sequitur, disciplina patris est, non ira judicis: amor corrigentis est, non districtio punientis.*

(c) De Civit. Dei lib. 1. cap. 8. *Unde in eadem afflictione mali Deum detestantur, atque blasphemant, boni autem precantur, & laudant. Tantum interest non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & suaviter fragrat unguentum.*

VI. Nota quod sequitur: *Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt*, id est, in diluvio peccatorum. De quo Propheta: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt*. Nam dum peccatores in peccatis sunt obstinati, tunc pro eis Sancti non exaudiuntur. Sicut ait Dominus ad Jeremiam: *Tu autem noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis laudem & orationem: quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me*, id est, quando peccata eorum clamant ad me. Per diluvium *aquarum multarum*, intelligitur furor Divinæ indignationis, ex quo procedunt tam multa flagella contra peccatores, ut tollatur impius de terra, & non videat gloriam. Et ad istum intellectum dicit Job: *Deus, cujus iræ nemo resistere potest, & sub quo curvantur qui portant orbem*. Mirum valde est, inquit Gregorius (*a*), quod iræ Dei nullum posse resistere dicitur, cum multos indignationi supernæ animadversionis obviasse eloquia divina testentur. An non iræ Dei Moyses restitit, qui pro cadente populo erectus, ipsum supernæ persecutionis impetum mortis suæ oblatione restrinxit, dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti?* An non iræ Dei Aaron restitit, cum inter viventes ac mortuos, thuribulum sumpsit, atque animadversionis ignem incensi fumo temperavit? An non Phinees iræ Dei restitit, qui luxuriantes cum alienigenis, in ipso coitu trucidans, zelum suum divinæ indignationis obtulit, & furorem gladio placavit? An non iræ Dei David restitit, qui Angelo se ferienti offerens, placationis gratiam, & ante tempus propositum exegit? An non Elias iræ Dei restitit, qui longo jam tempore terra arente, subductas de cœlo pluvias verbo revocavit?

Psal. 31. Osee 4. Jer. 11. Psal. 31. Job 9. Exodi 32. Num. 16. Ibid. 25. 1. Paral. 21. 3. Reg. 18.

VII. Quomodo ergo divinæ iræ nullum posse resistere dicitur, cum, multos sæpe restitisse exemplis existentibus demonstratur? Sed si subtiliter hæc beati Job eloquia, & illorum facta pensamus; & verum cognoscimus, quia divinæ iræ non resistitur; & verum, quia multi sæpe restiterunt. Omnes enim Sancti qui iræ Dei obviant, ab ipso accipiunt, ut contra impetum percussionis ejus opponantur; atque, ut ita dixerim, cum ipso se erigunt contra ipsum, eosque divina vis se opponit secum: quia in eo quod adversum sævientis iram foris obtinent, intus eos gratia irascentis fovet: & famulantes interius levat, quos quasi adversantes exterius tolerat. Portat ergo contradictionem deprecantium, quam aspirat, & velut nolenti opponitur, quod ab ipso ut fiat, impetratur. Moysi enim dicit: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam*. Quid est servo dicere, *dimitte me*, nisi deprecandi ausum præbere? Acsi aperte ei diceretur: pensa, quantum apud me valeas, & cognosce, quia obtinere poteris quidquid pro populo exoras. Quod, quia hac mente agitur, statim venia subjuncta est. Verum, cum superna indignatio sese, ut ita dixerim, medullitus movet, hanc oppositio humana non retinet: nec se utiliter cujuslibet deprecatio objicit, cum semel Deus aliquid ab intimis irascendo disponit. Hinc ad Jeremiam dicitur: *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*. Et alibi ait: *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?*

Exodi 32. Jer. 15. Psal. 75.

VIII. Sed, o peccator, noli diffidere si Sancti non approximent. Audi quid sequitur: *Tu es refugium meum*, Domine, *a tribulatione quæ circumdedit me*. Ecce Dominus omni tempore exaudit. Omni tempore Jesus *interpellat pro nobis* apud Patrem; etiam quando mala inundant; etiam quando furor Domini accensus est; ipse exauditur pro sua reverentia. Veniant ergo mala, multiplicentur flagella, tu noli diffidere. Nam, quomodo rejiciet peccatorem qui mortuus est pro peccato? Job: *Si fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem: Miserebitur ejus, & dicet: Libera eum, ut non descendat in corruptionem: inveni in quo ei propitier*. Angelus iste, est *Angelus Testamenti*. Loquitur ad Patrem, dum humanitatem ei ostendit pro nobis. Si ergo loquitur; *Unus de millibus:* id est, pro labore offerat laborem, pro dolore dolorem, pro tristitia tristitiam: sed nota. Quare *unus?* Nam in nobis post exitum Adæ de paradiso, duo sunt; culpa & pœna. Culpam non habuit Christus, pœnam assumpsit. Pœnam pro pœna offert, & pœnam pro culpa, sed culpam pro culpa non offert. Per omnia fratribus similis sine peccato, ut ostendat hominis æquitatem. Quæ nostra justitia est, nisi ejus mors: nisi ejus humanitas. Unde, apud Job: *Justitia indutus sum*. Nota etiam quod sequitur: *Inveni in quo ei propitier*. Ecce Deus quærit modum, inquirit, quomodo misereatur nostri. Invenit autem inventionem mirabilem: ut scilicet morere-tur Deus, & liberaretur homo. Quæ major inventio aut consilium potuit esse, quam ut Deus fieret homo pro homine? *Inveni*, ergo, *in quo ei propitier*, dum pro eo Filius Dei passus est.

Psal. 31. Rom. 8. Heb. 5. Job 33. Malach. 3. Heb. 4. Job 29. Ibid. 33. Ibidem.

IX. Pro Beato Rocho (*b*) qui digito curabat; notandum: quomodo Deus, sicut pro singulis infirmitatibus providit in lapidibus pretiosis & herbis virtutes, ita etiam hominibus contulit gratiam sanitatum. De qua: an (*b*)

(*a*) Usque ad ea verba, *nec se utiliter cujuslibet deprecatio objicit, cum semel Deus aliquid ab intimis irascendo disponit*, Gregorii sententiæ, & verba sunt Moral. lib. 9. cap. 16. Hæc Gregorii verba adducit Gratianus 23. q. 4. c. vasis §. *unde Gregorius*.

(*b*) S. Rochum dextræ tactu, & signo crucis, peste vexatos curasse tradit Franciscus Diedo in ejusdem Vita apud Bollandi Continuatores ad diem 16. Augusti cap. 2. num. 14. *Quorum*, inquit, *omnium dextras tangit, signoque Crucis communitos peste liberat.*

an sit sola coassistentia Divinæ voluntatis ad miraculose operandum secundum voluntatem Sancti, an sit aliqua virtus impressa in corpore illius Sancti, per quam curaret ægritudines, sicut etiam in lapidibus est virtus curativa impressa: utrumque probabile est. Nota: quod Gerson, & S. Thomas tenent, quod quando Christus operabatur miracula, in ejus benedicta Humanitate erat (a) virtus etiam (a) concurrens ad miracula operandum. Quæ sola & una eminenter conti-

A nebat omnes virtutes herbarum & gemmarum, de qua ait Euangelista: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*. Similiter alibi: sensit enim virtutem de se exiisse. Similiter dicit Gerson de Sanctis: & allegat Bernardum, qui dicebat de se ipso: quod sentiebat in se virtutem quandam, quando debebat operari miracula. *Vide Gersonem de Probatione Spirituum, & S. Thomam 3. parte, quæstione de Miraculis Christi.*

Lucæ 6. Ibid. 8.

IN DOMINICAM INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS CONCIO.

DE SPIRITU SANCTO POST ASCENSIONEM DOMINI MITTENDO.

Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.
Joann. 15. v. 26.

* CONCIO LXXX.

I. POST gloriosam Domini resurrectionem & magnificam ascensionem: post redemptionem illam copiosam, & spolium ab inferis cum triumpho & pompa mirabili cœlorum penetralibus inclusum, nihil restabat magnifico viatori Verbo Dei, nisi, ut pro coronide suorum operum mitteret Paraclitum de cœlo Spiritum sanctum, donum dignum Regnatori splendido, & ut divitias magnificentiæ regni sui mundo ostenderet, & mœrentia discipulorum corda lætificaret; infirmos adhuc animos roboraret, charitatis suæ arrham dilectis præstaret; maxime vero, qui testimonium de Christo perhiberet. Clamat hoc Isaias, dicens: *In illa die erit germen Domini in magnificentia & gloria*. Gloria cœlis, magnificentia terris. Gloria beatis, magnificentia fidelibus. Omnia tua bone Jesu magnifica a principio. Magnifica mors; magnifica Sacramenti institutio; magnifica Spiritus sancti donatio. Quid magnificentius quam dare Deum in donum? *Et fructus terræ sublimis*. Fructus terræ, idem est germen Domini. Quia *Veritas*, Filius Dei *de terra orta est*, Virgine scilicet sacratissima. *Et exaltatio his qui salvati fuerint de Israel*. Isti erant Apostoli, primitiæ Ecclesiæ. Isti erant attimorati, & inclusi propter metum Judæorum. Sed, exultaverunt, & exilierunt in medium, prædicantes Christum. Dilatatum est cor eo-

Isaiæ 4. Psal. 84. Isaiæ 4.

B rum, ut non formidarent a facie gladii, Spiritu Domini roborante. Psalmus: *Domine Deus meus magnificatus es vehementer*. An non magnificatus ad dexteram Dei sedens super Cherubim & Seraphim, cœlo conclamante susceptus? *Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento*.

Ps. 103. Ibidem.

II. Ecce gloriam ascendentis; audite modo exultationem filiorum Israel: *Extendens*, ait, *cœlum sicut pellem*. Cœlum, anima justi. Cœlum quilibet Apostolus erat. Extendit cœlum, qui dilatavit corda eorum. Cor timidum Petri, quam strictum erat, quando negavit ad vocem puellæ? Attendite, quam dilatatum quando ait Principibus: *Obedire oportet Deo. Qui tegis aquis superiora ejus*. Quæ superiora, nisi mentem & intellectum? Quibus aquis? Attendite, *pluviam*, inquit, *voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ*. Pluvia voluntaria, gratia Spiritus sancti: ros fœcundans & inebrians, a nubibus, a supremis, & æternis emissus, ut rigaret arentia & fœcundaret. Ad adventum namque Spiritus sancti: *cœli* distillaverunt *a facie Dei Sinai*. Præivit Dominus, & a facie Ascendentis, Spiritus est distillatus a cœlis; sicut ipse ait: *Nisi abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos*. Ascendit Verbum Patris, descendet Spiritus Filii, clamabit in corda nostra *Abba, Pater!* Spiritus Dei, qui Deus est. Non Angelus, non Seraphim, non Cherubim: non enim potest illabi animæ Angelus, non potest animam perficere, addecorare alius Spiritus, aut

Ibidem. Mat. 26. Act. 5. Ps. 103. Psal. 67. Ibidem. Jo. 16. Rom. 8.

(a) Hac de re, quæ ad Theologicæ scholæ disputationes pertinet, late agit Suarez tom. 1. in 3. part. S. Thomæ disput. 31. sect. 3. & seq. neque huic lubet nunc immorari.

aut illuſtrare. Hic Spiritus vivificator eſt, & illuſtrator; vitam præſtat & lumen. Hic locutus eſt per Prophetas. Hic magiſter datus eſt Apoſtolorum. Audi de Apoſtolis: *Non eſtis vos, qui loquimini.* Mat. 10. Audi de Prophetis, Prophetam: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Pſal. 44. Verbum utique præclarum. Incarnationem, paſſionem, redemptionem ſæculorum cecini: præclara ſunt, quæ prædixi. Sed, numquid a me ipſo dixi? Non: ſed, *dico ego opera mea Regi.* Sua ſunt, ei, ea intitulo. Quid igitur ego? ſequitur: *Lingua mea calamus ſcribæ* Sanctorum *velociter ſcribentis.* Ibidem. Calamus nihil de ſuo ponit, ſed, ut movetur, ſic exarat. Lingua noſtra calamus eſt, manus, Spiritus Dei: ſicut movetur, ſic loquitur. Sed, quomodo *velociter ſcribentis?* niſi quia *velociter currit ſermo ejus?* Pſ. 147. Inſpirat in tranſitu, & *non ſubſiſtit, nec cognoſcet amplius locum ſuum.* Pſ. 102. Figura Eliæ aſcendentis, & Eliſei. 4. Reg. 2. Dic figuram, quia pulchra eſt hiſtoria. Pondera duplicatum Spiritum, ſcilicet: intelligentiæ & favoris. Vel duplicatum, id eſt, reflexum: *Non enim accepiſtis ſpiritum hujus mundi, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciatis, quæ a Deo donata ſunt vobis.* 1. Cor. 2.

III. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Jo. 15. Nota triplicem ſcholam Dei. Prima: creaturarum. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Pſal. 18. Sed, quæ obſecro lingua cœlorum? Quæ loquela? Ipſa magnitudo, ipſa pulchritudo lingua eſt, ipſe motus vox eſt. *Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.* Totius idiomatis eſt vox illa. Illam cognoſcit Græcus, illam Latinus, illam Arabicus, &c. Nullus excuſatur; in piaculo ſunt. Pauper non excuſatur ſi non habeat libros: natura libros publicos edidit, publicam bibliothecam, quam omnes poſſunt legere. Apoſtolus: *Inviſibilia enim ipſius, a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles.* Rom. 1. *Cœli* ergo *enarrant gloriam Dei*, majeſtatem Dei, pulchritudinem Dei. Quid ais: Deum non vidi? ejus gloriam non perſpexi? *Cœli enarrant gloriam Dei.* Pſal. 18. Nam, quales ſunt inhabitatores, oſtendit pulchritudo habitaculi. Nota: quod oſtendit Deus locum gloriæ, & non locum pœnæ. Quoniam non timore, ſed amore vult ſibi ſerviri ab omnibus. O ſi vidiſſemus caliginem tenebrarum, fumum, ignem! tunc forſitan vitaremus peccata. Omnis creatura miraculum eſt & prodigium, ſi introſpiciatur. Omnis creatura vox Dei eſt. Sed creatura oſtendit tantum: A. B. C. Dei; id eſt: *Quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis;* ſcilicet: ſempiternitas, bonitas, Divinitas. Poſſunt, inquam, cœli & creaturæ oſtendere magnitudinem Dei, bonitatem Dei, impaſſibilitatem Dei, unitatem Dei, &c. Norunt hæc philoſophi. Rom. 1.

IV. Sed non noverunt alias particulares conditiones Dei; non poſſunt oſtendere formam ſervi. Non, quod *Verbum caro factum eſt; & habitavit in nobis.* Non Dei humiliationem, non Dei paſſionem, non mortem. Hæc ſpectant ad ſecundam ſcholam. O Domine! Neceſſarium eſt ad ſalutem, excellentias tuas cognoſcere; non minus, etiam defectus noſtros quos accepiſti. Hæc non loquuntur cœli, non aſtra. Impaſſibilem te iſta dicunt. Opus eſt mihi agnoſcere tuam paſſionem. Quid ergo? Veniat *Paraclitus, quem* mittes nobis *a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, & ille teſtimonium perhibebit* de te. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur:* Alii cœli, alii prædicatores, alii divulgatores. Iſaias: *Notas facite in populis adinventiones ejus.* Iſaiæ 12. Magna inventio: *Verbum caro factum eſt.* Jo. 1. Magna inventio: Æternus natus eſt. Magna inventio: Creator moritur. Mat. 27. Magna inventio: Vita mortua eſt. Magna inventio: Chriſtus pro cibo ſumitur. Jo. 6. Hæc ſunt quæ cœli novi nuntiare debent populis, etiam tribubus, & nationibus. Non novit hoc Plato (*a*). Dixit: *Verbum erat apud Deum*, ut ait P. Auguſtinus; ſed non attigit: *Verbum caro factum eſt.* (*a*) Ibid. 1. Sed quales, obſecro, accipis Domine prædicatores? Non ab Athenis ſapientes; ſed piſcatores: iſti ſunt magiſtri orbis futuri, iſti debellatores populorum. Marc. 16. Hæc poteſtas Dei eſt, talibus debellare terras. Sic etiam cyniphes exterminaverunt Pharaonem, non gigantes. Exodi 8.

V. Tertia ſchola adhuc perfectior eſt. Ibi ſunt *omnes docibiles Dei.* Et Iſaias: *Univerſos*, inquit, *Filios tuos doctos a Deo.* Jo. 6. Iſaiæ 54. Et iterum: *Dominus, erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam eum quaſi magiſtrum.* Ibid. 50. Job: *Ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtive ſuſcepit auris mea venas ſuſurri ejus.* Job 4. In Canticis: *Apprehendam te, & introducam, & ibi me docebis.* Cant. 8. Richardus (*b*): Deus loquitur Moyſi in alto; Aaron in ſecreto tabernaculi. (*b*) Exodi 31. Num. 18. Altum animæ, & profundum animæ. Mons animæ eſt centrum animæ, & interius tabernaculum. *Vide ultimo capite.*

VI. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis & erudivit me.* Thren. 1. Breviſſimum thema in ver-

(*a*) Verbi æterni divinitatem in Platonicorum libris ſe legiſſe, non autem incarnati humilitatem aſſerit S. P. Auguſtinus Confeſs. lib. 7. cap. 9. *Ibi legi*, inquit, *non quidem his verbis, ſed hoc idem omnino multis, & multiplicibus ſuaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c. Sed quia Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis non ibi legi.* Et lib. 10. de Civit. Dei ita de hoc S. Parens: *Sed ideo viluit ſuperbis Deus ille Magiſter, quia Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: ut parum ſit miſeris, quod ægrotant, niſi ſe in ipſa etiam ægritudine extollant, & de medicina, qua ſanari poterant, erubeſcant.*

(*b*) Richard. a S. Victore in tract., cui titulus: Beniamin major, ſeu de Contemplatione lib. 4. cap. ult.

bis, sed ampliſſimum in ſententia, compendioſum in ſyllabis, extenſum in myſteriis. 1.Tim.1. Quis poterit illud penetrare, niſi *charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta?* Talis debet eſſe annuntiator Euangelii. Primo: puritas. *Beati mundo corde.* Mat. 5. In hiſtoriis Lucius ajebat: Si quis eſt corrupti animi aut avari, non poteſt eſſe meæ artis ſectator. Secundo: bonæ conſcientiæ. Pſalmus: Peccatori autem dixit Deus: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Tertio: fide non ficta. *Dilexerunt eum* (Pſalmus) *in ore ſuo,* Pſal.77. *& lingua ſua mentiti ſunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti ſunt in teſtamento ejus.* Quarta conditio eſt: ut ſit ita diligens, ut ſciat ſugere *mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo* Scripturarum, & ſapientiam elicere de ſcriptoribus.

Deut.32. Thren.1. VII. Arduum eſt quod dicitur: *De excelſo miſit ignem.* Quomodo ignis de excelſo, cum ignis ſecundum naturam aſcendat? *In oſſibus meis.* Quomodo in oſſibus, carne non aduſta? *Et erudivit me.* Quomodo erudivit? Quis vidit umquam ignem magiſtrum? In illa ſublimi Trinitate, Pater luci comparatur, Filius ſplendori, Spiritus ſanctus calori, ut ait (a) S. P. Auguſtinus (a). Sicut in una ignis vel ſolis ſubſtantia tria ſunt; lux, & ſplendor, & calor nominibus & officiis diſtincta: ita in una eademque eſſentia ſuprema, Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Splendor a luce, calor a luce, & ſplendore: ita in Divinis. Unus ab uno, & unus a duobus, ſed quaſi ab uno. De Patre dicitur: *Lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ.* De Filio: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ ejus.* De Spiritu ſancto dicitur: *Deus tuus ignis conſumens eſt.* Hic eſt ignis de quo Eccleſia ait: *De excelſo miſit ignem.* Quid enim aliud fuit cœnaculum illud, niſi clibanus, in quo vaſa illa purificata, fortificata, renovata ſunt? Profecto: *Ipſe quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. Sedebit* enim *conflans, & emundans argentum.* Conflavit eos in novam formam, ex hominibus mortalibus conficiens eos Deos immortales, non natura, ſed gratia. Sicut ſcriptum eſt: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Gregorius (b): Bis Deus venit in mundum: in primo adventu, Deus factus eſt homo; in ſecundo, homo factus eſt Deus. Amor enim transformat in amatum ut ait P. Auguſtinus (c). Si terram diligis terra es: Si cœlum, cœlum. Si Deum diligis, audeo dicere, Deus es. Cætera omnia determinatum eſſe habuerunt. Homo poteſt eſſe quidquid voluerit: O Deus meus! Anima mea concupiſcit laudare te, ſed deficiunt verba. Spiritus meus gliſcit glorificare te, ſed deficiunt vires & ſenſus. Hic ignis aqua non extinguitur, ſed generatur. Baptizat Petrus: & dum mitteret aquam, deſcendebat Spiritus, & ardebant corda baptizatorum. De hoc, ſimilitudo in libro Machabæorum: de igne ſacro quem tutati ſunt ſacerdotes, & verſus eſt in aquam craſſam: 2.Mach. 1. quæ, miſſa ſuper ſacrificium incendit lapides, ligna, & carnes. Aqua enim vim igneam retinuit. Ita Spiritus, ignis eſt ex aqua viva. Dominus in Euangelio: *Qui credit in me ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre* Jo.7. *ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Pſal.76. *Cœli diſtillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Jacob. Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ.* Hæc miſſa in Sacrificio ſuper altari cordis, omnia peccata adurit, ligna, lapides, & carnes.

Thren.1. VIII. *De excelſo* igitur *miſit ignem in oſſibus meis:* In corpore, caput, & oſſa, & nervi, & carnes. In Eccleſia; caput, Chriſtus; oſſa, Apoſtoli: quæ ſunt eorum fundamenta. *Superædificati ſuper fundamentum* Epheſ.2. *Apoſtolorum & Prophetarum.* Nervi, Sancti; carnes, fideles. De quibus Job: *Pelli meæ,* Job 19. *conſumptis carnibus, adhæſit os meum.* Hæc ſunt oſſa, de quibus Pſalmus: *Omnia oſſa* Pſal.34. *mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi?* Nam ante Apoſtolos, multi auſi ſunt vendicare ſibi Divinitatem, ut Jupiter, Mercurius, Venus. Sed Apoſtoli, non ſic: Paulus & Barnabas prohibuerunt adoratores ſuos. Act. 14. Ecce, dicebant: *Domine, quis ſimilis tibi?* Pſal.34. Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.

IX. *De excelſo miſit* ergo *ignem in oſſibus* Thren.1. *meis.* Et quid? Et erudivit me. Sed quid erudivit? Amorem Dei & proximi. *In his* Mat.22. *duobus mandatis, univerſa lex pendet, &* (d) *Prophetæ.* P. Auguſtinus (d): Ille tenet & quod latet, & quod patet in divinis codicibus, qui charitatem ſervat in moribus. Hoc eſt omnis doctrina Chriſtiana: ſcire diligere. Figura: *Comedetis vetuſtiſſima vete-* Levit. 26. *rum, & vetera novis ſupervenientibus projicietis.* Veterrima comedenda ſunt, quæ ſunt præcepta decalogi. Naturalia ab initio hominibus inſerta. Vetera ſunt præcepta cæremonialia & figuralia. Quæ, venientibus novis

---

(a) Similitudo hæc legitur in Sermone tertio, alias lib. 3. de Symbolo ad Catechumenos toto capite nono digeſta. Atque hic quidem Sermo dubius eſt Patribus Congr. S. Mauri, qui illum propterea minutioribus typis in noviſſima editione excuſum exhibent tomo 6., una cum aliis duobus ejuſdem argumenti Sermonibus pariter dubiis.

(b) Homil. 30. in Euang. num. 9. *Penſate, Fratres chariſſimi, poſt Incarnationem unigeniti Filii Dei, qualis ſit hodierna ſolemnitas de adventu Spiritus ſancti. Sicut enim illa, ita quoque & hæc eſt honorabilis. In illa quippe Deus in ſe permanens ſuſcepit hominem: in iſta vero homines venientem deſuper ſuſceperunt Deum. In illa Deus naturaliter factus eſt homo: in iſta homines facti ſunt per adoptionem Dii.*

(c) In Epiſt. Joann. tract. 2. in fin. *Talis eſt quiſque, qualis ejus dilectio eſt. Terram diligis? terra eris. Deum diligis? Quid dicam Deus eris? Non audeo dicere ex me, Scripturas audiamus. Ego dixi: Dii eſtis, & filii Altiſſimi omnes.*

(d) Serm. 350. num. 2., alias de temp. 39. *Ille itaque tenet & quod patet, & quod latet in divinis ſermonibus, qui charitatem tenet in moribus.*

vis mysteriis Euangelicis, projicienda sunt.

X. *Et erudivit me*. Numquam ignis erudit: aliquando, e converso, eruditio ignescit. *Thren.1.* Quanta docet fervor Spiritus? Et quomodo aperit oculos devotio ad videndum, quæ prius non videbamus? Et meditatio, quantum accendit animam? Psalmus: *Concaluit cor meum intra me; & in meditatione mea exardescet ignis*. *Psal.38.* Quando est humor, prius fumat: & consumpto humore, ardet & illuminat. Ita hic ignis in peccatoribus fumat per contritionem. Sed postmodum fulget per intellectum & sapientiam Divinorum. *Gen.15.* Abraham vidit prius clibanum fumantem, & postmodum lampadem ardentem. Spiritus sanctus in cordibus peccatorum excitat lacrymas, in cordibus justorum excitat gaudium. De adventu Spiritus sancti ad animam, Psalmus: *Et intonuit de cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam grando & carbones ignis*. *Psal.17.* Primo, intonat per terrorem, *Eccli.1.* timorem judicii, & inferni. *Initium sapientiæ timor Domini*. Psalmus: *Convertantur in infernum, omnes qui obliviscuntur Deum*; id est: qui non alliciuntur amore, saltem arceantur timore. *Descendant in infernum viventes*, ne descendant morientes. *Psal.54.* Ecce primum tonitru timoris. Post illud sequitur vox inspirationis, & post hanc grando tribulationis, & ad ultimum ignis amoris. *Ignis ante ipsum præcedet*, & comburet omnes *inimicos ejus*; id est: omnes pravos affectus in anima. *Psal.96.* Hic est ille ignis, qui semper ardere debet coram altari, quem Sacerdotes fovere tenentur lignis de sylva, id est: sacris monitis Scripturarum. *Levit.6.* Hunc ignem nos ex corde sicut ex silice excutiamus. Et si non; petamus eum de cœlo. Quatuor ergo hic designantur: scilicet, terrificatio, inspiratio, tribulatio, inflammatio. Sic venit Spiritus. Hæc sunt illa quatuor, de quibus Propheta: *A quatuor ventis veni Spiritus, & insufla super interfectos istos, & reviviscant*. *Ezech.37.*

IN DOMINICAM PENTECOSTES

CONCIO PRIMA.

DE SPIRITUS SANCTI MISSIONE.

Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.
Psal. 103. v. 30.

CONCIO LXXXI.

I. NOn sumus hodie de Spiritus sancti persona locuturi, sed de ejus adventu. De quo gratia illius adjuvante dicemus; propter quid venit; & quomodo venit; tertio quomodo in nobis spiritualiter nunc veniat. Sicut a theologis doctoribus traditur; duplex est Spiritus sancti missio, visibilis, & invisibilis. Missio visibilis est, quæ sub aliquo signo sensibili fit: & sic Spiritus sanctus sub quadruplici forma missus, sive datus legitur. In specie columbæ in baptismo, *Mat.3.* in specie nubis in transfiguratione, *Ibid.17.* in specie flatus post resurrectionem, *Jo.20.* in specie ignis in die Pentecostes. *Act.2.* Unde semper apparuit sub exteriori signo effectui invisibili proportionato. In baptismo namque, quia spiritualis regenerationis negotium agebatur in aquis, fœcundæ avis typum assumpsit. In transfiguratione autem, quia doctor & magister sæculi Christus pronuntiabatur a Patre, cum ait: *Ipsum audite*, nubis roscidæ figuram habuit: ut Euangelicæ doctrinæ pluviam, Ecclesiæ faciem fœcundaturam designaret. Unde quidam *Joel.2.* Propheta: *Filiæ Sion exultate & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum sicut in principio*. Post resurrectionem vero, quia remittendi peccata discipulis facultas præbebatur, quæ sine gratiæ inspiratione non fit, in flatus specie inspirando Spiritus datus est. Nunc autem, quia magistri & prædicatores orbis Apostoli destinantur, ut sapientiæ & eloquentiæ gratia eis collata exteriori signo panderetur, in forma linguæ congruenter apparuit. Sicut in hymno hodierno Ecclesia concinit: *Ignis vibrante lumine, linguæ figuram detulit, verbis ut essent proflui, & charitate fervidi*.

II. Alia est missio invisibilis: qua quotidie Spiritus sanctus electorum cordibus spiritualiter immittitur. De quo Dominus in Euangelio: *Spiritus ubi vult spirat: & vocem ejus audis, & nescis unde veniat, aut quo vadat*. *Jo.3.* Non enim exteriori aliquo signo ejus adventus agnoscitur, sed interiori quodam experimento vox ejus & inspiratio deprehenditur. Nam etsi motio ejus interior, quæ vox in Euangelio nuncupatur, aliquando sentitur, tamen a quo sit illa vox, vel in quem finem tendat penitus ignoratur. O Vocem potentem! quæ interiora nostræ mentis concutit,

cutit, & in viſceribus noſtris flammam ignis accendit. De qua Pſalmus: *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Eſt autem miraculum hoc grande in hac Spiritus infuſione, quod cum a ſpiritu noſtro longe amplius in infinitum diſtet Spiritus Dei, quam quivis alius ſpiritus; nullus tamen ei ſic intime interſeri & uniri poteſt, ſicut ille. Unde neque Angelus Angelo, neque Angelus homini, aut dæmoni, neque dæmon Angelo, aut homini, aut dæmon dæmoni ſic illabi poteſt, ſicut Spiritus ſanctus illabitur menti. Hæc enim intima & veluti ſubſtantialis inhabitatio, unioque ſoli Deo convenire poteſt: qua præſentior & intimior fit animæ, quam ſit ipſa ſibi. Unde Bernardus (*a*): Illud autem ſcitote, nullum creatorum ſpirituum per ſe noſtris mentibus applicari, ut videlicet nullo mediante noſtri, ſuive corporis inſtrumento, ita nobis uniatur, & infundatur, quo ejus participatione docti ſive doctiores, boni ſive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis eſt: nullius ego capax: neque ipſi Angeli ita ſe alterutrum capiunt. Sequeſtretur proinde prærogativa hæc ſummo & incircumſcripto Spiritui. Hæc Bernardus. Deprehenditur autem a nobis multipliciter hic illapſus. Scilicet: devotionis fervore, intelligentiæ claritate, mentis inenarrabili dulcedine: cordis dilatatione, hiantis animæ deſiderio, operis mira facilitate: quibus veluti indiciis præſentia Spiritus innoteſcit; quæ multo melius eſſet ſentire, quam dicere: poſſidere, quam exponere.

III. Sed quænam fuit ratio, quæ cauſa, ut poſt vivificam illam Spiritus infuſionem in flatu, iterum Spiritus mitteretur in igne? Hoc nunc tractemus, hoc in ſermonis exordio propoſuimus. Cujus rei tres potiſſimas invenio cauſas. Prima, quam divus Bernardus (*b*) aſſignat; ut Trinitatis myſterium hominibus innoteſceret. Erat namque ex operibus creationis ſatis agnitus Deus Pater: ex ipſa etiam incarnatione & miraculis Filius aliqualiter innotuerat: quid ſupererat, niſi ut Spiritus ſanctus viſibili aliquo ſigno monſtraretur, ut illius notitia haberetur in mundo? inter omnes enim divinas Perſonas Spiritus ſanctus occultior habebatur. Quæ enim gens tam barbara & ruſtica, ut Deum omnino neſciat? & per hæc viſibilia, quæ cernimus, conditoris omnipotentiam non intelligat? *Inviſibilia enim Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur.* De Verbo autem Dei, non ita communis & vulgaris notitia erat: niſi quod philoſophorum peritiſſimi, neſcio quo lumine, ad ipſum attigerant, ſuſpicando magis, quam comprehendendo. Hermes enim ille Triſmegiſtus (*c*) philoſophus antiquiſſimus de Verbo Dei librum edidiſſe dicitur: & Plato philoſophorum omnium maximus, Auguſtino authore (*d*), eouſque in Verbi cognitionem profecerat, ut eadem quæ Joannes in ſui Euangelii exordio, de Verbo Dei, licet aliter protulerit. Sed de Spiritu ſancto, nulla uſpiam apud philoſophos, aut vulgares, facta eſt mentio, propterea, ut opinor, quia productio illa, qua Spiritus ſanctus producitur; nullam habeat in natura ſimilem: cum enim a Patre naturam ſicut & Filius accipiat, & ei conſubſtantialis ſit, & conſimillimus: neque tamen ejus productio generatio eſt. Neque ipſe productus eſt Filius, ſed Spiritus ſanctus dicitur: quia ſpiratione non generatione producitur. Hujus rei nulli philoſophorum vel levis unquam ſuſpicio ſuboriri potuit: quoniam longe ſit ab omni ſenſu iſta productio. Unde apud Exodum (*e*): Magi Pharaonis deferunt in tertio ſigno, quia mundi ſapientes de Spiritu ſancto nullam omnino habuere notitiam.

IV. Vide quam neceſſaria hæc Spiritus manifeſtatio fuerit, ſine cujus cognitione neque fidelibus vita eſt. *Hæc eſt autem vita æterna: ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti* Jeſum Chriſtum. Fuit etiam hoc aliunde neceſſarium, ut Dei pietatem, benevolentiam, charitatem, quam hominibus exhibuerat Spiritus declararet: & quan-

Pſal. 28.

(*a*)

(*b*)

Rom. 1.

(*c*)

(*d*)

Exodi 8. (*e*)

Jo. 17.

(*a*) Serm. 5. in Cant. num. 8. ipſa ſunt S. Bernardi verba, pauculis immutatis, quæ tamen ſenſum minime variant: verba ipſa, prout in Bernardo leguntur, dabimus in notis ad Concion. in Dom. 3. poſt Pentec.

(*b*) Serm. 1. in Feſto Pentec. num. 1. *Hodie Spiritus ſanctus revelat nobis aliquid de ſe ipſo, ſicut ante de Patre, & Filio aliquid noveramus, nam perfecta Trinitatis cognitio, vita æterna eſt.*

(*c*) Hunc Moyſe antiquiorem tradunt plerique. Varia ejus Opera a veteribus Scriptoribus memorantur, quæ tamen non extant. Bina ſuperſunt, nimirum: *Pymander*, & *Aſclepius*, in quibus aliqua Chriſtianæ Religioni conſona deprehenduntur; verum Pſeudepigrapha ea eſſe, & a Chriſtiano aliquo, aut ſemichriſtiano primi, vel ſecundi ſæculi, ſub Mercurii Triſmegiſti nomine conficta, ſentiunt jam nunc Critici omnes. Pymandrum integrum, & Aſclepium ex parte, ingenti ſex voluminum in fol. apparatu Commentariis illuſtravit Hannibal Roſellus. Aſclepium latinitate donavit Apulejus. Vide Petavium de Theol. dogm. tom. 2. lib. 1. cap. 2.

(*d*) Adeo probata ſunt Platonicis, quæ a S. Joanne initio ſui Euangelii proferuntur, ut S. P. Auguſtinus, de Civit. Dei lib. 10. cap. 9., ſæpe a Simpliciano Mediolani Archiepiſcopo ſe audiviſſe narret, quemdam ex Platonicis dixiſſe: aureis litteris conſcribendum Euangelii hujus initium, & per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum. Vide hac de re notam ad Concionem in Dominicam infra Oct. Aſcenſ.

(*e*) Hoc ipſum diſertis verbis habet S. Parens Auguſtinus Quæſt. in Exod. lib. 2. quæſt. 25., ubi ignorantiam Philoſophorum de Spiritu ſancto ſignificatam aſſerit per defectionem Magorum in tertio ſigno. *Commendatur enim*, inquit, *fortaſſe Trinitas, & quod verum eſt ſummi Philoſophi gentium, quantum in eorum litteris indagatur, ſine Spiritu ſancto philoſophati ſunt, quamvis de Patre, & Filio non tacuerint, quod etiam Didymus in libro ſuo meminit, quem ſcripſit de Spiritu ſancto.* Aliquid de hoc habet S. Parens etiam Serm. 8. num. 14. in edit. PP. Congreg. S. Mauri.

& quantum Deo homines debeant ejus lumine noſceretur. Unde Apoſtolus: *Nos*, inquit, *non ſpiritum hujus mundi accepimus*, 1. Cor. 2. *ſed Spiritum qui ex Deo eſt: ut ſciamus, quæ a Deo donata ſunt nobis.* Opus enim illud inſigne Verbi incarnationis, & humanæ redemptionis, non aliter mundo innoteſcere potuiſſet, niſi hanc Spiritu Dei homines illuſtrati didiciſſent. Ille Scripturas quas ore prophetico protulerat, expoſuit: ipſe myſteria & figuras quas olim præmiſerat, declaravit: illo magiſtro & doctore, homines arcana cœleſtia didicere. Quid autem nobis redemptio, quid incarnatio, quid paſſio non agnita profuiſſet: unde hujus adventus utilitatem & finem Dominus inſinuans, ait: *Cum* Jo. 15. *venerit ille Paraclitus, ille teſtimonium perhi-* Ibid. 16. *bebit de me, ille me clarificabit, ille docebit vos omnem veritatem. Non loquetur autem a ſemetipſo: ſed quæcunque audiet loquetur: & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis.*

V. Ex quibus verbis, in veritatis lumen & magiſterium hunc Spiritum fuiſſe demiſſum, apertiſſime conſtat. O mirificum doctorem! Quis ita docet ut hic Spiritus? Una ſola prælectione Diſcipulos conſummavit, & ex rudibus piſcatoribus doctiſſimos ac eloquentiſſimos prædicatores fecit. Unde Gregorius (*a*) hujus magiſterii potentiam admiratus exclamat. O qualis eſt iſte artifex Spiritus, nulla ad diſcendum mora indiget, ſed in omne quod voluerit, mox ut tetigerit mentem docet: ſolumque tetigiſſe, docuiſſe eſt. Implet namque citharœdum puerum, 1. Reg. 16. & Pſalmiſtam facit: implet paſtorem armentorum, ſycomoros vellicantem, & Prophetam facit: implet abſtinentem puerum, & Amos 7. Daniel 13. Judicem ſenum facit: implet piſcatorem, & Mat. 4. prædicatorem facit: implet perſecutorem, & Act. 9. gentium doctorem facit: implet publicanum, Lucæ 5. & Euangeliſtam facit. Neſcit enim tarda molimina Spiritus ſancti gratia. Si quid ergo in Eccleſia ſapientiæ & intellectus, ſi quid virtutis & gratiæ, ſi quid ſanctitatis & decoris, omnia ab iſto fonte prodiere. *Di-* 1. Cor. 12. *viſiones* enim gratiarum *ſunt, idem autem* Spi- Epheſ. 4. ritus: *ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.*

VI. Venit etiam viſibiliter alia non minori ratione; ut videlicet, opera quæ Chriſtus in mundo inchoaverat, ſua virtute conſummaret, ſicut ſcriptum eſt: *Confirma hoc* Pſal. 67. *Deus, quod operatus es in nobis a templo tuo, quod eſt in Jeruſalem:* ad hoc namque Filius Dei in mundum venerat ut filios hominum faceret Dei filios, & ſuæ gloriæ cohæredes. *Ut eſſet ipſe primogenitus in mul-* Rom. 8. *tis fratribus.* Unde Joannes Euangeliſta poſtquam Verbi Dei gloriam expreſſerat, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum;* hujus Jo. 1. Verbi incarnationem deſignans, adjungit: *Et Verbum caro factum eſt.* Et hujus incarnationis, veluti rationem utilitatemque deſcribens, ait: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Ac ſi diceret: Filius Dei factus eſt homo, ut filios hominum filios Dei faceret. Hæc generatio divina in naturali Filio Dei inchoata eſt ab ipſo. Apoſtoli & Diſcipuli, veluti ſemina quædam, & ova in nido relicta ſunt, ex quibus iſta generatio pullularet. Unde Iſaias: *Omnes qui viderint eos*, dicent; *quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Domi-* Iſaiæ 61. *nus.* Et iterum: *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* Ibid. 1.

VII. Venit itaque Spiritus ſanctus, & Apoſtolos veluti ova ſuperincubans eos fovit; & novam quandam generationem eduxit, unde omnis iſta fidelium multitudo propagata eſt. Lucæ 1. Sicut enim ex Maria Virgine Spiritus ſancti opere Filius Dei conceptus & natus eſt, ita etiam ex virgine Eccleſia Spiritus ſancti virtute, hæc filiorum Dei generatio nata eſt. Quid namque aliud cœnaculum illud fuit, Act. 1. niſi Eccleſiæ ſanctæ uterus, unde ex veteribus hominibus nova Spiritus ſancti proles ſubito formata eſt? O pulcherrimam ſobolem! O decoram nimis generationem! O quomodo in novam creaturam ex veteri commutati ſunt! Admiratur Iſaias ſubitam iſtam propagationem, dicens: *Quis audivit unquam ta-* Iſaiæ 66. *le? & quis vidit huic ſimile? Nunquid parturiet terra in die una, aut parietur gens ſimul? quia parturivit, & peperit Sion filios ſuos? Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus?* Admiratur Propheta & merito, quia ſubito uno partu, generatio tam multa ex Sion utero nata eſt: non quidem *ex ſanguinibus,* Jo. 1. *neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed*, ſicut Euangeliſta ait, *ex Deo nati ſunt.* Hoc eſt quod Pſalmographus in prothemate noſtro ait: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur. Creabuntur*, inquam, ideſt, regenerabuntur ex veteribus novi homines, *& renovabis faciem terræ:* nam ipſa terra ſuo etiam tempore renovabitur. Apoſtolum audi: *Salvatorem expectamus Dominum noſtrum* Philipp. 3. *Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.*

VIII. Sed quando anima renovata eſt per Spiritum, caro etiam ſuo tempore renovabitur. Creati ergo ſunt hodie ex veteribus Spiritu Dei novi quidam homines: non quales

(*a*) Uſque ad ea verba, *implet publicanum, & Euangeliſtam facit*, Gregorius eſt qui loquitur Homil. 30. in Euang. num. 8. Ordine tamen inverſo teſtimonium hoc a S. Oratore adducitur, nam prima periodus hic recitata, poſtrema eſt apud Gregorium. Idem adnotavimus ad Concion. in Domin. 4. poſt Paſcha. Similia habet Chryſoſtomus Serm. de Pentec.

les natura a principio ex Adam propagare consueverat, sed cœlestes, sed divini: per quos nova quædam filiorum Dei propagatio in divinam quandam pulchritudinem coalesceret. Cujus quidem propagationis olim in lege figura illa vulgatissima præcesserat, de fratre defuncti fratris sobolem suscitante, non suo quidem, sed fratris sui nomine nuncupandam, quam in Christo impletam fuisse Euangelicæ historiæ textus insinuat. Nam post resurrectionem suam Christo jam in vitæ novitatem a mortuis suscitato, ad Apostolos suos mulierem sanctam mittit, cui talia mandat: *Vade ad fratres meos & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum.* O magnum absconditumque mysterium! Vix eos usquam in toto Euangelio fratres nuncupaverat, sed amicos, Discipulos, aut socios: nunc vero, quia regenerandi tempus advenerat, debiti officii ex fratris vocabulo eos admonet. Quasi dicat: Dic ad fratres meos, ut meminerint quia fratres sunt, ut proprii muneris recordentur: ut ita mecum agant, sicut boni fratres. Ecce enim ad Patrem defunctus sine prole conscendo: meminerint ut fratri suo semen suscitent in Ecclesia. O egregium fratrem Paulum, quam multam Domino & fratri suo sobolem generavit! Unde ad eos ait: *In Christo Jesu per Euangelium ego vos genui.* Et iterum: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur in vobis Christus.* Neque suo quidem, sed defuncti fratris nomine, genitam a se prolem Apostoli nuncuparunt. Non enim Petrinos, aut Paulinos, sed Christianos, conversos a se fideles appellaverunt. Sicut scriptum est in Psalmo: *Filiæ Regum in honore tuo.* Quam graviter, quam acerbe Paulus increpat quosdam indignatus, qui dicerent: *Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Christi. Divisus est Christus? numquid*, ait, *Paulus crucifixus est pro vobis?* Divisus est Christus bonus frater, qui non sibi ex aliena uxore susceptam prolem usurpat? Videant prælati, caveant Episcopi, quibus suscitandæ hujus sobolis officium datum est, ne ab officio vacent. Caveant etiam prædicatores, quibus divinitus sacri verbi fœcunditas data est, ne huic fratri semen ex sponsa ejus suscitare aut negligant, aut dissimulent, ne grandi sua ignominia, eis calceus cordis, idest Spiritus sancti gratia auferatur, & in faciem a neglecta fratris uxore coram omnibus spuatur, & dicatur eis: *Sic fiet homini qui non ædificat domum fratris sui.* Proprium namque amittere promeretur honorem, qui cum possit & debeat Domini & fratris sui gloriam non quæsivit.

Deut.25. Jo. 20. Ephes.3. Galat.4. Psal.44. 1. Cor.1. Deut.25.

IX. Sed cur in die Pentecostes Spiritus sanctus missus est? Nunquid vacat hoc mysterio? Imo magno hoc sacramento factum est, ut eadem die & lex, & legis consummatio mitterentur. Lex in Sina, Spiritus in Sion, utrumque in monte, utrumque in igne, utrumque in sonitu, & majestate. *Et lex quidem per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* O quantum interest inter legem & legem! Dedit ille legem tabulis deformatam & mortuam, quæ homines ligaret, potius quam solveret, gravaret quam juvaret, occideret magis quam vivificaret: Christus vero legem suam non tabulis inscribit, sed cordibus intus infundit: non largitur Christus Ecclesiæ suæ Euangelium litteris in codice deformatum, sed vivificantem Spiritum, qui & mentem illuminet, & omnem doceat veritatem. Euangelium vivum, legem igneam, sanctificantem virtutem, quæ non solum quid agendum instrueret, sed ad implendum juvaret. Quam aperte hoc olim Propheta prædixerat? *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum: Non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.*

Exodi 19. Jo. 1. Exodi 34. 2. Cor. 3. Jo. 16. Jer. 31.

X. Quid de Spiritu sancto apertius, quid clarius aut promitti, aut prophetari potuit? Fuerat enim hoc olim præfiguratum in duplici illa legislatione: dederat namque Dominus Moysi tabulas digito Dei formatas & scriptas, quas Dei famulus ira percitus propter vitulum in radice montis confregit. Neque a Domino dictum est ei, cur ita fecisti? Propter quid, obsecro, super hoc non est a Domino reprehensus, nisi quia in mysterio facta sint omnia? Præceptum est ei rursus jejunare, iterum montem conscendere & decidere tabulas quas Deus insculperet. O Domine! Cur non tu eas sicut priores efficis, & largiris? Non, inquit, ita faciam, sed tu eas dola, & ego scribam eas: ut sic daretur intelligi, bis legem a Deo hominibus præstandam esse: & priorem quidem illam non semper duraturam, sed propter populi malitiam aliquando cessaturam: secundam vero legem perpetuam & æternam, ad quam homo de proprio, tabulas cordis ponat, quas Deus inscribat: nam in priore quidem lege nihil de suo posuerat homo. Non attendis mirabilem institutionem? Vivos codices, id est Apostolos Spiritu Dei exaratos & inscriptos, Ecclesiæ suæ Christus legendos transmittit: in quibus Dei populus non solum doctrinæ magisterio, sed etiam opere & exemplo videndi normam legat: ut qui nescit legere Euangelium in libro, legat illud in Sancto. Hæc enim lectio utilior multo & efficacior est: valde namque melius Euangelium legitur in Sancto quam in libro, & visa quam audita vitæ forma mortalium animos magis movet. Qualis autem

Exodi 32. Ibid. 34.

tem

tem hæc fuerit hominum inſtitutio, rei exitus manifeſtat: brevi namque temporis ſpatio, talibus exemplariis ad veram fidem univerſus pene orbis converſus, & a pravis ſuis moribus immutatus eſt. *Conturbati ſunt omnes qui videbant eos, & timuit omnis homo.* Pſal. 63. Tanta erat in eis vitæ ſanctitas: morum gravitas, prodigiorum poteſtas, doctrinæ, ſapientiæque auctoritas.

XI. Die itaque illo ſancto, cum innumera populi multitudo in Jeruſalem, propter diei ſolemnitatem, more ſolito conveniſſet, & Diſcipuli omnes in cœnaculo cum Virgine ſacra unanimiter orarent: tertia diei hora e cœlo ingens ſonitus, & terribilis quidam & inauditus fragor factus eſt, tamquam tonitruum, & tamquam Spiritus quidam vehemens; & irruens ſuper eos, lumine, claritate, fragrantia, & odore divino replevit totam illam domum, ubi erant ſedentes. Cum enim Dominus ad cœlum levaretur, acceperant in mandatis, ab *Jeroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent virtutem ex alto,* Act. 1. quæ eos & ſapientia perficeret, & fortitudine roboraret. Apparuerunt etiam ſuper eos linguæ quædam ignitæ, viritim ſingulæ ſingulos ſuper inſedentes, & calore illo Spiritus vivifico corda eorum perfuſa ſunt. Flagrant igne divino viſcera. Et ſicut vaſa argentea in camino ardenti, ſic Spiritu Dei homines illi inflammati ſunt. Bone Deus! Quis pectoris æſtuantis ardorem, ſuavitatem, dulcedinem, & enthuſiaſticas illas dulcedines, quas viri iſti hac ora experti ſunt, dicere ſufficiat? Quæ lingua, qui ſenſus in hujus tam mirabilis ſpectaculi enarratione non ſuccumbat? Subito quippe commutati ſunt in viros alteros, mutante illos Deo: & ſic a ſeipſis alterati ſunt, ut neque ipſi cognoſcerent ſemetipſos. Stupebant de eis omnes, qui videbant eos: ſed & ipſi de ſeipſis amplius mirabantur. Ingreſſi ſunt enim terreni, exierunt cœleſtes: ingreſſi ſunt carnales, exierunt ſpirituales: ingreſſi ſunt idiotæ, exierunt ſapientes: ingreſſi ſunt timidi, exierunt fortes: ingreſſi ſunt tepidi, exierunt ardentes: ingreſſi ſunt rudes piſcatores, exierunt eloquentes prædicatores.

XII. O magnum ſtupendumque prodigium! O ſublimem & admirabilem ſæculis mutationem! Omnis quippe illa vetuſti ac terreni hominis rubigo, illo flagrantiſſimo incendio conſumpta eſt: & ſicut in fornace excoquitur argentum, ſic ab omni corporis & mentis contagio excocti ſunt, purificante eos Spiritu, cujus ignis eſt in Sion, & caminus in Jeruſalem. Unde Propheta: *Ipſe quaſi ignis* Malach. 3. *conflans, & quaſi herba fullonum: & ſedebit conflans, & emundans argentum: & purificabit filios Levi.* Et Pſalmographus apertius: *Dum diſcernit cœleſtis reges ſuper eam,* Pſal. 67. *nive dealbabuntur in Selmon,* monte Dei, monte coagulato, monte pingui, monte *in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.* Nos enim a peccatorum ſordibus aqua mundamur, illi autem, quia non ſolum a ſordibus, ſed etiam ab omni fomite, & contagio peccati penitus purificabantur, igne luſtrati ſunt: Sic Joannes prædixerat ante: *Ego quidem baptizo vos in aqua: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni.* Mat. 3. Fit concurſus plebis undique curſitantis ad ſpectaculum iſtud: & videntes illos ſupra modum mirabantur dicentes: *Nonne omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt?* Act. 2. Et quomodo nos *audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?* Neque ſolum in linguarum varietate admiratio erat; ſed multo magis in ſapientia & myſteriis, quæ ex ore ipſorum procedebant, attoniti ſtupebant. Neque tamen ſic invidorum perfidia convicta conticuit; ſed muſto plenos illos eſſe dicebant: & ita erat. Illo muſto pleni erant, de quo Salvator eis prædixerat, quod in utres novos & non veteres & putridos mittendum ſit, ne rumpantur. Mat. 9. An non muſto pleni, qui in convitiis & contumeliis gaudebant: *Quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati?* Act. 5. Quos neque parentum, neque uxorum, neque filiorum ululatus & lacrymæ poterant avertere, ne atrocibus tormentis, & diræ morti propter Chriſtum & fidem exponerent ſemetipſos? Ebrios quippe cœleſti vino, & a terrenis omnibus alienatos nulla proſperitas alliciebat, nulla adverſitas deterrebat. O vini potentiam inæſtimabilem! O muſti fervorem immenſum! Inter candentes prunas & micantes gladios, inter ſtridentes feras & rugientes leones, inter laniantes ungulas, diſcerpentes equuleos lætabundi, laudes & gloriam Chriſto Domino decantabant.

XIII. Petrus ergo audito Phariſæorum murmure, indicto ſilentio, magna auctoritate populum ſic alloquitur: *Viri Judæi, & qui habitatis Jeruſalem univerſi, hoc vobis notum* Ibid. 2. *ſit, & auribus percipite verba mea. Non enim, ſicut vos exiſtimatis, hi ebrii ſunt, cum ſit hora diei tertia: ſed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Joel: Et erit in noviſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ: & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. Et quidem ſuper ſervos meos, & ſuper ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt.* Pluribus quoque aliis teſtimoniis Chriſtum verum eſſe Dominum, & Meſſiam conteſtatus eſt. Quo audito: o linguam vere ignitam! fere tria hominum millia ad fidem converſa ſunt: & compuncto corde animarum ſuarum remedium poſtulabant. Alio etiam ſermone poſtridie quinque millia converſa ſunt. Et ita Eccleſia brevi tempore in grandem fidelium numerum adducta eſt. O ſi nunc unam talem linguam haberet Eccleſia! Heu frigida lingua ignitum ſermonem proferre non valet! Et quoniam Spiritu Dei prædicatores non incaleſcimus, auditorum corda minime inflammamus.

XIV.

XIV. Qualis vero illorum neophitorum conversio erat, & quanta mutatio? Audeo dicere, non tales sunt hodie qui religionem arctissimam profitentur. Venditis enim statim omnibus quæ habebant, pretium eorum ad pedes Apostolorum ponebant, & in commune vivebant, multo majori & arctiore obedientia Apostolorum, quam sit hodie in claustro obedientia prælatorum. Denique Di-
(a) vus P. Augustinus (a) religionem suam horum imitatione perfecit, satis existimans ad veram religionem, si sui fratres illorum primitivorum sæcularium institutionem & regulam sequerentur. Quæ illis devotio, qualis pax, quanta concordia, dicere quis sufficiat? *Mul-*
Act. 4. *titudinis credentium*, ut ait Lucas, *erat cor unum, & anima una; neque quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Magno devotionis fervore loca sancta visitabant; jejunabant assidue; indesinenter orabant; Scripturas sanctas indefesse legebant; Apostolorum doctrinam attentius audiebant; pietati & contemplationi quiete vacabant; proximorum necessitatibus prout poterant succurrebant; affluenter coram Domino preces cum lacrymis effundebant; pie conquerentes, & devote clamantes. O Domine! *Cur fecisti no-*
Lucæ 2. *bis sic?* Quare sic delusi sumus, ut non agnosceremus te? Cur præsentem non agnovimus majestatem? Ut quid datum non est tua dulci præsentia frui, sacris hærere vestigiis, divinas osculari manus, suaves percipere & intelligere voces? Heu non satis notus abiisti! Et ubi nunc quæremus te? O cæcitatem nostram! O densissimas cordis nostri tenebras! Quomodo non vidimus, quomodo non cognovimus, quomodo non intelleximus? Dum in conspectu nostro cæcos illuminares, mor-
Mat. 12. tuos suscitares, leprosos mundares, ægrotos
Lucæ 7. curares, obsessos liberares, aquas siccis pe-
Ibid. 17. dibus calcares, mari & tempestatibus impe-
Ibid. 6. rares: ubi eramus, quando hæc faciebas,
Mat. 9. quando docebas nos, & secreta cœlestia dis-
Ibid. 14. serebas? Heu gloriam nostram blasphemavi-
Ibid. 8. mus, bonum nostrum crucifiximus, Deum nostrum crudelibus tormentis & morte affecimus. O inexpiabile scelus, o facinus inauditum! Parce Domine, ignosce Domine, miserere Domine, quoniam per ignorantiam
Act. 3. fecimus, majestatis & gloriæ tuæ potentiam ignorantes!

XV. Hæc & similia, ut existimo, crebris singultibus, & fusis lacrymis sæpius repetebant. Mirum prodigium & nunquam satis pro merito ponderatum: illum, quem paucis ante diebus tam atrociter occiderant, quem conspuerant, illuserant, blasphemaverant, & inter latrones medium crucifixerant, in eadem civitate, coram eisdem pontificibus & judicibus, non solum verum esse Messiam, sed ut verum Deum & Dominum cum omni devotione venerabantur, & toto animi desiderio adorabant & colebant. An non dexteræ Excelsi mutatio hæc? Quis tam repentinam cordium mutationem facere po- Psal. 76.
tuerat, nisi Deus? Quam aperte hoc prius Propheta prædixerat: *Venient*, inquit, *ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te;* Isaiæ 60.
& adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi. Quomodo tunc confundebatur malitia iniquorum? Quomodo delusa est nequitia invidorum? Stridebant in eos dentibus sacerdotes: & quo acrius in eos furebant, eo amplius eorum fides & virtus invalescebat. *Augebatur* indies *credentium in Domino multitudo.* Et Christi gloria in invi- Act. 5.
dorum oculis excrescebat. Quo gaudio tunc Virgo sacra exultavit? Quanta lætitia ejus animus perfusus est, cum prodito incarnationis mysterio, & patefacto redemptionis humanæ sacramento excrescentem Christi Filii sui fructum in Ecclesia vidit? Confluebant ad eam undique Christiani, videre sanctuarium Domini, sacrosanctam Deiparam, Genitricem Virginem, Deo charam, super omnes fœminas benedictam, virtutis regulam, sanctitatis formam, totius honestatis unicum decus & exemplar; cujus vita, & magisterio in suo primordio Ecclesia Dei illustrata est supra modum, & indies ejus merito & fervore augebitur, & prosperabitur usque in finem sæculi, & sempiterna sæcula. Hæc de historia.

XVI. Nos quoque, Fratres, si ad modum Apostolorum renovari cupimus, si ex veteri homine in novam creaturam mutari desideramus, hunc Domini Spiritum jugiter flagitemus. Hic enim recreator & innovator est mentium; sine hoc frustra laborat omnis industria; si diebus ac noctibus cum omni solicitudine, & diligentia perfici satagas, sine Spiritu Dei, non efficies. Frustra conatur animus si non adest Spiritus; experientia didici, quia sicut non potest homo capillum capitis sui album facere, aut nigrum, sic, quo spiritualior fieri conor, eo carnalior invenior. Desperavi itaque de me ipso, videns, quia nihil proficio, & hoc solum mihi reliquum est, levare *oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi: auxilium* autem Ps. 120.
meum a Domino, qui fecit cœlum & terram. Expectans expectavi Dominum, ut intendat Psal. 39.
mihi: ut exaudiat preces meas, & educat me de lacu miseriæ, & de luto fœcis. Laboravi Psal. 68.
clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum vivum. Et quæ est omnis deprecatio mea apud te Domine? *Quid mihi est in cœlo? & a te* Psal. 72.
quid umquam *volui super terram?* Quid aliud clamo, quid aliud quotidie a te postulo, nisi, emitte Spiritum tuum Domine & reno- Ps. 103.
va faciem terræ hujus cor novum, & spiri- Ezech.
tum novum da mihi Domine Deus meus, 11.

ut

(a) Possidius ejus Vitæ cap. 5. *Factus ergo Presbyter, monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei servis vivere cœpit secundum modum, & regulam sub Sanctis Apostolis constitutam.*

ut efficiar coram te nova creatura. Sed non facile eſt ſpiritum obtinere: pretioſum balſamum eſt, & non datur niſi optanti. Unde Pſalmus: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Pſ. 113. Os cordis hiatus deſiderii eſt, quo Spiritus Domini attrahitur invocatus. Sic eum invocabat quæ dicebat: *Surge aquilo, veni auſter;* Cant. 4. id eſt, *a quatuor ventis veni ſpiritus, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Ezech. 37. Quod ſi multis lacrymis expetitus, crebris ſuſpiriis & obſecrationibus invocatus, aſſiduis bonorum operum fructibus promeritus, vix poſſidetur; quando dabitur contemptoribus?

XVII. Triplicem Spiritum in Scripturis invenio. Scilicet, Spiritum Dei, ſpiritum mundi, & ſpiritum carnis. Hos duos abjice, ut poſſideas primum. Valde enim contrarii ſunt, neque eos unum capit habitaculum. Si quis negotiis ſæcularibus implicatur, ſi quis illecebroſis turpitudinibus ſordidatur, in hunc Spiritus Dei non intrat: hunc Spiritus ſanctus non inhabitat; quoniam quietis & puritatis amator eſt. Quietam & mundam manſionem offerat, qui eum cordis ſui domicilio hoſpitari deſiderat. Unde & in hac die, non niſi quietis & pacificis, & pariter confidentibus datus eſt. Sic enim Lucas ait: *Dum complerentur dies Penteco-* Act. 2. *ſtes, erant omnes pariter in eodem loco, & factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes.* Ex quibus verbis quomodo ad hujus ſpiritus adventum te diſponas adverte. Compleantur in te primo dies Pentecoſtes, ut poſt longam delictorum pœnitentiam jubilei plena remiſſio concedatur. *Quoniam in animam malevolam non* Sap. 1. *introibit Spiritus ſapientiæ: neque habitabit in corpore ſubdito peccatis: Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe a cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur a ſuperveniente iniquitate.*

XVIII. Primo ergo ab omni peccato mundanda eſt conſcientia, deinde cum fratribus quærenda concordia. Unde ſequitur: *Erant* Act. 2. *omnes pariter in eodem loco:* ipſe enim *inha-* Pſal. 67. *bitare facit unius moris in domo.* Nam & un- Pſ. 132. guentum illud capitis *quod deſcendit in barbam, barbam Aaron*, uſque ad *oram veſtimenti ejus*, quibus largiatur attende: *Ecce* Ibidem. *quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in unum.* Deus pacis eſt, & diſſidentibus non cohabitat. Unde Apoſtolus: *Habete* 2. Cor. 13. *pacem, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum.* Neque ſufficit ſi aliis es pacificus, niſi fueris etiam tibi ipſi quietus. Super Iſaiæ 66. quem enim requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum, & timentem ſermones meos. Unde loquitur: *Replevit to-* Act. 2. *tam domum ubi erant ſedentes.* Cave ne foris ſedeas: nam, ſi extra domum Dei ſederis, Spiritum Dei non accipies: *Nemo enim* 1. Cor. 12. *in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jeſu.* Videant hæretici, & attendant ubi ſunt: quoniam cum extra domum Dei ſunt, procul dubio Dei Spiritum non participant. Quæ autem ſit iſta domus Apoſtolus diſcipulo ſuo ſatis aperte denuntiat, dicens: *Ut* 1 Tim. 3. *ſcias quomodo te oporteat in domo Dei converſari quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Extra domum es, o Luthere, ab ovili diviſus es: & dicis anathema Jeſu. In populo Dei diviſionem & ſciſſuram facis, non te inhabitat Spiritus Dei: non in Spiritu ſancto, ſed in ſpiritu phantaſtico loqueris. Alia contra te argumenta non quæro: ſufficit mihi quia fratribus non cohæres, non es pariter in eodem loco, non ſedes in domo Dei cum cæteris, ſed foris clamitas. Soli non datur Spiritus, ſingulari non conceditur gratia. Qui enim ſingularis videri vult, ſuperbus eſt. Et *Deus* 1. Petr. 5. *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Cavete igitur, Fratres, ab iſta peſte. Eccleſiam Dei Catholicam & Apoſtolicam amplectimini. In ea quieti manete: ut cum Apoſtolis, Spiritu Dei ſuſcepto, per viam veritatis incedentes, in cœleſtem illam beatitudinem perducamini: quam nobis præſtare dignetur, qui pignus æternæ hæreditatis Epheſ. 1. Spiritum ſuis concedere dignatus eſt. Cui cum Patre & eodem Spiritu ſancto eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN DOMINICAM PENTECOSTES CONCIO SECUNDA.

DE MISSIONE SPIRITUS SANCTI, ET DE EFFECTIBUS MISSIONIS.

Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.
Pſal. 103. v. 30.

I. SIcut ſe habet ars ad naturam, ita natura & ars ad gratiam. Sic ſe habet ars ad naturam, ut ait Ariſtoteles (*a*), quod ars imitatur naturam in quantum poteſt. Nam pictor depingit pſittacum, dat ei ſimilem figuram, ſimiles colores, ſimiles oculos, &c. Sed, nunquid poterit depingere cantum ejus? Nunquid poterit depingere crocitum? Utique non poterit: quia illud eſt naturæ opus, non artis. Similiter poterit depingere equum, & ejus ferocitatem, & ejus pulchritudinem, ſed non agilitatem, non hinnitum. Similiter de pomo cujus rotunditas & color depingi poſſunt, ſed non odor, non ſapor: nam iſta naturæ munera ſunt, non artis. Ita etiam eſt de natura & arte, ſi comparentur ad gratiam. Poteſt ingenium

* CONCIO LXXXII.

(*a*)

(*a*) Meteor. lib. 4. cap. 3. circa finem: *Ars enim ad naturæ imitationem ſe componit.* Idem habet Phyſicor. lib. 2. cap. 2.

genium vivaciſſimum reperire rationes fortes, & perſuaſiones, & argumenta ſubtilia de his, quæ pertinent ad ſalutem animarum. Et ars ipſa rhetoricæ, vel dialecticæ, vel alia ſcientia eaſdem rationes componere & ornare, ut loquatur quis diſerte, ornate, ſapienter: ſed, movere corda, incitare corda, levare corda, hoc gratiæ eſt donum, non naturæ officium. Hoc non ab arte, non a natura petendum eſt, ſed a Spiritu ſancto. *Omne* quippe *datum optimum & donum perfectum deſurſum eſt*, & ſurſum rapit corda. Et hoc eſt, quod petimus in themate: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*. Corda renovabuntur, inflammabuntur. Et quoniam Virgo Maria Regina gratiarum eſt, ab ipſa petamus hanc gratiam.

Jacob. 1.

Pſ. 103.

AVE GRATIA PLENA.

II. Solent mercatores adducere, quæ deſunt, & reportare, quæ ſuperſunt, &c. Ante Incarnationem non erat contractio inter cœlicolas & terrigenas. Nam in cœlo erat Spiritus, ſed ſanctus. In terra erat caro, ſed corrupta. Nolebant Angeli talem mercaturam. Venit Filius Dei, purificavit carnem, & accepit ſanctam carnem, & ſanctificantem. *Quod enim ex te naſcetur Sanctum*. Hanc cœlicolæ diligentes, petunt fieri commutationem. Caro ſancta reportatur in cœlum, Spiritus ſanctus deſcendit ad terras. Ut ſcilicet vinum quod in apothecis cœleſtibus redundabat, & Spiritus illos inebriabat Angelicos, etiam nunc Apoſtolos inebriaret in terra, Muſto madere deputant, quos Spiritus repleverat. O quanta rerum permutatio, ait Chryſoſtomus (*a*)! Terra hodie cœlum effectum eſt. Homines hodie Seraphicos videmus in terra, Spiritu pleniſſimos, ſimiliter Angelicis choris caro ſancta infertur; ipſam adorant, ipſam venerantur. Denique, tremunt videntes Angeli, verſam vicem mortalium. O Angeli hæc a nobis accepiſtis, rependite Spiritum. Et tu Domine, qui carnem ſuper æthera collocas, *emitte Spiritum tuum, & creabuntur*. Duæ partes. Prima de Spiritus ſcilicet miſſione: *Emitte Spiritum tuum*. Secunda pars de effectu iſtius miſſionis: *Et creabuntur*. Et, quoniam loqui ad intentionem Spiritus ſancti maxime convenit *ſecundum* P. Auguſtinum (*b*), *libro de Doctrina Chriſtiana*; videamus quid Spiritus ſanctus in illo Pſalmo intendat, ut inde habeatur ſenſus legitimus thematis ex præcedentibus & ſequentibus. Tria debet habere bonus Rex: ſcilicet potentiam ad defendendum regnum, ſapientiam ad regendum, bonitatem ad fovendum. Similiter tria illi debentur a ſubditis. Nam poteſtati debetur timor, ſapientiæ debetur honor, bonitati amor. O Rex ſupreme, quam glorioſum eſt regnum in quo regnas! Non ſicut cæteri Reges: nam tu feciſti regnum tuum, & ſuper humeros tuos regnum tuum portaſti, ſecundum illud: *Cujus imperium ſuper humeros ejus*. Quanta tua potentia, quanta majeſtas, quanta ſapientia, clementia! Quis dicere, vel cogitare poterit? Te potius audiamus ore prophetico, tuam gloriam, tuam magnitudinem reſonantem.

Iſaiæ 9.

III. *Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer. Confeſſionem, & decorem induiſti: amictus lumine ſicut veſtimento. Extendens cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora ejus. Qui ponis nubem aſcenſum tuum. Aſcendunt montes & deſcendunt campi. Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſæculum ſæculi*. O anima mea, benedic Domino. Invitat te ad laudes ejus magnitudo. *Domine Deus meus, magnificatus es vehementer*. Inde laudare te debeo, quia magnus es, excelſus es vehementer. Eadem ipſa tua celſitudo, quæ indicit ſilentium, provocat ad laudandum: & ita, inter laudem & ſtuporem, ſuſpenſam detinet animam meam. Quoniam ſilere nequeo, loqui non audeo. Sed, numquid cunctis loquentibus ad te, ſolus obmuteſcam? Angeli mirificis laudibus perſonant: *Cœli enarrant gloriam tuam*. Terra loquitur, mare clamat, clamant aſtra, clamant elementa, clamant beſtiæ, clamant plantæ, &c. O homo, ſi intelligeres idioma creaturarum! O quantus clamor in ſingula creatura; & tu ſurdus es? Tu vides, nec intelligis. Si iſtas creaturas magiſtras tuas intelligeres, alio magiſtro non egeres. Quanta potentia in magnitudine! Quanta ſapientia tua in ordinatione! Quanta bonitas tua in multitudine creaturarum elucet! Quis ſufficeret vel cogitare, quomodo cœleſtem illam machinam perpetuo volvas tenore, multiplicibus aſtris ornes; orbibus diverſis diverſimode agitatis, cœleſtem virtutem diverſimode applices terminis? Quanta virtus cœleſtium influentiarum! Quantus decor luminis! Quanta venuſtas magnitudinis! Extendens, inquit, *cœlum ſicut pellem*. Quis dicere queat elementorum viciſſitudinem, alterationem; quomodo nunc aer ſerenus, nunc turbidus, nunc placidus, nunc tempeſtuoſus? Elevas de terra vapores, ſuſcitas nubes, & ex ipſis terram fœcundas, animalia ſuſtentas. Iſti fumi elevati in tuis magnificis manibus vertuntur in panes, & in divitias. *Ponis nubem aſcenſum tuum*.

Pſ. 103.

Pſal. 18.

Pſ. 103.

Ibidem.

IV. Si terræ diſpoſitionem attenderis, quam pulchra terrarum diviſio, per montes, per flumina! Quomodo rivi fluant ad ſuſtentatio-

(*a*) Serm. de Pentec. initio. *Hodie nobis terra facta eſt cœlum, non ſtellis de cœlo in terram deſcendentibus, ſed Apoſtolis ad cœlum aſcendentibus, quia effuſa eſt copioſa gratia Spiritus ſancti, & univerſum orbem operata eſt cœlum, non immutans naturam, ſed volutatem emendans.*

(*b*) Tribus prioribus de Doctrina Chriſtiana libris agit S. Parens de modo inveſtigandi Sacræ Scripturæ ſenſum.

tionem animalium: quomodo per venas terræ aqua ſerpit: quomodo nunc ſurgit in montes terra, nunc dejicitur in campos, ut in montibus ſylvæ fiant ad uſum lignorum, ad latibulum animalium; campus vero fit planities ſegetibus apta. Pſalmus: *Aſcendunt*, Pſ. 103. inquit, *montes*, & *deſcendunt campi*. Nonne etiam miraculum eſt tanta terræ ponderoſitas? Quomodo ſuſtentatur, cui innititur, quomodo etiam veluti centrum immobile in medio omnium, quæ moventur, reſidet? Pſalmus: *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem* Ibidem. *ſuam: non inclinabitur in ſæculum ſæculi*. Si ad herbas, ad plantas, ſi ad frutices adſpicias, o quanta virtus herbarum, quanta fortitudo in tenera herba! Dic florum differentias, quomodo mutuo ſuccedunt. Dic de fructibus qualiter ſuis temporibus veniunt. Si ad gubernationem animalium, ſi ad ſuſtentationem longus eſſet proceſſus. In Pſalmo: Ibidem. quomodo animalia nociva nocte gradiantur, quomodo mutuo cedant laboribus hominum. Quis non miretur elephantem, equum tam magnum, uno puero inſidente regi; & boves, ut famulos bubulco ſervientes? Ecce petras, & ſcopulos creavit propter herinaceos; propter cervos montes; propter paſſe- Ibidem. res arbuſta; propter ſerpentes cavernas. Soli homini non fecit domum, quia dedit artem, ut faceret. Pſalmus: *Super ea volucres cœli* Ibidem. *habitabunt*. *Montes excelſi cervis*. *Ortus eſt ſol*. Qui ergo tantum pulchritudinis poſuit in aſtris, tantum luminis in ſole, tantum venuſtatis in campis, tantum fulgoris in auro, in gemmis, in lapidibus; numquid ipſe qui aliis dedit, hoc ipſe non magis pulcher, non magis lucidus erit? *Confeſſionem*, inquit, Ibidem. & *decorem induiſti*. O cæci philoſophi, qui de iſtis creaturis tam longam feciſtis inquiſitionem, & tamen in ipſis videre non potuiſtis Creatorem. Laudent igitur te Domine omnia iſta quæ feciſti. Laudet cœlum, laudent aſtra, Angeli, & anima mea. Sed, quid de tuis laudibus omnis creatura poteſt dicere o Domine? Omnis laus humana & Angelica blaſphemia eſt, ſi commenſuretur tuæ excellentiæ & perfectioni. Si tanta vis activitatis data eſt igni, ut ſic atrociter comburat, quanta major vis in Creatore? Et ſi dum punit damnatos, ignis creatus tantum eſt ſupplicium, quid eſſet, ſi brachium ejus potens puniret? Poteſtas ergo Regis æterni in opere creationis apparuit.

V. Nunc, quanta ſapientia in opere re- demptionis ſit audiamus. *Draco iſte*, inquit, Ibidem. *quem formaſti ad illudendum ei*. Non formatus fuit ad illuſionem, ſed formatus ad gloriam. Ipſe ſe inordinavit, & illudendum præbuit; ſed non omnino inordinavit, quoniam nihil inordinatum. Sicut enim exit or- (a) dinem (a).... ordinantur ordine juſtitiæ. Quis inordinatum dicat infernum? Quis malum audeat nominare punientem ſceleratos & tranſgreſſores, & vindicantem injurias Domini ſui? Pulchra res eſt infernus, & ipſa ejus inordinatio, ordinatio eſt. Quoniam ordinatiſſimum eſt, ut ibi ſit umbra mortis, & Job 10. nullus ordo, & ſempiternus horror in punitionem eorum, qui legibus Dei, & præceptis ordinari noluerunt, ut ipſa inordinatio inordinatorum pœna ſit. Non ergo ad illudendum factus eſt draco diabolus, ſed quomodo ipſe illuſus ſit, audiamus; & qua arte captus ſit in ſuo rete, & in laqueo quem paraverat. Attendite ergo dæmonis aſtutias, & conſilium Dei, ipſum capientis in aſtutia ſua, ut ait Job. Vidit dæmon hominem Ibid. 18. creatum ad felicitatem, quam ipſe perdiderat, & invidus, & indignatus, ait intra ſe: Quomodo hic terrigena adepturus eſt gloriam, a qua ego ejectus ſum? Sciens quoniam peccato ipſe corruerat, paravit inſidias homini, ut peccaret, & ita perderet gloriam. Duo autem impoſuit creaturæ: ſcilicet, mendacium & invidiam, ut ait Bernardus (b). Dixit enim: Non moriemini. Et dixit (b) etiam: *Scit Deus*, *quod in quocumque die ex* Gen. 3. *eo comederitis*, *aperientur oculi veſtri*, & *eritis ſicut Dii*. Ecce draconis aſtutiam. Erat enim *ſerpens callidior cunctis animantibus*. Ibidem. Sed revera ſtultiſſimus eſt, & ignarus. Ubi lumen Dei habitat, & ſcientia Dei, non poſſunt aſtutiæ ejus. Videamus modo quomodo illuſus eſt. Ecce falſitas ejus comprobata eſt, & *veritas Domini manet in æter-* Pſal. 18. *num*. Omnes enim morimur, ſicut Deus prædixerat, & ipſe mendax comprobatus eſt. Sed quid mihi ait dæmon? Ego falſarius & mendaciſſimus ſim compertus, modo homo moriatur, & amittat cœlum. Non erit ita: in tuo mendacio ipſe capieris. Ecce dum homo fraude dæmonis venit in mortem, vita ingreſſa eſt mortis regionem, & dum mors voluit deglutire vitam, vita deglutivit mortem, & facta eſt mors vitæ vitalis, & mors ipſa morientibus facta eſt vita. O magnum Dei conſilium! O inexplicabilis abyſſus Divinæ Sapientiæ! Occidit vitam, & non eſt mortua vita, ſed mors mortua eſt in vita. Ecce homo, qui fraude venerat in mortem, morte ipſa redemptus, redit ad vitam, non qualis prior erat, ſed multo ampliorem, nam non ad juſtitiam originalem, ſed ad glorificationem corporum reductus apparebit in reſurrectione per Jeſum Chriſtum, &c. Ecce quomodo illuſus eſt in primo, draco, & mendax inventus, & ſuum mendacium in hominis ceſſit gloriam.

VI. Similiter in ſecundo: nam, Deum dixerat invidere arborem, quam ipſe plantaverat, & creaverat. O quam aperta falſi- Gen. 2. tas, ſi mens non læva fuiſſet! Poſuit ergo Deus arborem in medio paradiſi, id eſt, Eccleſiæ; talem, ut qui veſceretur ex ea, fiat

(a) Lacunam hoc loco in Autographo deprehenſam monet Bruxellenſis editor.
(b) De hoc S. Bernardus Serm. 22. de Diverſ. num. 3.

similis Deo: corpus scilicet suum sacratissimum, secundum illud Augustini (a): nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me. Et, ex quo, qui vesceretur, non incurreret mortem, sed haberet vitam æternam, secundum illud Joannis: *Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum*; & unde ipse fraudare putavit, dicens: *Eritis sicut Dii*, ipse potius illusus est. Nam, venit Filius in mundum, ut ait Gregorius (b), & factus est Deus Homo. Et hodie venit Spiritus sanctus, & homo factus est Deus. Et ita, non solum homines sunt sicut Dii, sed Deus est verus Homo. O mira serpentis illusio! Seipsum ipse fraudavit, & unde putavit inferre damnum, ex parte intulit commodum. Nam, si homo non peccasset, homines, quasi ex sola gratia sine labore, beatitudinem erant adepturi. Non essent tunc Martyres, non essent tunc glorioси triumphatores vitiorum, non essent, qui seipsos propter Deum mortificarent, & mundum pro Deo calcarent. Et, quanta gloria hominis est, cum victoriam sequitur corona? Major utique, quam si daretur sine certamine. Adde, quod tunc ex ipso paradiso, fieret transitus in paradisum sine morte. Nunc autem, quanto cruciatur dæmon cum videt de fæce corporis, de ergastulo carnis, de proprio suo carcere evelli de manibus suis animas, & ruptis suis laqueis coram oculis suis in contemptum sui, duci ad gloriam! Psalmus: *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet*. Item, tunc non superaretur, nunc autem, cum quotidie videt se vinci ab anima, & superari, & calcari, quanto magis uritur infamia *draco igitur iste quem formasti ad illudendum ei?*

VII. Sed, quid nobis prodesset potentia Dei, aut sapientia, si bonitas deesset? Ecce Lucifer voluit imitari potentiam, & cecidit. Homo voluit imitari sapientiam, & cecidit. Nobis igitur bonitas, quæ Spiritui sancto attribuitur, ista necessaria est, ista utilis est. Potentia Patris Filii est; sapientia Filii sibi est; bonitas Spiritus sancti etiam nobis est. Deus enim, & in se bonus est, & ipsa ejus bonitas facit, ut etiam nobis sit potens, & nobis sit sapiens. Attendens igitur hoc Ecclesia clamat: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*. De hac missione nota figuram de duplici spiritu Eliæ in Eliseo, & dic, ut in Bernardo (c). Recita totam figuram prius; & ubi dicuntur aquæ Jordanis pallio divisæ, pondera, quomodo omnis creatura non solum verbo, sed etiam vestimento justi obedit. Et postea, cum dicitur, quod venit currus igneus, dic, quantum omnes cœlicolæ animam humanam desiderent secum habere: postea, de duplici spiritu, dic, quomodo est necessarius Spiritus duplicatus, scilicet illuminans intellectum, & inflammans affectum; unus sine alio non prodest, sed obest. O quantum tormentum est habere intellectum in cœlo, & habere voluntatem in cœno. Ibi intellectus rimatur secreta Dei, & hic affectus volutatur in miseriis, voluptatibus carnis. Et ita animus tam divisus quantam patitur pœnam, dum lucem, quam intellectus conspicit, voluntas non amat, & tenebras, quas intellectus horret, voluntas amplectitur? Ideo dicebat Apostolus: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite*, scilicet per intellectum: *quæ sursum sunt sapite*, scilicet per affectum & voluntatem. Sed quid faciebat ad propositum videre euntem Eliam, ad hoc ut Spiritus in Eliseo duplicaretur, nisi propter mysterium & figuram? O Christiane, si videris Christum ascendentem, duplicabitur in te Spiritus. Quis est qui videat ascendentem, nisi, qui contempto inferiori sæculo post ipsum vadit? Non videt salutem ascendentem in cœlum, non videt gloriam, non videt vitam suam elevari, qui mundi vanam gloriam quærit, & mundi voluptatibus adhæret, & negotiis implicatur. Videt autem, cujus totum desiderium & amor sursum cum ipso est sublevatum, qui non civis, sed hospes est in terra, *plantatus jam in Domo Domini*. Viderunt Apostoli ipsum ascendentem. *Videntibus* enim *illis elevatus est*. Et ideo factus est in eis duplex Spiritus ascendentis. Ideo enim in forma ignis datus est eis, ut ostenderetur lux quæ intellectui præstabatur, & ardor quo inflammabatur affectus; ignis enim ardet, & lucet. Vis videre quanto lumine sint illustrati? P. Augustinus (d): Vidit Joannes Christum, antequam Spiritus mitteretur, ambulantem in fluctibus. Quid dicis, quid sentis de Christo Joannes? *Phantasma est*, inquit. Venit Spiritus sanctus. Quid jam sentiat de Christo audiamus. *In principio*, inquit, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*. Hicne est Joannes, qui dixerat, *phantasma est?* Et nunc ait, *& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*.

VIII. Quid dicam de ardore? Ecce duodecim homines pauperes totum mundum aggrediuntur, subjiciuntur eis Reges, tyranni, principes, sapientes, philosophi; omnem potentiam sternunt. *Captivantes omnem intel-*

Jo. 6. Gen. 2. Ps. 111. Ps. 103. Ibidem. 4. Reg. 2. Ibidem. Ps. Col. 3. 4. Reg. 2. Psal. 91. Act. 1. (d) Mat. 14. Jo. 1. 2. Cor. 10.

(a) Confess. lib. 7. cap. 10. *Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.*

(b) Ejus testimonium ex Homil. 30. in Euang. num. 9. dedimus in notis ad Conc. in Dom. infra Oct. Ascens.

(c) Ita S. Bernardus ad rem Serm. 5. in Ascens. Dom. num. 14. *Duplicavit spiritum visio abeuntis, ut intellectui spiritualis jungeretur affectus, cum ipsa utique, cui potissimum inhærebat, Carne raptus in Cœlum.*

(d) Serm. 182. num. 4., qui Sermo dubius per Lovanienses, falsus autem per Verlinum, & Vindingum in Appendicem rejectus est sub laudato numero a PP. Congreg. S. Mauri. Alias Sermo fuit 185. de tempore. Sic ibi legere est: *Nam primum cum eum supræ tumentia maris dorsa vidissent substratis fluctibus ambulantem, & cum aquarum iter instabile sub divinis solidaret unda famula vestigiis, turbati sunt dicentes: Phantasma est, & præ timore clamaverunt. Post infusionem vero Spiritus sancti, jam non dicunt quia phantasma est, sed in principio erat Verbum, &c.*

intellectum in obsequium fidei. Erant siquidem *gladii ancipites in manibus eorum: ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis*. O Roma! Ubi imperium, ubi senatus, ubi capitolium, ubi aquilæ? Pes pauperis, pes piscatoris calcavit ea. Et jam ubique pro aquilis, Christi crux ponitur. Et ut magis virtutem Dei in Apostolis positam cognosceremus, attendite, quam difficile sit mutare consuetudinem etiam in levibus. Si quis assuetus est dormire post prandium, difficile est ei abstinere a somno; si prandere summo mane, difficile est expectare. Ecce totus mundus idolis assuetus, ab avis, & proavis, & sine memoria per multa millia annorum, datus honoribus, delectationibus, favoribus, gaudiis sæculi, &c. Apostoli vero, totum permutant hominem; amorem, spem, gaudium, timorem, omnia permutant; faciunt contemnere quod prius desiderabant, odisse quod amabant, amare quod fugiebant, fugere quod quærebant, quærere quod nolebant; mortificari sæculo, spernere vitam, amare pœnitentiam, contemnere præsentia, sperare futura, sæculi gloriam præsentem fugere, quærere post mortem vitam, credere post carnis resurrectionem. Cum igitur tam difficilia, tam ardua, tam gravia sunt, quæ prædicant, nihilominus coegerunt mundum servire homini crucifixo.

Ps. 149.

IX. Dicamus modo, quomodo creantur illi, in quos Spiritus sanctus descendit juxta thema: *Et creabuntur*. Apostolus: *In Christo Jesu, nec circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed nova creatura*. Illa scilicet renovatio, qua exuentes exteriorem hominem induimur hominem interiorem, qui secundum Deum creatus est, ut in novitate vitæ ambulemus renovati in spiritu mentis nostræ. Nota tamen quod in hac creatione nova hominis interioris, qui secundum Deum creatur, ut ait Apostolus, oportet invenire illos sex dies, qui fuerunt in creatione hominis exterioris animalis. Istos sex dies invenies in Hugone Cardinali *super Matthæum decimo septimo capite* (*a*). Prima enim die facta est lux. Secunda, factum est firmamentum, dividens inter aquas quæ sub cœlo sunt, id est elementa, & aquas quæ super cœlos sunt, id est cœlum crystallinum. Tertia die congregatæ sunt aquæ in locum unum, & apparuit arida, & protulit terra herbam virentem. Quarta die factus est sol. Quinta die fecit Deus pisces & aves. Sexta die factus est homo. Omnes isti dies inveniuntur, quando creatur homo spiritualis. Pone igitur

Pſ. 103. Galat. 5. Epheſ. 4. Rom. 6.

Epheſ. 4.

Gen. 1.

(*a*)

A hominem peccatorem redactum in *nihilum*: peccatum enim secundum P. Augustinum (*b*), & *nihil* est, & in *nihilum* redigit peccatorem. Ex isto *nihilo* excitandus est Spiritu Dei.

(*b*)

X. Primus effectus, qui producitur in corde peccatoris est lux. Erat enim prius tenebrosus secundum Joannem: *In tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo vadat*. Lux autem ista est cognitio intellectus. Duo autem sunt isto lumine cognoscenda secundum P. Augustinum (*c*): Domine, noverim te, noverim me. In Deo autem celsitudo naturæ, bonitas in justos, severitas in malos. O qualis est illa celsitudo, quam perfecta, unde tanta fluxerunt naturarum genera, veluti ex fonte! Vide decorem cœlorum, vide solis pulchritudinem, vide auri fulgorem, vide terræ venustatem. Credendum igitur esset, quod qui solem vestivit fulgore, ipse sit sine luce? Qui luto, in cavernis terræ tantum dedit pulchritudinis, quantam sibi pulchritudinem reservavit? O quando fruemur illa pulchritudine! O qualis visio Creatoris! Si talis est visio creaturæ, quanto magis sensus nostræ animæ in eo oblectabuntur, quando in ipso solo erit satietas! Vide ergo secundo: quanta bonitas est ejus, qui se totum dat beatis in præmium. Et talis est illa natura, quod cum per sex millia annorum videatur ab Angelis, mirantur adeo ac si recenter illum viderent. Consideranda est etiam severitas in malos. Nam ecce illi quos ipse creavit, & quos suo sanguine redemit, perpetuis futuris temporibus, ipso vidente, cruciabuntur flammis, nec tamen ipse movetur aut flectitur. O magna divinæ justitiæ severitas! O peccator quam crudelis es in te, qui te tali miseriæ addicis! Debet etiam homo cognoscere seipsum, quoniam magnum quid est cognoscere seipsum, & homo, quo sibi propinquior est quam cætera, eo longior est a seipso, si seipsum non advertat. Solemus ingenuis & nobilibus persuadere, ut abstineant a rebus turpibus ex sua nobilitate dicentes eis: Memento stemmatis tui, & genealogiæ: sic animæ. O anima vide, qualis es natura, ad quem finem creata es, cujus es sponsa, quo pretio redempta es. Erubescat cœlestis & ingenua natura, more bestiali voluptatibus indulgere, & cœno turpissimo luxuriæ inquinari, &c. Quare creata ad societatem Angelorum, vivere inter bestias cum lacertis, cum lupis, cum serpentibus in regione mortalitatis? Solemus etiam alios arrogantes deprimere, dicentes: Quasi vero, non noviſſemus te, & originem ac stirpem tuam ignoraremus. Ita

Gen. 1.

(*c*)

B C D E

(*a*) Scilicet ad ea Euangelistæ verba: *Et post dies sex assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos:* ubi mysticam hominis transfigurationem fieri debere asserit post sex dies, qui per opera sex dierum figurati sunt, & sex personas, quæ Christi transfigurationi interfuere; quæ omnia singillatim explicat.

(*b*) Tract. 1. in Joann. Euang. num. 13. *Peccatum quidem non per ipsum factum est: & manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant.*

(*c*) Soliloq. lib. 2. cap. 1. *Deus semper idem noverim me, noverim te.*

eorpori dicendum: Quid ſuperbis putride pulvis, quid ſuperbis terra & cinis? Unde tibi iſta gloriatio eſt o lutoſe? Recordare quod de limo factus es, & formatus; recordare quod in pulverem reverteris. Quid te iſta fortitudo, & color decipit? Nonne inter omnes creaturas tu es maxime debilis ac fragilis, ita ut deficiente halitu momento vel minimo, ſtatim tota tua pulchritudo ceſſabit, & morieris? Si venerit infirmitas, qualis apparebis? Ita dicebat Job de corporis parentibus: *Putredini dixi: Pater meus es; mater mea, & ſoror mea, vermibus.* Quid putredo, niſi ſeminaria illa materia, ob fœditatem reticenda hic? Hoc ipſe es. Sed parum dicis Job cum matrem & ſororem vocas vermes. Non ſorores, ſed dominos tuos habebis, quando eis apponeris in cibum.

Job 17.

XI. Poſtquam jam dies cognitionis fuerit in anima, ſecunda die fit firmamentum, quando peccator redit ad cor. Cor enim hominis firmamentum eſt, in quo eſt omnis ſtabilitas humanæ vitæ, & omnis decor ſtellarum, id eſt, paſſionum & affectionum. Peccator autem amittit cor, ſecundum illud: *Cor meum dereliquit me.* Juſtus autem recuperat ſecunda die, juxta illud Libri Regum: *Invenit ſervus tuus cor ſuum.* Hoc firmamentum divisit inter aquas, id eſt, cogitationes & affectiones, quæ ſurſum, & deorſum ſunt. Aſcendunt enim plures cogitationes fœtidæ, abſurdæ, vanæ, putridæ ex iſto limoſo ſtagno & paluſtri corrupto corporis, quas oportet reſtringere, & coarctare, & deprimere, ne tranſeant in conſenſum, & ponere eis limites, ne tranſcendant fluctus illi tumultuoſi. *Uſque huc venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Similiter ſunt aliæ aquæ ſanctarum inſpirationum, & cœleſtium impreſſionum deſcendentium ex alto. Et iſtas oportet amplecti cor, & fovere eas & conſervare, & ſurſum cum eis levari. Et ſic firmamentum, id eſt, cor dividit inter aquas quæ ſunt ſub firmamento, & ſupra firmamentum.

Gen. 1. *Iſaiæ* 46. *Pſal.* 39. 2. *Reg.* 7. *Gen.* 1. *Job* 38. *Gen.* 1.

XII. Tertia die aquæ congregantur: nam anima facit pacem, & reconciliat ſe corpori, dicens: ſimus amici. Dicit corpus: o quomodo poſſumus qui volumus tam diverſa? Reſpondet anima: o corpus tu quid vis? Honorem, voluptatem, divitias, &c. Si ergo iſta vis, ego ſimiliter iſta volo, ſed quære eas veras, & ubi ſunt. Nam tibi placent divitiæ & honor & gloria: *Gloria & divitiæ in domo ejus.* Si juvant delectationes: *Delectationes in dextera ejus uſque in finem.* Si pulchritudo delectat: *Fortitudo & decor indumentum ejus.* Omnia quæ tu deſiderare poteris ibi ſunt, ibi quære, ne quæras hic, quia hic non ſunt. Congregantur ergo aquæ in locum unum, cum jam corpus ſpiritum aliquando æmulatur, & tunc terra, id eſt, corpus, & appetitus profert herbam virentem virtutum moralium, quæ ſunt in appetitu ſenſitivo ſecundum Ariſtotelem (*a*).

Ibidem. *Pſ.* 111. *Pſal.* 15. *Prov.* 31. *Gen.* 1.

XIII. Quarta die, appetitu reformato, producitur ſol in firmamento. Quid hoc eſt, niſi quod appetitu correcto, anima incipit jam plenitudinem caloris Divini ſentire: *Manna illud abſconditum, quod nemo novit, niſi qui accipit*, illud centuplum, illas primitias ſpiritus, illud vinum inebrians de cella vinaria Regis? Felix anima quæ frequenter iſto vino lætitiæ & jucunditatis inebriatur; & rapitur extra ſe, ut Deo ſuo uniatur: & *beatus populus qui ſcit jubilationem.*

(*a*) *Gen.* 1. *Apoc.* 2. *Cant.* 2.

XIV. Quinta die, aves, piſces creantur. Aves ſunt deſideria illa, quæ volitant in altum, cum appetit *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Cum jam quotidie cœleſtes illas manſiones ingreditur, & cohortes illas Angelorum viſitat. Et, licet corpus non ſinat ire animam, jam tamen deſiderio fertur ad illas, & amore ibi eſt: quia anima verius ubi amat, quam ubi animat. Piſces autem libenter bibunt de aqua illa maris amara, & ſalſa. Hoc ſignificat, quando jam pœnitentia ipſa, & aſperitas placet. Jam in tribulationibus, & infirmitatibus gloriatur, & gaudet. Apoſtolus: Non ſolum autem, ſed gaudemus in ſpe filiorum Dei. Ecce aves. Sed & gaudemus in tribulationibus. Ecce piſces.

Pſal. 88. *Gen.* 1. *Philipp.* 1. *Rom.* 5.

XV. Sexta die, omnibus iſtis jam conſummatis, producitur homo ille ſpiritualis, qui ſecundum Deum creatus eſt, ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus; nihil habens commercii cum luto, carnem neſciens, neque de limo terræ formatus, ſed ex Deo natus: ſicut ait Ambroſius (*b*). Duas ponit hominis formationes Moyſes *in Geneſi.* Unam hominis animalis ex limo terræ, & alteram hominis ſpiritualis ad ſimilitudinem Dei, & imaginem, ubi nihil dicitur de limo terræ. Hæc eſt formatio hominis quam facit Spiritus Dei juxta thema: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur.* Et hic verus homo eſt. Alius enim non homo eſt, ſed unum aliquod ex brutis. Putatis, Fratres, quod parum eſt, hominem eſſe? Non omnis qui exterius homo apparet, homo eſt. Qui enim fratres ſuos pauperes devorat, hic leo eſt. Qui voluptatibus indulget, hic porcus eſt. Qui negligentia torpet, hic aſinus eſt. Qui divitiis inhiat, hic totus eſt terra ſatiatus. Qui verſutiis fratres decipit, hic vulpes eſt. Qui venenum detractionis emittit, hic ſerpens eſt. Qui quotidie blaſphemando latrat, canis eſt hic. Qui aliena diripit, hic urſus eſt, & lupus. Iſtos non creat Spiritus Dei, ſed creat eos malitia cordis, quæ eos natura homines, conditione bruta effecit. Propriam naturam deſerentes, & aliam adulterantes.

(*b*) *Gen.* 1. *Ibid.* 2. *Ibid.* 1. *Pſ.* 103.

XVI.

(*a*) Ethicor. lib. 1. cap. 13. & lib. 6.
(*b*) Hexaemeron lib. 6. cap. 7. & 8.

XVI. Ultimo ſabbatizavit. Apoſtolus: Ipſe eſt noſter ſabbatiſmus. *Feſtinemus*, Fratres, *ingredi illam requiem*; in qua nos quieſcamus in ipſo a laboribus noſtris, ſicut & ipſe quievit ab omni opere quod patrarat. O plena requies, ubi ſex dierum, id eſt, totius vitæ mortalis labores, & moleſtiæ ceſſabunt. Pſalmus: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*. Felix ſomnus in quo omnia deſideria ſatiata quieſcunt, nec eſt, quod jam ulterius appetat ſummo illo bono ingurgitato. Quid enim quærat extra Deum, qui habet ipſum? Aut quid poteſt in infinito bono animæ deficere, ut extra extendat deſiderium in bonum aliquod creatum? Ipſe enim omnium virium animæ appetitus, & vires replet, ingurgitat, & ſatiat. Ipſe eſt oculo, pulchritudo ſumma; auribus, harmonia; guſtui, dulcedo; olfactui, fragrantia; tactui, ſuavitas; intellectui, lumen; voluntati, fruitio; appetitui, delectatio; corpori, ſalus; animæ refrigerium; ſpiritui, ardor. Ipſe animæ cibus, ipſe indumentum, ipſe cœlum protegens, ipſe firmamentum ſuſtinens, ipſe panis fortificans, ipſe vinum inebrians, ipſe vita vivificans, ipſe vigor fortificans, ipſe virtus movens, ipſe perfectio conſummans, ipſe magiſter, ipſe liber, ipſe ſapientia, ipſe denique, ut ait Apoſtolus, eſt *omnia in omnibus*. Bonum indeficiens, bonum ſufficiens, bonum reficiens, bonum exuperans. Ecce omnes animæ vires, & ſenſus: animam ſumme beatificans, ſumme quietans. Cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Gen. 2. Heb. 4. Pſal. 4. 1. Cor. 15.

IN DOMINICAM PENTECOSTES CONCIO TERTIA.

De Spiritu sancto.

Emitte Spiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ.
Pſal. 103. v. 30.

Concio LXXXIII.

I. INter alios qui in veteri teſtamento Domini Salvatoris geſſere figuram, unus Joſue filius Nun, re & nomine videtur habuiſſe primatum. Hic namque primus hoc nomine Jeſus legitur nuncupatus, qui factus ſucceſſor Moyſi, ſicco veſtigio Jordane pertranſito, filios Iſrael in terram deſiderabilem introduxit, expugnata in ipſo ingreſſu urbe Jericho congreſſu mirabili. Non enim tormentis & jaculis, ſed tubis & clamoribus muris corruentibus, tota penitus diruta eſt. Quid, obſecro, Chriſto Domino accommodatum magis, ac conſonans, hac figura afferri potuit? Non lex Moyſi populum in hæreditatem perpetuam introduxit, ed gratia quæ per Chriſtum eſt: *Nihil enim ad perfectum adduxit lex: Gratia autem Dei, vita æterna*. Hic verus Moyſi ſucceſſor, qui legem in gratiam commutavit: populum ſuum per Jordanem vitæ præſentis ſicco veſtigio traduxit, *& in hæreditatem incontaminatam, immarceſcibilem, in cœlis conſervatam* introduxit. An non pede ſicco Jordanis fluenta pertranſit, qui doctus a Chriſto inter medias voluptatum delicias, & divitiarum affluentias, nullo libidinis vel cupiditatis humore pertingitur? Qui juxta Apoſtoli documentum, ſic habet uxorem, quaſi non habeat, ſic divitiis gaudet, quaſi non gaudeat, ſic emit, quaſi non poſſideat, ſic utitur hoc mundo, quaſi non utatur? Unde Pſalmus: *In flumine pertranſibunt pede, ibi lætabimur in ipſo*. Illa vero civitatis Jericho expugnatio, eam quæ per Chriſtum facta eſt, mundi idololatriæ expugnationem aperte deſignat. Non enim exercitu, & armis, ſed Apoſtolicis perſonantibus tubis, altitudo murorum, id eſt, principatuum ſæcularium, coram arca Domini, id eſt, Chriſti Jeſu crucifixi ſacra humanitate, ad pedes ejus adoratura proſternitur, ſicut ſcriptum eſt: *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent*. Et omnis civitas penitus vaſtata eſt, quia nihil de ſæculari vanitate, & ritu idololatriæ antiquo, & mundi hujus cupiditate immiſtum, in Eccleſia relictum eſt. Unde omnibus fidelibus anathema terribile a Chriſto Jeſu indicitur. Maledictus homo, qui poſtquam ſacro baptiſmatis fonte ablutus eſt, de Jericho, id eſt, de hoc ſæculo nequam quidpiam ſibi reſervaverit. Reſervant aliqui, ſcio, ſed male: reſervant, anathemate perpetuo feriendi, niſi eos peccati pœniteat: quia qui hujuſmodi ſunt, a Dei beatifica viſione perpetuo ſeparabuntur. Cave ergo o Chriſtiane, cave tibi aliquid reſervare de Jericho! Non pallium coccineum, id eſt carnis concupiſcentiam: non ſiclos argenteos, id eſt auri cupiditatem: non regulam auream (*a*), id eſt linguam blandientem, adulatoriamque ſervaveris. Hæc enim omnia tibi mortifera ſunt, & lethalia. Populus te nunc in vita præſenti multis injuriis & contumeliis lapidabit, & perpetuo poſtmodum anathemate condemnaberis.

Heb. 7. Rom. 6. 1. Petr. 1. 1. Cor. 7. Pſal. 65. Pſal. 44. Galat. 1. Joſue 7. (a)

II. Grande prorſus miraculum, ipſa mundi ad Chriſtum converſio: & quod ad fidem roborandam, etiamſi alterum non adeſſet, P. Auguſtino teſte (*b*), ſufficeret. Vere opus Altiſſimi, & dexteræ Excelſi mutatio, carnalem (b) Pſal. 76.

(*a*) Brixienſis editio ita legit: *Non linguam auream, id eſt blandientem:* utraque lectio bona eſt, dummodo in hac repetas, *id eſt linguam*. Id patet ex textu ipſo, qui ad ſacram Hiſtoriam Joſue 7. v. 2. alludit: *Vidi enim inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum*. Ubi enim Vulgata habet, *regulamque aureum*, Hebraicus habet, *linguam auream*, hoc eſt laminam auream in linguæ formam extenſam, quam Villalpandus in Apparatu part. 2. lib. 2. diſp. 4. cap. 23. idoli alicujus gladium fuiſſe contendit.

(*b*) Ita enim adverſus incredulos concludit S. Parens

nalem mundum in ſpiritualem convertere, ex brutalibus homines Angelicos facere. Quis talem facere potuiſſet mutationem, niſi ſolus Deus? Quis obſecro, Catholicam fidem mundo perſuadere potuit, ut ea crederet, quæ ratio non apprehendit, intellectus non capit, niſi divina virtus adſit? Videlicet: Deum eſſe unum & trinum: Dei Filium hominem pro hominibus factum: Virginem peperiſſe: eundem crucifixum, & mortuum, & ſepultum reſurrexiſſe: hominem verum in cœlos aſcendiſſe: futuram quoque omnium hominum poſt cineres reſurrectionem: peccatorum in baptiſmate ablutionem: corporis Dominici in ſynaxi aſſiſtentiam. Hæc inquam, & hujuſmodi, quæ fides Catholica firmiter complectitur, quis unquam hominum credere potuiſſet, niſi exterius reſonante Apoſtolica tuba, interius Spiritus ſancti potenti virtute fulciretur? Sicut ſcriptum eſt: *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa*. Mira res, & incredibilis quoque ipſa credulitas: cum hæc primum prædicantibus Apoſtolis audiebantur, figmenta quædam videbantur & ſomnia: nænias quaſdam & fabulas eos narrare putabant: & quaſi deliros inſanoſque deridebant, & explodebant eos, & doctrinam eorum mundi non ſuſtinebat auditus. At poſt modicum eos ipſos Euangelicæ doctrinæ ſubſannatores pro eadem ipſa doctrina quam deridebant, alios lapidatos, alios crucifixos, alios laniatos, alios excoriatos, alios exuſtos, alios diris tormentis inciſos, & crudeli morte damnatos, cum gaudio & lætitia hæc omnia ſuſtinere videres. Sic adhæſerat fides mentibus, ſic in eorum cordibus Crucifixi amor, & virtus excanduerat. O mirabilem potentiam ſermonis! O verbi Dei ſtupendam nimis efficaciam!

III. Huic doctrinæ totus orbis contradicebat, omnis potentia ſæcularis obſiſtebat: fremebant in Diſcipulos Domini, & ſtridebant dentibus ſuis principes terræ, dira ſupplicia exercentes, & duriora quotidie comminantes. Fit ubique terrarum contra eos magiſtratuum conventus; conveniunt ubique ſenatus, omnes gentes, omnes populi, civitates opulentæ, & ampliſſima regna: ut eos perderent & occiderent, conſilia ineunt; & ſicut ſcriptum eſt: *Congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos qui probati ſunt argento*. Et apertius: *Fremuerunt gentes: Reges terræ & populi convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipſorum*. Vincula enim eis præcepta Euangelica videbantur, quia videlicet eos a concupitis voluptatibus arcerent, & mundi delicias prohiberent. Jugum etiam importabile lex Domini apparebat, quia hujus ſæculi divitiarum, honorum, pomparum vanitatem damnaret, & mundialis proſperitatis verum contemptum indiceret, ideoque contradicebant, ideo obſiſtebant; ſed fruſtra, ſed inaniter, ſed vacue. Quo enim amplius renitebantur, eo fortius fides Catholica invaleſcebat; & quo magis adverſabantur, eo amplius numerus fidelium excreſcebat. Quia *quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt* etiam fortiſſimis *hominibus*. Hujuſmodi ergo perſonantibus tubis, inclytus noſtræ peregrinationis ductor Jeſus, non Filius Nun, ſed Dei vivi Filius, omnem malignorum ſpirituum, & terrenorum principum poteſtatem, Dei Filiis adverſantem & veri Iſraelis in deſiderabilem promiſſionis terram, & cœleſtem Jeruſalem ingreſſum præpedientem, Spiritus ſui virtute proſtravit; renitenteſque animos fidei ſuæ veritati ſubjecit; ſicut jamdiu per Prophetas ſuos in ſuo adventu ſe facturum promiſerat; quibus hujus tam mirabilis converſionis revelarat arcanum. Unde Pſalmus de his: *Exaltationes*, inquit, *Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis; ut faciant in eis judicium conſcriptum*, id eſt: ut promiſſam in eis per Scripturas Prophetarum impleant converſionem; & quæ ad Abraham dicta eſt, omnium gentium in ſemine ſuo, id eſt Chriſto benedictionem.

IV. Neque tamen, ut diximus, facile opus erat & leve, a priſtina ſua conſuetudine, & inolita pravitate totum mundum convertere: receptam tot ſæculis per totum orbem idololatriam penitus diſſipare: antiquatos diu nefariorum ſacrorum ritus dæmoniorum cultum, & ſacerdotalia officia procul eliminare; novam ſæculo religionem, novum cultum, novam fidem, novam ſapientiam, novos ritus, novos mores, novam omnino vitam toto orbe introducere; hominum ſenſus, affectus, voluptates, appetitus, & deſideria omni modo permutare; inveteratum omnibus peccatis mundum, & fæce vitiorum infectum, eliminata prorſus omni turpitudine renovare; viventium animos a terrenis ad cœleſtia, a temporalibus ad æterna, a præſentibus ad futura ſublimiter avocare; & ut gaudiis temporalibus, deliciis, & voluptatibus abdicatis, contemptis divitiis, abjectis honoribus, & ſæculi hujus blandientibus bonis, cæteriſque omnibus quæ ſolent ab hominibus naturaliter deſiderari relictis; labores, ſudores, aſperitates, pœnitentias, cruces,

Pſal.67. *Heb.* 11. *Act.* 5. *Ibid.*7. *Pſal.67.* *Pſal.* 2. *Act.* 5. 1.Cor. 1. *Pſ.* 149. *Gen.* 26.

---

rens de Civit. Dei lib. 22. cap. 5. *Si vero per Apoſtolos Chriſti, ut eis crederetur, reſurrectionem, atque adſcenſionem prædicantibus Chriſti, etiam iſta miracula facta eſſe non credunt, hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quod eam terrarum orbis ſine ullis miraculis credidit*. S. Bernardus Serm. 3. in Vigil. Nativ. Dom. num. 9. *Quomodo potuit hoc perſuaderi generi humano, univerſo orbi terrarum? Et tamen tam facile, tam potenter perſuaſum eſt, ut mihi id credibile faciat credentium multitudo. Juvenes, & virgines, ſenes cum junioribus elegerunt mille mortibus mori, quam vel ad momentum ab iſta fide deficere.*

ces, mortificationes, & quæ naturaliter omnes refugiunt, amplexentur; non vi & potentia, non exercitu & armis, ſed paucorum hominum, & pauperum, abjectorumque ſola verborum acrimonia, ſola ſermonis efficacia perſuadere. Hujuſmodi, inquam, tam mirabilis totius orbis permutatio, niſi Dei virtute, nullis viribus, nullo conſilio, nulla prudentia, nulla virtute umquam fieri potuiſſet. Ad hoc igitur de cœlo Spiritus ſanctus miſſus eſt, ut mundum bene quidem, & ſapienter conditum, ſed peccatis hominum male fœdatum, ſua iterum virtute reficeret innovaretque; & ad prioris formæ ſpeciem ſimilitudinemque, quantum fieri poterat, redigeret; ſicut propoſiti prothematis verba teſtantur: *Emitte Spiritum tuum* Pſ. 103. *& creabuntur: & renovabis faciem terræ.*

V. Hic autem Spiritus, quamvis corporali quidem ſpecie, in ſolos verbi Dei prædicatores Diſcipulos Domini deſcenderit, inviſibiliter tamen totum orbem ſua virtute replevit, ſicut ſcriptum eſt: *Spiritus Domi-* Sap. 1. *ni replevit orbem terrarum.* Non enim tanta celeritate innumera hominum multitudo ad fidei veritatem converti potuiſſet, niſi idem ipſe Spiritus, qui exterius per ora prædicantium perſonabat, interius audientium corda diſponeret. Unde *in Canticis* Sponſa, id eſt, Eccleſia de ſe ipſa loquitur, dicens: *Inve-* Cant. 3. *nerunt me vigiles qui* cuſtodiebant *civitatem.* Invenerunt, inquit; non ait, plaſmaverunt, fundaverunt, formaverunt: a Chriſto enim Domino, ex proprio latere in cruce, veluti altera Eva formatam, & Spiritu oris ejus ad ſuſcipiendam fidem diſpoſitam, paratamque, vigiles Sancti, id eſt veritatis prædicatores, eam invenerunt. Dominus enim Iſaiæ 50. aperuit illi aurem, & ipſa non contradixit, ſed in Domini benedictionibus præventa, Pſal. 20. vocantibus eam vigilibus occurrens, præveniebat eos; ſicut ſcriptum eſt: *Venient* Pſal. 67. *legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Et quænam alia Æthiopia, niſi deformis illa & idololatra Gentilitas? Hæc a Domino interius Spiritu ſancto præventa: prædicatores quoque ſuos ipſa prævenit. Unde ad illos Dominus: *Levate*, inquit, *oculos veſtros*, Jo. 4. *& videte, quia regiones jam albæ ſunt ad meſſem.*

VI. Deſcendebat tunc a Samaria ingens plebis ad Dominum multitudo, unius tantum mulieris voce accita. Has meſſes Dominus Apoſtolos ſuos contemplari volebat, ac ſi diceret eis: Attendite quanta ſit jam gentium populis ad recipiendam fidem diſpoſitio. Si enim una mulier ſuo verbo tot ad me cum feſtinatione ſitibundas animas adducit, quid vos Spiritu Dei plenos, in tanta gentium meſſe facturos exiſtimatis? Vere alii laboraverunt, & non meſſuerunt: quia ſegetes cœleſti adhuc ſpiritus calore diſpoſitæ non erant ad meſſem. Vos autem nunc in eorum laborem introiſtis, & quæ illi longo tempore ſeminaverunt, mira celeritate metetis, quia regiones jam albas, diſpoſitaſque ad meſſem, Deo diſponente reperiſtis. Non ergo, ut Apoſtolus ait, *in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei* hæc tantarum meſſium tam ſubita & inopinata collectio facta eſt: *Quoniam regnum Dei non eſt in ſer-* Ibid. 4. *mone, ſed in virtute.* Unde Marcus Euangeliſta de eiſdem Apoſtolis: *Prædicaverunt*, inquit, *ubique Domino cooperante.* Et Pſalmus: Marc. 16. *Præparans montes in virtute tua accinctus potentia: qui conturbas profundum maris ſonum* Pſal. 64. *fluctuum ejus.* Montes & culmina terrenarum poteſtatum ad Euangelicam doctrinam, ſua virtute ipſe intus præparabat, qui accinctus potentia eos exterius verbo vocabat. Ipſe, inquam, præparabat, ipſe trahebat, ipſe ad pœnitentiam conturbabat: & concitatos perſecutionis fluctus in Apoſtolos ſuos, ipſe ſedabat.

VII. Qualis autem & quanta fuerit hæc mundi commotio conturbatioque, cum in gentibus Euangelica tuba perſonuit; nemo qui hiſtorias legerit, ignorat. Siquidem, ut idem Pſalmiſta inquit: *Conturbati ſunt omnes qui* Pſal. 63. *videbant eos, & timuit omnis homo.* Quamvis non inficier, poſſe per montes, Apoſtolicos quoque vertices deſignari. Utroſque enim montes ſua virtute, ut diximus, Spiritus præparavit. Hos ad loquendum, illos ad audiendum. Quam aperte impletum eſt tunc, quod olim per Jeremiam Prophetam ſub perdicis typo Dominus prædixerat: *Perdix fo-* Jer. 17. *vit quæ non peperit: fecit divitias, & non in judicio: in dimidio dierum ſuorum* perdet *eas: & in noviſſimo ſuo erit inſipiens.* Eſt enim, ut fertur (*a*), perdici vafrities naturalis, ut (*a*) comparis ſuæ ova furetur, & ſuper incubans adulterinos ex eis pullos educat, quos cum ad paſtum jam adultos impudica furatrix eduxerit, audita veræ parentis voce, omnes illos amittit: adulterina enim fure relicta naturali inſtinctu omnes pervolant ad parentem. Sic omnino diabolo (*b*) evenit apud (*b*) Chriſtum: creaturas quas non condidit furtim ſurripuit: homines quos non ipſe creavit in nido paradiſi repertos, nequiter ſibi & ſtulte uſurpavit: ſicut ipſe apud Iſaiam ſub Aſſur nomine, de ſuo iſto furto impudentius gloriatur, dicens: *In fortitudine ma-* Iſaiæ 10. *nus meæ feci, & in ſapientia mea intellexi: & abſtuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus ſum, & detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes. Et invenit quaſi nidum*

(*a*) S. Hieronymus in hunc Jeremiæ locum: *Ajunt*, inquit, *Scriptores naturalis Hiſtoriæ tam beſtiarum, & volucrum, quam arborum, herbarumque (quorum principes ſunt apud Græcos Ariſtoteles, & Theophraſtus; apud nos Plinius ſecundus), hanc perdicis eſſe naturam, ut ova alterius perdicis, ideſt aliena furetur, & eis incubet, foveatque: cumque fœtus adoleverit, avolare ab eo, & alienum parentem relinquere.*

(*b*) Perdici Diabolum comparat S. P. Auguſtinus Serm. 46. de Paſtoribus in Ezechiel. 34. cap. 12. num. 27., alias Serm. 165. de tempore.

dum manus mea fortitudinem populorum: & ſicut colliguntur ova, quæ derelicta ſunt, ſic univerſam terram ego congregavi: & non fuit qui moveret pennam, & aperiret os, & ganniret. Fovit ergo perdicis more ova, quæ non peperit: fecitque ſibi ex alieno nido divitias; ſed non in judicio: quia nequiter & ſtulte ſurripuit eas, quas tamen longo tempore ſibi retinuit, multiſque ſæculis tyrannice poſſedit. An non eas ſe poſſidere putabat, cum in montis culmine ad Chriſtum inſolenter dicebat: *Hæc omnia tibi dabo?* Hæc omnia dabis miſer (*a*)? Feciſti tu illa? Non, inquam, fecerat, ſed furatus fuerat. Alienis ergo pullis novercam ſe exhibens, coli ſe ab eis quaſi parentem, adorarique fecerat. Sed neque parens erat, neque parentis viſcera erga miſeros exhibebat. Audita eſt tandem veræ parentis in orbe vox, ore Apoſtolico perſonantis, & a pullis audientibus agnita, relictoque ſtatim mirabili fure, ad verum conditorem celeri omnes volatu junguntur. Quam confuſus, quam ſolitarius permanſit miſer alienis filiis denudatus? Sed in noviſſimo amplius inſipiens apparebit, quando ſubſannantibus & explodentibus cunctis, cum adulterinis pullis qui avolare noluerunt, præcipitabitur in infernum.

Jer. 17. *Mat.* 4. (*a*)

VIII. Non mirum igitur, ſi tanta celeritate ad proprium Dominum & parentem orbis terrarum converſus eſt, qui ſub crudeli tyrannide tot ſæculis miſerabiliter detinebatur captivus, neque hanc ipſam captivitatem agnoverat, donec Euangelica tuba veluti excitatus, ab ignorantiæ ſomno reſipuit, & ubi eſſet, agnovit. Sic enim in Pſalmis ſcriptum eſt: *Reminiſcentur, & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ: & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium.* Redibunt, inquit, ad ſe, & convertentur; quaſi enim extra ſe, & a ſuis ſenſibus alienatæ fuerant, cum ſtatuis lapideis & ligneis, divinum exhibebant honorem. Sed Deo exterius vocante, & interius illuminante, corpore relicto, redeuntes ad cor, ad verum factorem, & Creatorem ſuum converſæ ſunt. Tanta autem fuit ubique celeritas converſionis, quantæ præceſſerant ignorantiæ tenebræ. Quippe *ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Unde quatuordecim fere annorum ſpatio ab Jeruſalem uſque ad Illyricum, tam lato terrarum tractu, Euangelio mundum Paulus replevit, & innumeras ubique terrarum Eccleſias conſtruxit. Tanta erat in mundo aviditas libertatis, tanta ubique veritatis & ſapientiæ ſitis.

Pſal. 21. *Pſ.* 138.

IX. Sufficiat hæc de mundi converſione dixiſſe, ut appareat ad quid Spiritus ſanctus advenerit, & quem hominibus fructum ejus adventus attulerit. Reliquum eſt, ut quoniam totius terræ nunc facies arida facta eſt, & nos cum Propheta quotidie a Domino eundem Spiritum flagitemus, qui Eccleſiæ ſuæ faciem, quam admirabili diu decore depinxit, deformatam diu, in priſtinam ſpeciem renovet, & inſtauret. Proh dolor! In quem ſtatum hodie Eccleſia redacta eſt! Quantum a prima illa venuſtate degeneravit! Vere, juxta Prophetæ vaticinium: *Egreſſus eſt a filia Sion omnis decor ejus:* & omnis ejus pulchritudo penitus immutata eſt. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum,* ut die ac nocte hanc filiæ populi mei contritionem deplorem? *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* Ubi eſt ille charitatis ardor & ſplendor, caſtimoniæ nitor, devotionis candor, & omnis virtutis ornatus, qui tunc ubique terrarum in Eccleſiæ facie rutilabat? *Lapides ſanctuarii*, viri religioſi, quos tunc devotionis cortina celabat, negotiis ſæcularibus implicati, *diſperſi ſunt in capite omnium platearum.* Quocunque vadas, plena ſunt omnia monachis: & qui in cœleſti curia olim aſſidui erant, principum hodie curias implent. *Filii Sion*, prælati Eccleſiarum, quondam vitæ ſanctitate & morum honeſtate *inclyti*, *auro* ſapientiæ *primo* veſtiti, *quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea?* Quomodo ad terrena lucra, & temporales divitias ſuos oculos deflexerunt? Quid enim aliud hodie quæritur ab Epiſcopis, niſi argentum & aurum? De animarum vero ſalute ultima cura eſt: vere *opus manuum figuli*. Quia non jam ad eorum promotionem Spiritus ſanctus invocatur, ſed principes exorantur, & a Rege propter obſequia, & amicitiam eliguntur Epiſcopi. Unde Regis, non Chriſti negotia agunt; nimirum: quia Regis factura ſunt, & *opus manuum figuli*. Hinc Epiſcoporum catervas in curia reſidentes quotidie videas, Eccleſias autem ſuis rectoribus vacuas; ac propterea: *Lamiæ*, id eſt hæretici, hodie *nudaverunt mammas & lactaverunt catulos ſuos:* quas non ita forte nudaſſent, ſi prælatorum vigilantia in populo non defuiſſet. Nota eſt Germanorum perditio, quos impia lamia Lutherus fœtido lacte paſcit hodie, & depaſcit. Sed & de populo Chriſtiano quid expectandum eſt, ſi tales facti ſunt proceres illius? *Filia*, inquit, *populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto* non eſt qui egenorum neceſſitatibus provideat, qui alienis miſeriis condoleat, & erga proximum viſcera charitatis expandat. *Omnes quærunt quæ ſua ſunt.* Majores deglutiunt & ſpoliant minores: roduntque tributis & exactionibus ſubſtantiam eorum, quibus ſe debuerant præſtare patronos. Cui aſſimilabimus principes iſtos, niſi ſtruthionibus in deſerto, quia nimia crudelitate, etiam pignorum ſuorum deſertores ſunt, & filios uteri ſui nutrire deſpiciunt? *Durantur enim*, teſte Job, *ad filios quaſi non ſint ſui.* Talis

Thren. 1. *Jer.* 9. *Thren.* 4. *Philipp.* 2. *Job* 39.

(*a*) Similia habet S. Bernardus in Pſal. *Qui habitat*, Serm. 14. num. 5. *Hæc omnia, inquit, tibi daba, ſi procidens adoraveris me. Tu ne illa feciſti miſer? Quomodo dabis, quæ ille creavit?*

lis est hodie populus Christianus, talis est familia Christi.

X. Sed neque Cleri facies speciosior est: *Candidiores* olim *Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.* At nunc *denigrata est super carbones facies eorum. Non sunt cogniti in plateis.* Quomodo enim inter alios dignoscerentur, qui neque moribus, neque vita, neque habitu, neque eloquio a reliquis de populo differunt? Nam *sicut populus* hodie, *sic* & *Sacerdos.* Ubi est illa Sacerdotum matura gravitas, spectabilis honestas, sanctimoniæ candor, virtutis nitor, devotionis fervor, & omnigenæ doctrinæ mirificus splendor? Ubi sapiens, ubi scriba, ubi doctor parvulorum? *Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti: parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Ideo lamiarum lacte potantur: ideo *qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Defluxit populus in vitia, quia non est qui coerceat eum. Multi prædicatores, & pauci qui prædicent ut oportet: non desunt, qui prædicent verbo, sed desunt, qui opere impleant quod aliis prædicant, & vivendo præcedant quos loquendo dirigunt. Deest etiam ille Spiritus qui olim in sanctis prædicatoribus elucebat. *Emitte* ergo illum Domine, & *creabuntur, & renovabis* Ecclesiæ tuæ *faciem* deformatam. Novam, obsecro, sobolem Deus in Ecclesia tua Spiritu tuo crea. Novos pastores, novos doctores, novos principes, novos populi tui rectores, & ductores, qui Ecclesiam tuam labentem erigant, eversam reficiant, inveteratam innovent, & in pristinam pulchritudinem redigant, & instaurent. Quoniam apud inimicos tuos factus es hodie propter nos opprobrium vicinis tuis valde, & vituperatio commorantibus in circuitu; sceleribus & peccatis nostris blasphemare fecimus nomen tuum inter infidelium gentes, & paganorum populos; de lege tua fecimus male sentire, dum legi imputant, quod sub lege populus male vivit.

Thren. 4. Ose. 4. Thren. 4. Ps. 103. Psal. 30.

XI. Sed hoc quod generaliter de Ecclesia dictum est, potest etiam ad unamquamque animam per se derivari. Quid est enim anima sine gratia, nisi terra sine aqua? Unde Propheta: *Anima mea*, inquit, *sicut terra sine aqua tibi.* Sterilis & arida, hispidoque deserto similis est omnis anima, quam tuus Domine non irrorat Spiritus. Nullos virtutum germinat affectus; nullos bonorum operum producit fructus; cœlestium gaudiorum fœcunditate non viret; spiritualium desideriorum germine non vernat: sed velut arida terra, vacua germinibus sordet, & vertitur in salsuginem. Emitte igitur Domine de cœlo ex nubibus æternitatis tuæ pluviam illam voluntariam, quam segregasti hæreditati tuæ; rorem aquæ vivæ cui non communicat alienus; & hanc animæ nostræ complue terram: ut grata tibi virtutum germina, placidos sapientiæ flores, vernantes purpurantesque charitatis rosas, humore Spiritus fœcundata valeat germinare. *Ros* enim *lucis ros tuus*, sterilitatem auferens, fœcunditatem tribuens, mentem inebrians, amissumque animæ virorem restituens: hunc, inquam, tuæ benedictionis rorem, quo tuam hodie hæreditatem irrigasti, mentibus nostris emitte, & creabuntur in nobis affectus ardentes, desideria viva, cogitationes flammantes, amores igniti, sensus cœlestes, affectiones puræ. Hæc enim nova Spiritus soboles, hæc pulchra cordis *generatio* est, quæ jam diu, proh dolor! *ablata est & convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum.* Restitue eam Domine, visita terram cordis mei, & inebria eam; multiplica locupletare eam. *Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus*, & *in stillicidiis* tuis *lætabitur germinans. Pinguescent speciosa deserti* mei, & *valles* cordis mei *abundabunt frumento; campi tui replebuntur ubertate.* Experiatur, obsecro Domine, anima mea, quæ olim per Prophetam tuum misericorditer promisisti, dicens: *Deserta tua, & solitudines tuæ, angusta erunt præ habitatoribus tuis.* Et *adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ: angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut inhabitem. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & non pariens, transmigrata & captiva: & istos quis enutrivit? Ego destituta & sola: & isti ubi erant?* Utinam Domine, utinam hac tam decora sobolis generatione anima mea sic scaturiat, & hac filiorum suorum multitudine sic prematur ut capere nequiens dulciter affligatur; & præ numero & abundantia tota effluat, & rumpatur: effluat in laudes, rumpatur in ecstases. Felix anima quæ Spiritu tuo sic fœcundatur, & cœlesti progenie sic repletur.

Ps. 142. Psal. 47. Isaiæ 26. Ps. 103. Isaiæ 38. Psal. 64. Isaiæ 49.

XII. Sed non simplicem tantum, sed triplicem a Domino Spiritum cum Propheta postulare debemus. Spiritum scilicet rectum, Spiritum sanctum, & Spiritum principalem. Ita enim ait: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Tria namque in nobis sunt, quæ Spiritu Dei maxime indigent reformari; intentio, affectio, operatio. Ad hæc igitur tria, triplicem a Domino Spiritum postulemus. Rectum, qui dirigat intentionem: sanctum, qui mundet affectionem: principalem, qui firmet operationem. Intentio per Spiritum illustrantem in Deum, velut sagitta in signum dirigitur, quando in omnibus quæ agimus, soli Deo placere curamus. Sed quid proderit, quod bona prætendimus, si ab intentione recta per affectum deviamus? Corrupta enim affectio intentionem rectam non sinet illuc pervenire quo tendit. Ideo Spiritui recto, Spiritus sanctus adjungitur, ut ad bonum quod ratione prætendimus, voluntate afficiamur. Sicut alibi idem

Psal. 50.

idem Psalmographus ait: *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine*, id est: fac ut cordi meo placeat, quod ex ratione os approbat; & voluntas amplexetur, quod ratio recta dictat. Hoc sola Spiritus sanctificatione perficitur. Dum enim Spiritus sancti calore animus sanctificatur, & purificatur a malis, hac ipsa puritate disponitur, ut inhæreat bonis. *Deus enim* noster, ut Propheta inquit, *ignis consumens est*: consumens, inquam, cupiditates terrenas, ut afficiat ad cœlestes. Sed, neque sic animus consummatus evadet; nisi quod recte intendit, & sancte concupiscit, efficaciter exequatur. Audi super hoc Apostoli querimoniam: *Velle*, inquit, *adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago*. Si Apostolus ita loquitur, quid nos homunculi dicturi sumus? Infirmum se ad exequendum bona Apostolus deplorat, & nos fortes erimus?

Ps. 118. *Deut.* 4. *Rom.* 7.

XIII. Ad hoc ergo Spiritum principalem suppliciter flagitemus, ut jam quidem recte prætendentes, ac bene volentes; sua virtute roboret ad opus, ut quod ardenter desideramus, efficaciter impleamus. Est enim Spiritus Domini velut obstetrix quædam animæ, pios ejus affectus educens in lucem, ut quos ipso eam fœcundante conceperat, ipso obstetricante parturiat. *Sæpe enim*, ut Propheta luget, veniunt *filii usque ad partum*; & heu! propter Spiritus absentiam non est virtus in parturiente. Qui operatorius Spiritus merito principalis vocatur, quia in eo maxime vita consistit. Ex operibus enim, & non ex solis affectibus judicabitur quisque; sicut scriptum est: *Opus hominis reddet ei*; & iterum: *Qui reddet unicuique secundum opera sua*. Væ animabus prægnantibus! Væ etiam abortantibus in illa die, quæ cum suis fœtibus damnabuntur! Tribus ergo viribus nostris, intellectui, voluntati, & sensui, triplicem a Deo Spiritum requiramus. Rectum, intentioni, sanctum, affectui, principalem, operativæ virtuti. Rectum, ut illuminando dirigat; sanctum, ut inflammando afficiat; principalem, ut roborando confirmet. Non quod Spiritus sancti personam distinguamus, sed quod munera ejus & functiones discernamus: lumen, scilicet, calorem, & virtutem. Et vide ne forte isti sint tres panes, quos juxta Euangelicam parabolam monemur petere ab amico: scilicet, scientiæ, charitatis, & fortitudinis; quibus infirmitas nostra, secundum omnes suas vires, reficitur, ne deficiamus in via. Quamvis Elisæum Prophetam, non triplicem, sed duplicem tantum Spiritum Eliæ legimus postulasse, pro eo, ut existimo, quia ex illo duplici, tertius regulariter oriatur. Amor enim Numine formatus vix unquam potest esse otiosus.

Job 34. *Rom.* 2. *Mat.*24. *Luc.*11.

XIV. Sed quia non nisi in vase mundo Spiritus puritatis recipitur; ideo ante Spiritus petitionem præmisit; *Cor mundum crea in me Deus*. Et bene crea: hoc enim sorde vitiorum penitus tabidum & infectum, quis poterit emundare? *Quis*, inquam, *poterit facere mundum de immundo conceptum semine*, nisi *tu qui solus es?* Solus potes & vasculum cordis mundare, & Spiritus liquorem infundere. Sicut concinne satis per alium Prophetam promittis: *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri*. Ita nunc Domine, ita fac cum servo tuo, secundum misericordiam tuam. Quid enim aliud cupio aut requiro abs te, nisi Spiritum tuum Domine? Petat alius divitias, delicias, honores, & dignitates, exoptet sibi sapientiam, eloquentiam, prophetiam, ingenium, aut quævis alia clariora charismata: ego Spiritum ipsum mihi volo, & exopto istorum omnium largitorem. Vanus namque est omnis homo, quem non inhabitat Spiritus Dei. At ubi Spiritus Dei adest, deesse quid potest? Spiritus operatur omnia in omnibus: Spiritus scrutatur secreta Dei: Spiritus loquitur mysteria: Spiritus docet omnem veritatem: Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus: Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: Spiritus interpellat pro nobis; clamat: Abba, Pater. Et si in peccato sumus, ipse nos arguit de peccato: & si in servitute, ipse liberat de servitute, quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Spiritus itaque noster, est paracletus, patronus, doctor, advocatus, ductor, & custos. Denique: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, terram desiderabilem, *terram lacte & melle manantem*, terram viventium: in qua cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Ezech. 36. *Ps.* 118. 1. *Cor.* 12. *Ibid.* 2. *Jo.* 16. *Rom.* 8. *Ibidem*. *Jo.* 16. 2. *Cor.*3. *Ps.* 142. *Deut.* 6.

IN DOMINICAM PENTECOSTES

CONCIO QUARTA.

De Modo, de Tempore, de Rationibus, de Effectibus Adventus Spiritus sancti.

Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.
Psal. 103. v. 30.

I. NOn sumus hodie locuturi de Spiritus sancti persona, & de processione ejus a Patre & Filio; quia hoc pertinet ad diem Sanctissimæ Trinitatis; sed de ejus adventu, de quo cum adjutorio gratiæ ejus dicemus quatuor: scilicet: modum quo venit: causas propter quas venit: tempus quo venit: fructum quem facit in anima ejus adventus; in his totus versabitur sermo.

* Concio LXXXIV.

II. Ut ait Magister *in libro Sent. dist.* 16., &

& *D. Thomas* 1. *p. q.* 83. Spiritus ſanctus dupliciter mittitur ſive datur, ſcilicet viſibiliter & inviſibiliter. Venit quotidie inviſibiliter in cordibus electorum per gratiam, & per ſua dona: inviſibiliter quidem; ſed non omnino inviſibiliter: nam ſentitur aliquando ejus adventus, & interna inſpiratio, motu quodam devotionis & ſanctitatis. De quo adventu Dominus in Euangelio: *Spiritus ubi vult, ſpirat: & vocem ejus audis.* Jo. 3. Interiori auditu, ſentis ejus inſpirationem ex pace & fervore & dulcedine. *Sed neſcis unde veniat, aut quo vadat;* id eſt: principium & finem; id eſt: licet inſpirationem ſentias; Spiritum authorem, & finem non ſentis. Experimento ſentis vocem, & loquentem; ſed finem propter quem loquitur, non experiris. Aliquando datur viſibiliter ſub aliquo ſigno viſibili creaturæ, & ſic datus eſt ſub quadruplici forma. In forma columbæ in Baptiſmo Chriſti. Mat. 3. In forma nubis in transfiguratione. Ibid. 17. In forma flatus poſt reſurrectionem. Jo. 20. In forma ignis in die Pentecoſtes. Act. 2. Non tamen intelligendum eſt, quod Spiritus ſanctus formas illas aſſumpſerit ſicut Filius carnem hypoſtatice: nam licet Spiritus ſanctus apparuit in forma columbæ, non tamen fuit columba, ſed apparuit ſub illis cortinis & formis creaturarum ad denotandum effectus inviſibiles, quos faciebat in illa datione vel miſſione. Quemadmodum ſacramenta data ſunt ſub ſignis viſibilibus ſignificantibus effectus ſpirituales illorum. Nam in Baptiſmo fit ablutio interior peccatorum; in Confirmatione ſanctificatio denotata per chriſma; Euchariſtia nutrit animam & alit ſpirituali alimento; ſic Spiritus ſanctus apparuit ſub formis, & ſignis proportionatis effectibus ad quos dabatur. Unde in Baptiſmo Chriſti, quia ibi aqua ſignificabatur ad regenerationem ſpiritualem datus eſt in ſpecie columbæ quæ eſt avis fœcunda, ad denotandam regenerationem per fœcunditatem; & regeneratorum conditionem per ſimplicitatem columbæ. In transfiguratione, quia Chriſtus tunc promovebatur ut magiſter orbis, per vocem Patris, ad denotandam abundantiam doctrinæ, qua irrigari debebat tota terra ab illo ore ſacratiſſimo; datur in ſpecie nubis. Poſt reſurrectionem, quia Spiritus ſanctus dabatur tunc ad remiſſionem peccatorum faciendam, quæ non fit ſine inſpiratione Spiritus ſancti, datus eſt in forma flatus. Hodie autem quia dabatur ad converſionem orbis per doctrinam Apoſtolorum, datus eſt in forma linguæ ignitæ; ſicut canit Eccleſia: *Ignis vibrante lumine, linguæ figuram detulit, verbis ut eſſent proflui, & charitate fervidi.* Ecce quomodo Spiritus ſanctus datus eſt in forma & ſigno viſibili proportionato & adæquato effectui ſpirituali, ad quem mittebatur. Sed inter omnes has miſ-

A B C D E

ſiones hodierna celebrior, & inſignior fuit, & mundo utilior: propter quod ſancta mater Eccleſia ſolemne feſtum agit.

III. De hac autem miſſione ſive datione, poteſt quæri cauſa, ſive ratio, quare Spiritus ſanctus venit in mundum? Nam adventus Filii Dei fuit ad mundi reparationem & redemptionem; notoria eſt cauſa. Sed de Spiritu ſancto non ſic: facta namque redemptione, ad quid venit iterum Deus in mundum? De hoc tres cauſæ ſolent aſſignari.

IV. Primam innuit Bernardus (*a*) in ſermone hujus feſtivitatis; videlicet: ut de illo in mundo haberetur notitia. Nam perſona Patris ſatis nota erat per creationem. Apoſtolus: *Inviſibilia Dei, &c.* Similiter perſona Filii nota fuerat per incarnationem & miracula & reſurrectionem. De Spiritu ſancti modica vel nulla erat in mundo notitia: nam & philoſophi de Patre multa ſcripſerant, & de Verbo Dei nonnulla: ut Mercurius Triſmegiſtus, & Plato. Sed ut ait P. Auguſtinus: Magi Pharaonis defecerunt in tertio ſigno, id eſt philoſophi in cognitione Spiritus ſancti. Et ideo, ut ex illo celebri & notorio ejus adventu, de ipſo quoque haberetur notitia, venit hodie in ſigno viſibili. Nec parum hoc pertinebat ad mundi ſalutem: Nam *hæc eſt vita æterna: ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Jo. 17. In myſterio Trinitatis, & incarnationis, fide agnoſcendo & credendo tota ſalus mundi conſiſtit. (*a*)

V. Secundam cauſam ponit Apoſtolus dicens: Non enim accepimus ſpiritum hujus mundi, ſed Spiritum qui ex Deo eſt nuntiamus. 1. Cor. 2. Venit ergo ad oſtendendum mirabilia opera & amorem, quo Deus dilexit mundum, & dona quæ dederat, ne homo eſſet ingratus tantis beneficiis; ſicut ſcriptum eſt: *Virtutem operum ſuorum annuntiabit populo ſuo.* Pſ. 110. Non minus donum cognitio beneficii, quam ipſum beneficium. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum; nam ſicut nemo novit, *quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt: ſic quæ ſunt Dei nemo novit niſi Spiritus Dei.* 1. Cor. 2. Spiritus enim revelat myſteria.

VI. Tertia cauſa adventus ponitur in themate: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur,* Pſ. 103. ſcilicet homines cœleſtes ex terrenis, homines ſpirituales ex carnalibus, homines novi ex veteribus; & *renovabis faciem terræ,* quæ tota fuit per peccatum inveterata: nam Filius Dei factus eſt homo, ut homines fierent filii Dei, juxta illud Joannis: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Jo. 1. Hæc autem generatio inchoata eſt a Chriſto; nam reliquit & Apoſtolos, quaſi grana ſeminis, ex quibus tanta conſurgit meſſis populorum, & ſicut ova in nido. Venit Spiritus ſanctus,

(*a*) Ejus teſtimonium, quemadmodum & S. P. Auguſtini paulo infra allegatum, recitavimus in notis ad Concionem primam hujus argumenti, in qua plura extant, quæ in hac repetuntur.

ctus, & eduxit pullos ex ovis suo calore, ex quibus propagata est omnis illa cœlestis generatio in mundo. Nam quid fuit illud cœnaculum, nisi quasi nidus, in quo erant ova illa cœlestia, vel uterus quidam Ecclesiæ, ex qua Virgine Spiritus sanctus novam illam generationem subito eduxit sua virtute, sicut Filium Dei ex utero Virginis Mariæ? Hunc partum admirans Propheta dicebat: *Quis audivit umquam tale? Numquid parietur gens simul, quia parturivit & peperit Sion filios suos?* De hoc præcesserat figura in lege; quando frater discederet sine semine, ut frater suscitaret semen fratris sui. Sic Christus abiit sine filiis; propter quod, post resurrectionem mittit per mulieres dicere fratribus suis: *Ascendo ad Patrem meum.* Numquam fere ante vocaverat eos fratres. Dicite ut sint boni fratres, ut suscitent Fratris sui semen: nam ecce ascendo sine semine. Bonus frater Apostolus quid ait? *In Christo Jesu per Euangelium ego vos genui;* qui cum audisset quosdam e Corinthiis dicere: *Ego quidem sum Pauli: Ego autem Apollo: Ego vero Cephæ: Ego autem Christi;* ait: *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati estis?* Non Pauli, non Petri, sed Christi. Sic ait Psalmus: *Filiæ Regum in honore tuo*, non suo. Ecce ergo ad suscitandam hanc regenerationem cœlestem ex Ecclesia, Spiritus sanctus missus est ad innovandos homines, & reformandum mundum. Quid enim profuisset redemptio nisi homines reformarentur? Nunquid bestialibus & carnalibus dandum erat regnum cœlorum, & bestiæ cum Angelis collocandæ in cœlo? Venit Filius Dei redimere mundum, venit Spiritus sanctus facere mundum capacem redemptionis. Filius Dei sua passione aperuit cœlum, Spiritus sanctus fecit homines cœli habiles & capaces. Vides quam necessarius fuit adventus Spiritus sancti ad complementum redemptionis.

VII. Nunc de tempore dicamus, quo Spiritus sanctus missus est. Nodus historiæ: *Erant omnes pariter in eodem loco.* Erant omnes congregati: quia *factus est in pace locus ejus.* Non enim in turbine Dominus. Apostolus: *Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.* In discordia & dissensione animorum non habitat Dominus. Psalmus: *Vidi iniquitatem & contradictionem in civitate.* Jam ergo appropinquabat dies; & sol veluti purpureos colores spargebat in terra: cum corda Discipulorum novos affectus incipiunt præsentire. Orabant igitur cum Propheta: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis.*

Ne projicias me a facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me. Ecce de quo sermone præcedenti triplicem Spiritum, Spiritum rectum, Spiritum sanctum, Spiritum principalem. Illis ergo sic orantibus: *factus est repente de cœlo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes. Intonuit de cœlo Dominus.* O cœnaculum simile paradiso! O fornax Spiritus, in qua conflabantur viri cœlestes, purgati ab omni contagio humanæ fragilitatis, ab illo, *cujus ignis est in Sion, & caminus in Jerusalem!* Ex ista fornace quasi ex utero prodiit nova generatio, novam vitam incipiens, cœlestem habens conversationem. *Ipse enim quasi ignis conflans, & purgabit filios. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem, dicentes: Quidnam vult hoc esse? Alii autem irridentes dicebant: Quoniam musto pleni sunt isti.* Quam modicam apparentiam audire ebrios loquentes linguis multis; nam ebrius etiam propriam linguam amittit, & suam loquelam non format.

VIII. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Aliter Spiritus sanctus in Christo, aliter in Sanctis: nam illi non est datus Spiritus ad mensuram. In aliis enim, cuidam datur sermo prophetiæ, alii datur sermo sapientiæ, alii donum linguarum; Christo omnia simul data sunt & gratia in summo. Secundo: quia super Christum requievit Spiritus Domini: in aliis transit. De Christo dictum est: *Et requiescet super eum Spiritus Domini, &c.* De omni alio Sancto dicitur in Psalmo, *quoniam Spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum.* Hanc differentiam exponit Gregorius (*a*) quoad virtutem miraculorum: nos autem aliter etiam exponimus. Quoniam in Christo semper æqualis intus fervor in corde, semper æqualis virtus, semper æqualis affectus mentis. Quamvis in corpore Christi, id est in prima portione inferiori, aliquando major, aliquando minor fuit impressio. Aliquando enim turbatus clamabat, aliquando inflammatus orabat. Sed hæc differentia ostendebatur exterius. Interius autem suprema & æqualis erat in Deum mentis devotio, ut ipse ait: *Ego autem sciebam quia semper me audis.* Semper auditur qui continuo orat animo.

IX. In Sanctis vero Spiritus pertransit, devotionem & fervorem animo ingerendo, & non subsistit (*b*): quoniam postmodum cessat

Act. 2. Psal. 75. 2. Cor. 13. Psal. 54. Psal. 50. Act. 2. Psal. 17. Isaiæ 31. Malach. 3. Act. 2. Jo. 11. Ibidem. 1. Cor. 12. Isaiæ 11. Psal. 102.

(*a*) In Ezechiel. lib. 1. Homil. 5. num. 11. ita Spiritus mobilitatem explicat. *Potest tamen discursus, atque mobilitas Spiritus requisitione alterius considerationis intelligi. In Sanctorum quippe cordibus juxta quasdam virtutes semper permanet, juxta quasdam vero recessurus venit, & venturus recedit. In fide etenim, spe, atque charitate, & in bonis aliis, sine quibus ad cœlestem patriam non potest perveniri, sicut est humilitas, castitas, justitia, atque misericordia perfectorum corda non deserit. In prophetiæ vero virtute, doctrinæ facundia, miraculorum exhibitione electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit.*

(*b*) Vicissitudinem hanc, quam Sancti viri experiuntur, egregie explicat S. Bernardus Serm. 32. in Cant. num. 2. Aliquid etiam apud S. Gregorium reperitur loco citato num. 12., ubi mentem diu in contemplatione stare non posse affirmat.

ceſſat ille fervor, & ſic ceſſat, ut non cognoſcat amplius locum ſuum, ut nullum relinquat veſtigium dulcedinis & admirabilis ſuavitatis, quam tunc guſtat. Manet tamen memoria quædam debilis; &, ut ait Richardus (a): obliti reminiſcimur, nec licet ipſam experientiam experiri. Et nos, ut ait Gregorius (b), licet ſolem in ſpheram illius intendendo nequeamus conſpicere, quia tenſi in ejus radiis oculi reverberantur; ſole tamen illuſtratos montes aſpicimus, & quia jam ſol ortus eſt videmus; ita & ſolem quidem juſtitiæ in ſeipſo videre quamvis non poſſimus, illuſtratos tamen montes claritate illius videmus: Sanctos videlicet, qui virtutibus emicant, miraculis coruſcant, quos nati ſolis claritas perfudit; & cum in ſe ipſo ſit inviſibilis; per eos, quaſi per illuſtratos montes ſe viſibilem præbet. Virtus enim Divinitatis in ſe, quaſi ſol in cœlo eſt: virtus Divinitatis in hominibus, ſol in terra. *Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem audis, & neſcis unde veniat aut quo vadat.* Sed quomodo præſentia Spiritus ſancti cognoſcitur? Ex igne & lingua. Igne fervoris & devotionis. Pſalmus: *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*, id eſt pravos motus cordis. Sicut præſentia ſolis nebulæ fugantur, & caligo tollitur, ita præſentia Spiritus animus illuſtratur, ut videat ſe, & agnoſcat peccata ſua; & animus amore liqueſcit. *Anima mea liquefacta eſt, poſtquam dilectus locutus eſt. Flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ*, id eſt lacrymæ devotionis. Secundo ex lingua: nam tunc mirum in modum lingua mutorum ſolvitur, fit diſerta lingua in factis, ut mira dicat Deo, quæ prius neſciebat loqui. Incutit etiam peccatoribus præſentia Spiritus ſancti timorem pro peccatis ſuis. Job quarto: *Et cum Spiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* Nota figuram ſolemnem, quando ſpiritus noſter luctatur cum Deo, in Jacob luctante cum Angelo. Pondera, quomodo vincitur Deus in iſto certamine. Flectitur enim ad miſericordiam, & tollitur ira ejus in peccatores. Et femur carnis emarcuit. Omnia deſideria terrena, maxime carnales illecebræ ſopiuntur. Tenetur donec relinquat benedictionem. Tranſacto fervore manet benedictio, quia conſervatur a peccato. Tota nocte pugnat: tota vita præſens nox eſt: non ceſſat animus a pugna ſpirituali, uſque ad mane. Moraliter. Figura columbæ, quæ emiſſa a Noe de arca, non inveniens ubi figeret pedem, reverſa eſt ad arcam. *Non eſt abbreviata manus Domini:* Magnifica eſt, parata eſt dare Spiritum ſanctum. *Si vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quanto magis Pater cœleſtis dabit Spiritum bonum petentibus ſe?* Sed non eſt ubi requieſcat, non eſt ubi pedem figat. In principibus ambitionem reperit, non figit pedem: in clericis ſimoniam, non figit pedem: in populis fraudem, non figit pedem; non eſt ubi ſedem figat Spiritus, ut doceat veritatem. Super quem requieſcet Spiritus meus? *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum Spiritu, & trementem ſermones meos?*

X. Sed quare in die Pentecoſtes Spiritus ſanctus datus eſt? Nempe, quia illo die lex data eſt: illa namque datio celebrabatur; oportuit ut in die eodem daretur legis complementum. Spiritus enim eſt, qui dat virtutem ad implendam legem, ut figuræ reſponderet figuratum; ſicut etiam priori feſtivitati quando agnus immolabatur, Chriſtus immolatus eſt. Tria namque Paſchata habebat ille populus. Scilicet: agni, in quo beneficia eductionis de Ægypto recolebant; ſecundum legis; tertium tabernaculorum, in memoriam beneficii paſtus in deſerto in menſe ſeptembris. Attendamus nunc, quando data eſt lex, cum quanta authoritate & majeſtate. Fumigavit mons, & ſplenduit coruſcationibus & tonitruis, adeo ut non ſolum populus, ſed etiam Moyſes exterritus non auderet accedere. Sed tandem aſcendit, penetravit nebulam, accepit legem, & deſcendit rutilans facie; adeo ut apponeret velamen. Quid ferebat Moyſes? Quid datum eſt mundo? Tabulæ cum decem vocibus: & propter hoc tanta myſteria? Quomodo ponderat Apoſtolus: *Si miniſtratio mortis fuit in gloria?* Si dator litteræ, quid dator Spiritus? Quanta gloria Spiritus? Non erat datus, *quia Jeſus nondum erat glorificatus.* O legem, & legem! O Legislatorem, & Legislatorem! Non das Domine litteram mortuam, ſed legem vivam, legem ignitam, non ſcriptam in codice, ſed in cordibus. Non ſcripſiſti codices Euangelicos legendos, ſed codices Apoſtolicos vivos ſcriptos digito Dei, terribiles & admirabiles. *Conturbati ſunt, qui videbant eos, & timuit omnis homo.* Qualis legislator talis lex, propter quod lex bis data eſt, & ſecundo Moyſes poſuit tabulas. Prima lex frangenda, ſecunda perpetuanda. De hoc figura in Eliſeo, qui miſit famulum cum baculo, & non ſurrexit puer: & menſus eſt, nec calefacta eſt caro pueri: potius baculus

Jo. 3. Pſ. 96. Cant. 5. Pſ. 147. Job 5. Gen. 32. Ibid. 8. Iſaiæ 59. Lucæ 11. Exodi 19. Ibid. 24. Ibid. 34. Ibid. 32. 2. Cor. 3. Jo. 7. 2. Cor. 3. Pſ. 63. Exodi 32. Deut. 10. 4. Reg. 4.

(a) Richardus a S. Victore in tract., cui titulus: Beniamin major, ſeu de Contemplatione lib. 4. cap. ult. *Et mirum in modum reminiſcentes non reminiſcimur, & non reminiſcentes reminiſcimur, dum videntes non pervidemus, & aſpicientes non perſpicimus, & intendentes non penetramus.*

(b) Homil. 30. in Euang. num. 10. *Nemo etiam noſtrum orientem clare ſolem in ſpheram illius intendendo valet conſpicere; quia tenſi in ejus radiis oculi reverberantur: ſed ſole illuſtratos montes aſpicimus, & quia jam ſol ortus eſt videmus. Quia ergo ſolem juſtitiæ in ſe ipſo videre non poſſumus, illuſtratos montes claritate illius videamus, ſanctos videlicet Apoſtolos, qui virtutibus emicant, miraculis coruſcant: quos nati ſolis claritas perfudit: & cum in ſe ipſo ſit inviſibilis, per eos nobis, quaſi per illuſtratos montes, ſe viſibilem præbuit. Virtus enim Divinitatis in ſe, quaſi ſol in cœlo eſt: virtus Divinitatis in hominibus, ſol in terra.*

mortem operatur quam vitam. Venit Christus, mensus est Deus cum humano genere. In illo suppositio Divino concaluit mundus ex beneficio, & suo flatu: id est, Spiritu hominem vivificavit. Nam sicut prius facto plasmate corporis lutei, insufflavit in eo Spiritum vitæ, *& factus est homo in animam viventem:* nunc secundo insufflavit Spiritum, & factus est homo in Spiritum vivificantem.

Gen. 2. *Jo. 20.*

XI. Quatuor effectus habet ignis inter cæteros: scilicet indurare, purificare, inflammare, illustrare. Hos fecit Spiritus sanctus invisibiliter in cordibus Apostolorum. Induravit fortificando, ad sustinendos labores, & martyrium: purificavit animos eorum ab amore terrenorum: inflammavit amore cœlestium: illustravit intelligentia scripturarum, & mysteriorum Dei. Ezechiel: *Vidi quasi speciem electri, & veluti aspectum ignis, & velut aspectum arcus, cum fuerit in nube in die pluviæ.* Erat quasi species, quia non erat verus ignis, sed similitudo. Sicut etiam non erat vera columba (*a*), quæ apparuit in Baptismo, sed statim resoluta sunt in materiam priorem. Et species arcus in nubibus, arcus datus est in signum fœderis, & amoris. Hinc Pentecostes, annus jubilei, in quo captivi liberantur, hæreditas cœlorum peregrinis restituitur, innocentia perdita rediit, priora omnia restaurantur, & in pristinum vigorem reducuntur: hic annus placabilis Domino. Arcus causatur ex refulgentia solis in vaporem nubis: ex illustratione Spiritus in vaporem nostræ naturæ, arcus ille causatus est. Inde fluxit imber gratiarum, rorans totam superficiem terræ, id est Ecclesiæ. Sic enim ait Dominus in Euangelio: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ:* sequitur: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

Ezech. 1. (*a*) *Gen. 9.* *Levit. 25.* *Jo. 7.*

XII. Antiquis temporibus Babylonis turris ædificabatur, & linguæ confusæ sunt. Nunc nova fidei turris ex lateribus coctis, id est ex hominibus Spiritu sancto adustis ædificatur. O quam difficile, quam arduum ædificium! Quantus sanguis fusus, quot millia laterum, id est martyrum posita sunt in ædificio, super capita martyrum ædificata in firmam petram Christum! Nunc ergo linguæ confusæ iterum conjunguntur. Nunc iterum dispertitæ linguæ redeunt in ædificium, ut sic intelligantur ab omnibus. *Linguis loquuntur omnium, turbæ pavent Gentilium, musto madere deputant, quos Spiritus repleverat.* Et verum est, quoniam musto pleni sunt, sed de cœlo inebriati sunt. Aliud vinum est de hoc mundo, de quo Psalmus: *Fel draconum vinum eorum.* Amor itaque vinum est: sed multum interest inter vinum & vinum. Utrumque inebriat; sed unum inflammat ad vitam, alterum infatuat ad mortem.

Gen. 11. *Deut. 32.*

XIII. Tria sunt in me: scilicet, fictio, malitia, infirmitas. Ita triplicem Spiritum ponit Psalmus, scilicet: *Spiritum rectum,* id est verum, seu veritatis, ut dicitur in Euangelio, contra fictionem cordis, & duplicitatem. Jacobus: *Purificate corda vestra duplices animo.* Secundum: Spiritum sanctum contra malitiam. Sanctus Spiritus, id est sanctificans, & mundans ab omni labe malitiæ, & illecebra. Tertium Spiritum principalem, id est virtutis, & fortitudinis contra infirmitatem. Sic ergo Spiritus sanctus unus est, sed vocatur triplex a triplici effectu: scilicet, vivificare, mundare, fortificare. Isti ponuntur in Psalmo, *Miserere mei Deus, &c.*

Psal. 50. *Jacob. 4.* *Psal. 50.*

XIV. Sed & *verbo Domini cœli*, id est Apostoli, *firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Pensemus, sanctos Apostolos prædicatores nostros quales hodierna die repererit, quales fecerit. Certe qui in uno conclavi pro Judæorum metu residebant, nativitatis suæ singuli linguam noverant, & tamen nec ea ipsa lingua quam noverant, aperte Christum loqui præsumebant. Venit Spiritus sanctus; & in ore eos per diversitatem linguarum docuit, & mentes eorum sua virtute roboravit. Cœperunt & in aliena Christum eloqui, qui de illo prius & in sua lingua loqui metuebant. Inflammatum etenim cor despexit tormenta corporis, quæ ante metuebat. Vicit vim carnalis formidinis præ amore conditoris, & qui prius suis adversariis succumbebant formidine, eis jam præerant authoritate. Spiritus ergo qui in tantæ eos celsitudinis culmen erexit, quid aliud dixerim, nisi quod mentes Apostolorum cœlos fecit ac firmavit? Neque fecit tantum, atque firmavit, sed & ornavit. Unde Job: *Spiritus Domini ornavit cœlos.* Gregorius, *in Homilia Apostolorum* (*b*). De mundi conversione per Apostolos: figura Gedeonis, cum tubis & lanternis. Isaias: *Sceptrum exactoris ejus superasti sicut in die Madian. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe; sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia.* Item, de conversione mundi per Apostolos, mirabilis Prophetia & quasi historia. Psalmus 64. Totum Psalmum expone: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Circulus ascensionis & judicii tempus. *Exitus matutini, & vespere delectaberis.* Primordia Ecclesiæ, & finis sæculi, in quibus sanctitas & fides abundabit. *Beatus quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit.* Christus inhabitabit, assumptus in cœlis.

Job 26. (*b*) *Isaiæ 9.* *Psal. 64.*

Reple-

(*a*) Ita docent S. Parens Augustinus Epist. 169. cap. 3., alias Epist. 102., S. Ambrosius de Sacrament. lib. 1. cap. 5., S. Joann. Chrysostomus in Matth. cap. 3. Homil. 13. Vide Suarez in 3. part. S. Thomæ tom. 2. quæst. 39. disp. 27. sec. 2.

(*b*) Hoc est in Homil. 30. in Euang. num. 7., quæ in Breviario Romano affertur in Communi Apostolorum. *De isto quippe Spiritu scriptum est: Spiritus ejus ornavit cœlos, ornamenta enim cœlorum sunt virtutes prædicantium, &c.*

Replebimur in bonis domus tuæ, quæ effundet, &c. Sed, jam datus erat Spiritus sanctus per insufflationem. Ad quid iterum datur? Chrysostomum (*a*) vide. Duos effectus; scilicet: illuminare, inflammare. Ideo bis datur. Figura Elisei: fiat duplex Spiritus. Bernardus (*b*): Spiritus, qui illuminet intellectum, & qui inflammet affectum. Sed, quare ante non datus est Spiritus? Quia Jesus non fuerat clarificatus. Non decuit Spiritum dari ante resurrectionem. Vide S. Thomam (*c*).

Jo. 20. (*a*) *4. Reg. 2.* (*b*) (*c*)

IN DOMINICAM SS. TRINITATIS

CONCIO PRIMA.

DE SS. TRINITATIS MYSTERIO;

AD PHILIPPUM HISPANIARUM PRINCIPEM.

Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. 1. Joann. 5. v. 7.

CONCIO LXXXV.

I. QUi profundum fluvium, aut aquæ torrentisque vadum periculosum, pedes transiturus est; multa in primis solet cavere. Primum: non se projicit temere in aquas, sed pedetentim cum multo timore & providentia pertransit. Secundo: non fidens soli visui, baculum quo metiatur altitudinem aquarum assumit, quo etiam gressus regat, ne forte fovea occulta & latenti mergatur. Tertio: si de nocte trajiciendus est fluvius inundans, ut ex ripa ei incendatur lumen curat, quo ipsum vadum appareat. In Ezechiele legimus fluvium quemdam amplissimum de templo egredientem, per quem Angelus Prophetam deducebat, & mensus est mille cubitos, & traduxit illum usque ad talos; & rursus mensus est mille, & traduxit illum usque ad genua, & rursus mensus est mille, & traduxit illum usque ad renes: & mensus est mille, torrentemque non potuit transire; quoniam intumuerunt aquæ torrentis. Torrens iste qui exivit de templo, id est pectore Salvatoris, sacra doctrina est; in qua sunt quædam facilia & levia de moribus & de virtutibus, de vitiis & peccatis; quædam profundiora de creatione, de gubernatione, & de providentia Dei; quædam adhuc profundiora & altiora de mysteriis redemptionis, & figuris eorum; quædam profundissima, altissima, impertransibilia, quale est hoc mysterium de quo tractare debemus. Hodie namque, Princeps Sereniſſime, pelagus profundum & abyssum magnam intraturi sumus: locuturi sumus non de moribus, non de vitiis & virtutibus, non de rerum natura, & ejus creatione, non de cœlo & astris, aut motu cœlorum, non de animalibus & plantis, non de veteris testamenti figuris, sed de omnium rerum primo principio; de naturæ artifice & potentissimo conditore, de illo secretissimo & impenetrabili Divinitatis arcano, & profundissimo Trinitatis mysterio? O altissima materia! Et quis audebit pelagus tantum intrare? In hoc lacu profundissimo plurimi periclitati sunt. In hoc periit Arrius: in hoc Sabellius, Manichæus, Photinus, & innumeri hæretici perierunt; quia incaute intraverunt in hoc pelago, magnæ susciatæ sunt tempestates in Ecclesia, adeo ut navicula Petri valde periclitata, & pene submersa sit. In eo ergo nos sensim pedetentim intremus, non temere nos projiciamus sicut illi. Unde Psalmus: *Accedite ad eum, & illuminamini*. Bernardus (*d*): Ne irruatis, ne obruamini. *Nam scrutator majestatis, opprimetur a gloria*. Sicut qui nimis attente respicit solem, non illuminatur, sed cæcatur. Cum baculo etiam fidei intremus, qui præcedat nos. Ne fidamus visui nostro, ne præeamus ante baculum. Fides præcedat, ratio sequatur. Intellectus ne præeat, sed sequatur fidem. Quia scriptum est: *Nisi credideritis, non intelligetis* (*e*). Oportet ergo credere, ad intelligendum: & non intelligere, ad credendum.

Ezech. 47. *Mat. 8.* *Psal. 33.* (*d*) *Prov. 25.* *Isaiæ 7.* (*e*)

(*a*) Homil., seu Serm. 2. in Pentec. de S. Spiritu satis post initium, ubi de hoc agit. Vide S. P. Augustini lib. 4. de Trinit. cap. 20., & Hieronymum Epist. ad Hedibiam quæst. 9., qui eamdem versant quæstionem.

(*b*) Ejus testimonium adduximus in notis ad Concion. 2. hujus argumenti.

(*c*) In cap. 7. Joann. lect. ultima.

(*d*) Serm. 31. in Cant. num. 3. *Ergo accedendum ad eum, non irruendum, ne irreverens scrutator majestatis opprimatur a gloria*. Vide etiam Sermonem 62. in Cant. num. 4.

(*e*) Ita legunt Septuaginta Isaiæ 7. v. 9. Vulgata autem: *Si non credideritis, non permanebitis*. S. Parens Augustinus in Psal. 118. Serm. 18. num. 3. *Alia sunt enim, quæ nisi intelligamus non credimus, & alia sunt,*

Si credideris firmiter ſine ratione, mira intelliges de divinis ſecretis, mira etiam loqueris; ſicut ſcriptum eſt: *Credidi, propter quod locutus ſum.* Noli ergo prius intelligere ut credas, ſed prius credere ut intelligas. Magna quippe ſtultitia eſt, velle myſteria fidei ratione comprehendere. O cæca ſuperbia, ut vilis vermiculus & formica de terra, vaſculo modico ſui intellectus oceanum Divinitatis velit concludere, & pugillo comprehendere univerſitatis authorem! *Quæ in proſpectu ſunt videmus cum labore*, ait Sapiens: *quæ in cœlis ſunt quis inveſtigabit?* Exiguas creaturas quas videmus, non intelligimus, & abſconditam Deitatis abyſſum volumus intelligere? Et quoniam nocte profunda ambulamus, poſtquam peccato primi parentis, ſpiritualis intelligentiæ lumen amiſimus, obſecremus aliquem de ripa ſecuritatis, & gloriæ, qui jam vadum tranſivit, & periculum evaſit, ut nobis accendat lucernam ad oſtendendum vadum iſtud, & lumen ad intelligendum, & gratiam ad loquendum imploret. Sed quem potiſſimum obſecrabimus, niſi illam Virginem puriſſimam, de qua ſcriptum eſt: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus?* In illa quippe tempeſtate paſſionis Filii ejus benedicti, omnes lucernæ Apoſtolorum vento illo perſecutionis valde obtenebratæ ſunt. Fides Virginis ſola inter illos permanſit, ardens & lucens. In tota nocte vitæ præſentis, a principio ſuæ conceptionis uſque ad mortem, qua venit ad diem claram, toto vitæ ſuæ tempore lucerna & fidei & gratiæ collatæ nullo turbine, nulla tempeſtate extincta eſt, ſed ſemper lucida & clara permanſit. Ad hanc ergo Virginem accurrentes, gratiam poſtulemus, offerentes ei Salutationem Angelicam:

Pſ. 115.

Sap. 9.

*Prov.*31.

AVE MARIA.

II. Duo dicenda ſunt themati propoſito conſentanea. Primo de Trinitatis myſterio: ſecundo de ejus teſtimonio: utrumque tangitur in themate. Primum cum dicitur, *hi tres unum ſunt:* ſecundum cum dicitur, *tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus.* De priori in hac concione dicitur; de ſecundo autem in ſequenti.

1. *Jo.* 5.

III. A principio mundi grande fuit hominibus deſiderium, & naturalis quædam ac vehemens inclinatio, noſſe primum illud principium, & rerum omnium conditorem, quem vocamus Deum; qualis ſit, cujus ſit conditionis & naturæ; & merito. Quid enim optabilius, quid dulcius homini, quam noſſe artificem & conditorem ſuum? Si enim imago pulcherrima a pictore aliquo depicta capax eſſet ſenſus & intellectus, quid magis optaret, quam agnoſcere & videre pictorem ſuum, & ipſum totis viribus ſuis benedicere, & laudare? Et multo amplius, ſi ad ejus ſimilitudinem depicta eſſet? O pictor noſter! O artifex mundi omnia tua opera corporalia objeciſti nobis, & te ipſum abſcondiſti? Ubi quæremus te? Job: *Si ad orientem iero, non apparet: ſi ad occidentem, non videbo eum. Poſuiſti tenebras latibulum tuum.* Video cœlos tuos, video ſtellas, maria, terram, opera digitorum tuorum, opera eximia, opera præclariſſima; artificem vero non video, quem maxime videre deſidero. O noctem, o tenebras, o peregrinationem, o exilium intolerabile, o abſentiam conditoris duriſſimam! Pſalmus: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: ubi eſt Deus tuus?* Non enim opera ejus videre cupio, ſed artificem. Quoniam, ſicut ait P. Auguſtinus (*a*), beatus qui te videt, etiam ſi cætera non videat, qui autem te & alia videt, non ideo beatior eſt. Deum namque eſſe per ſe notiſſimum eſt: omnia namque hoc teſtantur. Clamat cœlum, clamat terra, clamat ſol & aſtra, *quoniam ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Unde neque eſt, aut umquam fuit gens adeo barbara, ruſtica, & bruta, quæ non haberet & coleret Deum aliquem: quoniam Deum eſſe, omnis gens, omnis mundus agnoſcit; quaſi hanc veritatem ipſa natura monſtrante. Sed qualis ſit iſte Deus, cujus naturæ, cujus conditionis, & qualitatis, corporeus an incorporeus, unus vel plures, viſibilis aut inviſibilis, æternus aut corruptibilis, productus vel improductus, & quomodo omnia diſponat vel gubernet, & de ejus providentia, & ſapientia; & ſi ſunt plures, an æquales vel inæquales, & de eorum dominio & juriſdictione, & converſatione, & vita, hoc latet: hoc arcanum ſecretiſſimum eſt & abſconditum ab oculis mortalium: hoc eſt quod omnes homines tam ardenter ſcire cupiunt ab initio.

Job 23.

*Pſal.*17.

Pſal. 8.

*Pſal.*41.

(*a*)

*Pſal.*99.

IV. O quantum in hoc inquirendo & inveſtigando illi antiqui philoſophi, & ſapientes, qui mundi magiſtri & doctores ſe eſſe profitebantur, deſudaverunt! Divitias & delitias mundi, & hominum ſocietates devitantes, & contemnentes, ut huic ſcrutinio vacarent, & abſconditum intra creaturarum nebulam reperirent. Sed quantus eſt humanus intellectus, quanta rationis perſpicacia, & ingenii acumen, ad tantum arcanum perſcrutandum? Laboraverunt, ſudaverunt tota vita

---

ſunt, quæ niſi credamus non intelligimus. Et in Joann. Euang. tract. 36. num. 7. *Ideo credis, quia non capis; ſed credendo fis idoneus, ut capias. Nam ſi non credis, numquam capies, quia minus idoneus remanebis.* Et de Trinit. lib. 7. cap. ult. *Quod ſi intellectu capi non poteſt, fide teneatur, donec illuceſcat in cordibus ille, qui ait per Prophetam: niſi credideritis non intelligetis.*

(*a*) Confeſs. lib. 5. cap. 4. *Beatus autem qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat. Qui vero & te, & illa novit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus eſt, ſi cognoſcens te, ſicut Deum glorificet, & gratias agat, & non evaneſcat in cogitationibus ſuis.*

vita fruſtra. *Defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.* *Pſal.63.* *Vanum* quippe erat eis *ante lucem ſurgere.* *Pſ. 126.* Ante illam dico lucem *quæ illuminat omnem* *Jo. 1.* *hominem venientem in hunc mundum.* Quoniam hæc veritas, hoc arcanum, non rationis ſcrutinio, non intellectus lumine, ſed divina ſolum revelatione manifeſtandum erat. O bone Jeſu, quantas & quam ridiculas inſanias & ſtultitias de Deo ſenſerunt & docuerunt! *Vere dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* *Rom. 1.* Pudet referre ineptias pueriles illorum deorum, quos colebat gentilitas. Legatur P. Auguſtinus (*a*) *de Civitate Dei.* (*a*) Et ut unum de multis dicam: quid puerilius, quid ſtultius, quam ponere tot deos, & deas pro ſegetibus ſolis, ſicut ponebat populus ille Romanus, qui omnibus imperabat? Scilicet: Seiam, Segetam, Proſerpinam, Nodotum, Volutinam, Patelenam, Hoſtilinam, Floram, Lacturciam, Matutam, Runcinam, Tutilinam. Quaſi non potuerint unum Deum invenire, cui ſemel ſegetes commendarent, partitis muneribus uni ſata committebant: alii ſegetem prodeuntem: alii creſcentia germina: alii nodos: alii folliculos: alii ſpicam patentem: alii ariſtis ſe æquantem: alii florentem: alii lacteſcentem: alii matureſcentem: alii meſſem: alii frumentum, ut tuto ſervaretur. O miſerandam infantiam tantæ cæcitatis & tenebrarum! Sed & cultus, & ſacrificium turpiſſima erant: erat namque in hoc tanta varietas, ut unaquæque Provincia proprios haberet deos, varioſque cultus, varios ritus, & varia ſacrificia, ut liquido conſtaret, in tanta varietate non poſſe conſiſtere veritatem. In hac profunda cæcitate & tenebris, per quinque mille annos, & amplius, fere totus mundus permanſit; ſicut Apoſtolus ait. O grandis Dei ſeveritas! O terribilis ultio peccati! *Ibidem.*

V. Pauciſſimi autem ex illis philoſophis, inſtinctu divino, ut exiſtimo, magis quam ſtudio, a longe aliquid de hoc ſacratiſſimo arcano attigerunt. Sicut fuit ille Socrates (*b*), (*b*) qui pro uno Deo interiit bibita cicuta apud Athenas: & Ariſtoteles (*c*), (*c*) qui unum naturæ Deum & Principem aſſeruit; & Plato ille, vocatus Divinus, qui licet poſuit plures deos creatos, id eſt Angelos, ſicut in Pſalmis dicitur: *Deus Deorum Dominus locu-* *Pſal.49.* *tus eſt*, unum tamen poſuit verum Deum, omnium conditorem: in quo etiam, neſcio quo inſtinctu, poſuit quandam Trinitatem (*d*), (*d*) ſcilicet: ipſum per ſe eſſe; id eſt: eſſe primum; & ipſum Verbum, ſive Filium Dei, ſive mentem, ſive mundum exemplarem, & idealem; & tertio loco animam mundi. Unde & Trinitas Arriana parum a Trinitate Platonica differebat. Neque parum nocuit Arrianis (*e*) eſſe Platonicos. Mirum de iſto (*e*) philoſopho: qui tantum attigit de hoc myſterio, ut dicat P. Auguſtinus (*f*), (*f*) ſe in libris Platonicis legiſſe totum illud principium Joannis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum,* *Jo. 1.* licet aliis verbis. Et quid mirum de iſto philoſopho, cum Hermes Triſmegiſtus Platone multo antiquior, librum ſcripſerit de Verbo perfecto, quem ego legi; in quo dixit: Monas genuit Monadem, & in ſe reflexa produxit Ardorem. Quid amplius de Trinitate diceret P. Auguſtinus? An putamus eos ſolo lumine naturali hæc attigiſſe, & non potius inſtinctu quodam divino hæc ſenſiſſe? Quia viri boni erant, & ſtudio perquirendæ veritatis intenti. Sicut Sybillæ, quæ multo majora dixerunt, lumine quaſi prophetico. Unde P. Auguſtinus de Virgilio (*g*) ſentit non niſi inſtinctu Dei dixiſ- (*g*) ſe: *Jam nova progenies cœlo demittitur alto;* licet neſciens quid diceret: ſicut Caiphas. Qui philoſophi licet de Verbo Divino plu- *Ibid. 11.* rima dixerunt, defecerunt tamen in tertio *Exodi 8.* ſigno, id eſt in cognitione Spiritus ſancti, ſicut Magi Pharaonis, ut refert P. Auguſtinus *in Libro Quæſtionum* (*h*) *ſuper Exo-* (*h*) *dum*. Talis ergo fuit gentilitas.

VI. In populo autem Hebræo a Deo electo & illuminato, de hoc myſterio hoc ſolum innotuerat, quod dicitur: *Audi Iſrael,* *Deut. 6.* *Dominus Deus tuus unus eſt.* Neque ex ſapientibus, & legiſperitis, & ſcribis quiſquam erat, qui aliud ſciret, aut pluralitatem aliquam in Divinitatis natura ſuſpicaretur, præter pauciſſimos Dei amicos, quibus propter amicitiam & familiaritatem, Deus ut maximum & præclariſſimum donum, Trinitatis arcanum revelaverat: & quod in illa unitate & ſimplicitate Deitatis, quam lex proclamat, aliqua eſſet pluralitas demonſtraverat. Neque hoc æqualiter omnibus: prioribus enim illis Patriarchis generaliter, & confuſe hoc expoſuerat; ſicut ipſe dicit: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac,* *& Jacob in Deo omnipotenti, & nomen meum* *Exodi 6.* *Adonai non indicavi eis.* Quod non de nomi-

ne

(*a*) De Civit. Dei lib. 4. cap. 8., ubi Romanorum ineptias deſcribit, quas hoc loco ſtrictim attingit S. Orator.

(*b*) Hujus meminit S. P. Auguſtinus de Civit. Dei lib. 8. cap. 3. Ejuſdem vitam, ac mortis genus habes ſatis fuſe deſcriptum a Stanlejo Hiſtor. Philoſoph. tom. 1.

(*c*) Legendus hac de re Eugubinus de Perenn. Philoſoph. lib. 4. cap. 1.

(*d*) De hoc Platonis dogmate agit S. P. Auguſtinus de Civit. Dei lib. 13. cap. 16. & 17.

(*e*) *Etenim*, inquit Petavius Theol. dogm. tom. 2. lib. 1. cap. 1., *quidquid hæreſeon, opinionumque falſarum primis illis Eccleſiæ temporibus emerſit, ac præſertim Arriana tota perfidia, ex illo Platonicorum commento cauſam, & originem accepit.*

(*f*) De hoc ſimul & de Triſmegiſto actum eſt in notis ad Concionem 1. in Dom. Pentec., ubi eadem ferme habentur. De his omnibus differit S. Thomas 1. part. quæſt. 32. art. 1. per totum, ubi Triſmegiſti teſtimonium, hoc loco a S. Oratore allatum, minime de Trinitate intelligendum reſpondet, ſed de mundi creatione: extat autem teſtimonium illud in Pymandro. Hæc paſſim expendunt Scholaſtici.

(*g*) De eo S. Parens de Civit. Dei lib. 10. cap. 27., & Epiſt. 258. num. 5., alias Epiſt. 155.

(*h*) Conſule notas ad Conc. 1. in Dom. Pentec., ubi idem habetur.

(a) ne illo altiſſimo Tetragrammaton (a), ſed de illo de quo Dominus ait: *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus*, intelligendum exiſtimo. Nam licet agnoſcebant Trinitatem in Divinis, non tamen Perſonarum proprietates, origines, & relationes, & nomina propria, quæ poſteri cognoverunt. Unde ipſe David de ſeipſo ait: *Super ſenes intellexi*, quoniam præ omnibus clarius de hoc myſterio locutus eſt, propriis nominibus, nominans Perſonas, dicens in Pſalmis: *Verbo* Pſal. 32. *Domini cœli firmati ſunt: & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*, & in alio Pſalmo: *Dominus* Pſal. 2. *dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quid amplius Euangeliſta diceret? Sic etiam Iſaias, & alii Prophetæ poſteriores, hoc in- (b) tellexerunt, ſicut ait Gregorius (b), creſcente tempore, crevit notitia veritatis. Quanti putas æſtimabat David hanc creatoris ſui notitiam? Quomodo de hujus tam alti ac mirifici myſterii ſapientia gloriabatur? Plus certe quam de regno, & de omnibus divitiis, & omni gloria mundi. Propter quod dicebat: Pſal. 50. *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.*

VII. Gratias tibi Jeſu, gratias tibi *lux* Jo. 1. *vera*, *quæ* illuminas *omnem hominem venientem in hunc mundum*. Tu nobis hoc arcanum publicaſti, & notum feciſti Deus hominibus. Ecce jam bubulcus, & ruſticus manu tenens aratrum, & paſtor ovium cuſtos, & agricola ſegetes metens, noverunt hoc ſecretum, quod tunc ſolis amicis tuis pro dono maximo revelaſti. Si quæras ab agricola, a paſtore & bubulco, dic mihi quid ſentis de Deo? Deus, ait, eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres Perſonæ, & unus Deus. O admirandam gratiam! (c) Hieronymus (c): Hoc doctus Plato neſcivit, hoc eloquens Demoſthenes ignoravit. Unde & ipſe Dominus gratias agens Patri, pro tanto beneficio, elevatis oculis in cœlum, ait: *Confiteor tibi Domine Pater, Rex* Mat. 11. *cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te.* Et ut ſcias, quia de revelatione hujus myſterii loquitur, adjungit: *Nemo novit Filium, niſi Pater, Patrem autem nemo novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Ex quo etiam colligitur quod ex ſola revelatione hoc myſterium potuit innoteſcere. Unde cum Petrus interrogatus reſpondiſſet: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi;* audivit Ibid. 16. a Domino: *Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlis.* Ac ſi diceret: Non tibi hoc mater ſynagoga, non ſacerdotes & ſcribæ, ſed ſolus Pater meus de cœlo revelavit. Beatus pro tanto dono, quia hoc myſterium agnoſcere meruiſti. Non itaque ratione, non ſtudio, non experientia vel aliquo alio lumine naturali, ſed ſola revelatione Jeſu Chriſti hoc innotuit mundo: & mundus a tali magiſtro cognovit Deum ſuum quis eſſet, qualis eſſet, & quomodo eſſet; adeo ut nihil reſtet, niſi videre eum. O præclara notitia! O altiſſima ſapientia, ſola iſta veritas, *tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœ-* 1. Jo. 5. *lo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt!* Prævalet toti ſapientiæ mundi, pluſquam omnis philoſophia, & omnis aſtrologia, & omnis alia vel naturalis vel civilis ſcientia. Quia utilius & optabilius eſt noſſe creatorem mundi, quam noſſe motus cœlorum, virtutes aſtrorum, herbarum, & animalium naturas, & omnes creaturas. Unde Dominus: *Hæc eſt vita æterna* Jo. 17. *ut cognoſcant te verum Deum: & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Sine aliis ſcientiis ſalvari poteſt homo, ſine hac non eſt ſalus. Hæc ſapientia omnibus hominibus jam neceſſaria eſt ad ſalutem: ſine hac notitia poſt promulgatum Euangelium nullus ſalvabitur. Sed ſicut ſcriptum eſt: *Si quis ignorat ignorabitur.* Unde in Symbolo: *Hæc eſt fides* 1. Cor. 14. *Catholica, quam niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.* Nam *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Hæc ve- Heb. 11. ritas totius fidei unica baſis & firmamentum eſt. Quidquid de fide tenetur, hoc unico fundamento ſolidatur. Si Trinitatem neges, Filium Dei incarnatum, natum, paſſum, reſurrexiſſe, aſcendiſſe, & cæteros omnes fidei articulos quomodo credes? Unde P. Auguſtinus (d) loquens de Trinitate, ait: Ni- (d) hil difficilius quæritur, nihil fructuoſius invenitur, nullibi periculoſius erratur. Et propterea hæretici qui in hoc articulo erraverunt, cæteris pejores fuerunt, quia totam fidem radicitus evellebant.

VIII. Quia igitur altiſſimum hoc Trinitatis myſterium ſola Dei revelatione mundo innotuit, ideo ſumme colendum, venerandum, & pie credendum eſt, non temere diſcutiendum, neque curioſe perſcrutandum: id enim ſolum in hac parte cognoſcere poſſumus, quod de ſe Divina clementia revelare dignata eſt. Unde mea quidem ſententia, ſanctius multo, & magis pie doctores antiqui de hoc myſterio tractaverunt, quam aliqui ex recentioribus, qui dum multa ſubtiliter diſquirunt, hanc ſacratiſſimam veritatem involvunt, potius quam exponunt.

Quos

(a) In Hebræo tamen non eſt *Adonai*, ſed nomen Tetragrammaton; nec niſi ob imperviam illius expreſſionem, nomen *Adonai* ab interprete ſubſtitutum eſt. Plura in hanc rem colligit Cornelius a Lapide Exod. 6. v. 3.

(b) In Ezechiel. lib. 2. Homil. 4. num. 12. *Qua in re hoc quoque nobis ſciendum eſt, quia & per incrementa temporum crevit ſcientia ſpiritualium Patrum. Plus namque Moyſes, quam Abraham; plus Prophetæ, quam Moyſes; plus Apoſtoli, quam Prophetæ, in omnipotentis Dei ſcientia eruditi ſunt.*

(c) Epiſtola 2. ad Paulinum, alias 103., in editione autem Martianæi Epiſt. 50. *Hoc doctus Plato neſcivit: hoc Demoſthenes eloquens ignoravit.*

(d) De Trinit. lib. 1. cap. 3. *Nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid invenitur.*

(a) Quos bene Divus Ambroſius (a) ab hac ſubtili perſcrutatione compeſcere debebat, dicens: Sanctus Propheta ait: *Generationem ejus, quis enarrabit?* & tu enarrare contendis? Et magnus ille Doctor Auguſtinus (b) cum de hac ſuperbenedicta Trinitate in ſermone diſſereret, & nomen unum quo tres Perſonæ illæ appellarentur perquireret, ingenue reſpondet: Neſcio, & libere me neſcire profiteor: quod Chriſtus voluit indicare, hoc ſolum ſcio. P. Auguſtinus fatetur ſe ignorare, quod revelatum non eſt; & tu innumera de Trinitate ſecreta, quæ revelata non ſunt, explicare præſumis? Et non attendis Scripturam, in qua Dominus hanc temerariam præſumptionem, & ſuperbum ſcrutinium, per Prophetam cohibet? Nam cum Iſaias Propheta Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum vidiſſet, & Seraphim clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum* audiſſet; protinus dictum eſt ei: *Vade, & dices populo huic, audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere.* Ac ſi diceretur mundo: nolite mortales ſecretum hoc ſcrutari myſterium: hoc nolite ſapere, nolite intelligere: audite audientes, & ſolum credite: nam hoc vobis proderit ad ſalutem: credere enim pietatis eſt, velle ſapere temeritatis. Unde Bernardus (c): Scrutari Trinitatem ſumma perverſitas eſt, credere Trinitatem ſumma felicitas eſt. Et P. Auguſtinus (d) *in Sermone Trinitatis:* Rogo vos Fratres, hoc majus inter nos certamen ſit, quomodo jejunemus, quomodo peccata noſtra plangamus, quomodo adverſarios ſuperemus. Nam in die judicii non damnor, quia neſcivi naturam creatoris mei, ſed quia non ſervavi præcepta Domini mei. Hæc itaque cuſtodiamus, hæc ſciamus, & fidem Trinitatis ſincera, & firma mente teneamus: ut per hanc fidem, & mandatorum obſervantiam, ad claram, & beatam illius viſionem, & contemplationem pertingere valeamus cum Angelis, in cœleſti gloria: ad quam nos perducat, &c. Amen.

Iſaiæ 53.

Ibid. 6.

IN DOMINICAM SS. TRINITATIS CONCIO SECUNDA.

De SS. Trinitatis Teſtimoniis;

Ad Philippum Hiſpaniarum Principem.

Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt.
1. Jo. 5. v. 7. & 8.

I. ANno ſuperiori coram Sereniſſima Altitudine veſtra in concionem aſcendens duo mihi dicenda ex hoc themate propoſui; ſcilicet: de Trinitatis myſterio, & de Trinitatis teſtimonio. Alterum dixi: de altero dicendum mihi hodierna die eſt: de quo multa ſeſe offerunt tractanda; ſcilicet: de quo dat teſtimonium, hæc ſpiritus, aquæ, & ſanguinis Trinitas, & quale eſt hoc teſtimonium, & quomodo tres unum ſunt. Non dico Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, quia hoc fide credimus: ſed de ſecunda Trinitate; ſcilicet: de ſpiritu, aqua, & ſanguine, quomodo hi tres unum ſunt: quid enim ſpiritui cum aqua? quid aquæ & ſanguini? cum ſint tam diverſa, & diſcrepantia. Videndum eſt etiam, quomodo dant teſtimonium in cœlo. Nam, ubi omnia patent oculo, quis locus eſt teſtimonio? In cœlo omnia videntur, omnia in proſpectu ſunt in Verbo: quid ergo opus eſt teſtimonio? Quod ſi dicatur ſic intelligendum eſſe: quod tres in cœlo dant teſtimonium non cœlo, ſed mundo: quomodo ergo Spiritus ſanctus qui eſt in cœlo, tribus quæ in terra dant teſtimonium, annumeratur, cum non ſit de terra? Item quare Verbum non annumeratur, cum etiam dederit teſtimonium in terra ſicut Spiritus ſanctus? Hæc concione præſenti declarabuntur adjuvante Dei gratia: ad quam impetrandam Virginis favorem imploremus, offerentes ei ſolitam Salutationem.

Concio LXXXVI.

II.

(a) De Fide lib. 1. cap. 10., ubi immodicam in perſcrutandis Divinis rebus, ac præſertim Filii generatione, curioſitatem reprehendit. Huc faciunt Athanaſius Orat. 3. in Arrian., Baſilius Homil. 29., Nazianzenus Orat. 1., aliique ex Patribus.

(b) Serm. 232. num. 4. ex rejectis noviſſime in Appendicem, alias de tempore 189., qui *de Sancta Trinitate* inſcribitur. *Sed requiris a me, quomodo uno nomine tres appellantur. Neſcio; & libere me neſcire profiteor, quod Chriſtus noluit indicare. Hoc ſolum ſcio, quia in hoc Chriſtianus ſum, quia unum Deum in Trinitate confiteor.* Simile quidpiam legitur lib. 1. de Doctr. Chriſtian. cap. 5. *Non enim facile nomen, quod tantæ excellentiæ conveniat, poteſt inveniri, niſi quod melius ita dicitur Trinitas hæc, unus Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.*

(c) De Conſiderat. lib. 5. cap. 8. num. 18. *Quomodo pluralitas in unitate, & hæc unitate, aut ipſa in pluralitate? Scrutari hoc temeritas eſt, credere pietas eſt, noſſe vita, & vita æterna eſt.*

(d) Serm. paulo ante allegato num. 5., cujus hæc verba ſunt. *Rogo vos hoc magis inter nos certamen ſit quomodo adverſarium ſuperemus, quomodo jejunemus, quomodo peccata noſtra plangamus, quomodo pro tanto ſcelere ſatisfaciamus, quomodo eleemoſinis inſiſtamus, &c.* Et num. 3. *In die judicii non damnor, quia dicam: Neſcivi naturam creatoris mei: ſi autem aliquid temere dixero, temeritas pœnam habet, ignorantia veniam promeretur.*

1. Jo. 5. II. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo:* de quo ex præcedentibus, & sequentibus in littera notum est. Ait enim, *omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Et *quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei? Et Spiritus est, qui testificatur quoniam Christus est veritas.* Neque solus Spiritus testificatur hoc: *sed tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Et ne dubitemus de quo testimonio loquitur, adjungit: *Quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est: quoniam testificatus est de Filio suo. Qui non credit Filio, mendacem facit* Deum: *quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.* Vides quam aperte ostendit, de quo dant testimonium? Scilicet: de fide catholica, & de ejus fundamento, in quo fundatur, quod Jesus *est Filius Dei:* super quod fundavit Ecclesiam suam, sicut dixit Petro. Quasi diceret: Non putetis fidem catholicam fabulam aliquam esse deorum gentilium, aut figmentum Manichæorum, aut inventum aliquod subtile & commentitium, aut Mahometicas nugas, & similem cæteris legibus aut sectis, quas errore sequitur mundus: non est sic. Veritas firmissima est, gravissimis testimoniis de cœlo & de terra corroborata. Quoniam *tres sunt, qui*, de illa scilicet, *dant testimonium in cœlo: & tres, qui testimonium dant in terra, &c.* Ibidem.

III. Dicamus nunc quantum indigeat fides testimonio: mox dicemus, quibus testimoniis roborata est. Inter omnia Christianæ religionis præcepta, nihil magis arduum, nihil difficilius quam fides: ne conferatis jejunia continentiam, humilitatem, patientiam, mundi contemptum, pœnitentiam, acerbitates omnes, & cruces; omnia hæc in unum adjuncta, leviora & faciliora sunt quam fides. Nam justo & bono viro quies, & solatium est relinquere mundum cum suis divitiis & delitiis: credenti futuram beatitudinem, & perpetuam illam gloriam non est valde difficile. Nam quid levius, quam temporale bonum pro æterno, & exiguum pro eximio commutare? Et si quid difficultatis est, possum mihi persuadere, & appetitibus meis inferre vim. Sed sublimes illas & inaccessibiles veritates fidei, quæ omnem intellectum superant, firmissimo sensu amplecti, & inconcussa fide tenere, id supra humanam facultatem, & supra humanas vires est. Nam exempli gratia: quod Deus sit Trinus, & Unus, quod Deus Homo factus est, crucifixus, & mortuus, quod Virgo peperit, quod corpus Christi in Sacramento, & in qualibet parte hostiæ est, quod corpus in pulveres redactum resurget, quod supra solem fulgebit, quod cœlo carneum & osseum corpus perpetuo locabitur, & ibi erit vita perpetua in corpore & anima, post resurrectionem; hujusmodi veritates fidei catholicæ, quæ supra intellectum & rationem sunt, injungere homini arctissimo præcepto, ut mente amplectatur & teneat, & ut eas firmiter, & absque ulla dubitatione, & scrupulo credat, & sic teneat, ut pro illis mori paratus sit, & omne genus mortis potius sustineat, quam vel modicum hæsitet, aut dubitet: & hoc sub pœna ignis & damnationis æternæ, sicut in Euangelio dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur;* hoc, inquam, omnium præceptorum Dei maximum & difficillimum. Quod enim non capio, non intelligo, comprehendere non valeo, refugit sensus, ratio non attingit, intellectus non assequitur, judicium remurmurat, quomodo assentiam, quomodo amplectar, quomodo credam? Quod si sensui meo, & intellectui inferre voluero violentiam, ut renuens assentiatur; quo amplius conabor, tanto minus adhærebit, & minus credet. Fides enim non sustinet violentiam. O rem terribilem atque sublimem! Hinc accidit, ut qui ex Judaismo, vel ritu Mahometico ad fidem Christianam adulti adveniunt, Christianæ vitæ stylum, conversationem, & formam, cæremonias, & cætera omnia, quæ ad Christianismum spectant, facile sequantur; fidem vero rarissime teneant: faciliusque ab eis impetrabis, ut vitam monasticam, aut solitariam & eremiticam cum omni asperitate degant, quam ut fidei catholicæ, & hujusmodi articulis assensum præbeant. Refugit enim intellectus eorum catholicas veritates, neque valet eas capere: horret, resilit ab eis: neque sic possunt illum cogere ad credendum, sicut voluntatem ad obediendum.

Marc. 16.

IV. Adeo arduum & difficile est hoc præceptum, ut nisi hominem interius Deus adjuvaret, impleri humanis viribus omnino non posset. Et ideo quisquis fidem catholicam tenet ac credit; Deo, non sibi imputet, quod Christianus est. Unde Dominus in Euangelio: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* P. Augustinus (*a*): Quid est, nemo venit ad me? Id est, nemo credit in me, nisi Pater non solum adjuverit, verum etiam traxerit: unde sequitur: *Omnis, qui audivit a Patre* meo, *& didicit, venit ad me.* Sicut Petrus, cui dictum est: *Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Qui sic, inquam, audivit & didicit, qui

Jo. 6. (*a*)

Mat. 16.

(*a*) Contra duas Epist. Pelagianor. lib. 1. cap. 3. alias 2. de verbis Apostoli num. 2. *Non dixit duxerit, sed traxerit. Ista violentia cordi fit, non carni .... dulcis est, suavis est: ipsa suavitas te trahit. Ille quippe trahitur ad Christum, cui datur, ut credat in Christum.* Et Serm. 131. de verb. Euang. Joann.,

qui sic illuminatus, & instructus, & adjutus est a Patre, hic venit ad me; qui vero non audivit, frustra conatur: nam per se suis viribus venire non potest. *Dei enim donum est*, ut inquit Apostolus, *& non ex operibus*. Et iterum: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini*. Vides certe, quia a se fidem non habet, sed a Deo infusam recipit intellectus. Propter quod Apostoli merito ac sapienter supplicant: *Domine adauge nobis fidem*, scientes quia a se & per se habere non possunt. Ac si dicerent: Sequi te in omnibus parati sumus, & tecum in tribulationibus permanere, utcumque possumus: fidem ipse da, & quam dedisti adauge; nam hoc tuum est, nos ad id nostris viribus valere diffidimus. O vere magnum ac necessarium fidei donum! O mirandam illius virtutem! O potentissimum glutinum! quo veritates illæ sublimes & excelsæ omnem rationem & judicium supereminentes ac transcendentes, intellectui nostro sic imprimuntur & agglutinantur, ut ei connaturales & congenitæ esse videantur. Sicut subtilissimæ membranæ scriptura mandata, radi omnino non potest: rumpi potest charta, sed non deleri; sic omnino fidei virtute, sublata omni illa repugnantia & resistentia, hominis intellectus emollitur & delinitur, & in eo catholicæ veritates insinuantur & inscribuntur: ut nulla vi, nulla potentia, nulla argumentorum ac rationum apparentia, nulla sermonis ac persuasionis efficacia, penitus valeant aboleri. Quanta sustinuerunt martyres, quanta passi sunt? nec fidem deseruerunt: ecce dilacerpti & dilaniati sunt: potuit dira mors animam a corpore, sed non fidem ab anima separare, quia videlicet Spiritus sanctus in corde eorum potenti eam virtute descripserat.

Ephes. 2. *Philipp. 1.* *Luc. 17.* *Ibid. 22.* *Mat. 26.* *Heb. 11.*

V. Magnum profecto miraculum, res tam dissonas & discordes, tam indissolubiliter unire. Tres enim mirabiles uniones fecit Deus, ut inquit Bernardus (*a*): Scilicet, quod humanitatem univit in Christo: quod virginitatem, & maternitatem univit in Maria: quod intellectum & fidem in Christiano conjunxit. Grande miraculum, quod in Sacramento Altaris corpus tuum sic aptasti: sed magnum quoque, quod me illud credere firma fide fecisti. Fides ergo nostra propter ejus difficultatem interiori indiget adjutorio, quæ & propter eandem causam exteriori indiget testimonio. Nam si firmissimis testimoniis non fuisset exterius corroborata, quis unquam hominum credidisset? aut quomodo juste damnaretur infidelis & paganus propter incredulitatem, si nullum de credendis testimonium accepisset? Unde Dominus in Euangelio, de Judæis ait: Si *non venissem & opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Qua enim ratione peccarent non credendo, quod Filius Dei, & verus Deus sum, si id operibus non probassem? At *modo*, inquit, *excusationem non habent de peccato suo*: scilicet, incredulitatis: quia potentiam & divinitatem meam solidissimis testimoniis & miraculis comprobavi. De quibus testimoniis Psalmus: *Testimonia tua*, inquit, *credibilia facta sunt nimis*. Veritates quidem catholicæ, sublimes & excelsæ valde, & supra omnem rationis & intellectus facultatem, & fere incredibiles: sed earum testimonia credibilia facta sunt nimis, quia fortissima, potentissima, urgentissima, & evidentissima sunt supra modum. Vincit testimoniorum magnitudo articulorum credendorum difficultatem. Usque adeo: ut nimis durus ac pertinax sit, qui post tantam testimoniorum sylvam & evidentissimarum probationum apertissimam lucem, fidei veritatibus credere renuat. Nec ei potest suffragari credendorum sublimitas, ne damnetur in judicio, quæ tam multiplici fuit superata probationis testimonio. Nam licet fides super rationem sit, tamen rationabile est, ut tam attestatæ veritati credatur.

Jo. 15. *Psal. 92.*

VI. Et quidem Deo sine testimonio credendum est: quid enim potest dicere Deus, ut non dicentis authoritas verbi superet difficultatem? Quid multum facis, o homo, si Deo credis, quamvis ardua & difficilia dicenti? Nonne attendis, quis est, qui dicit? Quanta quotidie credimus difficilia creditu, ut de miraculis naturæ, fontibus, de piscibus, de animalibus? utpote quod delphinus infantem inequitantem vehat per mare, & deducat ad littus: quod basiliscus solo visu homines interficiat: quod lapis quidam semel incensus diutissime ardeat, neque consumatur: quod salamandra vivat in igne. Natura enim, ut inquit Plinius (*b*), in suis operibus fide caret; sed tamen creduntur a populo, quia referuntur in libris, propter scribentium authoritatem. Omittamus authores: quid, obsecro, Altitudo vestra se vidisse assereret, quod non ab omnibus statim crederetur, etsi arduum & difficile videretur? Et si quis forsitan aut dissentiret, aut dicti rationem peteret, quam inurbanus & rusticus haberetur, propter summam dicentis authoritatem? O homo, Regi aut Imperatori sine testimonio credis, & non credis Deo? Quæ est omnis authoritas hominis ad authoritatem Dei? Unde Joannes in Epistola: *Si testimonium*, inquit, *hominum accipitis, testimonium Dei majus est*. Exaggera quan-

(*b*)

1. Jo. 5.

(*a*) Serm. 3. in Vigil. Nativit. Dom. num. 7. *Tria opera, tres misturas fecit omnipotens illa Majestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Conjuncta quippe sunt ad invicem Deus & homo, mater & virgo, fides & cor humanum.*

(*b*) Natural. Histor. lib. 7. cap. 1. *Quam multa fieri non posse, priusquam sint facta, judicantur? Naturæ vero rerum vis, atque majestas in omnibus mentis fide caret: si quis modo partes ejus, ac non totam complectatur animo.*

quantumvis credibilium difficultatem: certe exuperat ſupra modum Dei authoritas, ut credantur. Non dicimus tibi, ut credas Paulo, vel Matthæo, vel Joanni, Iſaiæ, vel Jeremiæ, aut alteri Apoſtolo, vel Prophetæ; ſed Deo. Fides tua non alicujus hominis innititur authoritati, ſed Dei. *Non enim vos eſtis qui loquimini*, ſicut ait Dominus, *ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Propter quod Prophetæ ſæpe repetunt: *Hæc dicit Dominus: Audite verbum Domini*. Quaſi dicerent: Non nobis fidem adhiberi poſtulamus, non noſtra ſunt verba, quæ loquimur, ſed Dei. Unde Apoſtolus locuturus de Sacramento Altaris, *ego*, inquit, *accepi a Domino quod & tradidi vobis*. Et iterum: *Præcipio non ego, ſed Dominus*. Et iterum: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus?* Si ergo Dei ſunt, & non hominis verba, quæ in fide catholica tibi credenda proponuntur, quid multum eſt, ſi ſimpliciter dicta, & nullo teſtimonio fulcita, credantur? Nonne impium, & temerarium eſt a Deo dictorum ſuorum quærere teſtimonium? Unde Dominus: *Generatio*, inquit, *prava & adultera ſignum petit*. Et iterum increpans duritiam Judæorum ait: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*. Propter quid Zacharias pater Joannis taciturnitate multatus eſt, niſi quia dictis Angeli ſimpliciter non credidit, ſed ſigni teſtimonium poſtulavit? Propter quid Virgo ſacra de fidei merito laudata eſt a cognata, niſi quia tam nova & ardua Sacramenta ſolo Angeli dicto, ſine aliquo ſigno vel teſtimonio credidit? Vides certe, quia fides de ſe non indiget teſtimonio: ideo enim fides eſt, quia non teſtimonio, ſed dicentis authoritati innititur. Sed tum propter noſtram fragilitatem, tum propter ejus difficultatem adhibentur teſtimonia, quia dicentis authoritatem non videmus, ſed credimus. Si enim Deum in Prophetis loquentem oculis cerneremus, quid opus eſſet probatione? Propter hoc, inquam, opus illi eſt magno & multiplici teſtimonio, ſicut in themate dicitur: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo*.

Mat. 10. *Jer.* 31. *Iſaiæ* 66. 1. *Cor.* 11. *Ibid.* 7. 2. *Cor.* 13. *Mat.* 12. *Jo.* 4. *Lucæ* 1. *Ibidem.* 1. *Jo.* 5.

VII. Nunc autem, qualia ejus teſtimonia ſunt, audiamus. Tres, inquit, *ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo*. Et qui tres? *Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus*. O magnam fidei authoritatem, quæ talibus teſtibus comprobata eſt! Quid hac veritate firmius, quid certius, quid ſublimius, cui talia aſtipulantur teſtimonia? Non Angelos, non Archangelos miſit in teſtimonium, ſed ipſa Majeſtas venit, ipſa deſcendit, & teſtimonium perhibuit. Quanta firmitas, quanta authoritas. Nam ſi publicum aliquod inſtrumentum de re graviſſima deſcribendum eſſet, tabellioniſque officio in eo fungeretur Toletanus Antiſtes, & teſtes qui fidem rei facerent Summus Pontifex, Imperator, & Rex Franciæ forent; quam authentica eſſet ea ſcriptura? Quis hujuſmodi inſtrumenti fidem refutaret in judicio, aut quaſi incertam & invalidam rejiceret? Hæc eſt fidei catholicæ ſublimitas & dignitas, quæ non humano aut Angelico, ſed Divino etiam fulcitur teſtimonio. Huic teſtimonium perhibuit Pater ad Jordanem de cœlo intonans ſuper Filium: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, & idem iterum in Thabor repetens Filio, tunc fulgentiſſima gloria coruſcante. Tertio quoque cum Filius oraret: *Clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate, quam habui prius, quam mundus eſſet apud te*. Non in ſecreto, ſed publico, coram omni populo e cœlo, quaſi tonitruo quodam, hujus teſtimonii dignitatem, atque ſublimitatem commendans, mirabiliter reſpondit: *Et clarificavi, & iterum clarificabo*. Propter quod Dominus hujus teſtimonii dignitatem & ſublimitatem commendans, ait: *Vos miſiſtis ad Joannem, & teſtimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine teſtimonium accipio. Ego habeo teſtimonium majus Joanne*, nam, *qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me*. Dedit & teſtimonium Verbum huic veritati, ſicut ipſe ait: *Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo: & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater*. Et quale ſit ejus teſtimonium audite: *Opera quæ ego facio teſtimonium perhibent de me*. Et iterum: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: & ſi mihi non vultis credere, operibus credite*. Ac ſi dicat: Vidiſtis miracula potentiſſima: mortuos ego ſuſcito, cæcos illumino, leproſos & infirmos ſolo verbo curo; mari, & ventis, & univerſæ creaturæ impero: & de mea Divinitate dubitatis? Magnum miraculum, teſtimonium magnum reſurrectionis, magnum & aſcenſionis, ſicut ipſe ait: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo*. Id eſt, non aliud evidentius teſtimonium requiratis, ut credatis, quod de cœlo ſum & de cœlo veni, quam quod oculis propriis in cœlum me remeare videbitis. Huic quoque teſtimonium perhibuit Spiritus ſanctus, cum in ſpecie columbæ ſuper ipſum deſcendit in Jordane. Et in die Pentecoſtes in igne deſcendens viſibiliter de cœlo, Apoſtolorum mentes illuminavit, & omnium Gentium linguis magnalia de ipſo Domino Jeſu ore ipſorum in conſpectu omnium eructavit: ſicut ipſe Dominus prædixerat: *Cum venerit Paraclitus*, Spiritus *veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me*.

Mat. 3. *Ibid.* 17. *Jo.* 17. *Ibid.* 12. *Ibid.* 5. *Ibid.* 8. *Ibid.* 10. *Ibidem.* *Ibid.* 3. *Ibid.* 1. *Act.* 2. *Jo.* 15.

VIII. Vidiſtis e cœlo potentiſſima teſtimonia: ſed non ſolum cœlum, ſed & terra huic veritati teſtimonium aſtipulatur. Nam *tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & ſanguis*, quorum teſtimonia, etſi minora prioribus, tamen ſplendidiſſima ſunt. Spiritus in corde, aqua in Baptiſmo, ſanguis in Martyribus: quorum virtutem & magnitudinem latius differamus.

1. *Jo.* 5.

Qui

Qui ideo Martyres dicuntur: quia fidei teſtes fuerunt, in quam non verbo & eloquio, ſed ſanguine & morte jurarunt. Quis dubitet credere, quod tot millium Martyrum ſanguine confirmatum eſt? qui velut fluvius in mundo in primordio Eccleſiæ naſcentis inundavit? Pendet Petrus in cruce, pendet Andreas frater ejus biduo prædicans ex patibulo: pendet Simon, Thadæus cruci affixus, Bartholomæus excoriatus, & Stephanus lapidatus in fidei teſtimonium. Audite gentes, attendite populi. Ecce morimur, & volentes, non qualicunque, ſed atrociſſima morte morimur: nulla nobis eſt jam expectatio mercedis in mundo: ſi non vera ſunt quæ narramus. Si Chriſtum his oculis non vidimus reſurgentem, & aſcendentem, ut prædicamus; ad quid iſta patimur, ad quid tam dira tormenta volentes ſuſtinemus? Quis tam ſtolidus, ſtupidus, & inſanus, ut pro falſitate ſcienter & ſine præmio moriatur? Non enim audita, ſed viſa narramus. Si non vidimus, ſi fallimus, falſum contra Deum teſtimonium tulimus, quod ſuſcitaverit a mortuis quem non ſuſcitavit, & falſus teſtis non erit impunitus. Qualem ergo a Deo qui veritas eſt, pro noſtro mendacio retributionem expectamus? O mirabile teſtimonium! Quis ita deſipuit, ut pro mortuo & crucifixo mori & crucifigi ſe ſine præmio patiatur? Sed & ſequentium Martyrum innumera multitudo huic teſtimonium perhibet veritati: qui licet non viderunt ea pro quibus moriebantur, nunquam tamen præſentem vitam ſic exponerent, niſi de alia meliori & perpetua certi eſſent. Non enim ſimplices & ruſtici, ſed viri ingenui, ſapientes, & cordati fuerunt. Sed inter hos maxime fidem roborat, tanta Virginum morientium caterva: quarum martyria quis non admiretur? Videas puellas tenerrimas & delicatas, quæ vel murium, vel lacertarum ſolent aſpectum formidare, ut leones, ut urſas, impavidas aſtare judicibus; cruentas non reformidare beſtias, a carnificibus intrepidas laniari. Quis Deum in puellari pectore latentem non videat? Quis non humanam, ſed divinam hanc fuiſſe fortitudinem neſciat? Quis talia teſtimonia non recipiat?

Act. 7.

IX. Dat & teſtimonium aqua in Baptiſmo. Olim enim quando catholica fides fundabatur in orbe, ut hominum mentibus firmius adhæreret, in ejus robur & firmitatem Spiritus ſanctus in Baptiſmo viſibiliter in oculis omnium apparebat, & qui baptizabantur, quandoque linguis gentium ſicut in die Pentecoſtes loquebantur, quod ſignum non parum contulit illis temporibus ad fundandam fidem. Dat quoque teſtimonium ſpiritus in corde, ſicut idem Joannes ſtatim adjungit, dicens: *Qui credit in Filium Dei habet teſtimonium Dei in ſe*. Id eſt: non opus eſt ut exteriora quærat teſtimonia, nam in corde ſuo fidei ſuæ graviſſimum, & validiſſimum teſtimonium experitur. Acceperat hoc teſtimonium qui dicebat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Vere exuperat omnem corporalem dulcedinem guſtus Dei in corde juſti, nec opus eſt, ut exterius quærat, quem intra ſe guſtat; nam ſicut favus mellis, & caro perdicis, & fruſtum panis, & quiſque alius cibus ſuo guſtu diſcernitur, ſic Deus ſuo quoque guſtu dignoſcitur. Ad quem idem Propheta nos invitat dicens: *Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus*. Sed hoc teſtimonium non omnibus patet. Manna abſconditum eſt, quod nemo novit niſi qui accipit. Felix anima, quæ tali abundat teſtimonio: huic cætera teſtimonia ſuperfluunt: nam quæ Divini amoris fervore extra ſe rapta, torrente illo voluptatis, ultra quam ſenſus capere poteſt, inebriatur, quomodo poteſt dubitare, ſe experiri, quod guſtat? Sed hoc experimentum breviſſimum & rariſſimum eſt. Cæterum & in communi vita fidelium, ipſa pax & tranquillitas bonæ conſcientiæ, dum, quæ fidei ſunt, cuſtodit, & facit; & in oppoſitum amaritudo cordis diſcedentium a Deo, ſatis per ſe oſtendit, verum eſſe quod creditur. Hujuſmodi ſunt, qui, teſte P. Auguſtino (*a*), dicere poſſunt Eccleſiæ: *Jam non propter tuam loquelam credimus*, nam *ipſi audivimus & ſcimus, quia hic eſt vere Salvator mundi*. Hic autem ſpiritus de quo loquor: non Spiritus ſanctus, ſed ſpiritus hominis intelligendus eſt, qui de terra eſt, & ideo terrenis teſtimoniis annumeratur. Sed quomodo *tres unum ſunt* dicamus: ſi tamen littera hæc (*b*) ſuſcipitur a fidelibus: nam multi codices hoc non habent; & ut quidam dicunt, addita eſt ab hæreticis hæc particula. Sed quoniam ſic communiter legit Eccleſia, intelligi debet: non quod hi tres, Spiritus, aqua, & ſanguis, una res ſint, ſicut & ſupra de prima ſemper benedicta Trinitate dixi: ſed quod unum ſit eorum teſtimonium, & ab uno principio

Act. 2.

1. Jo. 9.

Pſal. 30.

Pſal. 33.

Apoc. 2.

Pſal. 35.

(*a*)

Jo. 4.

1. Jo. 5. (*b*)

(*a*) Nimirum Tract. 15. in Joann. Euang. num. ult. *Sic agitur hodie cum eis, qui foris ſunt, & nondum ſunt Chriſtiani: Chriſtus nuntiatur per Chriſtianos amicos: tamquam illa muliere, hoc eſt Eccleſia annuntiante, ad Chriſtum veniunt, credunt per iſtam famam. Manet apud eos biduo, hoc eſt, dat illis duo præcepta charitatis: & multo plures, & firmius in eum credunt, quoniam vere ipſe eſt Salvator mundi.*

(*b*) Verſiculi 8. cap. 5. Epiſt. 1. S. Joannis eam portionem ab Arrianis appoſitam fuiſſe ſuſpicati ſunt nonnulli, ut colligere eſt ex Opuſc. 24. S. Thomæ Aquin., ubi hæc habentur. *Nam ſubditur ibidem, & tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſcilicet Spiritus, aqua, & ſanguis. In quibuſdam libris attenditur, & hi tres unum ſunt. Sed hoc in veris exemplaribus non habetur, ſed in quibuſdam libris dicitur eſſe appoſitum ab hæreticis Arrianis ad pervertendum intellectum ſanum authoritatis præmiſſæ de unitate eſſentiali trium perſonarum.* Nunc tamen nemo ex Catholicis verſiculi hujus integritatem in dubium revocat. Verum quidem eſt in nonnullis MSS. codicibus, *& hi tres unum ſunt* deſiderari; ſed in pleriſque extare egregie probant Scriptores Biblici.

cipio procedat. Nam idem Spiritus sanctus est, qui Martyres fortificat in martyrio: & qui visibiliter apparet in Baptismo: & qui testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Et sic idem est testificator, & idem testimonium, non formaliter, sed causaliter: licet varia sint instrumenta, per quæ exhibetur.

X. Audistis de cœlo & de terra magna & egregia testimonia, sed non hæc sola sunt, sed præcipua: nam plura alia iis connumerari possunt. Totus namque orbis, & omnis creatura, huic veritati testimonium perhibuit. Nam sol testimonium perhibuit, cum *Lucæ 23. Mat. 2.* in morte ejus lucem abscondit. Astrum dedit testimonium, quod in nativitate ejus insuetum apparuit. *Act. 2.* Cœlum dedit testimonium, quando factus est repente de cœlo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis: & *Psal. 67.* *cœli distillaverunt a facie Dei Sinai*. Angeli *Lucæ 2.* dederunt testimonium, qui in ejus nativitate suaviter cecinerunt, & in resurrectione, & *Ibid. 24.* *Act. 1.* ascensione Apostolis apparuerunt. Dæmones, *Marc. 1.* etsi muti, testificati sunt, licet eorum testimonium nullum sit, quando clamabant: Scio te, quod sis Sanctus Dei: Fili Dei ut quid venisti perdere nos? Terra testimonium de- *Mat. 27.* dit, quæ ipso moriente contremuit. Mare *Ibid. 14.* testimonium dedit, quod se sub ejus pedibus calcabile præbuit. *Ibid. 8.* Venti dederunt testimonium, qui ipso jubente siluerunt. *Ibid. 20.* Arbor dedit testimonium, quæ ipsius præcepto statim aruit. *Isaiæ 1.* Jumenta dederunt testimonium, sive quando agnovit bos possessorem suum, & *Mat. 8.* asinus præsepe Domini sui: sive quando in mare ipso permittente præcipitata sunt. De- *Ibid. 27.* nique saxa duriffima testimonium perhibuerunt, quando in ejus morte sciissa sunt. Vides testimoniorum sylvam: vides omnem creaturam conjurasse in testimonium creatoris? Væ miseris, qui obstinati animo tam innumera ejus testimonia non susceperunt. Sed & hodie innumera quotidie per orbem testimonia fiunt: & cœlum, & terra, & omnis creatura huic veritati astipulatur: vero siquidem omnia consonant. Sed libet ex tam multis aliqua specialiter annumerare, & prædictis adjungere, quæ ampliora & notiora sunt.

XI. Dant quarto testimonia de terra multa & grandia miracula, quæ facta sunt, & quotidie fiunt a Sanctis: quæ quidem ideo miracula sunt, quia sola Dei potestate fiunt. Quæ cum a fidelibus in nomine Jesu fiant, si non est veritas in Jesu (Deus utique testificator est) astipulator est falsitatis: quod dicere blasphemia est. Quod si tam bonis & præclaris viris ore nefando fraudem imponas, dicens, quod magi & malefici fuerint, & per suas incantationes opera diaboli miracula ediderint: quid dicere poteris de ossibus eorum, ad quorum sepulchra quotidie ingentia miracula fiunt? Non enim maleficus est qui mortuus est. Si ergo Deus hujusmodi viros miraculis honorat; & fidem eorum ipsis jam mortuis, prodigiis commendat: audeo dicere, si ipsi in errore & peccatis dormierunt, & fides eorum vera non fuit, deceptor est Deus, & hominibus imposturam facit, qui & vitam eorum & fidem miraculis illustrat. Quis enim imputet homini si eos honoraverit, & sequatur, quos tam immensa miracula, & tam egregia testimonia etiam mortuos commendant? Aut ergo fides Ecclesiæ vera est, aut si non, Deus deceptor est: hoc autem & cogitare sacrilegium est. Ergo primum veriffimum & certiffimum.

XII. Quinto testimonium perhibent huic veritati revelationes & apparitiones Angelorum, & Sanctorum, quæ frequenter fiunt in Ecclesia, & Spiritus Prophetiæ, qui in Sanctis aliquando apertiffime cernitur. Omitto libros graviffimorum virorum: quanta quotidie narrantur ab hominibus fide dignis & Sanctis, de hujusmodi visionibus & revelationibus ac apparitionibus, non in somno tantum, sed & in vigilia sibi factis. Sed de antiquis, quam publica & notoria fuit illis temporibus illa Martyrum Gervasii, & Protasii apparitio, quæ Ambrosio facta est (*a*)? (*a*) Sed & illa Gamalielis (*b*), & Stephani, quæ (*b*) Presbytero Luciano monstrata est? quibus fidem fecit indubitatam subsequuta corporum inventio. Plura de his dicerem, nisi timerem modum concionis excedere.

XIII. Sexto testimonium perhibet & vere maximum Scriptura sancta, ad quam nos ipse Dominus remittit, dicens: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*. Dic mihi o pagane, respon- *Jo. 5.* de barbare: Nunquid qui dicere potuit res futuras antequam fierent, non communes & vulgares, sed insignes & illustres, per bis mille annos antequam fierent, & postea sicut dixit implevit: nonne hic Deus est; & quæ ab eo taliter dicta, & impleta sunt, vera sunt fidei catholicæ sacramenta? Quæ fide nos Christiani profitemur, omnia multis ante sæculis a Deo prænuntiata sunt Prophetarum oraculis. Si dubitas, non nostros, sed Judæorum codices ostendo inimicorum nostrorum. Lege, perlege; & si non es cæcus, intellige; & impleta esse oculis cerne. Quomodo falsum esse potest, quod tam longo temporum curriculo ante prænuntiatum & promissum est? Aut quis ea potuit tam longe ante prædicere, & prædicta opere implere, nisi Deus? Hæc ratio si diligentius attendatur, difficilis est solutionis. Hanc insinuat Deus per Isaiam Prophetam dicens: *Ego Dominus, & non est alius. In absconditi-* *Isaiæ 45.*

to

(*a*) Eam memorat S. P. Augustinus de Civit. Dei lib. 22. cap. 8., & Confess. lib. 9. cap. 7.

(*b*) De hac quoque aliquid habet S. Parens Augustinus Tract. 120. in Joann., & Serm. 318. num. 1., nec non Serm. 319. num. 6. Porro Luciani Epistolam de revelatione corporis Stephani Mart., & aliorum, habemus ad calcem tom. 7. Operum S. Patris August. in editione PP. Congr. S. Mauri.

to non loquutus sum in loco terræ tenebroso. Annuntiate, & venite, & consiliamini simul: quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc prædixit illud? Nunquid non ego Dominus, & non est ultra Deus absque me? Et postea: Isaiæ 48. *Audite hæc domus Jacob qui vocamini nomine Israel. Priora ex tunc annuntiavi, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea: repente operatus sum & venerunt. Scivi enim quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea. Prædixi tibi ex tunc: antequam venirent indicavi tibi, ne forte diceres: idola mea fecerunt hæc & sculptilia mea & conflatilia mandaverunt ista. Quæ audisti, vide omnia.* O validissimum argumentum! Hoc utitur P. Augustinus (*a*) contra Gentiles, *in Libro de Concordia Euangelistarum* diffuse. Et multo diffusius Eusebius Cæsariensis (*b*) *in Libro de Demonstratione Euangelica*, in quo satis copiose per totum demonstrat librum, ea quæ in Euangelio videmus impleta, vaticiniis Prophetarum amplissime fuisse diu ante prænuntiata.

XIV. Septimo dat fidei testimonium Legis Euangelicæ puritas & sanctitas. Sicut Psal. 18. scriptum est: *Lex Domini immaculata convertens animas*. Quid, inquam, purius, quid sincerius, quid perfectius Euangelio? Quæ philosophia moralis, quæ lex, quæ doctrina homines sic juste & sancte vivere docet, & circa mores mundum in sanctitate & veritate sic instituit, ut Lex Christi? Utpote quæ nullum malum admittit, nullum bonum omittit, nullam turpitudinem sustinet. Quam pura, quam decora, quam recta, quam justa esset illa respublica, quæ Lege hac instituta, nihil præteriret, nihil omitteret? Cui si Platonis, aut Ciceronis, aut cæterorum philosophorum respublicas conferas, impiæ, iniquæ, & fatuæ videbuntur. Quod si doctrina Platonis aliquando mirabilis visa est, hoc ideo fuit, quia in pluribus Euangelicæ doctrinæ consona fuit. Non ergo indiget alio fulciri testimonio Lex Euangelica, quia ipsa sibi satis testimonium perhibet, quia vera est.

XV. Dat ultimo testimonium fidei Sanctorum fidelium modestissima, innocentissima, atque sanctissima vita: quorum sanctitas & perfectio humanam transcendere facultatem visa est: non enim humana, sed angelica, in mortali corpore visa fuit. Bone Deus! Si illi, qui relictis omnibus mundi divitiis atque deliciis, in summa honestate & simplicitate degentes tibi soli, honori tuo, obsequio tuo, & tuis laudibus die ac nocte, quasi Angeli quidam humanati vacantes, nihil præter te quærentes, soli contemplationi & orationi instantes, nulli hominum nocentes, omnibus benefacientes, humiles, modesti, & pii: si isti, inquam, decepti sunt, & in errore vixerunt, & tamquam male de Deo sentientes, & perfidi, & sacrilegi damnati sunt; qui ergo sunt qui salvantur? Si hos, inquam, despexisti, & deseruisti: si hos errare permisisti, qui super humanam facultatem sancte & pure vixerunt, tui observantissimos ac devotissimos; quos ergo alios diligis, quos illuminas? Si isti majestati tuæ non placuerunt, qui sunt qui placent? Neque enim tales in omni virtute & sanctitate, mundus vel habuit, vel vidit. Absit, absit hoc a Deo, ut hujusmodi cultores ac dilectores suos sanctissimos errare permiserit, & quos tanta puritate & sanctitate perfecit, æterna morte damnaverit. Nec enim ad tantæ excellentiæ culmen propria virtute, sed Dei gratia pervenerunt. Hæc sunt Catholicæ fidei testimonia, sole clariora, luce splendidiora, quæ de cœlo & terra ei suffragantur. Vere *mirabilia testimonia tua* Domine, *ideo scrutata est ea anima mea*. Quid enim delectabilius, quid jucundius, quam in his meditandis, in his ponderandis, ruminandis, scrutandis, die ac nocte versari? Superat hoc omnem mundi deliciarum dulcedinem; sicut Propheta ait: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus divitiis*. Vere *beati qui scrutantur testimonia ejus; & in toto corde exquirunt eum*. Et ubi inquirendus, nisi in illorum diligentissimo scrutinio? Certe videbis quam verum sit quod præmisimus ex Propheta: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Sed unde credibilia nimis, nisi quia fortia & apparentia nimis? Quis enim adeo pertinax, protervus, durus, ut his auditis & cognitis testimoniis repugnare audeat, & a credendo abstineat? Dicam Fratres (*c*), dicam, & cum nimio cordis (*c*) mei gaudio dicam: etsi vobis forsan temerarius visus fuero, dicam: Fides tua Domine sanctis fidelibus tuis, qui in hujusmodi testimoniorum scrutinio versantur, jam vix fides est: quoniam de fide, jam quodammodo transit in lucem: sicut scriptum est: *Justitia in eo revelatur de fide in fidem*, de Rom. 1. fide obscura, in clariorem, & quasi notam, quæ jam fides vix est. Non quod aliquis mortalium sine fide vivat, & per speciem ambulet: hoc enim non viatorum, sed Beatorum est; in umbra enim ejus vivemus inter gentes; inter Angelos vero in luce. Si enim Virgo sacra in fide vixit, & de fide laudata est a cognata, in qua facta sunt divina mysteria; quis Sanctorum sine fide vivit? Luc. 1.

Pf. 118. Ibidem. Pf. 92. Ibidem.

2. Cor. 5.

XVI. Sed quod volo dicere hoc est. Plurimos Sanctorum in hac vita, sive testimonio illo interiori Spiritus de quo diximus, sive horum testimoniorum diligentissimo scrutinio, ad notitiam fidei majorem, imo ad intelligentiam per fidem pertigisse; sicut scri-

(*a*) De Consensu Euangelistar. lib. 1. cap. 31. & 32.
(*b*) Demonstr. Euang. lib. 2.
(*c*) Verba hæc in lacrymas actus pronuntiavit S. Orator, ut testatur Card. Pallottus in Relatione pro ejusdem Canonizatione coram Summo Pontifice recitata, quæ legitur in Serie actorum edita a P. Andrea Aznar Romæ an. 1658.

Isaiæ 7. scriptum est: *Nisi credideritis non intelligetis.* Non quod de Trinitatis, aut Incarnationis, aut Sacramenti Altaris, aut de alio articulo simili in particulari evidentiam habeant: licet nonnulli putent se illorum aliquod demonstrasse: sed quod in genere & in universali, veram esse fidem catholicam, quam tenent, quodammodo clare videant. Cum qua tamen generali evidentia stat, quod de singulis articulis aliquo modo in speciali fidem habeant: quia licet constet in universali de omnibus quod veri sint, quomodo autem eorum quilibet verus sit non vident. Hæc tamen lux, ut ego existimo, transit & non remanet in intellectu, Deo sic volente, ne fidei meritum deperdatur: nam in hac vita utilius est nobis credere, quam intelligere: propter quod, Deus fidei probationes, quas diximus, sic temperavit, ut fides fulciretur testimonio, & non destitueretur merito. Nam si convincere voluisset intellectum ad assentiendum, facile erat cui nihil est difficile. Si enim gloriam, & splendorem quem habet in suo corpore in Sacramento Altaris quotidie omnibus monstrare voluisset, quis paganorum, aut infidelium videndo pronus in terram non statim adorasset? Sed hoc non esset fidem statuere, sed evertere. Mirabilis ergo providentiæ suæ temperamento fidem testimonio stabilivit, fidem merito non destituit. Fides enim nunc necessaria est, nam per fidem æternæ beatitudinis visionem promereri incipimus. Nam dum Deo mirabilia dicenti, quæ non apparent, firmissime credimus, & in obsequium fidei, propriis sensibus abdicatis, intellectum nostrum propter ejus dicta captivamus, mentemque nostram, qua nihil est in nobis præstantius ac sublimius, Deo fide subjicimus, & in obedientiæ sacrificium inclinamus; dum, inquam, tantum ei honoris & reverentiæ deferimus credendo, & amando quod non videmus, promeremur postea videre, quod credimus. Fidem ergo catholicam, quam in Baptismate suscepimus, firmam & immaculatam custodiamus, donec ipso donante inter Angelorum choros constituti dicamus: *Sicut audivimus sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri.* Ibi namque Trinitatem, quam nunc credimus, oculis claris videbimus: videbimus, & amabimus: amabimus, & gaudebimus: gaudebimus, & laudabimus, & fruemur in perpetua felicitate æternæ gloriæ: ad quam nos perducat. Amen.

2. Cor. 10.

Psal. 47.

IN DOMINICAM SS. TRINITATIS CONCIO TERTIA, ET POSTILLA.

De SS. Trinitatis Testimoniis ac Fidei Catholicæ.

Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt.
1. Joann. 5. v. 7.

I. EXodi *vigesimo primo* descriptum legimus: *Si percusserit quis mulierem prægnantem, & illa abortivum fecerit, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, &c.* Mulier prægnans anima est, quæ fide concipit Christum. Hanc faciunt abortare, qui nimia subtilitate quæstiones arduas pertractantes errorem concipere faciunt, & a vero sensu deviare. Unde Apostolus: *Timeo ne sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri.* Hi reddent animam pro anima, quia totum damnum fecerunt in animam, mittentes eam in errorem, cæcantes oculum intellectus illius: totum persolvent in die judicii. Unde cavendum est in populo de altissimis mysteriis nimis subtiliter & curiose disputare, ne plures animas, quæ Christum gestant in pectore abortare faciant. Propter quod hodie non de ipso Trinitatis mysterio altissimo; sed de ejus testimonio; non de Trinitate; sed de fide Trinitatis dicemus, favente gratia Dei, ad quam impetrandam Virginem rogabimus, offerentes ei:

* Concio LXXXVII. Exodi 21.

2. Cor. 11.

Ave Maria.

II. Arduum præceptum videtur de fide Trinitatis, & aliorum altissimorum mysteriorum Euangelii difficillimum. Ecce non intelligo, non capio, refugit sensus, mens non percipit, ratio obsistit, intellectus contradicit; quomodo credam? Quomodo adhærebit intellectui? Quomodo amplexabitur mens tam sibi repugnantem, ut videtur, veritatem? Et tamen sub pœna damnationis æternæ eum amplexari, & firmiter credere præcipitur, sicut scriptum est: *Qui vero non credideri t condemnabitur;* nec solum credere, sed pro illa veritate mori. Quid dicemus ad hoc? Præcipit Deus impossibilia? Absit. Hieronymus (*a*): Qui hoc dixerit anathema sit. Si ardua præcipit, non mirum, quia arduum est etiam regnum cœlorum, ad quod per fidem pervenitur. Sed sicut ait quidam Apo-

Marc. 6.

(*a*)

(*a*) In cap. 5. Matthæi: *Sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta.* Et lib. 2. Dialog. adverſ. Pelagianos: *Non quod impossibilia Deus præceperit, &c.*

Apoſtolus: *Mandata ejus gravia non ſunt:* 1. Jo. 5. imo jugum ejus ſuave, & onus ejus leve. Mat. 11. Hoc exponamus. Et quidem ſi propria virtute hæc fides acquirenda eſſet, arduum nimis videretur; ſed non tuis viribus, ſed dono Dei id fit teſte Apoſtolo: Donum Dei Epheſ. 2. eſt hoc, non ex vobis; de fide loquitur. Et Dominus in Euangelio: *Nemo* venit *ad me*, Jo. 6. *niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Experientia teſtis eſt: quando in aliquo homine hoc donum Dei deeſt, nulla ratio, nulla perſuaſio ſufficit. Unde ad ſigna & prædicationem Apoſtolorum quidam convertebantur & credebant, quidam autem reſiſtebant, ſicut dicitur in Actibus Apoſtolorum: Crediderunt denique omnes quotquot erant Act. 13. prædeſtinati a Deo; fidei ſcilicet dono adjuvante. Ubi hoc donum non erat, non credebant, ſed deridebant. Magna virtus fidei potentiſſimum glutinum, quod ſic glutinat altiſſimas & ſuperexcellentes veritates intellectui, & veluti pergamenum ſubtile, in quo imbibita eſt ſcriptura rumpi poſſit, ſed ſcriptura deleri non poteſt. Quanta paſſi ſunt tormenta Martyres? Lacerabantur, diſcerpebantur; ſed fides ab eorum mente deleri non potuit; imo quo magis radebatur, eo fortius imprimebatur: quoniam hoc fidei glutinum impreſſum erat mentibus eorum: de quo Iſaias: *Glutino bonum* erat. Magnum pro- Iſaiæ 41. fecto miraculum quod in Altaris Sacramento feciſti; ſed non minus, quod me illud credere facis. Unde Bernardus (*a*): Tres (*a*) mirabiles uniones fecit Deus, Verbum & caro; virginitas & maternitas; fides & intellectus. Deo itaque juvante non eſt difficile.

III. Item licet ea, quæ creduntur, ſupra rationem ſint; tamen, ut credantur rationabiliſſimum eſt. Quid multum facis homo ſi credis Deo quantumvis ardua & difficilia dicenti? Non attendis eum, qui dicit: Quanta credimus hominibus etiam ardua, quæ non vidimus? Quanta referuntur de naturæ ſecretis mirabilia: de fontibus, de animalibus, de plantis? Plinius inquit: Natura in ſuis operibus fide caret. Quanta etiam in hiſtoriis fide difficilia propter authorum dicentium authoritatem creduntur ab hominibus? Si quid diceret Pontifex aut Imperator ſe vidiſſe etiamſi arduum & difficile: propter dicentis tamen authoritatem crederes, & qui eis non adhiberet fidem, ruſticum & inurbanum putares: quia quidquid dicit Imperator, dicti difficultatem vincit authoritas dicentis. O ſtulte homini credis, & Deo non credis? Quid poteſt dicere Deus tam difficile, ut fidei difficultatem non excedat ejus authoritas? Unde Joannes cum de Trinitate verba thematis dixiſſet, ne difficilia viderentur creditu, adjungit: *Si teſtimonium ho-* 1. Jo. 5. *minum accipitis, teſtimonium Dei majus eſt; quoniam hoc eſt teſtimonium Dei*, quo *teſti-*

A *ficatus eſt de Filio ſuo*. Fides tua, o Chriſtiane, non levi rationi vel conjecturæ, vel minutulo argumento, vel dicto alicujus hominis quantumvis ſancti & eruditi, ſed infallibilis veritatis & Dei revelantis nititur teſtimonio. Si veritas poteſt fallere, aut Deus mentiri, poterit fides tua te decipere.

IV. O firmiſſimum & ſtabiliſſimum fundamentum! Unde Apoſtolus: Etiamſi Angelus de cœlo aliud euangelizaverit quam accepiſtis, anathema ſit. Non enim Angelo, ſed Deo credidiſtis. Non injuſte petit Deus a te, o homo, ut credas ei; quoniam veritas eſt. B Sicut non eſt injuſtum quod obedias ei; quia Dominus & omnipotens eſt. Hæc ſunt duo obſequia, ſicut maxima, ita Deo maxime debita: in homine ſiquidem duo ſunt ſuprema; ſcilicet: intellectus & appetitus; mens & voluntas. Fides Deo ſubjicit intellectum, obediendia ſubjicit Deo voluntatem; & ſicut renuntiare appetitui & voluptatibus & cupiditatibus, & Deo ſubjicere voluntatem altiſſimum eſt obſequium & debitum; ſic quoque renuntiare ſenſibus & captivare intellectum in obſequium fidei maximum eſt holocauſtum Deo debitum & acceptiſſimum: C & ſicut primum maxime & ſuper omnia meritorium, hoc enim eſt pro Deo abnegare ſeipſum: & ſicut renuntianti appetitui & voluntati propter Dei obedientiam, debetur æterna gloria & gaudium ſempiternum, ſic renuntianti ſenſibus propriis & judicio propter fidem Dei, debetur viſio illa ſempiterna & clara. Et ſi dicas ſunt ardua & difficilia, quæ præcipiuntur credi: quid mirum? Si Deum & ea, quæ Dei ſunt comprehendere poſſes, non eſſet Deus admirabilis & ineffabilis. Quis dubitat ſuper rationem eſſe divina? Arduum eſt præmium, quid mirum, D ſi arduum a te petatur obſequium? non enim Deo, ſed tibi profutura eſt fides tua. Nam ſicut Deum honoras, adimplendo quidquid præceperit; ſic illum maxime honoras, quidquid dixerit credendo, ut hæc Dei honoratio tibi cedat in ſempiternam utilitatem. Vides certe quam juſta & debita, quam non modo utilis, ſed rationabilis eſt fides; & quam injuſtum & impium & cervicoſum eſt nolle credere Deo; & hoc etiamſi nullum Deus de ſuo dicto daret teſtimonium. Unde Dominus in Euangelio exprobrans hanc incredulitatem populo, dicebat: Generatio E prava & adultera ſignum quærit. Et iterum: Mat. 12. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*. Si enim Rex vel Imperator aliquid aſſereret, & dicti ejus aliquis teſtimonium peteret, non ſolum inurbanus, ſed etiam reprobus & quovis ſupplicio dignus putaretur. Ergo ſi Regi creditur ſine teſtimonio, quanto magis Deo? Jo. 4.

V. Sed, o ſumma bonitas & infinita clementia! Quia in fide ſalus hominis conſiſtit, ne homines credendorum arduitate ſe excuſare

(*a*) Ejus teſtimonium in notis ad Concionem præcedentem recitavimus, ita & Plinii.

sare possent a credendo; quanta, quam fortia, & quam urgentia dictis tuis testimonia adhibuisti? Quibus testimoniis credibilium fidem corroborasti? Psalmus: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*: quasi dicat: Veritates quidem arduæ & super omnem intellectum, sed testimonia illarum potentissima & fortissima. Vincit testimoniorum magnitudo credibilium difficultatem, & quamvis ea, quæ proponuntur credenda, super rationem sint: tamen tanta est testimoniorum fortitudo & firmitas, ut sine ratione sit, qui non credit. Hæc testimonia qualia sint, audiamus: non ut per ea quasi victi credamus; hoc enim, ut ait D. Thomas (*a*): Impium est, velle fidem rationibus probare; sic, ut non nisi rationibus credamus. Fides est, non indiget argumento; quia ideo fides est, quæ non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum. Sed ut credentes & confitentes de fidei nostræ securitate lætemur. Audiamus ergo primo Joannem Euangelistam, hæc testimonia proferentem: *Tres sunt*, inquit, *qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & sanguis*. Quasi dicat: Fides a cœlo, de terra habet firmitatem. De cœlo dedit Pater testimonia ad Jordanem, & rursum in Thabor. *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*. De quo Dominus: *Habeo testimonium majus Joanne. Qui misit me, ipse testimonium perhibet de me*. Verbum de seipso, & de tota Trinitate testimonium perhibuit cum dixit: *Euntes* baptizate *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Dedit quoque de seipso testimonium, quod Filius Dei esset, miraculis & operibus, sicut ipse ait: *Opera, quæ ego facio testimonium perhibent de me*, & iterum: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite*. Dedit etiam testimonium resurgendo, ascendendo in cœlum. *Nemo*, inquit, *ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis*. Non aliud testimonium requiratis de me, quia de cœlo descendi, nisi quod oculis propriis me in cœlum conscendere videtis. Spiritus sanctus etiam testimonium perhibuit in nube, & columba, & in die Pentecostes, quando mentes hominum illustravit. Unde Dominus: *Cum venerit ille Paraclitus, ille testimonium perhibebit de me*. Hi tres testimonium dant in cœlo, non cœlestibus, sed terrenis incolis, catholicæ veritatis. A cœlo ergo habemus firmissimum testimonium, non Angelorum aut Archangelorum tantum; sed Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

VI. *Tres sunt* etiam, *qui testimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & sanguis*. Sanguis in martyrio, aqua in Baptismo, Spiritus in corde. Qui licet in cœlo sit, tamen de terra dat testimonium; quia in corde, & de corde humano perhibet. Non quod in cœlo, aut in terra alia testimonia non sint; sunt enim in cœlo Angeli, sunt sol qui obscuratus est in morte, & stella quæ in ejus nativitate apparuit: sunt quoque in terra multa alia sicut exponemus; sed ista præcipua *Spiritus, & aqua, & sanguis*, quæ verso ordine prosequamur. Dat sanguis testimonium veritatis fidei in Martyribus. Quam egregium, & quam præclarum! Quis dubitat credere, quod tantorum millium Martyrum sanguine confirmatum est? Pendet Petrus in cruce, pendet Andreas, stat Bartholomæus pelle nudatus, Simon quoque Apostolus senio confectus cruci affixus: non audientes, videntesque confortant in fide. Audite gentes, audite populi, ecce morimur. Nulla inest merces in mundo isto. Si non vera sunt, quæ narramus, si Christum non vidimus resurgentem, ascendentem, miracula facientem, ut quid ista patimur? Quis tam insanus est, ut sine stipendio velit pro falsitate mori, & in tantis cruciatibus? Si falsa est nostra prædicatio, ut quid talia sustinemus? Nec enim audita, sed visa narramus. Si non vidimus, quæ nos vidisse asserimus, ut quid mortem sustinemus? Numquid potest aliquis in vita, post vitam commodum sperare? Aut post mortem, Deus, qui veritas est, falsitatis testes pro eorum mendacio præmiabit? Quis ita desipit, ut hoc credat? Testimonium etiam dat sequentium Martyrum multitudo, quibus nisi certa esset vita, numquam præsentem tanta fortitudine concessissent, qui omnes pro fide mortui sunt. Sed inter omnes maxime virginum & puerorum sanguis testimonium dat, quos, nisi divina fortitudo ad tot & tanta tormenta subeunda firmasset, non utique potuissent talia tolerare. Vide Catharinam, Agnetem, & alias adolescentulas tenerrimas non quasi virgines delicatas, sed veluti leones fortissimos præliantes. Unde in teneris membris tam eximia fortitudo, si veritas, quæ Deus est, in veritatis testimonium non eas roborasset? Ait quidam Sanctus; & bene: Ridiculum est, si post tot Martyrum agones velis de fidei veritate, quasi novella, otiosa disputatione contendere.

VII. Dat etiam testimonium aqua in Baptismo. Nam quando hæc scripta sunt, Spiritus sanctus specie visibili super baptizatos descendebat in fidei testimonium; de quo idem Joannes: *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*. Gustat namque, & videt quam suavis est Dominus. Hoc testimonium habebat, qui dicebat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*. Panis enim sapit panem, capo caponem, & favus favum. Sic Deus Deum sapit, & sicut gustanti panem notum est ex sapore, quod ille est panis; sic gustanti Deum, notum est,

Pſal.92. Jo. 5. Ibid. 10. Ibid. 3. Mat. 17. Ibid. 3. Act. 2. Jo. 15. 1. Jo. 5. Mat. 3. Ibid. 17. Mat. 28. Luc. 23. Mat. 2. 1. Jo. 5. Pſal. 30.

(*a*) 2. 2. quæst. 2. art. 10.

est, quod ille, quem gustat, sit Deus. Sed hoc *Manna absconditum* est, & nemo novit, *Apoc. 2.* nisi qui accipit. Nec solum gustus interioris dulcedinis, sed etiam pax & tranquillitas cordis, illustratio mentis, gaudium exsuperans testimonium dant. Sed & spiritus inflammatio, & multi alii similes motus spirituales, viro spirituali de Deo suo, quem in corde gestat, testimonium perhibent. Ha- *Ephes. 3.* betur autem Deus in corde per fidem sicut Apostolus ait. Unde si fides vera non esset: blasphemus, hæreticus posset sic Deum inhabitantem gustare.

VIII. Sed ut dixi: non solum ista in terra, sed multa alia testimonium perhibent fidei Christianæ. Nam testimonium perhibent miracula innumera Sanctorum in confirmationem fidei facta, quæ non possunt fieri per naturam; sed sola Dei potentia. Si fides in cujus testimonium facta sunt, vera non esset, Deus homines decipere videretur, qui ea facit in fidei confirmationem & robur. Nam cum Sanctorum reliquiæ tot miracula faciant, quæ negare nemo potest; cum sint innumera & evidentissima; bone Deus! quanta esset hominum illusio a Deo, qui hujusmodi hominem Sanctum defunctum talibus signis commendat? Et cum in nomine Jesu Christi Filii Dei pleraque a videntibus fiant: si Christus Filius Dei non esset, quomodo in nomine ejus talia fierent? Nonne qui talia faceret, deciperet? Sed absit a Deo deceptio. Quis Deum deceptorem esse audeat sentire? Nonne terribilis blasphemia est? Perhibent etiam testimonium multæ Angelorum apparitiones, multæ revelationes, quæ fiunt Sanctis. Visi sunt enim aliquando Sancti apparuisse, & sua corpora demonstrasse, sicut Ambrosio apparuerunt Gervasius & Protasius, & Presbytero Luciano apparuit Apostolus Paulus cum Stephano & Gamaliele. Et frequenter tales apparitiones & revelationes contingunt in Ecclesia Dei. Dant quoque testimonium fortissimum, & potentissimum Scripturæ: in quibus quidquid tanto ante prædictum est, impletum esse cernimus. Quis autem vel potuit illa prædicere, vel sicut prædixerat illa adimplere, nisi Deus? Hoc argumentum in fidei nostræ catholicæ testimonium adeo convincit, ut si bene aspiciatur, vix habeat responsionem ex quovis quantumvis protervo. Quo etiam P. Augusti- (a) nus (a) utitur contra paganos validissime *in Libro de Concordia Euangelistarum*. Dat etiam testimonium ipsa Lex sanctissima, puriſſima, perfectissima nullum malum aut vitium ad- *Psal. 18.* mittens. *Lex* enim *Domini immaculata convertens animas*. Quid enim purius, quid *Ps. 118.* sanctius Euangelio? *Narraverunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut lex tua*. Non opus est extra quærere testimonia, ipsa enim testimonium sibi perhibet, quia vera est. Dat etiam

A testimonium ipsa vita Sanctorum innocentissima, immaculata, & sanctissima. Bone Deus! si illi, qui relictis omnibus temporalibus in summa simplicitate & honestate degentes, sicut Angeli Dei, tibi soli, tuo honori, tuo obsequio, tuis laudibus diebus ac noctibus vacantes, nihil præter te quærentes, soli sapientiæ & veritati tuæ viventes: si isti, inquam, decepti vixerunt, & tamquam male de Deo sentientes & blasphemi perierunt; qui sunt qui salvantur? Si hos non illuminasti, qui super hominum facultatem sanctissime & piissime vixerunt: quos ergo illu- B minasti? Absit, absit, ut Deus hujusmodi cultores suos & dilectores sanctissimos, errare permiserit, & pro tanta pietate & charitate, quasi Angeli Dei, damnentur. Nec enim ad tantum sanctitatis culmen propria virtute, sed Dei gratia pervenerunt.

IX. Vere Domine *mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea*. Ergo in eis enarrandis immoremur; quoniam scriptum est: *Beati qui scrutantur testimonia ejus*. Videtis certe, quam verum sit illud Psalmi: *Testi-* *Ibidem.* *monia tua credibilia facta sunt nimis*. Veri- *Psal. 92.* tates quidem fidei arduæ sunt & difficiles; C sed testimonia potentissima, fortissima, & supra modum credibilia. Quis adeo pertinax, durus, & protervus, ut visis ac auditis hujusmodi testimoniis audeat repugnare, & non humilietur ad fidem? Dicam, Fratres, dicam, & cum nimio cordis mei gaudio. Fides tua Domine oculis limpidissimis, qui hæc cernunt, vix jam fides est: quoniam de fide quodammodo jam transiit in lucem, sicut Apostolus ait: *De fide in fidem*; de fide obscura *Rom. 1.* in fidem notam, quæ jam vix fides est. Non quod aliquis mortalis viator sine fide vivat, & per speciem ambulet; si enim Virgo illa D sanctissima in fide vixit, in qua omnia ista mysteria impleta sunt, & de fide laudata est a sua cognata, sicut ipsa in Canticis ait: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi:* *Cant. 2.* quis Sanctorum sine fide vixit? Scriptum est enim: *In umbra tua*, non in specie *vivemus* *Thren. 4.* *in gentibus*; sed quod dico, hoc est, plurimos Sanctorum sine gustu illo Spiritus, sine horum omnium testimoniorum diligentissimo scrutinio, aliquando ad notitiam fidei majorem, imo ad intelligentiam per fidem perveniſſe. Sicut scriptum est: *Si non credide-* *Isaiæ 7.* *ritis non intelligetis*. Non quod de singulis *ex Vers.* E fidei articulis, aut de aliquo occulto, quale *70.* est hoc Trinitatis mysterium, vel incarnationis, vel resurrectionis habeant evidentiam; hoc enim non dabitur in hac vita viatori, sed post mortem comprehensori; sed quod in generali, veram esse fidem catholicam quam habent, non credant jam, imo potius clare videant. Cum qua intelligentia generali stat, quod de singulis in particulari fidem habeant. Non enim vident Deum esse Trinum & Unum,

licet

(a) Idem locus allegatur Concione præced., quæ fere tota cum hac convenit; hinc notis opus non est, etiam pro sequentibus allegationibus.

licet videant, quod, hæc & alia fidei myſteria credentem fallere, ſit impoſſibile, ſive experientia illa Spiritus ſive horum teſtimoniorum lumine. Unde ſicut ait Picus Mirandulanus (a): Euangelio non credere ſic roborato, ſic teſtificato, grandis pertinacia, grandis obſtinatio, & mentis duritia eſt. Sed ut verum fatear, inquit, credere illi & contrario vivere multo major eſt ſtultitia. Quid enim ſtultius, quam credere gloriam ſempiternam regni cœlorum perpetuam, & illam pro modica voluptate contemnere? Credere ignem gehennæ æternum, & pro modico intereſſe in illum incidere? O Chriſtiane, ſi credis, quomodo ſic vivis, quomodo ſic contemnis, quomodo ſic obliviſceris? Donet nobis Chriſtus, & ſic credamus, & fidei operibus ſic conformemur, ut per fidem veniamus ad viſionem, & aliquando dicamus gaudentes: *Sicut audivimus ſic vidimus in civitate Domini virtutum* in gloria; ad quam nos perducat Jeſus Dominus noſter. Amen.

(a)

Pſal.47.

Poſtilla.

Salomon. Si ea quæ in proſpectu ſunt cum difficultate inveſtigamus, ea quæ in cœlo ſunt quis inveſtigabit? *Altiora te ne quæſieris*. Pluralitatem perſonarum in unitate ſubſtantiæ, communicationem ab æterno perſonarum, & modum procedendi pelagus eſt altiſſimum: & curioſum eſt, ne dicam temerarium, hæc ſcrutari. Dicente Propheta: *Generationem ejus quis enarrabit?* Sunt qui putant ſe demonſtraſſe myſterium Trinitatis; ſed, ridiculum eſt. Fides ſola eſt, quæ attingit ad Dominum majeſtatis, quæ penetrat myſterium Trinitatis. Hanc puram, ſimplicem, integram retineamus. Tunc enim videbimus, quomodo credimus. Voluit quippe Moyſes gloriam Domini videre, & dictum eſt ei: *Videbis poſteriora mea*. Poſituſque in lapide, tranſeunte Domino, gloriam vidit. Lapis fides. Poſteriora Domini tranſeuntis, ſunt opera humanitatis. Hæc utile eſt agnoſcere, & imitari. Myſterium Trinitatis tamen in Lege veteri, licet obſcure, monſtratum eſt Patribus. Nam Abraham ad illicem Mambre, dum ſederet in oſtio tabernaculi, in ipſo ſervore ſolis, tres vidit, & unum adoravit, dicens: Obſecro Domine, &c. Ita nobis ſedentibus in pace, & quiete cordis, non perturbatis, non commotis ad oſtium tabernaculi corporis, quoniam licet hic ſimus in carne viventes, tamen *converſatio noſtra in cœlis eſt*: in fervore devotionis: tunc dignatur Dominus apparere diligentibus eum, ut poſſint occulta & incerta ſapientiæ ejus agnoſcere ſacramenta. Si quid in corporibus eſt, quod aliqua ex parte monſtret myſterium Trinitatis hujus, ſunt aut tres potentiæ in una animæ ſubſtantia; aut lux, radius, calor, ex una ſubſtantia ſolis. Sed neſcio, quo lumine etiam philoſophi hallucinantes, etiam Trinitatem ſenſerunt, licet non plene ut fides. Nam Plato ipſum Ens, ſive ipſum *Theon*, primum principium poſuit, & in ipſo, Verbum, ſive mundum intelligibilem, in quo erant ideæ, & tertio animam mundi; ſed iſta tria ſubtiliter diſtincta. Et inquit P. Auguſtinus ſe legiſſe in quodam Platonis libro totum illud: *In principio erat Verbum, &c.* Eo modo quo Apoſtolus poſuit perſonas ſubſtantialiter diſtinctas. Et Triſmegiſtus ait: Monas genuit Monadem, & in ſe ipſam reflectit ardorem. Ex ſacra Scriptura convincimur ponere Trinitatem, in Unitate ſubſtantiali, ex illo verbo: *Ego & Pater unum ſumus*. Item ex illo: *Audi Iſrael: Dominus Deus noſter unus eſt*. Ecce, quomodo Unus Deus. Et iterum: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Ecce Tres, & Unus Deus.

Gen. 18.

Philipp. 3.

Pſal. 50.

Jo. 1.

Ibid. 10. Deut. 6.

Mat. 28.

Sap. 9.

Eccli. 3.

Iſaiæ 53.

Exodi 33.

IN DOMINICAM
INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI
CONCIO.
DE INSTITUTIONE SS. SACRAMENTI.

Homo quidam fecit Cœnam magnam.
Lucæ 14. v. 16.

* CONCIO LXXXVIII.

I. PRÆDICATORIBUS veritatis non ſolum præcipitur & incumbit dare populo doctrinam moralem, & docere, quæ attinent ad bonos mores & virtutes: ſed etiam manifeſtare populo opera Dei, & revelare ſecreta legis myſteria: ut ſciant & intelligant ſacramenta Dei. Unde de illis ait Pſalmus: *Annuntiaverunt opera Dei; & facta ejus intellexerunt;* & iterum: *Virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt:* Siquidem virtutes *operum ſuorum* per illos *annuntiavit Dominus populo ſuo*. Unde non minor eſt fructus interdum in ſermonibus ſpeculativis & ſcientificis, quam in moralibus & practicis. Nam in contempla-

Pſal. 63.

Pſ. 144.

Pſ. 110.

(a) Ejus teſtimonium dedimus in notis ad Conc. 1. Dom. 3. Advent.

templatione & conſideratione divinorum operum magna eſt utilitas cordium. Primo: illuſtratio intellectus. Secundo: inflammatio voluntatis. Tertio: admiratio divinæ ſapientiæ & majeſtatis, ex qua naſcitur timor & reverentia. Quarto: agnitio maximæ obligationis, qua Deo ſumus obligati ad amandum & ſerviendum. Quinto: laus divinæ bonitatis ſicut ſcriptum eſt: *Revelabit condenſa, & in templo ejus omnes dicent gloriam.* Unde ſcire & noſſe iſta non eſt vana curioſitas; ſed eſt pia & profunda ſapientia Deo grata, & animabus utiliſſima. Unde Pſalmus: *In adinventionibus tuis exercebor.* Quia igitur de hoc altiſſimo & Divino Sacramento plures ſermones doctrinales audiſtis; placuit hodie ſpeculative loqui. Non quidem de modo quo Chriſti Corpus ibi eſt; neque de converſione panis in Corpus Chriſti, & vini in Sanguinem: aut quomodo in eo accidentia maneant ſine ſubjecto, & ſimilia: nam hæc Angelis ſunt incomprehenſibilia. Non ſpectat ad propoſitum hæc ſcrutari. Tractantur hæc omnia in ſcholis propter hæreticos & ſcrutantur; & vere *defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.* Sed de inſtitutione ejus cujus hodie memoriam recolit & celebrat Eccleſia, & de cauſis, & rationibus, & fine propter quas inſtitutum eſt, quorum notitia nobis, ut credo, nimis utilis erit. Obſecremus Virginem de cujus utero & viſceribus hoc Sacramentum ſumptum eſt, ut nobis impetret gratiam & intelligentiam ad dicendum aliquid de eo utile, offerentes ei:

Pſal. 28.

Pſ. 118.

Pſal. 63.

AVE MARIA.

II. Duo opera fecit Altiſſimus inter alia admiranda & ſtupenda. Primum eſt Incarnatio Filii Dei. Secundum eſt hoc Sacramentum. Hæc omnium operum ejus ſunt mirabiliſſima & maxima. De primo ait P. (a) Auguſtinus (a): Majus miraculum eſt, quod Deus factus eſt homo, quam quæ fecit inter (b) homines. De ſecundo ait S. Thomas (b): Miraculorum factorum maximum. Hæ ſunt illæ inventiones potentiſſimæ, quas nobis præcepit Deus per Iſaiam prædicari, & manifeſtari populo dicens: *Notas facite in populis adinventiones ejus.* O qualis inventio Deus homo, Majeſtas in corpuſculo! O qualis inventio Chriſtus Deus & homo ſub rotundo velamine Sacramenti! Et de prima quidem inventione, quare facta ſit, omnibus notum eſt; quotidie canimus in Symbolo: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis: & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine: & homo factus eſt.* De ſecunda vero non ita manifeſtum eſt. Quærimus ergo jam de Deo facto homine, ſoluto pretio, & redempto homine: quæ neceſſitas, quæ utilitas, quæ ratio compulit, ut rurſus fieret opus tam admirabile? Nam tam inſigne opus non caret magno fine.

Iſaiæ 12.

III. Solent quidem aſſignari a doctoribus quatuor rationes & cauſæ, propter quas inſtitutum eſt. Nam inſtitutum eſt in ſolatium, ſicut ait S. Thomas (c), ut de ſua triſtatis abſentia ſolatium præberet ſingulare. Quod ſatis oſtendit tempus, in quo inſtitutum eſt. Nam quamdiu fuit cum diſcipulis in mundo non inſtituit, ſed prope paſſionem: quia Corpus ſuum ablaturus erat & ſyderibus illaturus, ſicut ait Euſebius Nicænus (d): Adinvenit modum, quo hic maneret cum ſuis, & inſtituit Sacramentum. Erat enim tunc temporibus Apoſtolorum triſtitia incredibilis, quam Dominus longo ac miro ſermone lenire curavit: ſed non poterant conſolari verbo, & ideo eos facto conſolatus eſt dicens: O Filioli mei nolite triſtari: *Non relinquam vos orphanos;* etenim *vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Et licet velatus & occultus velamine ſacramentali, hic tamen vobiſcum maneo & peregrinationis veſtræ ſocius ero. Quanta in hoc ſit Eccleſiæ conſolatio, quantum levamen laborum, omnes cognoſcitis. Quid eſſet de nobis, Fratres, ſine hoc Sacramento? Ecce in omnibus preſſuris & anguſtiis & tribulationibus ad te recurrimus, ad te venimus, tibi quaſi præſenti omnes noſtras anguſtias pandimus, tibi ſupplicamus, tuum auxilium poſtulamus, coram te corda noſtra effundimus, omnem laborem & fatigationem peregrinationis hoc ſolatio ſublevamus. Quam ſoli & triſtes eſſemus ſine te Domine!

(c)

(d)

Jo. 14. Mat. 28.

IV. Secundo inſtitutum eſt in memorativum paſſionis, ſicut Dominus expoſuit & declaravit: nam inſtituto hoc Sacramento ſtatim intulit: Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis. Quod exponens Apoſtolus ait: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Juſtum quippe erat, ut tantum opus, tam eximiæ charitatis, tam immenſæ pietatis, tam eximiæ utilitatis,

Lucæ 22.

1. Cor. 11.

(a) In Joann. Euang. tract. 17. ſub initium. *Magis gaudere, quam mirari debemus, quia Dominus noſter, & Salvator Jeſus Chriſtus homo factus eſt, quam quod divina inter homines Deus fecit.* Ubi notant PP. Congreg. S. Mauri, forte librariorum lapſu, irrepſiſſe *quam mirari*, pro *& admirari*.

(b) Opuſc. 57. lect. 4. *Miraculorum ab ipſo factorum maximum.*

(c) Citato Opuſc. 57. lect. pariter 4. *Et de ſua contriſtatis abſentia, ſolatium ſingulare reliquit.*

(d) Ita quidem legit Bruxellenſis editio, ſed mendoſe, ut puto, neſcio enim an inter Scriptores Eccleſiaſticos Euſebius aliquis Nicænus fuerit, cujus Opera extent. Legendum *Euſebius Emiſſenus*, cujus Opera edita ſunt tomo 6. Bibliot. Patrum. Ita porro is ad rem habet Homil. 5. de Paſcha. *Et ideo, quia corpus aſſumptum ablaturus erat ex oculis noſtris, & ſideribus illaturus, neceſſarium erat, ut nobis in hac die Sacramentum Corporis, & Sanguinis ſui conſecraret: ut coleretur jugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium: ut quia quotidiana, & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio, perpetua eſſet etiam redemptionis oblatio: & perennis illa victima viveret in memoria, & ſemper præſens eſt in gratia.*

tatis, quo totus mundus redemptus est, nulla temporis longinquitate in oblivionem veniret. Propter hoc quotidie nobis ante oculos ponitur, dum hoc Sacrificium in Altari offertur. Unde Gregorius (*a*): Quoties hoc Sacrificium celebratur, toties Christi passio repetitur. Unde & omnia Sacerdotis indumenta, & omnes gestus & cæremoniæ, quæ fiunt in Altari, hanc Christi passionem maxime repræsentant. Et hoc maxime a nobis in Missa tractandum, cogitandum, & ruminandum est ex Domini instituto, qui, sicut diximus, ob hoc voluit & præcepit hoc Sacrificium in sua Ecclesia celebrari. Unde sicut in lege veteri in memoriam illius magni beneficii, quo populus liberatus est de Ægypto, agnus ille paschalis quotannis cum illis ritibus & cæremoniis comedebatur: sic etiam in Ecclesia in memoriam multo majoris liberationis a diaboli servitute, hic Agnus cœlestis quotidie editur in Altari; sicut scriptum est: *Memoriam fecit mirabilium suorum, escam dedit timentibus se.*

(*a*) *Exodi* 12. *Ps.* 110.

V. Tertio, institutum est in Sacrificium. Pro omnibus enim sacrificiis veteris legis figuralibus, quæ evacuata sunt in passione Christi, hoc unicum datum est Ecclesiæ, videlicet ad placandum Deum, ad expianda peccata, ad postulandum divinum auxilium, ad agendas gratias pro acceptis beneficiis, & similia. Hanc causam optime tangit Apostolus ad Hebræos, & colligit ex Propheta dicente: *Sacrificium & oblationem noluisti, holocaustum & pro peccato non postulasti, Corpus autem aptasti mihi.* Id est, miro & ineffabili modo, sub quodam esse sacramentali præparasti, ut pro omnibus his, & loco omnium istorum offerri posset Sacrificium in Ecclesia. Hoc etiam Dominus per Malachiam apertissime denuntiavit dicens populo illi: *Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus, & munus non suscipiam de manus vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Quid apertius de hoc Sacrificio dici potuit? Hoc etiam Dominus in Euangelio innuit dicens: *Hic est Sanguis meus novi Testamenti.* Ac si diceret: Ecce pro omnibus illis hircorum & taurorum & agnorum sanguinibus, qui in veteri testamento offeruntur, meum vobis Sanguinem in Sacrificium relinquo: hunc Deo offerte. O quantum interest inter sacrificium & Sacrificium, inter sanguinem hirci & Sanguinem Christi! Unde Apostolus: *Si sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ asperſus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab* omnibus *operibus mortuis?* Unde advertendum est, quod sanguis ille veteris testamenti non solum offerebatur in sacrificium, ut patet de sanguine hirci; sed etiam illo sanguine omnia expiabantur & sanctificabantur. Hoc enim initiabantur & sanctificabantur sacerdotes uncti in poplitibus & in extremo auriculæ. Hoc altare sanctificabatur & omnia vasa sacra. Hoc etiam populus sanctificabatur, sicut optime exponit Apostolus ad Hebræos exponens illud, quando Moyses accepto hyssopo sanguine vitulæ asperſit populum, &c. *Omnia*, inquit, in *sanguine mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Hoc aperte designante Spiritu sancto, quia mundi expiatio, & sanctificatio Christi Sanguine futura erat. Unde cum Dominus ait: *Hic est Sanguis meus novi Testamenti:* non solum designat, quod maneat in Sacrificio, sed etiam in Sacramento ad populum sanctificandum & expiandum: unde Sacerdos ipsum Deo offert in Sacrificium, & populus ipsum suscipit in Sacramentum.

Pſal. 39. *Heb.* 10. *Malach.* 1. *Mat.* 26. *Heb.* 9. *Heb.* 9. *Mat.* 26.

VI. Hoc est quartum propter quod institutum est; scilicet: in Sacramentum; ut in eo scilicet sanctificemur & expiemur a peccatorum sordibus. Apostolus: *Si sanguis hircorum, &c.* Et in gratia solidemur; sicut scriptum est: *Et panis cor hominis confirmet:* Propter hoc enim in specie panis & vini consecratum est, ut fructus ejus in exteriori signaculo monstraretur: sicut enim aqua Baptismi animam abluit a peccatis, sic Panis hic cœlestis cor hominis confirmat, pascit, nutrit, sustentat. Et Vinum hoc cor hominis Spiritu sancto lætificat; & sic hoc Sacramentum non est peccatorum, sed justorum & perfectorum. Unde, sicut vita corporalis indiget pane, ut sustentetur; sic etiam vita spiritualis hoc Pane Angelorum nutritur, alitur, & sustentatur. Hoc est quod Dominus dicit in Euangelio: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* id est, ad mundi vitam sustentandam, & instaurandam. Ecce, Fratres, rationes, ecce causas propter quas hoc Sacrificium institutum est; scilicet: in solatium, in commemorativum, in Sacrificium, & in Sacramentum.

Heb. 9. *Ps.* 103. *Jo.* 6.

VII. Has causas communiter assignant Sancti Doctores. Quæ licet verissimæ sint & graves, utpote ex sacræ Scripturæ & Euangelii penetralibus excerptæ: tamen non omnino satisfaciunt, nec satiant animam. Poterat enim aliud memoriale relinqui passionis, & aliud Sacrificium; utpote agnus immaculatus, qui quotidie offeretur in Ecclesia in memoriam mortis Christi. Sacramenta plurima sunt in Ecclesia, Baptismus, Pœnitentia, Confirmatio, &c. Et si aliud addendum erat ad robur, potuit institui panis benedictus, qui sicut aqua & chrisma & oleum esset Sacramentum, & solidaret animam. Propter quid ergo opus tam magnum, tam mirabile, & miraculum tam potens factum

(*a*) In Euang. Homil. 37. num. 7. *Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram, passionum illius reparamus.*

ctum est? Quæ ratio, quæ causa, quæ necessitas, ut opus fieret mirabile, primo operi incarnationis simile? Utique opinor: aliquid majus latet; & alia causa validior præter has, licet istæ graves sint, investiganda est. Audite itaque, Fratres, magnum mysterium in hoc Sacramento absconditum, audite mirabile consilium Dei, audite finem potentissimum & causam præcipuam institutionis hujus Sacramenti, plenam gaudii, honoris, jucunditatis, & lætitiæ; quam inter alios expressius tradidit Chrysostomus *Homilia 60. tomo 5. de hoc Sacramento*. Hoc opus, hoc miraculum, Fratres, annexum est primo: hæc inventio secunda quasi complementum est primæ inventionis. Misit Deus Filium suum in mundum, ut vivificet mundum, sicut ipse ait: *Ego veni, ut vitam habeant,* Jo. 10. *& abundantius habeant*. Et quomodo debuit vivificari mundus, nisi adjungendo eum vitæ suæ, quæ Deus est? sicut corpus vivificatur unitum animæ. Et licet unio vitalis fiat per gratiam & charitatem; principium tamen & fons totius charitatis & gratiæ fuit illa mirabilis & ineffabilis unio hypostatica hominis ad Deum in Christo, qua Deus factus est homo. Ab illa prima gratia manavit omnis gratia, sicut Joannes ait: *De plenitudine ejus omnes accepimus. Et gra-* Ibid. 1. *tiam pro gratia*. Hæc autem solum in capite facta est, ex qua derivatur vitæ gratia in omnia membra.

VIII. Sed quare non facta est in omnibus? Utique quia non decuit: sic enim Deus diligit nos, quod si decuisset, fecisset; sed non decuit. Hoc enim non esset curare humanam naturam, sed quodammodo evertere. Non enim esset nisi unum suppositum humanum. Et si Verbum Divinum omnium hominum corpora & animas assumpsisset, sicut Corpus & Animam Christi; videretur monstrum tot naturis suffarcinatum. Quia ergo hoc fieri non decuit, aliam adinventionem invenit Divina Sapientia, qua nobis uniretur, & suæ Divinitatis faceret esse participes. Carnem illam sacratissimam, quam assumpsit & Deificavit, miro & ineffabili modo aptavit in cibum, & dedit; ut dum ab omnibus sumitur, & comeditur, & invisceratur, per eam nos sibi uniret, & transformaret, & invisceraret: ut quod non factum est hypostasi, fieret quodammodo hoc edulio Divinissimo. Dum enim intra nos Deificam hanc Carnem sumimus, per ipsam quasi Deitati unimur, & Christo Domino (a) invisceramur (a), & incorporamur, ut simus Gen. 2. *os de ossibus* ejus *& caro de carne* ejus. Itaque jam non sunt duo, sed una caro, ut non solum simus cum Deo unus Spiritus per gratiam; sed facti sumus Christo capiti concorporales. Veluti si quis carbonem vivum succendat & inflammet, & acervo carbonum immisceat, ut omnes accendat: sic per Christi Carnem, sicut ait Damascenus (b), Deus (b) nobis suam Divinitatem communicavit. Non enim satis fuit Divino amori, quod per gratiam illi uniti simus, nisi etiam re ipsa ei quodammodo uniremur etiam in hac vita. Non nostra, nec Sanctorum est hæc doctrina, sed Veritatis. *Simile*, inquit, *est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mu-* Mat. 13. *lier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum*. Quam breviter, quam occulte tangitur mysterium, quia non danda erat margarita porcis. O sublimem & mira- Ibid. 7. bilem similitudinem! Mulier illa sapiens, quæ quærebat drachmam perditam, id est Divina Sapientia: ex tribus satis farinæ mundissimæ, spiritu, anima, & corpore, modicum fermentum massæ, Humanitatem Christi, Deitatis fermento fermentavit, eam plenissime Deificando, & illam toti massæ electorum in Sacramento commiscuit, donec fermentaretur tota. Sed hæc fermentatio massæ nondum apparuit: *Filii* enim *Dei sumus:* sed *nondum apparuit quid erimus; cum* 1. Jo. 3. *apparuerit similes ei erimus*. Quale fermentum cœlis tota massa: tota fulgida, tota Deificata, tota sole illustrior: siquidem *justi fulgebunt, sicut sol in regno Patris eorum*. Et Mat. 13. qualis cœlestis, talis & terrestris, & tunc fructus apparebit hujus Sacramenti. Tunc videbimus propter quid institutum fuerit hoc Sacramentum. Siquidem: *Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini*. Ec- Ps. 126. ce *Filii*, ecce *merces fructus ventris*, de quo dictum est: Benedictus fructus ventris tui. Tota siquidem illa gloria, tota illa pulchritudo & claritas a capite per carnem de Virgine sumptam transfundetur per omnia membra.

IX. Sufficere vobis poterat hoc testimonium ex Euangelio; sed quia res grandis & magnifica est, & testimonium sub quadam similitudine positum est; rursum Christum audiamus; non sub similitudine, sed aperte de hoc Sacramento disputantem, & hanc sententiam proferentem. Cum enim in Euangelio Joannis mira & grandia prius de hoc Sacramento dixisset; inter alia ait: *Ego sum* Jo. 6. *Panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc Pane vivet in æternum*. Et quasi volens hoc probare format sic rationem: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo*. Quia meam substantiam intra se inviscerat; sicut ego in Patre, & Pater in me est, quia cum illo in substantia communico. Ibid. 10.

Nihil

(a) Eadem habet S. Joann. Chrysost. Homil. prealegata a S. Oratore: *Quod Angeli videntes horrescunt, neque libere audent intuevi propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur, & facti sumus unum Christi Corpus, & una Caro.*

(b) Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 14. *Participatio autem etiam hoc Sacramentum dicitur: quia per illud Divinitatis Jesu participes efficimur. Communio item optimo jure appellatur: quia per illud cum Christo commercium habemus, ac Carnem ipsius, & Divinitatem percipimus, atque adeo nos inter nos communicamus, atque copulamur.*

Nihil enim intimius cibo, qui in ſubſtantiam edentis transformatur. *Sicut* ergo *miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem:* quia cum illo communico in ſubſtantia factus ei conſubſtantialis; ac proinde etiam in vita communico, ſicut Deus de Deo, & lumen de lumine, ſicut vivens ex vivente: ſic etiam *qui manducat me*, eadem ratione, quia meam communicat ſubſtantiam viventem, *vivet* quoque *propter me*. Cum ergo ſim panis vivus, edenti vitam dabo. O mirabilem & jucundam comparationem! Itane Domine illi ineffabili & maximæ unioni & communicationi, qua Patri communicas in ſubſtantia, hanc communicationem & unionem, qua tecum communico in Sacramento comparas & aſſimilas? Non me capio præ lætitia. *Anima mea* tota *liquefacta eſt*, dum talia dilectus meus *locutus eſt*. Magnum quid, Fratres, eſt iſta communio; & ſicut opus mirabile, ita admiranda & ineffabilis conjunctio. O amorem immenſum! O inæſtimabilem charitatem! Non ſatis fuit tibi Deus meus, ut me tibi per gratiam & charitatem unires; niſi etiam re ipſa me ipſum tibi inviſcerares, incorporares, & transformares? Non ſatis fuit tibi, quod in Chriſto meam naturam aſſumeres, & ſic exaltares: niſi etiam Eccleſiam tuam tibi unires, & illam hypoſtaticæ unionis gloriam in capite factam ad totum corpus fidelium per hoc ſacratiſſimum & Divinum Sacramentum derivares; non hypoſtatice, ut in capite: ſed Sacramentaliter uniendo? Non quod unionem aliquam realem animæ ad Deum, præter eam, quæ per gratiam & gloriam eſt, ponamus: ſed tamen, veram & realem tuæ ſubſtantiæ communionem & participationem aſſerimus, per quam intus gratia tibi unimur. O magna dignitas, magna gloria populi Chriſtiani! Vere non *eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt* nobis. Intelligite Fratres & admiramini, tripudiate & exultate & præ gaudio liqueſcite. Ecce quodammodo nos per hoc Sacramentum ad Deum aſſumimur: magna enim & pretioſa dona donavit in hoc Sacramento, per quæ conſortes efficimur divinæ naturæ. Quanta gloria, quanta excellentia, quantus honor! Quis non timeat accedere? Quis non trepidet quantumcumque juſtus; quantumvis ſanctus? *Non enim*, ait Apoſtolus, *acceſſiſtis ad tractabilem & acceſſibilem ignem;* non ad aquam Baptiſmi, vel ſanctum Chriſma; ſed ad verum Chriſti Corpus, ad Deificam illam Carnem, quæ ſedet a dexteris Dei in throno ſuper Angelis & Cherubim; ad *Judicem omnium Deum*, & Spirituum *juſtorum perfectorum, & Teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & Sanguinis aſperſionem melius* clamantem *quam Abel*.

Jo. 6. *Cant. 5.* *Deut. 4.* *Heb. 12.* *Ibidem.*

X. Et poſt tantam gloriam non dedignaris o Chriſtiane vel oculos ad infima mundi gaudia deflectere? Rem tibi manifeſto exemplo. Si Petro Chriſtus dixiſſet in hac vita: Petre volo ut manduces me. Quomodo recuſaret manducare, quomodo trepidaret ad hoc verbum? Multo magis quam ad lotionem pedum. O Domine! Quomodo faciam, quomodo audebo? Petre fac: ſic volo, ſic jubeo: & totum Chriſtum ſic deglutiſſet a capite uſque ad pedes. O quam jucundus eſſet Petrus, qui Chriſtum geſtaret in pectore! Quantum putas æſtimaret omnem gloriam mundi? Quomodo ſe ab omni inquinamento corporis & animæ cuſtodiret? Sic omnino Fratres, ſic omnino fit in Sacramento, ſic vere & realiter ſumimus Chriſtum, ſic vere & realiter geſtas in pectore. Nulla eſt in re differentia: niſi quod, ne haberes horrorem & timorem aſſumendi carnem vivam, in ſpecie panis, & non in ſpecie carnis, tibi proponitur in Altari. Vide ergo quid debeas, vide quomodo accedas, vide quomodo te cuſtodias: agnoſce Dei charitatem, agnoſce tuam dignitatem, agnoſce fructum, & glorifica Dominum, qui tale donum tibi concedere dignatus eſt. Hanc mirabilem unionem & inviſcerationem ſimul & fructum Dominus revelatione ſingulari monſtravit Ruperto Abbati viro religioſo & ſancto; cui, ſicut ipſe narrat ſuper Matthæum (*a*), nocte quando ordinatus Presbyter oblaturus erat, & accepturus Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum, Dominus apparens in ſpecie humana, totum ſe inveſtivit in illo, & impreſſit, multo intimius quam ſigillum in cera molli; & tanta dulcedinis ſuavitate replevit, ut niſi velociter tranſiſſet illa dulcedo, animam ex corpore ſecum raperet: non enim poterat a mortalitate portari tantum dulcedinis pondus. Unde ſicut ipſe ait, in ſeipſo expertus eſt illud: *Non videbit me homo & vivet*. Hunc autem fructum, hanc dulcedinem non guſtamus, quia ſicci & indiſpoſiti accedimus, non conſiderantes neque attendentes ad quantam majeſtatem, & quam intime accedimus, ad quam non niſi puriſſimi & ſanctiſſimi accedere deberent. Unde, ut ait Chryſoſtomus (*b*) *in Homilia*, ſuo tempore, quando acceſſuri erant aliqui ad communicandum, prius coram tota plebe Diaconus clamabat: Sanctum Sanctorum eſt. Si quis eſt ſanctus, accedat. Non clamat, inquit, ſi quis eſt mundus, ſi quis eſt purus; ſed ſi quis eſt ſanctus accedat. Nam ad tam divinum Sacramentum, non ſolum munditia, ſed etiam ſanctitas quærenda eſt. Nos autem poſt mille facinora vix abſolutionem recepimus a Sacerdote, & ſta-

Jo. 13.

(*a*) Libro 12. ſuper Matth. cap. 26. ſatis poſt medium.

(*b*) Homil. 61. tom. 5. edit. Pariſ. an. 1570. pag. 340. *Cum enim dixerit Sancta Sanctorum, hoc dicit: Si quis non ſanctus, non accedat: non ſimpliciter dicit, a peccatis purus, ſed ſanctus. Non peccatorum tantum liberatio, verum & ſpiritus præſentia ſanctum facit, & bonorum operum divitiæ. Nolo vos tantum*, inquit, *a cœno vos eſſe liberatos, verum & candidos, ac ſplendidos.*

& ſtatim ad Euchariſtiam properamus. Exſpectandum eſſet aliquamdiu, & amplius lavanda fletibus conſcientia, & prius animus excitandus ad devotionem & fervorem, & bonis operibus exercendus, & ſic accedendum. Hoc dicimus his, qui in vita vitiis & peccatis deſerviunt, & vix ad annum ſe per confeſſionem purificant a peccatis. Nam, A qui cum Deo ſuo ſolicite ambulant, & conſcientiam mundam continue poſſident, bene faciunt, ſi frequentant Cibum vitæ, qui ſumentes vivificat, & vivificatos purificat, & purificatos ſanctificat, & ſanctificatos hic gratia perficit, & poſtea gloria coronat: ad quam nos perducat Jeſus. Amen.

IN DOMINICAM III. POST PENTECOSTEN

CONCIO.

DE ANGELIS AC EORUM ERGA NOS PROPENSIONE.

Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.
Lucæ 15. v. 10.

I. SANCTUS Pater Auguſtinus (*a*), *capite vigeſimo ſexto in Meditationibus:* De Deo quidem creatore omnium, qui eſt incomprehenſibilis, & ineffabilis, excelſa, & mirabilia nimis, omni remota ambiguitate legimus, loquimur, & ſcribimus. De Angelis autem quidquid dicimus, non tam evidenter probamus. Dei namque notitiam, opera ejus, omnes creaturæ, & ſacra Scriptura proteſtantur. De Angelis autem, nec ſenſus, neque aliquod eorum opus manifeſtum, neque Scriptura niſi parum loquitur. Nomen Seraphim in ſolo uno loco *Iſaiæ*, ſcilicet *capite ſexto*, legimus, ut ait Gloſſa (*b*). De creatione Angelorum nihil, nec de peccato Angeli nihil Moyſes locutus eſt, tamen, ut potero, Angelorum naturam breviter attingam. Accipiamus pro fundamento propoſitionem Dionyſii (*c*): Supremum naturæ inferioris, eſt contiguum infimo naturæ ſuperioris, ut in planta, vegetare, eſt ſupremum: inde incipit brutum: in bruto eſt potentia motiva ſenſitiva, & inter ſenſitivas imaginativa eſt ſupremum: illa eſt unde incipit ratio: dicitur enim ratio philoſophalis illa potentia. Vide S. Thomam (*d*) 1. *part.* Intellectus autem humanus habet imperfectiones tres. Prima: quod ligatus ſenſibus eſt. Secunda: quod intelligendo illuminatur ab objecto: illa enim immutatio per quam accipit ſpecies, illuminatio eſt. Tertia: quod B diſcurrit. Remove iſtas tres, & erit intellectus Angelicus. Nam Angelus nec ligatus eſt ſenſibus, nec illuminatur vel immutatur ab objecto, ſed per ſpecies concreatas intelligit. Non eſt mendicus a rebus intelligibilibus, nec diſcurrit; ſed ſimplici intuitu cognoſcit omnia, quæ ſunt in re. Comparatio boni artificis, qui ingreſſus Eccleſiam omnes defectus ſimplici intuitu cognoſcit. Alius autem oportet, ut metiatur prius, &c. Habet tamen Angelicus intellectus tres imperfectiones, quas ſi tollas, reperires Divinum. Prima: quod intellectus non eſt ejus C intellectio, ſed variatur pro objectorum varietate. Secunda: quod eſt in potentia. Aliquis enim aliquid cognoſcit, quod prius non cognoſcebat. Ideo ignorantia alicujus intelligibilis eſt tenebra. Tertia: quod licet non illuminetur ab objecto inferiori, tamen illuminatur a ſuperiori. Angeli enim, ſecundum Dionyſium (*e*), illuminant Angelos inferiores, (*e*) & Deus omnes Angelos. Ideo intelligunt dependenter. Tolle iſtas tres imperfectiones in Deo. Nam in Deo intellectus eſt intellectio, & ipſe omnia intelligibilia intelligit, nec habet alicujus ignorantiam, quod poſſit ſcire, D vel addiſcere de novo. Joannes: *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ.* 1. *Jo.* 1. Similiter non intelligit dependenter, nec illuſtratur lumine alieno. Eſt ergo intellectus Angelicus medius inter humanum & Divinum. Similiter de voluntate. Eſt enim triplex voluntas: quædam immutabilis & invertibilis, ut Divina. Jacobi *capite primo:*

* CONCIO LXXXIX.

(*a*)

Iſaiæ 6.

(*b*)

(*c*)

(*d*)

(*a*) Medit. cap. 27. in Append. tom. 6. edit. PP. Congr. S. Mauri, ubi ſic poſtrema verba leguntur: *De Angelis autem, & animabus quidquid dicimus, non tam evidenter approbare poſſumus.*

(*b*) Verba ſunt Hieronymi, quæ adducuntur a Gloſſa in cap. 6. Iſaiæ, ſic enim in eumdem locum habet S. Doctor: *Seraphim autem, præter hunc locum, in Scripturis canonicis alibi legiſſe me neſcio.*

(*c*) De Cœleſti Hierarch. cap. 4.

(*d*) 1. part. q. 78. art. 4.

(*e*) De Cœleſti Hierarch. cap. 7. §. 3. *Hoc igitur Theologi perſpicue declarant, ut inferiores quidem cœleſtium eſſentiarum ordines, a ſuperioribus divinorum operum ſcientiam convenienti modo percipiant: ii vero, qui omnibus antecellunt, ab ipſamet Deitate ſumma, uti fas eſt, ſacris diſciplinis illuſtrantur.* Similia habentur cap. 8. De hoc S. Thomas 1. p. q. 106. art. 4.

Jacob. 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Alia quidem mutabilis, ſed invertibilis, ut Angelica. Eſt enim mutabilis, ut ait Gregorius (*a*), quia alias bene ab Authore condita, numquam cecidiſſet. Eſt tamen invertibilis, quia ante plenam deliberationem poteſt hoc vel illud eligere; ſed poſtea non poteſt reſilire, ut tenet S. Thomas, *prima parte*, *quæſtione* 64., *articulo* 2. Alia eſt voluntas mutabilis & vertibilis, ut eſt voluntas noſtra, ſcilicet humana. Ex his ergo patet quænam natura ſit Angeli. Eſt enim Angelus ſubſtantia ſpiritualis & intellectualis intellectu ſimplici, & voluntate invertibili, ſed in utroque dependenter. Spiritualis natura non habet, nec poteſt habere corpus conjunctum: Angelus poteſt aſſumere corpus, ſed non vivificare.

II. Hæc ſunt, quæ ut potui, de natura Angelica inveſtigavi. De Angelorum vero excellentia & dignitate, de eorum gloria, de diverſitate, & officiis, & gubernatione cœleſtis Jeruſalem, de proprietatibus, & modo quo inſerviunt Altiſſimo, hæc a me non expectetis: quoniam abſcondita ſunt ab oculis noſtris, & hæc poſſumus magis contemplando quam differendo cognoſcere. Tamen, cum nonnulla de his Sanctus Dionyſius (*b*) tetigerit, quorum nulla ratio eſt, niſi authoritas ipſius Dionyſii; & forte accepit ipſe a ſuo Magiſtro Apoſtolo Paulo, qui raptus in tertium cœlum omnia luſtravit; ſequentia audeo aſſeverare, ne videar nihil dixiſſe. Nempe triplicem eſſe hierarchiam in Angelis. Triplex hierarchia eſt in Angelis. Prima: aſſiſtentium Deo. Secunda: principantium mundo, gubernantium ut Principes; ad quos ſpectat univerſalis rerum diſpoſitio. Tertia: exequentium horum ordinationes. Sicut in domo magni Imperatoris Magnates privati aſſiſtunt, & audiunt Principis voluntatem immediate: iſti vero deferunt ad conſiliarios Regis, quibus univerſalis diſpoſitio regni commiſſa eſt, ut diſponant qualiter Regis voluntas impleatur, & illud inferioribus committant. Iſti conſiliarii ſunt de ſecunda hierarchia Regis: iſti diſponunt qualiter fieri debeat, & intimant executionem rei ab eis diſtincte & ordinate ducibus & capitaneis in rebus bellicis, & gubernationibus provinciarum, & civitatum in rebus publicis, qui ſunt de tertia hierarchia regni: qui executionem implent, inferioribus mandantes. Sic eſt in cœlo: nam prima hierarchia immediate illuminatur a Deo de ſecretis: illi illuminant ſecundam; & ſecunda ordinat & imperat tertiæ executionem: licet enim omnes Angeli videant Deum, ſed non omnes ſecreta Divinorum myſteriorum in ipſa claritate Dominicæ eſſentiæ percipere poſſunt; ſed ſoli ſuperiores per quos inferioribus denuntiantur, qui a Deo immediate illuminantur, ut ait S. Thomas, *prima parte*, *quæſtione* 112., *articulo* 4. Quæritur ergo: an omnes Angeli tam ſuperiores, quam inferiores mittantur & miniſtrent. S. Thomas *in eadem quæſtione*, *articulo* 2. tenet, quod ſuperiores numquam mittantur. Et allegat authoritatem Dionyſii, & Beati Gregorii. Sed tamen: quia in his ſtandum eſt magis authoritati Scripturæ quam rationibus; & iſta authoritas, & alia quam ibi adducit de Seraphim, apud Iſaiam, manifeſte declarant omnes mitti (*c*), etiam ſuperiores; hoc videtur ſecurius. Unde, cum Filius & Spiritus ſanctus mittantur, nil mirum ſi Angeli mittantur. Filius venit miniſtrare, quare non miniſtret Angelus, etiam Seraphim? In hoc enim Charitas Dei nobis intimatur, qui ſuperiores Principes gloriæ ad nos deſtinat; tanti nos facit, & ita appretiat hominem.

Mat. 20.

III. Sed de miniſterio nunc dicamus; quærentes primo: an Angeli illuminent animas, & inſtruant ea, quæ pertinent ad ſalvationem; & modum quomodo doceant. Secundo: an Angeli inflamment voluntatem noſtram ad amorem Dei, & ſupernaturalium, & quomodo hæc faciant. P. Auguſtinus (*d*), 12. *ſuper Geneſim ad litteram:* Commixtione alicujus Spiritus fieri poteſt, ut ea quæ ipſe ſcit per hujuſmodi imagines rei cui miſcetur, oſtendat. Ipſa mixtio non poteſt fieri per illapſum, qui eſt proprius Divinitatis, infundere ſe intime; ſed per præſentiam quandam ad animam. Nec tamen cauſant immediate conceptus, aut creant naturas, vel ſapientiam in anima: hoc ſolius Dei eſt. Bernardus (*e*). Illud ſcitote. Sed, ut inquit S. Tho-

2. Cor. 12.

(*a*) Moral. in Job lib. 5. cap. 38. *Nam ſi Angelorum ſubſtantia a mutabilitatis nota fuiſſet aliena, bene ab auctore condita, nequaquam in reprobis Spiritibus a beatitudinis ſuæ arce cecidiſſet.*

(*b*) *De Cœleſti Hierarchia:* Cujus tamen libri veritas in dubium a Criticis nonnullis revocatur. Plurima hac de re ſcripſit Laurentius Cozza in libro, cui titulus: *Vindiciæ Areopagiticæ*, Romæ edito an. 1702.

(*c*) Plures habet ex antiquis Theologis patronos ſententia, quam hoc loco amplectitur S. Orator. Eos enumerat Suarez Summæ Theol. part. 2. lib. 6. cap. 9. num. 3.

(*d*) De Gen. ad lit. cap. 13., ubi inquirit, An inſit in anima vis divinationis. *An aliquando*, inquit, *in ſe ipſa videt iſta, aliquando per alterius ſpiritus commixtionem? Quidquid horum eſt, temere affirmari non oportet.*

(*e*) Serm. 5. in Cant. num. 8. *Illud autem ſcitote, nullum creatorum ſpirituum per ſe noſtris mentibus applicari, ut videlicet nullo mediante noſtri, ſuique corporis inſtrumento ita nobis immiſceatur, vel infundatur, quo ejus participatione docti, ſive doctiores, vel boni, ſive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis eſt, nullius ego capax. Nec ipſi Angeli ita ſe alterutrum capiunt. Sequeſtretur proinde prærogativa hæc ſummo, & incircumſcripto Spiritui, &c.* Hoc ipſum teſtimonium, & ſi non integrum, in hac eadem Concione affert S. Orator. Iterum de hoc Bernardus lib. 5. de Conſiderat. num. 12. *Ineſt Angelus ſuggerens bona, non ingerens: ineſt hortans ad bonum, non bonum creans: Deus ſic ineſt, ut afficiat, ut infundat, vel potius ut infundatur, & participetur, itaut unum perinde cum noſtro ſpiritu eſſe, dicere quis non timuerit. Angelus ergo cum anima, Deus in anima.*

(a) S. Thomas (a), confortant intellectum noſtrum ſua præſentia per ſpecies neceſſarias, quas ibi applicant, ſub ſpeciebus ſenſibilium veritatem abſcondunt, ut parvulis, quoniam non poſſumus nudam intelligere. Ideo dicuntur ſpirituales aurifices. *Murenulas aureas faciemus tibi.* Cant. 1. Vide ibi Bernardum. Immutant etiam phantaſiam per motum ſpirituum animalium, & humorum ad apprehendendam rem, quam volunt, & ſic loquuntur in ſomniis, & ſic etiam intellectum immutant ad apprehendenda, quæ volunt. De voluntate autem, an eam moveant vel inflamment? Reſpondeo: Cogere, aut compellere non poſſunt, ſed movere poſſunt. Sed de modo; dico: quod movere voluntatem active ex parte potentiæ, ad ſolum Deum pertinet: qui ipſam inclinationem voluntatis poteſt variare pro libitu. Angeli vero, ut ait S. Thomas (b), dupliciter movent voluntatem; ſcilicet per modum perſuadentis: oſtendentes intellectui aliquid ut bonum, per quod alliciunt voluntatem ad amorem illius, vel per modum paſſionis in appetitu ſenſitivo concitantis. Voluntas enim inclinatur per appetitum ſenſitivum, cujus paſſionem Angeli poſſunt concitare per motum humoris, & calorem impreſſum per actionem activorum. Et ſic dicuntur Seraphini, id eſt inflammantes. Vide S. Thomam *prima parte, quæſtione* III., *articulo* 2. & 3. Unum eſt ibi difficile, quia dicit, quod Angelus ſua præſentia poteſt fortificare intellectum, cum ſola præſentia non poteſt inflammare voluntatem. Quare non poteſt (c)? Quæritur unde habeantur novem ordines Angelorum, & eorum officia. Reſpondeo: Novem ordines in una narratione inveniuntur in Ezechiele, nomine novem lapidum. Ubi dicitur: *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum.* Ezech. 28. Sic Iſidorus (d) *in Libro de ſummo Bono.*

(b)

(c)

(d)

IV. Dico inſuper: tantam eſſe Angelorum pulchritudinem, ut pro præmio laborum acceptaretur frui una tali creatura, ſi ab oculis animæ videretur. Advertite unde hoc ſciam. Quis altior in intellectu illa Aquila Euangelica, Joanne ſcilicet Euangeliſta? Hic apud Patmos viſo Angelo procidit & adoravit. Apoc. 19. Non credidit poſſe majorem pulchritudinem, aut excellentiam reperiri; ideo pro Deo adoravit. Joannes hic erat. Sed quid dictum eſt illi? *Vide ne feceris: conſervus enim tuus ſum.* O ſi ſcires quantum diſtat hæc pulchritudo a pulchritudine Dei tui! Sicut ſcoria, ſicut cinis, ſicut pulvis ad fulgentiſſimum aurum; imo ſicut nihil. Creatura enim ſum, opus manuum ſuarum ego ſum, artificem ex opere conjectato. *Conſervus tuum ſum*, qualis ſit Dominus intelligito. Noli me pro Deo tuo venerari. Audi quod dicitur Job: *Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi ſardonycho pretioſiſſimo, vel ſapphiro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro eo vaſa auri. Excelſa & eminentia non memorabuntur comparatione ejus: trahitur autem ſapientia de occultis. Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundiſſimæ componetur.* Ubi Job nomine illorum lapidum & metallorum, differentias Angelorum & choros intelligit: quamvis neſcimus nos, quomodo talis vel talis creatura Angelica, tali vel tali metallo vel lapidi comparetur, quia Angelos non vidimus, & eorum proprietates ignoramus. Hoc autem intelligitur ex illa littera, quod Sapientiæ, id eſt, Verbo Dei nullus fulgor vel pulchritudo Angelica poteſt comparari; libet tamen ex multis unum tangere, ut ex eis cætera penſentur. Quare dixit non adæquabitur ei aurum vel vitrum, quaſi vitrum res pretioſa ſit? Quam modico pretio vas vitreum venditur, & quam cito frangitur? Cur ergo vitrum auro connumeratur, aut inter pretioſos lapides? Gregorius (e): Angelica natura aurea eſt propter fulgorem, vitrea propter tranſparentiam. Item: quia vitrum fractum conſolidari non poteſt, ut ſtamnum, vel plumbum, vel argentum. Ideo ſignificat naturam Angelicam, quæ levi motu ſuperbiæ fracta, in perpetuum non reſtaurabitur, ut in apoſtatis Angelis. Quomodo autem vitrea ſit Angelica natura, & tranſparens, apparet: quia unus Angelus alterius viſcera intuetur, & intimas cogitationes: & hæc eſt eorum collocutio. Utinam Fratres mei, utinam nos ſic loqueremur, ſic viſcera paterent, non eſſet tanta fictio, non tanta falſitas in nobis! Quis apparere vult, qualis eſt? Quis intra ſanum hoc corpus non mille defectus occultat? Quis omnino cognoſci & intelligi non erubeſceret? O ſtulte! Velis nolis, cor tuum & cogitationes cordis, quas occultas, Deo Judici vindicatori patent; & Angelis & mundo patebunt. *Nihil enim eſt opertum, quod non revelabitur.* Mat. 10. Quas dicam fraudes etiam & circumventiones, quibus unus decipit alium; aliud vultu & lingua demonſtrans, aliud corde retinens? Quis hodie tractat veritatem cum proximo ſuo? *Vani filii hominum, mendaces filii hominum, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum:* Pſal. 61. Ore laudantes, corde irridentes proximos ſuos. Dilata hoc ut poteris.

(e)

(a) 1. part. q. III. art. 1.
(b) 1. part. q. III. art. 2.
(c) Legendus Suarez Summæ Theol. part. 2. lib. 6. cap. 16.
(d) De ſummo Bono lib. 1. cap. 12. circa medium: *Novem ordinum numerum etiam Ezechiel Propheta deſcribit ſub totidem nominibus lapidum, cum de primatu apoſtatæ Angeli loqueretur.*
(e) Moral. lib. 18. cap. 48. *Quid ergo aliud in auro, vel vitro accipimus, niſi illam ſupernam patriam, illam beatorum civium ſocietatem, quorum corda ſibi invicem & claritate fulgent, & puritate tranſlucent?*

V. Sed redeamus unde digreſſi ſumus. Magna certe fuit Angeli excellentia, quæ ipſum fere Angelicum Joannis intellectum, ſic duxit in admirationem, ut Deum putaret, & pro Deo adoraret. *Apoc.19.* Similiter ex alio poteſt conſtare potentia & ſpecioſitas Angeli. *Exodi 34.* Angelus erat qui legem dedit in monte Sina, licet vocem Domini habens, Dominum ſe nominet. *Galat.3. Act.6.* Paulus hoc docet qui ait: lex diſpoſita per Angelos. Et Sanctus Stephanus in Actibus Apoſtolorum. *Exodi 34.* Angelus ergo erat, & tamen facies Moyſi ex ſolo conſortio & collocutione ſic rutilabat, ut videri non poſſet, & velamine egeret. Quanta eſt Angelicæ puritatis gloria, quæ in vili ſchemate carnis, ſolo ſuo conſortio valuit fulgorem ſolis imprimere. Audiſtis excellentiam: audite potentiam; quando deſcendit ille Angelus; mons fumat, mons micat, ignis, nebula, fulgura, tonitrua, tempeſtas valida, mons undique flagrat, undique ardet. Tam terribilis erat aſpectus, tam horribilis acceſſus, ut ſexcenta millia virorum filiorum Iſrael exterriti & tremuli dicerent Moyſi: *Ibid. 20.* *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*. Loquere tu nobis, & audiemus. Quid dicam de primogenitis occiſis ab Angelo una nocte? De aquis maris ab Angelo converſis *Pſal.77.* ſuper currus Ægyptiorum, de centum octo- *4. Reg. 19.* ginta quinque millibus occiſis in caſtris Sennacherib ab Angelo, ubi forte nulla alia læſio, quam ſolus aſpectus, ſicut in reſurrectione Chriſti: *Mat. 28.* *præ timore ejus exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui?* An non potentes virtute, qui ſola præſentia ſua & occidere homines, & ſola præſentia illuſtrare facies hominum poſſunt? *Pſ. 102.* *Benedicite* ergo *Angeli ejus, potentes virtute*. Sed attendite, obſecro, Fratres mei, quod dicturus ſum: nolo enim præterire quod ſentio. Si talis eſt potentia Angeli legiferi, qualis erit majeſtas *Exodi 19.* Domini judicantis? Si unus miniſtrorum in datione legis tam potens, tam terribilis apparuit; ipſe Dominus Angelorum petiturus *Mat. 25.* rationem de cuſtodia legis cum omnibus Angelis deſcendens, qualis apparebit? Poteritne aliquis dicere Moyſi: *Exodi 20.* *Loquere tu pro nobis?* Poteritne ponere procuratorem pro ſe, qui reſpondeat? Audi Paulum: *2. Cor.5.* *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*. Quis ibi fremitus, quis ſtupor? Euangelio revelante credamus. *Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper* *Lucæ 23.* *nos; & collibus: Operite nos*. Vellent magnis montibus cooperiri, quam apparere. Vellent potius abſorberi in terra vivi, vellent potius in infernum detrudi. Job: *Job 14.* *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus?* Et vos dormitis, & quieſcitis, & gaudetis, & lætamini tantæ miſeriæ deputandi, ſi non egeritis pœnitentiam? Væ nobis ſi ad tantam miſeriam dormierimus!

VI. Sed ad Angelos redeamus tantæ virtutis & fortitudinis: & aliquid etiam de Angelorum numeroſitate dicamus. Si mille Principes, aut decem mille eſſent in cœlo magnum appareret: ſed tantus eſt numerus, tanta multitudo, ut aſtra ipſa multitudine vincant. Sic enim Angelis ornatum eſt empyreum, ut firmamentum decoratum eſt ſtellis. Omnia plena Angelis. Tantum Dominus mandare debuit, & quot voluit, tot fecit: nec illi difficilius erat plures facere, quam pauciores. Decuit autem, quo perfectior erat natura, eo eſſet & multiplicior. Sic enim aqua major terra, & cœlum elementis amplius eſt, quia perfectius. Decuit etiam, ut in domo regia multi eſſent miniſtrantium ordines. Et ubi Deus eſt Dux; non parvus, ſed magnus eſſet exercitus: Siquidem eſt honor Regis in multitudine populi. Pſalmus: *Pſal.67.* *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium: Dominus in eis*. Illa vera lætitia eſt. Job: *Job 25.* *Numquid eſt numerus militum ejus?* Et quod amplius eſt, in tanta multitudine omnes nominatim a ſuo Duce cognoſcuntur. Iſaiæ *quadrageſimo: Educit* *Iſaiæ 40.* *in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat*. O felicia caſtra! O præclarus exercitus tali Duce! O quam glorioſum eſt regnum, in quo cum Chriſto regnant omnes Sancti! O ſi aperirentur oculi noſtri, & videremus gloriam eorum! O ſi videremus multitudinem illam, tam multam, tam decoram! O ſi videremus feſtivam jucunditatem eorum! Excita te ad hoc o anima mea. Hæc, Fratres, ſocietas expectat nos: hæc gloria nobis parata. O miſera caro, cur detines animam meam, cur ligas eam, cur ſeparas eam a tanta felicitate, glorioſa ſocietate? O fides noſtra, cur dormitas? Cur non excitaris in tripudio? Quoniam talis gloria nos expectat. *Lætatus ſum*, & vere *lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mi-* *Pſ. 121.* *bi: in domum Domini ibimus*. Hoc ſolatium laborum, hoc tentationum levamen. Breve eſt quidquid laboris, quidquid doloris fuerit mihi impoſitum, dummodo ad hanc jucundam ſocietatem perveniam. *Ingrediatur* *Habac.3.* *putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat*, dummodo *aſcendam ad populum* iſtum *accinctum*, populum glorioſum. *Educ de cuſtodia* *Pſ. 141.* *Deus animam meam. Ad videndum in boni-* *Pſ. 105.* *tate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ:* ad lætandum *cum hæreditate tua. Quis deducet me in civitatem muni-* *Pſal.59.* *tam, quis deducet me uſque in Idumæam?* O mater noſtra Jeruſalem, decora nimis & ſplendida a longe te ſalutabo; quoniam non incola licet viſitare te; die nocteque plorabo, donec perveniam ad te: numquam de meo corde tua excidet memoria, quoniam non conceditur præſentia. O pulchra nimis, & decora regio! *Si oblitus fuero tui Jeruſalem,* *Pſ. 136.* *oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui: ſi non propoſuero* te *Jeruſalem, in principio lætitiæ meæ*. In capite omnium mearum delectatio-

ſtationum hæc mihi pars, hæc cura erit, quotidie ſtationes tuas animo luſtrare, verſare corde, oculis fidei viſitare, uſque dum liberatus ab hoc ergaſtulo tibi merear aſſociari in jucunditate, in pace, in ſecuritate, in gaudio & gloria.

VII. Poſtquam Angelorum naturam, potentiam, pulchritudinem inquiſivimus, reſtat, eorum erga nos amorem & gratiam oſtendamus. Id autem Deo donante breviter aggrediemur, Prophetæ verba aſſumentes: *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius.* Pſ. 102. Licet potentes, tamen facientes verbum illius. Hæc potentia eſt ſervire Omnipotenti. Non inflatur Angelus de potentia ſua, ut Creatoris ſui in ſe contemnat; potentes ergo, ſed obedientes. Eccli. 10. Et tu homo pulvis & cinis ſuperbis, & intumeſcis? Tu ſolus audes contra præcepta Dei tui erigere caput, indurare cervicem? Potentes virtute ſerviunt ei: & homo Ibid. 19. putredo, & vermis reſiſtit? & quo ſupplicio, qua vindicta? *Facientes verbum ejus*; non ſolum præceptum, ſed & verbum. Perfecta obedientia verbum ponit in præceptum, & de nutu facit mandatum. Sed quod eſt hoc mandatum ejus, quod præceptum? Ipſe Propheta alio loco exponit: *Quoniam Angelis* Pſal. 90. *ſuis*, inquit, *mandavit de te ut cuſtodiant te*. (a) Bernardus (a): Quis mandavit, & quibus, & de quo, & quid mandavit? Deus eſt qui mandat. Et quibus? Angelicis Poteſtatibus, potentibus virtute: magnus Dominus, magni ſervitores: magnum expectemus mandatum. De quo mandat Deus Principibus, & Poteſtatibus cœleſtibus? *De te*, inquit. De me? Quare de me? Deus ipſe, Angelis ipſis mandat de me? Quis ego ſum? De me? In cœlo memoria de me? In cœlo mandatum de me vili vermiculo, parva formicula, in loco iſto ſpatioſo de me, inquam, in cœleſtibus cura eſt? Sed quid mandavit de me? Heu! Numquid ut crucient me? Numquid ut puniant me? Numquid ut a facie tua projiciant me, & in inferno demergant me? Sic juſtum erat: hujus mandati reus eram. Non, inquit, hoc: ſed, *ut cuſtodiant te*. Benedictum ſit nomen tuum Domine, benedictum ſit in æternum: quoniam ſollicitus es mei, neque deſpicis opus manuum tuarum in infimo iſto ſæculo conſtitutum. Multæ gratiæ vobis o Angelicæ Poteſtates, multæ gratiæ vobis: quoniam ſic libenter humiliamini, ut non dedigneminì me viſitare. Quid dico: imo ſervire, & adminiſtrare. Hoc enim vocabulo uſus eſt Apoſtolus dicens: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus?* Heb. 1. Sed tibi Deo meo, tibi omnis gloria debetur. *Soli Deo honor & gloria.* Si enim Angeli ſerviunt, ideo eſt, quoniam tu Domine mandaſti. Non dedignantur ſervire, quibus, uti ſuperius dictum eſt, tu humiliatus ſerviſti. Servivit homini Deus: nil mirum, ſi ſerviat Angelus. Quis Angelus non cum gaudio miniſtret, quando Filius Dei vivi ait: *Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Luc. 22. Mat. 20. Bernardus (b): Serviunt nobis propter Deum, propter nos, & propter ſe ipſos. Propter Deum: quoniam ſicut illi placere, ſic velle cognoſcunt. Propter nos: noſtræ miſeriæ & cæcitatis miſerti. Propter ſe ipſos: quoniam non ex aliis ſuæ civitatis ruinas reparandas eſſe ſciunt, niſi ex animabus juſtis. *Judicabit*, ait, *in nationibus*, & ex his quos in judicio juſtos repererit, *implebit ruinas*. Pſ. 109. Propter hoc, & ad hoc cuſtodiunt: propter hoc tam ſollicite ſervantur, & muniuntur.

VIII. Quanta eſt, Fratres mei, Dei noſtri erga nos ſollicitudo! Depoſitum hoc animæ noſtræ pretioſum, quod ſanguine & morte redemit, non contentus eſt nobis ſolis committere ſervandum: inſuper homines cuſtodes poſuit ſuper homines; juxta illud: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* Pſal. 65. Nec tali cuſtodia contentus eſt: ſcit enim, quantum humana cuſtodia parva ſit, & tenuis; utpote, quæ quantumcumque vigilet; tamen ipſa aliena pro ſe magis cuſtodia egeat. Dormire enim neceſſe eſt in alienis cruciatibus, qui quotidie ſuis ipſe opprimitur. Quomodo medebitur alieno languori, qui proprio ipſe vexatur? Ideo ſuper humanam, etiam Angelicam dignatus eſt adhibere cuſtodiam; utpote, qui non dormiant, neque dormitent, neque de ſuis ipſis neceſſitatibus ſolliciten- tur. Et non ſolum viſibiles, ſed inviſibiles magis incurſus hoſtium arcent ab animabus ſanctis. *Super muros tuos Jeruſalem conſtitui cuſtodes, tota die, & tota nocte non tacebunt.* Iſaiæ 62. Nec ſolum hoc: ſed etiam ſe ipſum cuſtodem hominum exhibuit, clamante Job: *Quid faciam tibi, o cuſtos hominum?* Job 7. Sciens: quoniam, *niſi Dominus cuſtodierit civitatem: fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Pſ. 128. Dices: Securus ſum tam multiplici cuſtodia cuſtoditus. Imo ex cuſtodiarum multitudine periculum tuum attende. Rex, ubi non eſt periculum latronum, theſaurum uni ſoli cuſtodi, vel duobus committit: ſed ubi periculum furantium adeſt, mittit ducentos viros in cuſtodiam. Ideo cum dixiſſet Pſalmus: *Ut cuſtodiant te*; adjungit periculum: *Super aſpidem*, inquit, *& baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.* Pſal. 9. Inter tam

(a) Serm. 12. in Pſal. *Qui habitat*, num. 4. *Mira dignatio, & vere magna dilectio charitatis! Quis enim, quibus, de quo, quid manduvit?*

(b) Serm. 1. in Feſto S. Michaelis Archang. num. 4. *Hic eſt, dilectiſſimi, funiculus triplex, quo de excelſo cœlorum habitaculo ad conſolandos, ad viſitandos, ad adjuvandos nos attrahitur ſupereminens charitas Angelorum, propter Deum, propter nos, propter ſe ipſos. Propter Deum utique, cujus tanta erga nos miſericordiæ viſcera, ipſi quoque, ut dignum eſt, imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam ſimilitudinem miſerantur. Propter ſe ipſos, quorum ordines inſtaurandos ex nobis toto deſiderio præſtolantur.*

feras beſtias, quali cuſtodia opus erat ambulanti.

IX. O quantum ſtudium adhibetur ab Angelis, ut æterna fruaris gloria, ad quam conditus es, & ut ab illo flagranti incendio gehennæ eripiaris! Quam frequentes adſunt Angeli, quam ſolliciti de tua ſalute! Et tu ad quem totum attinet, in deliciis jaces, tuæ damnationis oblitus? Quantas putas inſpirationes ſanctas inſpirant, quot occaſiones evitant, quot diſcurſus faciunt, *Gen. 28.* a te in cœlum, & a cœlo in te euntes & revertentes. Quam fidus cuſtos, quam diligens ſocius, quam verus amicus lateri tuo, imo cordi tuo ſemper aſſiſtens & inſiſtens. Angelus quaſi Paranymphus inter Verbum ſponſum, & animam ſponſam intervenit: illum placat, iſtam excitat; illum flectit, iſtam erigit; illum mitigat a furore, iſtam inflammat amore. Quam ſollicitus ornare ſponſam, ut in ea nihil offendat oculos Dilecti. Illum obſecratur dicens: *Convertere* *Pſal. 89.* *Domine uſquequo? & deprecabilis eſto ſuper* ancillam tuam. Domine, *ſicut cervus deſi-* *Pſal. 41.* *derat ad fontes aquarum*, ita anima iſta ſitit ad te Deum vivum, Deum ſuum, Sponſum ſuum: noli eam Domine defraudare a deſiderio ſuo; ecce enim amore tuo languet. Deinde converſus ad animam: Tu o dilecta, *Cant. 2.* tu o pulcherrima noli deſpicere tanti Regis præſentiam & connubium. *Audi Filia, &* *Pſal. 44.* *vide: obliviſcere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum.* *Delectare in* ipſo, *& dabit tibi petitiones cor-* *Pſal. 36.* *dis tui. En ipſe ſtat poſt parietem* tuum, *re-* *Cant. 2.* *ſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. Surge, propera:* aperi dilecto, aperi cito ne tranſeat te. Quanto gaudio exultat ſi conſummato brevi illo certamine, contigerit eum in manibus portare te coronandam, & ſibi perpetuo aſſociandam?

X. Quantum putas, anima illi Angelo obligatam ſe conſpicit in perpetuum, quando videt gloriam, quam ejus miniſterio adepta eſt, & pœnam quam evaſit? An non credendum eſt ſimul Angelum illum, & animam cum quodam tripudio perpetuis laudibus Deum pro tanto beneficio laudare? Neque tamen putandum eſt Angelum triſtari ſi anima perdatur, quoniam ipſe fecit, quod in ſe erat; & quod Deo placet, illi non poteſt diſplicere. Sic ergo afficitur gaudio de ſalute, ut nullo afficiatur tædio de perditione. Multum autem tangit Angelos noſtra ſalus, & noſtram quaſi ſuam ſic æſtimant. Nonne audiſti in Euangelio magnum gau- *Luc. 15.* dium fieri in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente? Unius peccatoris pœnitentia cœlum lætificat, & pro uno tot millium cœleſtium jubilus excreſcit. Tanti exiſtimaris, tanti haberis apud Angelos, qui forte in terra ab omnibus deſpiceris. Vellem, Fratres, vellem ut ſciremus nos, magni exiſtimari, & humiliter ſuperbire, non de nobis, ſed de Dei noſtri amore, ſed de

A Dei noſtri erga nos pietate, quos ſic dignatus eſt honorare. Sed placet nunc ad gregis dominici cuſtodes & paſtores convertere ſermonem; & ſi in eis pudor non eſt, ſaltem timor eos excitet ad ſolertiam. Quid dicam Fratres? unus Angelus magnum putat ſibi commiſſum negotium in unius animæ cuſtodia, & iſti millia animarum in ſuam cuſtodiam ſuſcipiunt tam ſecuri quam miſeri, die nocteque dormientes, ſolliciti expoliare, non cuſtodire gregem. Voluptuoſi, indocti, leves, mundani, ſuo ipſo exemplo oves dominicas perdentes, quas eodem exemplo de- B buerant ſalvare. Heu miſeri paſtores qui nec de ovibus eſſe meruerant! Hæu cæci, heu nati in combuſtionem, & amaritudinem ſempiternam! Pro modicis redditibus animas ſuas dæmonibus vendiderunt, & alienas, quas cuſtodire debuerant, perdiderunt. Quid prodeſt iſta dicere? Incaluerunt jam aures eorum, obſtupuerunt mortui a corde. Fruſtra jam contra eos clamatur, quoniam in alto dignitatis faſtigio poſiti longo ſupercilio minantur canibus latrantibus, ſi venientibus lupis eos a ſomno miſeræ voluptatis ſuis clamoribus excitaverint.

C XI. Sed ad Angelos revertamur. Non ſolum hoc præceptum eſt ut cuſtodiant, ſed etiam ut dirigant, & perducant, & ſublevent. Ideo ſequitur: *In manibus portabunt* *te*. Cuſtodiunt, dirigunt, & ſublevant. Ideo *Pſal. 90.* arietes ab eodem Propheta nominantur. Ait enim: *Montes exultaverunt ut arietes*. Arietes Angelos, oves animas vocans: ob hoc *Pſ. 113.* præcipue quod animas ipſas Angeli optimis deſideriis, & cogitationibus quaſi pinguibus fœtibus fœcundent. Si quidem purgant eas ab omni pulvere terrenarum illecebrarum, & cupiditatum, & inflammant, & excitant in D eis divinum amorem, & virtutum omnium actus mirifica arte intra cordis arcana, veluti apes diſponunt, ſuaviſſimo melle internæ dulcedinis animam ipſam replentes: non quod ipſi valeant hujuſmodi motus, aut efficere, aut imprimere: hoc enim ſolius Dei opus eſt. Sed tamen ipſa cordis phantaſmata evolventes & animo præſentantes, quæ recta ſunt; diſtorta & ſordida radentes per ipſas ſpecies, quas acriter intellectui repræſentant, ſepientes ſpiritum ab immundis, & quæ munda ſunt fortius imprimentes, faciunt animum ipſum ex ipſis ſuis theſauris gemmas E ſanctarum affectionum & cogitationum elicere, mineralium cordis ſuffodientes & mundantes, ut Spiritu Dei anima excitata, ſuis manibus de ſuo minerali ornamenta pretioſa ſui cordis eliciat. Manus autem Dei eſt, quæ hujuſmodi gemmas elicit ab arcano cordis, quas ipſe Deus, non Angelus ſuo ipſo fulgore & calore ibi concreavit. Immittit ergo Angelus in corde, & immittit Deus. Sed aliter Deus in intimo cordis quam Angelus, ut ait Pſalmus: *Immittit* non intus, ſed *in circuitu timentium eum*, quaſi forinſe- *Pſal. 33.* cus perſuadens, Deus intime inficiens: non

enim

enim potest Angelus illabi menti ut Deus, nec intimo illo glutino charitatis cordi sic annectitur ut Deus. In quo maxime hoc mirum est; quod Spiritus tam longe differentes, ut Deus & anima, inter quos infinita distantia est, sic intime conjungantur; & tamen Angelus, & anima, quæ infinite minus distant, non sic possunt conjungi. Deus enim infinitæ perfectionis existens nullam a se abjicit perfectionem, quoniam omnium rerum continet perfectionem. Quam pulchre Bernardus hoc declarat *super Cantica Sermone* 5. dicens: Illud autem scitote: nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari: ut videlicet, nullo mediante, nostri suive corporis instrumento, ita nobis immisceatur, & infundatur, quo ejus participatione docti sive doctiores, vel boni sive meliores efficiamur. Sequestretur prærogativa hæc summo & incircumscripto Spiritui.

XII. Dæmones infunduntur corporibus, sed non animis. Unde quæstio: quare Angeli boni non infunduntur ut mali, corporibus? Responsio: Possunt Angeli boni infundi corporibus, sicut mali. Sed Deus non permittit, ne postea operationem Spiritus sancti, & inspirationes bonas Angelo, & non Deo tribuat. Vel quære aliam rationem & causam. Quæstio: Utrum Seraphim adjunctus animæ per solam adjunctionem possit illam inflammare. Respondeo: Non. Ut tenet (a) S. Thomas *prima parte quæst.* 116. *art.* 5. (*a*). Ornant ergo Sancti Angeli, ut supra diximus, animas torquibus & monilibus, quasi sponsas in thalamum deducendas. Et hoc est, quod in Canticis dicunt sponsæ: *Murenulas* Cant. 1. *aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Quis umquam vermiculo argenti aurum elaboravit, cum vermiculus pretiosior esse debeat eo super quo ponitur? Quid ergo per (b) hoc designatur, nisi, ut ait Bernardus (*b*) *supra Cantica Sermone* 40. quod artifices illi superni, fulgentia quædam veritatis signacula, & sensa sapientiæ intima luce Divinitatis splendentia, umbraticis quibusdam figuris immixta auribus sponsæ formant? Ut, qui ipsam nudam veritatem per se, claram imprimere nequeunt animo, non enim est capax, intexunt ergo eam mysticis quibusdam figuris quasi aurum splendidum argento vermiculantes & immiscentes, ut ejus fulgor teneros animæ oculos non perstringat & offuscet: sed temperatus tenebra corporei phantasmatis percipiatur ab intellectu, qui non valet intelligere nisi phantasmata speculando.

XIII. Omnia hæc, & multa alia officia nobis sancti Angeli impendunt semper super nos, velut apes volitantes, & protegentes ab incursibus malignorum spirituum: interius inspirantes, exterius protegentes nimio zelo, nimio amore, diligenti cura nos Deo nostro servant. Si tepidum est cor ad orationem, inflammant illud, si fervidum est, ipsi orantibus se immiscent, ut fervidius oremus. Voluntates, cogitationes, & muscas perituras abigentes, ne perdant unguenti devotionis suavitatem. Nobis agglomerantur, nobiscum canunt cantica dramatis. Conjuncti sunt, ait Psalmus, *Principes psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum.* Qui Princi- Psal. 67. pes, nisi Potestates cœlestes? Quibus juvenculis, nisi devotis animabus? Quo tympanistrio, nisi quia plectro linguæ corporeæ sonum laudis non faciunt, ipsi autem solo spiritu sine lingua laudes Domini modulantur; nullo tympano corporis, ut juvenculæ, in laudibus Dei sui utentes. Cave igitur anima quæcumque es, cave ne oculos sociorum tuorum concinnentium offendas, & offensi recedant a te: sciens, te ipsis recedentibus, spurcissimis illis bestiis infernalibus agglomerandam, & tradendam, dicente Propheta: *Amici mei, & proximi mei adversum me ap-* Psal. 37. *propinquaverunt, & qui juxta me erant, de longe steterunt:* sequitur: *Et vim faciebant qui quærebant animam meam.* Quærebant scilicet ad perdendum, non ut Angeli quærunt ad salvandum. Quod si Angelorum officium, & quid in cœlestibus agant nosse desideras; audi Prophetam: *Beati, qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt* Psal. 83. *te.* Et qualis laus? Iterum audi: *Secundum* Psal. 47. *nomen tuum Deus, sic & laus tua.* Nomen admirabile, laus admiratio est. O quam mirandum est hoc! Angelici intuitus, qui per tot sæcula Deum facialiter vident, ita quotidie, & continue admirantur, acsi rem novam, & insolitam vidissent. Tanta est majestas, tanta est gloria Conditoris: edunt, & satiantur, & esuriunt satiati, semper desiderantes videre quod semper vident. Est enim ibi satietas sine fastidio, desiderium sine anxietate, fames satiata, saturitas famescens: dicente Salomone: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc* Eccli. 24. *sitient.* Magna procul dubio est opulentia cœlestis, & dominicæ dulcedinis, quæ tot millia Angelorum, & tot differentias intellectuum & voluntatum, & tam voracium, ut nullo finito satientur; una sola sua præsentia satiet, quietet, & impleat, & ingurgitatos teneat, veluti parva vascula in mari oceano. Nihil valent amplius optare, plus habent quam valent desiderare.

IN

(*a*) De hoc supra actum, & allegatio eadem est, non quæ ab Editore Bruxellensi hoc loco ponitur.
(*b*) Serm. 41. in Cant. num. 2. 3. & 4.

IN DOMINICAM IV. POST PENTECOSTEN

CONCIO.

DE PISCATORIBUS ET ARTE PISCANDI.

Ex hoc jam homines eris capiens.
Lucæ 5. v. 10.

CONCIO XC.

I. DUo dicemus de neceſſitate horum Piſcatorum. Duo de arte piſcatoria. Mundus in ſacra Scriptura comparatur mari in multis locis convenienti ſimilitudine, habet enim conditiones maris, quia eſt tempeſtuoſum, periculoſum, & falſum. Primo eſt inquietum, tempeſtuoſum; ſi modico tempore eſt in tranquillitate, poſt modicum, modico vento turbatur & agitatur. Non mirandum, ſi modo tot bella videmus. Legite hiſtorias, ſemper fuit ſic ab initio. Agitatur quatuor ventis, ſicut ait Daniel: *Videbam in viſione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno*. Hi ſunt qui concitant omnes tempeſtates ejus: ſcilicet cupiditas, ambitio, concupiſcentia, libido dominandi. Ex his omnia bella & diſſenſiones in orbe: nulla pax, nulla tranquillitas, nulla ſecuritas. Si modico tempore eſt in pace, ſtatim de ſub pedibus oritur tempeſtas, tribulatio, perſecutio, anguſtia. Non mirandum: talis eſt conditio hujus mundi. Secundo eſt periculoſum. Habet multas ſyrtes, ſcopulos, & freta, & naviculæ fragiles facile infringuntur; verbi gratia in freto Legionenſi, & in vadis arenoſis ex viginti vix una ſalvatur. Eſt etiam ſalſum; quanto amplius ex eo bibitis, eo plus ſititis. Non ſedat, ſed provocat ſitim, videlicet eis, qui hoc experti ſunt, & ſemper conantur ex eo ſatiari. Hujus maris piſces ſunt mundani, filii hujus ſæculi, quos Propheta vocat filios maris, dicens: Dominus *rugiet, & formidabunt filii maris*. Pſalmus: *Piſces maris, qui perambulant ſemitas maris*, qui vitam in ſæcularibus negotiis expendunt. Unde viri religioſi & ſpirituales non dicuntur piſces, ſed aves; quia non in hoc pelago immerguntur, ſed in altum volant. Unde legimus *in Geneſi*, Deus ex eodem elemento, aquæ ſcilicet, formavit piſces & aves; ſed piſces manſerunt in ſua origine, unde formati ſunt: aves autem ſupra ſuam originem volaverunt. Exponit hoc Hugo de S. Victore *in Libro de Sacramentis*. Omnes homines ex eadem origine prodeunt, omnes naſcimur carnales, filii iræ, malæ inclinationis, infecti lepra originali: ſed quidam manent in ſua origine ſequentes ſuas naturales inclinationes, & iſti ſunt piſces maris: quidam vero ſupra ſuam originem volant ſuperantes & vincentes ſuas malas inclinationes, elevati in altum, fugientes elementum ex quo conditi ſunt, ſupra humanam facultatem viventes; ut ſpirituales & religioſi, qui ſæculum fugerunt: & hi non ſunt piſces maris, ſed volucres cœli.

II. Neque tamen omnes piſces mali ſunt: ſunt enim aliqui mundi, & aliqui immundi. Nam in ſtatu ſæculari ſunt multi boni. Unde Dominus in Euangelio comparat *regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti*. Nunc ſagena Apoſtolica, id eſt fides, bonos & malos congregat; ſed in die judicii *exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum*. Aves vero non ſeparabuntur, quia ſurſum volant, ut ait Apoſtolus: *Simul rapiemur obviam Chriſto in aera*. Ad diſcernendum autem in præſenti bonos; datur præceptum *Levitici undecimo: Omne quod habet pinnulas & ſquamas, tam in mari quam in fluminibus & ſtagnis, comedetis. Quidquid autem pinnulas & ſquamas non habet, eorum quæ in aquis moventur & vivunt, abominabile vobis execrandumque erit*. Sive ergo in ſæculo, ſive in monaſterio, ſive in ſtatu prædicatorum, quæ deſignantur per mare, ſtagnum & flumen, ut ait Bernardus (*a*), piſcis qui habet ſquamas, mundus eſt & bonus; qui non habet, immundus, & malus. Squamæ in piſcibus ſunt quaſi lorica, qua muniuntur contra mala, & deſignatur patientia, tolerantia, & fortitudo, qua debet armatus eſſe piſcis bonus contra mundi infortunia, & peccata, ut toleret & reſiſtat. Pinnulæ autem ſunt fides & oratio, quibus aliquo modo levetur a ſæculo, qui licet non habeant alas devotionis & contemplationis ad totaliter volandum a ſæculo, ut ſpirituales; habent tamen illas pinnulas, quibus ad modicum ſupra aquas exiliant: ut relictis negotiis Deo vacent. Qui autem non habent, ſed tota vita nego-

(*a*) De hoc S. Bernardus agit Serm. 1. in Feſto S. Andreæ Apoſt. per totum.

negotiis, & litibus sæcularibus, & voluptatibus, & curis immerguntur, hi immundi sunt & abominabiles. Videat ergo nunc quisque qualis sit: si resistit peccatis, si non facile superatur a tentationibus, si patienter toleret infirmitates, & injurias, & mala præsentis vitæ; si, licet occupetur negotiis ad providendum domui suæ necessariis, tamen aliquando, in festis maxime elevatur a sæculo; si audit sermones, si legit, si orat. Et licet redeat ad mare, si non avis, saltem piscis mundus reputabitur, & colligetur in sagena bonorum in die judicii, quando discernentur boni a malis. *Mat. 13.*

III. Ecce mare, ecce pisces. In hoc mari magno a principio sæculi diabolus magnus piscator fuit. Ille enim in principio, objecto pomo quasi esca primis parentibus, eos piscatus est magno dolo. Infelices qui non crediderunt Deo monenti ne ederent; quia latebat hamus in esca: In quacumque hora comederitis morte moriemini. O crudelis hamus, mors! O quam male decepti sunt! Quis hujus piscatoris astutias evadere poterit, si illi tam magni pisces & sapientes non evaserunt? O quanta calliditate utitur ad decipiendum nos! Quomodo tentat cujusque gustum, ut videat quid ei delectet, & talem apponit escam: sicut piscatores tractarum, qui apponunt alias & alias pennas in tempore ad similandum papiliones & crabrones; & observant donec piscis glutiat escam, & tunc arundine attollunt filum. Aliis divitias, aliis honores, aliis voluptates; & non statim trahunt, sed dimittunt longo tempore, donec crescat passio vehemens, donec inescantur; & tunc trahunt, & mittunt hominem in infernum. Tunc sentitur hamus, tunc sentiunt fraudem in morte, & cupiunt solvi. *Ibi dolores ut parturientis*, tunc remorsus: cupiunt solvi; sed raro tunc liberantur. Et quidem in vita dum gustatur esca bene sentitur hamus sub esca, si mens non læva fuisset; nam omnis voluptas sæculi amaritudinem habet, & inquietudinem, & remorsum quemdam. Unde prudentes pisces sentientes hoc, in tempore abjiciunt pestilentem escam. Psalmus: *Conversus sum in ærumna meâ, dum configitur spina*. Sed stulti dissimulant, & glutiunt, & comprehenduntur fortiter, & vix postea solvi possunt: unde qui bene prehensi sunt passione, neque exhortationibus, neque minis solvuntur, quoniam passio fortiter eos retinet tamquam hamo infixos. Clamat Propheta: *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte*, scilicet peccati. Ut videam fraudem hujus piscatoris, ut videam vilitatem escæ, & agnoscam hamum sub esca, & fugiam. O infelicissimos filios Adam! Quam vili esca capimini & inescamini, de sterquilinio, & plumis falsis, turpi voluptate, & modico favore, vel interesse! Quid est totum quod apponitur, nisi fastidium, ventus, lutum? Aperite oculos, & videte, quam vilia sunt, & agnoscite hamum latentem, infortunia malorum. Irascimini contra Adam, quod tam levi cibo captus sit; & vos idem facietis? Quid est tota esca carnalis nisi viliissimus vermis? Job: *Maledicta sit pars ejus in terra: dulcedo illius vermes*. Et quid est tota esca superbi nisi ventus? Propheta: *Ephraim pascit ventum*. Et quid est tota esca avari, nisi pulvis? Stolidiores certe sumus piscibus: nam ipsi si semel liberantur ab hamo, fugiunt longe, & nolunt iterum glutire. Et nos miseri sæpius liberati, iterum redimus stulti, & reincidimus in mala, quæ planximus. Quanta stultitia, quanta vecordia! Et sic nos reputat diabolus quasi pisces stolidissimos. His artibus & fraudibus malus iste piscator totum fere mundum prehenderat & inescaverat: sicut deplorat Propheta Habacuc dicens: *Totum in hamo sublevavit, traxit in sagena sua, & congregavit in rete suum*. Et Jeremias: *Expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum*. Miseria generis humani!

Gen. 3. *Job 24.* *Osee 12.* *Habac. 1.* *Thren. 1.*

IV. Unde Dominus videns miseriam filiorum Adam descendens de cœlo, primo ipsum fraudulentum piscatorem mira arte suæ potentiæ piscatus est; objiciens ei illam suam carnem purissimam; quam cum ipse miser deglutivit in morte, sensit hamum sub esca Divinitatis, & projectus est foras; sicut ipse ait: *Nunc judicium est mundi: nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*. Unde Dominus ad Job: *An extrahere poteris Leviathan hamo?* Non Domine, non habeo ego tale brachium neque arundinem piscatoriam, nec tam fortem; ad hamum tuum pertinet hoc: non est potestas super terram, quæ valeat ei comparari: ipse ergo solus piscavit eum. Ad piscandum autem homines, quos ipse male prehenderat misit Discipulos suos in mundum, sicut ipse promiserat per Jeremiam Prophetam dicens: *Mittam* eis *piscatores multos & piscabuntur eos*. Ad hoc igitur egressus est hodie ad stagnum Genesareth ad quærendos istos piscatores, & vocavit Petrum. At illi *relictis retibus secuti sunt eum*. O facilitas obedientiæ! Ad unum verbum Domini omnia reliquerunt. Siquidem dedit voci suæ, vocem virtutis. Considera nunc Dominum majestatis præcedentem & tres illos piscatores dilaceratis ac lutosis femoralibus suis, sicut solent esse piscatores sequentes. O spectaculum dignum visu! O Rex majestatis numquam figis domicilium: & tales pincernas seligis in servitium! Et Domine ad quid vis istos? Numquid habes aliquos equos conductitios, quos sequantur? Vel aliquod opus culinæ in quo serviant? Attendite: ad quid vult. *Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Ut faciant in eis judicium conscriptum*. Isti Reges & Imperatores potentissimos ligabunt Euangelicis præceptis. Isti populos, civitates & potentissima

Jo. 12. *Job 40.* *Ibid. 41.* *Jer. 16.* *Lucæ 5.* *Psal. 67.* *Psal. 149.*

Psal. 31. *Psal. 12.* *Psal. 47.* *Ps. 103.* *Gen. 3.* *Ibid. 2.*

tissima regna debellabunt. Isti Philosophos & sapientes mundi sua sapientia superabunt. Coram istis eloquentissimi oratores obmutescent. Denique isti totum universum doctrina & suis eloquiis subjugabunt & prosternent. O potentiam Dei admirandam, quæ cum talibus hominibus totum mundum debellasti! Non elegisti Domine oratores, aut philosophos, aut scribas sapientes in lege;
1. Cor. 1. *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret: ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Si enim sapientes aut potentes elegisset: forte dicerent, quod mundum Christus sapientia, potentia & scientia subjugasset. Ideo elegit piscatores, ut converteret oratores, & non e contrario. Elegit miseros pauperes ad convertendos potentissimos Reges, & non e contrario; ne diceret aliquis:
Deut. 31. *Manus nostra excelsa fecit hæc omnia.* Sed jam videamus quomodo, qua arte, tantam multitudinem piscium Domino piscati sunt. Idem Psalmus
Ps. 149. hoc satis aperte docet dicens: *Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum.* Prædicationis verbo & ancipiti gladio operis & miraculorum, totum mundum Domino prehenderunt. Non enim erat eorum doctrina sicut nostra tepida & sine vigore: sed viva & inflammata, penetrans corda. Hanc miraculorum virtutibus
Marc. 16. confirmabant; sicut ait Euangelista: *Prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Et utrumque, tam doctrinam, quam miracula, vita cœlestis glorificabat. Nam, ut ait Chry-
(a) sostomus (a): si essent morosi, ebriosi, ambitiosi, cupidi, elati, mundus eos magos & maleficos æstimasset, neque doctrinæ, neque miraculis credidisset: sed vitæ sanctitas omnia solidabat. Videbant enim viros Angelicos omnium virtutum exemplaria: & magis de illorum sanctitate, quam de miraculis
Psal. 63. stupebant. Unde Psalmus: *Conturbati sunt omnes qui videbant eos, & timuit omnis homo.* Et Isaias: *Omnes qui viderint* dicent,
Isaiæ 61. *isti sunt semen, cui benedixit Dominus.*

V. Væ nobis, quam longe sumus ab eis, qui nunc vobis doctrinæ ministerium exhibemus! Nec habemus hamum, neque escam; & ideo non apprehendimus pisces Domino. Sermo languens, vita torpens, nec exemplo allicimus, neque verbo apprehendimus. Non sumus jam piscatores sed venatores. Sic namque Dominus per Jeremiam olim promiserat dicens: *Mittam* vobis *piscatores*, deinde *mit-*
Jer. 16. *tam* vobis *venatores*. Unus piscator quodam A retiaculo multitudinem piscium congregat in sagena sua; sed venator cum multitudine canum & accipitrum, magno apparatu, & explodendo bombardam, vix unum capit milvum, aut herodionem unam. Sic evenit nobis: Petrus piscator uno sermone, unico tractu prehendit in principio tria millia hominum; & secundo sermone quinque millia: *Act. 2.* nos centum sermonibus vix unum conver- *Ibid. 4.* timus ad Christum. Tanta sapientia, tanta doctrina, tanta eloquentia hodie in sermonibus, & utilitas modica, quia deest Spiritus doctrinam vivificans, exemplum doctri- B nam confirmans. Non piscamur, sed venamur. Sed ex vestra etiam parte hoc provenit. Nam quos tunc Apostoli prehendebant, pisces erant maris perambulantes semitas hu- *Psal. 8.* jus sæculi, cæci & ignorantes Deum, & duces cæcorum in tenebris ambulantes, qui illuminati doctrina agnoscebant errorem suum, & facile convertebantur. At modo non estis pisces, sed aves, volatis enim in altum, & volantem capere difficile est. Quis in vobis est, qui nesciat fidem, quam vobis quotidie prædicamus? Si dicimus adultero: O fra- C ter convertere, quia ibis in infernum: ridet, dicens: in hoc ablactatus sum a matre mea. Si dicis usurario: Time, quia Deus vindicat: vide gloriam sempiternam quam perdis: irridet, dicens: cum hoc verbo mihi nati sunt dentes. Si dicimus uni ebrioso vel lusori: O miser quid perdis? O miser attende quia est infernus, quia est gloria, quia Deum habes infensum, quia vindicabit Deus; jam incaluerunt aures audire hoc. Non peccatis ex ignorantia, sed ex malitia. Omnia, quæ dicere possumus, bene nostis. Qua ergo arte, quo sermone vos prehendemus, quia omnia nostis? Piscetur vos Deus, D qui omnia potest. *Frustra* enim *jacitur rete* *Prov. 1.* *ante oculos pennatorum.* Qualis autem fuerit piscator vel solus Andreas, & quantam multitudinem Domino prehenderit, testis est Achaja Provincia, quam maxima ex parte convertit ad Dominum. Sed quanta perseverantia officium sibi a Domino injunctum exercuerit, testis est finis, quem habuit. In cruce pendebat, & inde piscari non desinebat. Quamdiu vita & vox duravit, a piscium captura non destitit. Biduo pendens in cruce docebat populum, & oblitus dolorum, salutem zelabat animarum. O egre- E gium piscatorem! O mirabilem concionatorem! O qualis pulpitus ejus! Quis tali prædicatori non crederet? Quem verba de cruce prædicata non emollirent? Attendite Fratres, quid patiar, videte, quid sustineo. Si non sunt vera, quæ prædico, cur ista libens sustineo? &c.

IN

(a) In Acta Apostol. Homil. 13.

IN DOMINICAM V. POST PENTECOSTEN

CONCIO.

DE JUSTITIA PHARISÆORUM.

Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 5. v. 20.

I. JUSTITIA Pharisæorum in observationibus exterioribus. *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Justitia vestra in virtutibus interioribus. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Cum ergo facis eleemosynam noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Si sciat sinistra, rapit fructum: quod donas, nesciat filius, nesciat uxor; cum etiam te ipsum nescire oporteat. Ait enim: *Beatus, qui non judicat semetipsum, in eo quod probat*, id est: nesciat ille bonum quod faciat, & veluti ad propria bona non habeat oculos. Sicut ille Pharisæus qui vidit & perdidit, quia vidit & judicavit se, & approbavit se. *Sit* ergo *eleemosyna tua*, opus bonum tuum *in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Similiter: *Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Justitia illorum opera sola: attendit justitia vestra cordis affectus, etiam & cogitationes. Justitia illorum in apparentia exteriori: *Cum exiret Jesus a Bethania, esuriit. Cumque vidisset a longe ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea. Et cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia tantum.* Nihil de veritate præter verba & exteriores observationes. Aufugit David atque salvatus est. *Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus, & operuit eam vestimentis. Misit autem Saul apparitores, qui raperent David: & responsum est quod ægrotaret. Rursumque misit Saul nuntios ut viderent David, dicens: Afferte eum ad me in lecto ut occidatur. Cumque venissent nuntii, inventum est tantum simulachrum super lectum; & pellis caprarum ad caput ejus.* Justitia vestra in veritate coram Deo, non coram hominibus. Abraham oblaturus filium, *de nocte consurgens, stravit asinum suum: ducens secum Isaac filium.* Non illud revelavit uxori, non filio dicenti: *Pater mi, ecce ignis & ligna, ubi est victima holocausti? Deus*, inquit, *providebit sibi victimam holocausti, fili mi.* Adveniente Deo magistro justitiæ, justum erat homines in meliorem vitam perficere, & tantum magisterium in hominum vita lucere. Majoribus & Prælatis possunt dici verba: *Nisi abundaverit justitia vestra.* Non eis sufficit vita communis, quia nec status communis.

II. Verum, ut inquit Gregorius (*a*), magna vecordia est laboriosa agere, & auræ laudis inhiare; forti opere præceptis cœlestibus inservire, sed terrenæ retributionis præmium quærere. Ut enim ita dixerim: qui pro virtute quam agit, humanos favores desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat. Unde cœli regnum mereri potuit, inde nummum transitorii sermonis quærit. Vili ergo pretio opus vendit, qui magna impendit, sed minima recipit. Quibus utique justitia Pharisæorum in observationibus exterioribus tantum, nisi fœcundis, & neglectis vitibus similis existit? Quæ per ubertatem fructum quidem proferunt, sed nequaquam a terra sublevantur? quarum pingues palmites errantes bestiæ conculcant. Unde bene per Prophetam dicitur: *Quia ventum seminabunt, & turbinem metent: Culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam: quod etsi fecerit, alieni comedent eam:* culmus quippe germen non habet, cum vita meritis virtutum caret. Farinam culmus non facit, cum eis qui in præsenti sæculo tantum proficit, nullum boni operis coram Deo fructum reddit. Sed sæpe & cum fecerit, hanc alieni comedunt, quia & cum bona opera exterius ostenduntur, de his malignorum spirituum vota satiantur. Hinc fermentum (*b*) Pha-

(*a*) Usque ad illud, *De his malignorum spirituum vota satiantur*, verba sunt S. Gregorii Moral. lib. 8. cap. 43. paucis immutatis.

(*b*) Hausta sunt hæc ex cap. 42. lib. 8. Moral. S. Gregorii usque ad ea verba, *a fructu infusionis inane scit*.

Phariſæorum quod eſt hypocriſis, bene ſcirpi vel carecti nomini comparatur. Job: *Numquid* vireſcere *poteſt ſcirpus abſque humore? aut creſcere carectum ſine aqua? Cum adhuc ſit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas areſcit: ſic viæ omnium, qui obliviſcuntur Deum, & ſpes hypocritæ peribit.* Scirpi ergo vel carecti nomine hypocriſim, quæ eſt fermentum Phariſæorum deſignat, quæ ſpeciem quidem viriditatis habet, ſed ad humanos uſus fructum utilitatis non habet, quæ ſterilitate operis arida permanens, ſolo ſanctitatis colore virideſcit. Sed neque ſine humore ſcirpus, neque ſine aqua carectum proficit, quia hypocritarum vita ad bona opera infuſionem quidem ſuperni muneris percipit, ſed in cunctis quæ agit, exteriores laudes appetens, a fructu infuſionis inaneſcit. Neque etiam Phariſæorum juſtitia illa in apparentia tantum exteriori conſiſtens dudum perſeverat; quia opus quod non procedit ex amore Dei, ſed ex vana oſtentatione vel aliunde, non poteſt durare. Unde bene ſubditur: *Cum adhuc ſit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas areſcit; & ſicut tela aranearum fiducia ejus.* Aranearum telis (*a*) ſimilis dicitur, quia omne, quod ad obtinendam gloriam exſudant, ventus vitæ mortalis diſſipat. Nam quoniam æterna non quærunt, bona temporalia cum tempore amittunt. Penſandum quoque eſt, quod aranearum tela ſtudioſe texitur, ſed ſubito venti flatu diſſipatur: quia quidquid in obſervationibus tantum exterioribus peragitur, aura humani favoris tollit, & dum in appetitu laudis opus deficit, quaſi in ventum labor ſubito evaneſcit. Recte etiam de fermento Phariſæorum dictum intelligitur, *cum adhuc ſit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas areſcit.* Ante (*b*) omnes herbas ſcirpus areſcere dicitur, quia juſtis in bono ſuo permanentibus, a viriditate aſſumptæ rectitudinis juſtitia Phariſæorum ſiccatur. Juxta carnem quippe etiam juſti herba ſunt, Propheta atteſtante, qui ait: *Omnis caro fœnum;* atque ita reliquæ etiam herbæ areſcunt, dum juſtorum opera cum carnis vita deficiunt; ſed herbarum ariditatem ſcirpus prævenit, quia priuſquam de carne Phariſæi hypocritæ, *qui omnia opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus*, tranſeant; ea quæ in ſe oſtenderant, virtutum facta derelinquunt. De quibus bene per Pſalmiſtam dicitur: *Fiant ſicut fœnum tectorum: quod priuſquam evellatur, exaruit.* Fœnum quippe tecti in alto naſcitur, ſed nequaquam pingui radice ſolidatur: quia & Phariſæus hypocrita ſumma quidem agere cernitur, ſed non in eis ex cordis puritate roboratur. Hactenus Gregorius.

III. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Vide quid dicat, inquit Hieronymus. Non dixit, ſi habes aliquid adverſus fratrem tuum, ſed ſi habet aliquid frater tuus adverſum te. Rem quaſi injuſtam videtur nobis imponere: ſi enim dixiſſet, ſi habes aliquid contra fratrem tuum, in noſtra poteſtate erat quod habebamus: Nunc vero quid dicit? Si *recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te,* Reſpondeo ei: Domine non eſt hoc in mea poteſtate, frater meus habet aliquid contra me, ego nihil habeo contra eum. Si ille habet contra me, ad me quid pertinet? Et quare non vis ſuſcipere munus meum, & dicis: *Si offers munus ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum?* Ecce ego nihil habeo; ſi ille habet: ad me quid pertinet? Reſpondet tibi Dominus: & quid dicit? Male ſerve, intelligo animum tuum, nihil habes contra fratrem tuum, nihil habes. Amas illum? Quare ergo ſalvari eum non vis? Si amas illum, vade roga eum, ne ille contra te habeat, ut ſalvari poſſit. Sed oſtendis quia non diligis eum, quia ſalvari eum non vis, vade, roga eum, mitte te ei ad pedes ejus, diebus & noctibus deprecare. Dicito; munus meum dimiſi ad altare, propter te victimas offerre non poſſum. Ille compungitur, & quid dicit? Si iſte qui me rogat, non offert munus ſuum: ego qui rogatus ſum, & non ignoſco, quid facturus ſum? Propterea dicit & Apoſtolus, ut inimicis noſtris manducare demus & bibere: *Si*, inquit, *eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi.* Et quid dicit? *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ipſius. Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.* Dicat aliquis: hoc inimici faciunt: ideo bene faciunt adverſario, ut carbones ignis congregent ſuper caput ejus, ſed aliud dicitur: Si tibi ille male fecerit, & tu ei bene feceris, carbones ignis congregas ſuper caput ejus, hoc eſt, mundas vitia ejus, & excoquis malitiam ejus, ut ad pœnitentiam convertatur. Videte quid hic dicat ſanctus Propheta: *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus.* Non dixit: qui volebant pacem, ſed *qui oderunt pacem.* Illi oderunt pacem, & ego amabam eos, qui oderunt pacem. Ideo dicit & Apoſtolus: *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Illi habeant inimicalem animum, nos vero habeamus pacificalem animum: ſiquidem ſcriptum eſt *in Paralipomenon*: Egreſſi ſunt, inquit, Filii Iſrael ad pugnandum mente pacifica. *Beati pacifici qui loquuntur his, qui oderant pacem, pacifica.*

Job 8.
Ibidem.
(*a*)
Ibidem.
(*b*)
Mat. 23.
Pſ. 128.
Mat. 5.
Mat. 5.
Ibidem.
Rom. 12.
Pſ. 119.
Rom. 12.
1. *Paral.* 12.
Mat. 5.

(*a*) Uſque ad illud, *ſubito evaneſcit*, ex eodem Gregorio excerpta ſunt lib. 8. Moral. cap. 44.
(*b*) Uſque ad ea verba, *hactenus Gregorius*, deducta ſunt ex eodem lib. 8. Moral. cap. 42.

cifica. *Beati pacifici*: non solum qui pacem faciunt inter rixantes, sed qui in se ipsis pacem faciunt. *Beati pacifici*: si alii rixam faciunt, & ego medius intercedam, & faciam inter eos pacem; & ipse non habeam pacem in mente mea, quid mihi prodest, quod illi pacem fecerunt? *Beati pacifici*: Christus Pax est: ipse enim est Pax nostra. Quod si Salomon interpretatur Christus: Salomon autem interpretatur Pacificus: ergo Christus Deus noster Pax est. Vadens ad cœlum nobis pacis vexillum dimisit, dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Servemus quod Christus donavit, habeamus pacem, servemus pacem, & illa nos servat in Christo Jesu. Ita Hieronymus.

Jo. 14.

IV. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*. Rigidum putatur hoc aliquibus. Potentes despiciunt veniam petere a minoribus. Quis ille est, ut ego vadam? Non possum. Attendite, obsecro. Quid est homo, nisi lutum? Quid Deus, nisi Majestas? Quis offensus? Utique Deus. Et tamen non homo ivit ad quærendum Deum, ut ei reconciliaretur; sed Deus, Majestas illa quærebat Adam. *Adam ubi es?* Volo reconciliari, volo tecum agere pacem. Obtrectas? Et ille etiam noluit agnoscere offensam. Ideo ejectus de paradiso. Sed nec Deus recusavit reconciliare sibi hominem. Misit media: Prophetas qui converterent. Misit denique Mediatorem Jesum, qui redderet satisfactionem. Ipse solutor, ipse offensus. Et cum omnia redderet, tamen clamat: *Pater ignosce illis*. Patrem vocat, ut viscera paterna commoveat. Psalmus: *Quæ non rapui, tunc exolvebam*. Apostolus: *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt*. In hoc multi errant, quod nolunt incipere, dicentes: Veniat ille prius. Imo per oppositum deberent contendere, ut prius qui patitur de offensis, veniat. Nam iste prius facit ex nobilitate; alter jam quasi convictus & sine laude nec gloria.

Mat. 5.

Gen. 2. Job 30. Gen. 3. Ibid. 30. 1. Tim. 2. Lucæ 23. Psal. 68. Coloss. 1.

IN DOMINICAM VI. POST PENTECOSTEN

CONCIO. (a)

DE MISERICORDIA DEI, ET DE EUANGELIO.

Misereor super turbam. Marc. 8. v. 2.

I. INTER omnes Dei excellentias misericordia maxime in sacris litteris nobis commendatur. *Misericordia ejus*, ait Psalmus, *super omnia opera ejus*. Et iterum: *Miserator & misericors Dominus*, patiens, *& multum misericors*. Et quoties repetit, ut attingat? Propter tria Deus misericors est. Propter potentiam, propter naturam, propter experientiam. Propter potentiam. Sapientiæ duodecimo: *Ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis*. Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miserando manifestas. Salomon ait: *Misereris omnium, quia omnia potes*. S. P. Augustinus (b) inquirit radicem misericordiæ in Deo, & ait: Quod ideo Deus misericors est, quia potens est. Est enim conducens potentiæ clementia. Nam & natura animalia fortiora fecit clementiora. Exemplum de leone qui non irascitur ad ejulationem exilem. Exemplum de basilisco, qui, quoniam debilis est, visus est ei modicus, quia nocivus. Potentiæ ergo leonis natura adjungit clementiam, & crudelitatem basilisci denudavit potentia abbreviando visum. Deo est infinita potentia in creando, infinita clementia in redimendo: Plus debeo Domine tuis injuriis, quia redemptus sum, quam tuis operibus, quia creatus (c). Potentia autem omnibus creaturis communis est, misericordia autem solius hominis est. Ideo ait: *Misereor super turbam*.

* CONCIO XCII.

Ps. 144. Ps. 102. Sap. 12. Ibid. 11. (b) (c) Marc. 8. (d)

II. Propter naturam; S. P. Augustinus (d): Deus meus, Deus meus, audebo dicere: parce Domine quia audeo; & pace tua dicam;

(a) Concionem aliam habet S. Orator de hoc eodem argumento in Dom. 4. Quadrages.; ad calcem autem illius hæc apposuit verba, prout ex autographo refert Bruxellensis Editor: *Vide bonum Sermonem, & sufficientem in alio alveario in Dominicam sextam post Pentecosten*.

(b) Vide Serm. 213. num. 1., alias de tempore 119., ubi plura de hoc.

(c) Ita S. Ambrosius in Lucam lib. 2. num. 41. *Plus igitur, Domine Jesu, injuriis tuis debeo, quod redemptus sum, quam operibus, quod creatus sum. Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset*.

(d) Quæ hoc loco affert S. Orator, usque ad testimonium S. Gregorii, hausta sunt ex cap. 5. lib. 1. de Visitatione Infirmorum, incerti Auctoris: qui tractatus in Append. tomi 6. Operum S. P. Augustini conjectus est a PP. Congreg. S. Mauri.

cam; quoniam gaudio plenus, & magno repletus gaudio dicam, & in quodam exſtaſis tripudio de te præſumendo dicam: Niſi quia Deus es, injuſtus eſſes; niſi Deus eſſes, juſtus non eſſes. Quomodo hoc? Sequitur: Quia peccavimus graviter, inhæremus peccato pertinaciter, gaudemus de peccato, poſt peccatum ambulamus erecto collo, peccatum noſtrum prædicamus, nec abſcondimus, & tu placatus es. Nos te provocamus ad iram, & tu conducis nos ad miſericordiam, nos incitamus ad furorem, tu autem differs vindictam. Toleras patienter tanta peccata & tam gravia. Gloriatur peccator de peccatis, gliſcit peccare, & diſſimulas. Deus meus, miſericordia mea, numquid non hæc eſt injuſtitia? Nonne hæc eſt injuſtitia Deus meus, miſericordia mea? Sed numquid injuſtitia apud Deum? Abſit. Neque enim aliter Deus eſſes, niſi flectereris, niſi compatereris, niſi miſereris. Imo juſtiſſimum eſt, te miſericordem eſſe: & niſi miſericors eſſes, Deus non eſſes. Decet enim, & juſtum eſt, te miſereri omnium, qui nullius indiges. Gregorius (*a*): facilitas veniæ præſtat audaciam delinquendi. Bernardus (*b*): Divinæ miſericordiæ radix in ſe ipſo eſt; ſcilicet: bonitas ſua. Sed divinæ ultionis radix peccatum eſt, & in nobis eſt. Proprium ergo eſt illi miſereri, quia a ſe. Sed quaſi alienum punire, quia ab alio. Tolle peccatum, non eſt Deus punitor; tolle peccatum, miſericors eſt & clemens, dando gloriam. Ambroſius (*c*): Joſeph, ut retineret ſecum Beniamin, ſcyphum miſit in ſacco; Deus, ut ſecum nos retineat, multiplici gratia donat. Saccus natura eſt. Aurum gratia eſt. Aurum in ſacco, gratia eſt in natura. Natura opus eſt Creatoris: gratia munus eſt Redemptoris. Non habes homo, niſi quod accepiſti. Joſeph non invenit in ſacco, niſi quod ipſe poſuerat; Deus non reperit in anima, niſi quod ipſe donaverat. Ipſe animam ponit in ſacco corporis, gratiam in ſacco animæ. Temporalem gratiam dat, ut æternaliter ſecum retineat animam.

Iſaiæ 3.

(*a*)

(*b*)

(*c*)

Gen. 44.

1. Cor. 4.

III. Propter experientiam, item Deus miſericors eſt. Unde & Dominus didicit, ex his quæ paſſus eſt, miſericordiam, per omnia tentatus, ut miſericors fieret. Nam, licet alias ſecundum miſericordiam divinam miſericors ſit Deus; voluit experiri miſerias noſtras, ut ſecundum carnem adiſceret miſericordiam. Pſalmus: *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum.* De miſericordia Dei erga nos: Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris; id eſt: ſicut habeo vitam, ita vivificare alios volo. Quid enim ita vult vita, ſicut vivificare? Sicut lux illuminare, & calor calefacere? Et iterum: *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus?* Et Jeremias: *Quia non repellet in ſempiternum Dominus, & ſi abjecit, miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum. Non enim humiliavit ex corde ſuo, & abjecit filios hominum. Ut contereret ſub pedibus ſuis omnes vinctos terræ. Ut declinaret judicium viri in conſpectu vultus Altiſſimi. Ut perverteret hominem in judicio ſuo, Dominus ignoravit.* Pſalmus: *Abyſſus* divinæ miſericordiæ *abyſſum* humanæ miſeriæ *invocat*, id eſt, intus vocat. *In voce cataractarum tuarum*, id eſt, Apoſtolorum & Prophetarum, vel ſacræ Scripturæ, vel vulnerum Chriſti, quæ ſicut cataractæ ſanguinem pluunt. De qua voce Apoſtolus: Sanguis novi Teſtamenti melius clamat quam Abel: quia ille vindictam, iſte miſericordiam petit. Et quid eſt quod clamat? *Eſtote miſericordes.* Nam: *In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam;* id eſt: dum dies eſt. Nunc *tempus miſerendi ejus, quia venit tempus.* Nocte autem declarabit. Tunc aperiet fructum miſericordiæ in nocte, id eſt, in morte.

Ezech. 33.

Heb. 5.

Ibid. 2.

Pſ. 102.

Ezech. 18.

Thren. 3.

Pſal. 41.

Heb. 41.

Gen. 4.

Lucæ 6.

Pſal. 41.

Pſ. 101.

IV. Quomodo ergo debemus & nos commiſereri ejus? Chryſoſtomus (*d*): Ipſe ſe transfigurat in pauperibus, ut non erubeſcas dare modicum. Recita ad longum illud Euangelii: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt ei dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi? Tunc reſpondebit illis, dicens: Quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis.* Pondera multum: Maledictus qui abſcondit frumenta in populis: benedictio autem ſuper caput vendentium. Vendis, quod das pauperi; nam per fruſta panis datur tibi regnum cœlorum: *Beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut recipiant vos in æterna tabernacula;* quia ſcilicet ſua ſunt. *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Miſericordiam enim vult Deus, & non ſacrificium.

(*d*)

Mat. 25.

Prov. 11.

Mat. 5.

Lucæ 16.

Ibid. 6.

Mat. 9.

Grandis

(*a*) Legitur hæc ſententia, licet paulo aliter expreſſa, apud S. Ambroſium in Pſal. 118. Serm. 8. num. 26. *Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi:* & refertur a Gratiano 23. q. 4. cap. 33. Apud S. Gregorium eam hactenus non inveni.

(*b*) Serm. 5. in Nativit. Dom. num. 3. *Verum id quidem: cui vult miſeretur, & quem vult indurat; ſed quod miſeretur proprium illi eſt. Ex ſe enim ſumit materiam, & velut quoddam ſeminarium miſerendi. Nam quod judicat, & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, ut longe aliter de corde ipſius miſeratio, quam animadverſio procedere videatur.*

(*c*) De hoc S. Ambroſius in libro de Joſeph Patriarcha cap. 11.

(*d*) In Matthæum Homil. 80. *Sed nec eſurienti famem levare difficile: non enim ſumptuoſam unquam quæſivit menſam, ſed eam, quæ neceſſitati dumtaxat ſufficeret, quodque majus eſt, non in ſublimis cujuſdam, ſed in humilis habitu ſervi quæſivit.*

Grandis virtus misericordia: quæ nos Deo simillimos, & filios veros Dei facit. Apostolus: *Induite vos ergo electi Dei, sancti,* Coloss. 3. *& dilecti, viscera misericordiæ.* Non sitis crudi, non duri, non sicci sicut lapides. Conamini, ut sitis ad invicem pii, ut tangat vos necessitas aliena, & moveat vos miseria proximi. Væ duris & crudelibus! Apostolus inter alia crimina annumerat: *Sine affectione,* Rom. 1. *absque fœdere, sine misericordia.*

V. Multa nos provocare debent ad misericordiam. Primo: miseria nostra. *Non ignara mali* (a), *miseris succurrere disco.* Secundo: utilitas grandis: quia & nos indigemus misericordia. *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Mat. 5. Et Sapiens: *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis: &* Prov. 19. *vicissitudinem suam reddet ei.* Et pro modica misericordia consequetur multam. Attende utilitatem in Psalmo: *Beatus qui intelligit* Psal. 40. *super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Dominus* conservabit *eum, & beatum* faciet *eum in terra, & non* tradet *eum in animam inimicorum ejus. Dominus opem* feret *illi.* Ecce utilitates multas & grandes. Et per contrarium: *Judicium* Jacob. 2. *sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Si ergo indigemus misericordia, præstemus illam fratribus. Tertio: provocat nos multitudo grandis miserorum. Mundus iste necessitatibus & pauperibus plenus est, velut magnum hospitale pauperum. Non putetis Fratres, eos solos esse pauperes, quos vocatis, quibus panis aut vestis deest. Nonne pauperior cui deest fides, sapientia, judicium, lumen, ratio, sensus? Minor est corporis quam cordis calamitas, quia *anima plus est quam corpus.* Mat. 6. Heu! Miserebor vulneratorum in corpore, & ulcera animæ non sentiam? Si aperias oculos, quocumque te vertas pauperes invenies multos, quibus possis bene facere. Attende viscera pietatis in Apostolo: *Quis scandalizatur,* 2. Cor. 11. *& ego non uror? Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Hæc major misericordia est, quam corporalis. Quarto: debet nos movere obligatio, quia tenemur sub pœna inferni, in extrema necessitate. Clamat adversum nos pauperum indigentia, & clamor eorum ascendit coram Deo. Alius abundat, alius fame perit. Numquid hæc non requiret Deus? Ambrosius (b): Vidisti pauperem fame pereuntem; si non pavisti, occidisti. Vox sanguinis ejus clamat Gen. 4. contra te in judicio. *Lapis de pariete cla-* Habac. 2. *mabit*, ait Propheta. Psalmus: *Dispersit de-* Ps. 111. *dit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Non ait: misericordia ejus, sed justitia ejus; quia sic dare, opus justitiæ est. Da pecuniam perituram, ut acquiras justitiam non perituram. Plus accipis a pauperе quam das (c). Das obolum, & recipis cœlum. Das vestem, & recipis immortalitatem. Ipse tibi magis misereris. O quantum est periculum divitum! Attendite exemplum in divite epulone: damnatus est, quia non habuit misericordiam. Non quia rapuit, Lucæ 16. sed quia non dedit. Nec expectetis extremam necessitatem, cum jam habet candelam in manu; nam tunc non eget cibo vestro, sed sepultura. Necesse est, in civitatibus esse hospitia pauperum: alias vestræ domus oporterent esse hospitia. In hieme frater nudus & æger, si non habet hospitium periclitatur. Qui habet, tenetur hospitari, quia in periculo est. Si non facitis, saltem favete hospitalibus, & curate ut sint, ut vos non sitis obligati ad hospitandum, & adjuvate hospitalia. Deus ad utilitatem divitum providit, ut essent pauperes, ut per eos salvarentur. Non enim erat eis aperta aliqua janua salutis. Nam divites non jejunant, non laborant, non habent persecutiones, non sustinent aspera, non orant, negotiis implicati. Dominus consulit: Quid supereſt? Quid restat vobis? *Date eleemosy-* Ibid. 11. *nam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Sapiens: *Dives & pauper obviaverunt sibi:* Prov. 22. *utriusque* Creator *est Dominus.* Creavit divitem propter pauperem, & pauperem propter divitem. Diviti dedit divitias propter pauperem alendum: ideo eas sæpius multiplicat & auget. Et pauperi dedit inopiam, ulcera, & labores, ut sic moveret cor divitis ad misericordiam, & salvaretur. Diligite ergo o divites pauperes fratres vestros, redemptores vestros, & adjutores: eorum enim est regnum cœlorum. Date temporalia Mat. 5. ut recipiatis æterna. Sicut scriptum est: *Ut,* Lucæ 16. *cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Cum defeceritis; in vestra necessitate, quando non opes, non pecunia, non familia, non equi & vestes vobis poterunt succurrere, tunc succurrent pauperes. Dives a paupere Lazaro adjutorium petiit; sed Ibidem. non meruit aquæ guttam, qui non dederat panis micam.

VI. *Misereor super turbam: quia ecce jam* Marc. 8. *triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Grandis est tolerantia pauperum, grandis indigentia. Sed *patientia pauperum non* Psal. 9. *peribit in finem.* Habebit respectum in tempore ultimo; quia receperunt mala in vita sua; hic habent pauperes purgatorium. *Ec-* Marc. 8. *ce jam triduo sustinent me. Viam trium die-* Exodi 3. *rum ibimus in solitudinem: Ut sacrificemus* Ibid. 5. *Domino Deo nostro*, & saturabimur. Prima dies doloris. Secunda continentiæ. Tertia gaudii in Spiritu sancto. *Ecce jam triduo* Marc. 8. *sustinent me, nec habent quod manducent: &* si di-

(a) Virgil. Æneid. lib. 1. prope fin.

(b) Sententia hæc, licet non iisdem plane verbis, refertur a Gratiano dist. 87. can. 21. tamquam ex S. Ambrosii libro de Officiis hausta; verum notant ibi Gratiani emendatores, caput hoc non esse inventum apud S. Ambrosium. Ita autem legitur in laudata dist. 87., unde eam eduxit S. Orator: *Pasce fame morientem, quisquis enim pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti.*

(c) Huc facit S. Joann. Chrysost. Homil. 33. ad popul. Antioch., in qua ostendit eleemosynam artem esse omnium quæstuosissimam.

ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt. Quanta vis divinæ gratiæ, & ſapientiæ! Homines præ dulcedine, neceſſarii paſtus obliviſcebantur. Teſtimonium Deitatis. Sed quid mirum? Imo, de iis qui non ſequebantur magis mirum. *Unde illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine?* Sic dicunt divites excuſantes ſe: Et quis poteſt tot millia ſaturare in deſerto? Non ſufficiunt opes civitatum ad alendos tot miſeros. Hæc murmuratio divitum eſt: non ſunt pauperes niſi cum apparet pauper. O miſeri, nolite timere. Quis poterit illos ſaturare, quis illos alere? Dominus dedit vobis ſubſtantiam unde ſatientur, unde alantur, ac illis ſuppetias feratis. Non minuetur, ſed augebitur. Eleemoſyna creſcit erogando. Si boni diſpenſatores fueritis, dabuntur plurima. Experientiam conſulite: quis umquam pauper factus eſt propter eleemoſynas? Quid, & ſi fias pauper pro illo, qui cum eſſet dives, pro te non ſolum pauper, ſed & egenus factus eſt. Sic ipſe ait: *Ego vero egenus & pauper ſum.* Et iterum: *Pauper ſum ego, & in laboribus a juventute mea.* Et quam pauper! Audi Chriſti paupertatem, miſeriam, & egeſtatem. Petebat quiſpiam, Magiſter, Rabbi, ubi habitas? Dic nobis domum tuam. Reſpondit: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Non domum, non vineam, non terram, non arcam, non lectum. In hoſpitio alieno hoſpitabatur, factus peregrinus in terra, & quaſi viator declinans ad manendum. Aliqui per fata Apoſtoli ejus, ex ſatis colligebant ſpicas, ipſo vidente. O Deus quomodo ſuſtines? O Potentiſſime, qui orbem ſuſtentas, quomodo pateris familiam tuam, ſic fame perire? Quomodo anguſtiatur intus, quomodo dolet? Nonne ipſe etiam fameſcebat? Quid dicam? Cum nec in morte, propria jacuerit ſepultura, ſed in aliena. Nec eſſet ſindon in qua involveretur, niſi de eleemoſyna. Veſtibus quas videbatur habere, ſpoliatus eſt, & nudus manſit. Clamat Pſalmus, plorat Pſalmus: Filii hominum audite! Filii Adam audite quid mirum! *Simul in uno dives & pauper.* Hoc miraculum grande, dignum videri: Dominus, pauper.

VII. *Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et habebant piſciculos paucos.* Hæc proviſio Apoſtolica: ſobria menſa. Væ opulentiam divitum. O quot ſumptus, & quam perdite! Ad quid pro cibo vermium onerant ſtomachos? Fiunt ægritudines? Non habes bovis ventrem, natura parvos nos creavit. Ad *quid perditio hæc?* Si cibus moderatus eſſet, ſufficienter haberemus omnes, & ſuperaret. Bernardus (*a*): Voluptas gutturis quæ tanti hodie æſtimatur, vix duorum obtinet latitudinem digitorum, & ejus tam modicæ partis tam exigua delectatio, quanta operatur ſolicitudine, quantam moleſtiam parit? Hinc monſtruoſius dilatantur renes & humeri, hinc tumentes uteri, non tam impinguantur quam imprægnantur arvina: & dum carnis onus oſſa non ſuſtinent, etiam morbi varii generantur. Sic libidinis illecebroſa vorago magnis laboribus & diſpendiis, interdum & famæ, vel honoris, aut etiam vitæ ipſius periculo comparatur: cujus appetitus anxietatis & vecordiæ; actus abominationis & ignominiæ; exitus pœnitudinis & verecundiæ plenus eſſe dignoſcitur. *Facite diſcumbere. Et ita fecerunt; Et diſcumbere fecerunt omnes.* Notà obedientiam Apoſtolorum. Non interrogatur, non murmuratur. Diſcant Fratres obedire Prælatis. *Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem: Et duos piſces.* Hæc ſunt ſeptem opera miſericordiæ. Si non ſunt temporalia, exhibebis ſeptem ſpiritualia, & magnam eleemoſynam feciſti. Conſule, corripe, doce; exhibe ergo libenter panes tuos, ſed non ſolos; conde eos piſcibus, ut ſint ſapidi. Duo piſciculi panis condimentum, ſunt charitas & hilaritas. Non aſpicit Deus quantum, ſed ex quanto; ſimiliter: *Hilarem datorem diligit Deus.* Non ex triſtitia aut ex ariditate: *In omni dato, hilarem fac vultum tuum.* O quomodo conditur eleemoſyna hilaritate! Non vult Deus coacta ſervitia. Quod ſi feceris, procul dubio colliges tibi ſeptem cophinos in futura gloria: ad quam nos perducat Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Amen.

Mat. 26. (a) Marc. 8. Marc. 8. Jo. 6. 2. Cor. 9. Eccli. 35. Marc. 8. Lucæ 9. Mat. 27. Ibidem. Pſal. 48. Pſal. 69. Pſal. 87. Jo. 1. Lucæ 9. Ibid. 2. Jer. 14. Lucæ 24. Mat. 12. Marc. 2. Lucæ 6. Iſaiæ 40.

(*a*) Tract. de Converſ. ad Cleric. cap. 8., cujus verba ſunt uſque ad teſtimonium Luc. 9. Attamen poſt ea verba, *vitæ ipſius periculo comparatur*, ita pergit S. Bernardus: *Ut ad modicum flagrans, ſulphureus vapor furentes ſtimulis agat, & apum par volantium, ubi male grata mella fuderit, nimis tenaci feriat icta corda morſu. Cujus appetitus, &c.* Quæ ex lib. 3. Boetii de Conſol. Phil. metr. 7. deducta ſunt.

IN DOMINICAM VII. POST PENTECOSTEN

CONCIO.

DE ARBORE, ET FRUCTIBUS EX EUANGELIO.

Attendite a falſis prophetis. Omnis arbor bona fructus bonos facit.
Matth. 7. v. 15. & 17.

* CONCIO XCIII.

I. ARBOR bona ex fructu. Qualis ergo arbor, quæ talem fructum nobis dedit? *Superextolletur ſuper Libanum fructus ejus.* Caro illa pretioſa, &c. *Attendite a falſis prophetis.* Falſus propheta eſt, qui laudat abſtinentiam, guloſus; falſus propheta eſt, qui magnificat caſtitatem, ſordidus; qui laudat humilitatem, ſuperbus, &c. Apoſtolus: *Habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Falſus item propheta & fictus eſt, qui aliud appetit apparere, quam eſt. *Væ ei, qui multiplicat non ſua!* Væ qui rapiunt non ſua: ſed quis eſt, qui non rapit non ſua? Utique magna virtus eſt, in nullo eſſe latronem. Rapit non ſua avarus, cum pauperem ſpoliat. Rapit non ſua ſapiens, quando de ſua ſapientia gloriatur. Gloria enim Deo debetur. Apoſtolus: *Regi ſæculorum immortali, inviſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum.* Rapit non ſua hypocrita, qui vult apparere ſanctus. Et quis fidelis ſervus, qui penitus ſit innoxius, & ſit fidelis diſpenſator, ut de bonis Domini ſui nihil illi agglutinet? Sed fideliter in vinea Domini laborans, ſolum Dei amorem, gloriam animarum ſanctarum quærat? Interim, qui rapuit non ſua, divinos dimittet honores, dignitates, officia, domum, familiam, amicum, veſtes, omnia dimittet. Siquidem: *Cum interierit non ſumet omnia: neque deſcendet cum eo gloria ejus. Opera* autem *illorum ſequuntur illos.* Sed o Domine, in quo homine non eſt ſimulatio? Quis non celat peccata? Quis vult omnino agnoſci? Quis eſt hodie, in quo non ſit falſitas, qui velit omnino apparere quod eſt, qui non defectus ſuos tegat, virtutes commendet, & talem omnino ſe apparere in hominum judicio non formidet, qualis in proprio judicio a ſemetipſo cognoſcitur? eſt enim *omnis homo mendax.* Omnes ab Adam accipimus illud: tegere foliis opera noſtra obſcura. Ubi non eſt fictio, vel operculum aliquod, & diſſimulatio? Sed aliud eſt occultare malitiam, quam habes, aliud eſt fingere, & monſtrare bonitatem, quam non habes. *Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus.* Magna injuria Divinæ juſtitiæ & veritatis. Tullius (*a*): Peſſimum juſtitiæ genus, velle reputari bonus, cum ſis malus. Sufficiat quod malus es: cur juſtorum honorem tibi arrogas, & fratres decipis tua ficta & ſimulata ſanctitate? Duplex iniquitas, ſimulata æquitas. Duplici crimini obnoxius: & quod malus, & quod doloſus es. Pſalmus: *Ab homine iniquo & doloſo erue me.* Sufficiat tibi, inquam, quod malus es. Dominus in Euangelio: *Similes eſtis ſepulchris dealbatis.* Ergo: *Attendite a falſis* iſtis *prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium.* Bernardus (*b*), *de Gradibus Humilitatis:* Glorioſa humilitas, quam ipſa quoque quærit ſuperbia; palliare ſe appetit, ne vileſcat.

II. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* In fructu cognoſcuntur, ut arbores. Non poteſt diu durare fictio cordis, nec opera bona omnino fingi: malitia cordis quandoque erumpet; non in tantum poteſt humana verſutia, ut virus cordis aliquando non monſtretur, maxime tempore tribulationis. Ignis enim probat argentum, & perſecutio vel tribulatio probat hominem. Sapiens: *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat Dominus. A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Quare, cum prius dixerit: *Nolite judicare, ut non judicemini;* quomodo nunc ait: *A fructibus eorum cognoſcetis eos?* Reſponſio ex P. Auguſtino (*c*), *in Sermone Domini in monte, capite decimo octavo:* Hic aliud nihil nobis præcipi exiſtimo, niſi ut ea facta, quæ dubium eſt quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim ſcriptum eſt: *A fructibus eorum cognoſcetis eos*, de manifeſtis dictum eſt, quæ non

2.Tim.3. Habac.2. 1.Tim.1. Pſal.48. Apoc.14. Pſ. 115. Rom. 3. Gen. 3. Pſal. 5. Pſal.42. Mat.23. Ibid.7. Prov.15. Mat. 7. Ibidem.

(*a*) De Offic. lib. 1. ſatis ante med. *Totius juſtitiæ nulla eſt capitalior peſtis quam eorum, qui tum dum maxime fallunt, id agunt, ut boni viri videantur.*

(*b*) De Grad. Humilit. cap. 18. num. 47. *Glorioſa res humilitas, qua ipſa quoque ſuperbia palliare ſe appetit, ne vileſcat.*

(*c*) Uſque ad ea verba, *maxime ut condemnemus*, hauſtum eſt teſtimonium ex lib. 2. de Serm. Dom. in monte cap. 18. A verbis vero, *duo ſunt*, uſque ad ea, *ut deſperemus ſanitatem*, ad eumdem locum S. Patris referenda eſt ſententia.

possunt bono animo fieri; sicut sunt stupra, vel blasphemiæ, vel furta, vel ebriositas: & si quæ sunt alia, de quibus nobis judicare permittitur. Opera ergo manifeste mala judicari possunt, indifferentia non debent. Hinc de genere ciborum, quia possunt bono animo, & simplici corde sine vitio concupiscentiæ, quicumque humani cibi indifferenter sumi, prohibet Apostolus judicari eos, qui carnibus vescebantur, & vinum bibebant, ab eis, qui se ab hujusmodi alimentis temperabant. *Qui manducat*, inquit, *non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non judicet*. Rom.14. Sunt ergo quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, quia & bono, & malo fieri possunt, de quibus temerarium est judicare, maxime ut condemnemus. Dico secundo: non est judicanda persona, sed opera manifeste mala. De persona enim quis novit, an forte, ut humilietur, ideo permittitur, ut forte resurgat cautior? Duo sunt ergo, in quibus temerarium judicium cavere debemus; quando, uti jam commemoratum est, quo animo factum fuerit quidquam; vel cum incertum sit qualis futurus sit, qui nunc vel bonus vel malus apparet. Si ergo quispiam, verbi gratia, conquestus de stomacho jejunare noluit, & tu id non credens, id edacitatis vitio tribueris, temere judicabis. Item, si manifestam edacitatem ebriositatemque cognoveris, & ita reprehenderis, quasi numquam ille possit corrigi atque mutari, nihilominus temere judicabis. Non ergo reprehendamus quæ nescimus quo animo fiant; neque ita reprehendamus quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem. *A fructibus eorum*, Mat.7. qui erunt in fine, *cognoscetis eos*. Qualis unusquisque sit, ignis probabit. Rom.14. Apostolus: *Quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit*. Cur surripis Domino officium suum? Nam Pater *omne judicium dedit Filio suo*. Jo. 5. Nos ergo Fratres operam demus, & quantum possumus laboremus, ut vas aureum, & argenteum simus. Cæterum fictilia vasa confringere, Psal. 2. Domino soli concessum est, cui virga ferrea data est. Apoc. 2. Nec quispiam sibi, quod soli Filio Pater tribuit, vendicaverit, ut se putet aut ad aream ventilantem, & ad purgandam paleam ventilabrum jam ferre posse, Jo. 5. aut a frumento universa zizania humano judicio separare. Luc. 3. Superba est illa obstinatio, & sacrilega præsumptio, quam sibi furor pravus assumit. Et dum sibi semper, plus quam mitis justitia deposcit, assumunt, de Ecclesia pereunt.

III. *Omnis arbor bona bonos fructus facit*. Mat. 7. Deus seipso bonus, non ex accidenti; ejus esse bonitas est: de suo habet esse bonum. Nihil habet facere, nihil observare ut bonus sit. Sicut ego, ut sim homo, nihil facere debeo. Ipse bonitas: de suo per essentiam bonus. Neque enim quia fecit hominem, aut quia redemit nos, ideo bonus; sed quod bonus, hoc natura fecit. Non est bonus ex fructu, sed fructus bonus ex arbore. O felix natura & beatissima, cui esse, & bonum esse, idem. In omni creato esse bonitas accidit naturæ; ab extrinseco est penes accessum ad istud bonum per se. Et quando est per accidens, reducitur ad per se. Unde homo bonus ex inclinatione ad bonum increatum, & inclinatio ipsa est amor. Ex amore igitur amor te denominat. O pulchra virtus amor, unde est, quidquid boni est! Sicuti amas, sic es. Si ad ista temporalia ac vana accedis ut brutum, solum diligens quod vides oculis, ratione contempta, vilis es. *Facti sunt*, inquit, *abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*. Osee 9. Si vero compos rationis non ad ista, quæ videntur, sed tamen oculis rationis & fidei videntur, sicut rationalis, sicut fidelis accedis amore, fies bonus per istam inclinationem. Quia enim homo per naturam bonus non est, sed per inclinationem, ideo Deus non ait de illo: Vidit Deus hominem, & erat valde bonus; Gen. 1. quia expectanda erat inclinatio, unde bonus est. Habet enim præter naturalem inclinationem sui opificii, aliam moralem bonitatem, quæ magis eum bonum denominat, unde bonus est. Vide igitur quid amas, quid desideras, quid prætendis. Examina te ipsum & tuam intentionem; inde enim bonus aut malus es; intra te est, unde denomineris: nam opera ipsa signa sunt bonitatis, non denominatio bonitatis. *Ab* operibus *eorum cognoscetis eos*. Quia *bonus homo de bono thesauro profert bona*. Mat. 7. Nam sicut amas, sicut desideras, sic operaris. Fructus ergo boni ex arbore bona procedunt, non arborem bonam faciunt; sunt autem signa bonitatis arboris. O Charitas, in qua est plenitudo legis! Rom.13. In te est omne quod petimus. Nam si bene amas, omnia bene facis. Amor facit nos esse quidquid sumus; transformat in id, quod desideramus, sicut chamæleon. Vide in creatis: non statim ut vis potentiam, potens es; non statim ut vis divitias, dives es; nec statim ut vis salutem, sanus es. In spiritualibus voluntas omnia perficit. Si vis esse dives, ipsa voluntas sufficiet ad ditandum; si vis esse magnus spiritualiter, statim magnus es; si vis esse potens, potens es. Ipsa voluntas est omnium possessio, quia per voluntatem Deus possidetur, qui est omnium rerum possessor. Tamen vide ne animal sis, præsentium solummodo dilector. Alia enim bona sunt majora, quæ spiritu & intellectu videntur. P. Augustinus (*a*): Cave, anima, ne plus dona, quam affectum largientis diligas: (*a*)

(*a*) Lib. de Diligendo Deo cap. 5. *Cave, o anima, ne, quod absit, meretrix dicaris; si munera dantis plusquam amantis affectum diligis*. Augustino tamen tribuendus non est hic liber, ut monent PP. Congreg. S. Mauri, qui propterea in Appendicem tom. 6. illum rejiciendum censuerunt. Aliquid ab argumento non alienum habet S. Parens Serm. 261. num. 4. *Non amemus creaturam neglecto Creatore, sed adtendamus creaturam, & laudemus Creatorem*.

gas: ne mutas Dei creaturas pro ipso reſpicias, & vere adultera comproberis. Dic de judicio, & præſumptione, & ſuſpicione. Dic illam authoritatem: *Eſtote prudentes ſicut* Mat. 10. *ſerpentes*, ne fallamini, & *ſimplices ſicut columbæ*, ne fallatis.

Ibid. 7. IV. *Omnis arbor bona fructus bonos facit.* Triplex arborum differentia. Primo: arbores ſunt cum foliis nimis amplis. Iſti ſunt qui de Deo & cœleſtibus mirabilia loquuntur, & prædicant cæteris; fructum tamen operum non faciunt: de quibus in hoc Euangelio: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine,* Ibidem. *Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* Et iterum: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia numquam novi vos: diſcedite a me, qui operamini iniquitatem.* Conſidera arborem illam magnam, & fortem: cujus proceritas contingebat cœlum: Dan. 4. *Aſpectus illius erat uſque ad terminos univerſæ terræ. Folia ejus pulcherrima, &c. Et ecce vigil & Sanctus de cœlo deſcendit. Clamavit fortiter, & ſic ait: ſuccidite arborem & præcidite ramos ejus: & excutite folia ejus, &c.* Secundum genus arborum folia, & flores: nec tamen flores fructus pariunt, gelu ſcilicet combuſti. Iſti ſunt qui habent folia verborum, flores etiam bonorum deſideriorum, nec tamen valent perficere & ponere in opus. *Venerunt* Iſaiæ 37. *filii uſque ad partum, & virtus non eſt pariendi.* Tertium genus eſt eorum, qui faciunt fructum dulcem & maturum. Duo ad hoc requiruntur. Primo, quod mittant radices in profundum. Apoſtolus: *In charitate ra-* Epheſ. 3. *dicati & fundati.* Adulterinæ plantationes non mittunt radices; hoc contra ventum tentationis. Plantatæ ſuper arenam: & deſcen- Mat. 7. dit pluvia, & veniunt flumina, & flant venti, & irruunt in eas, & cadunt, & eſt ruina illorum magna. Secunda conditio; quod habeat humorem, id eſt devotionem, & guſtum ſpiritualem per ſolis ardorem explicatum. Pſalmus: *Erit tamquam lignum, quod* Pſal. 1. *plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Torrentes aquarum, lectio Scripturarum, & meditationum paſſionis Chriſti: unde fluunt lachrymæ plenæ devotionis & contemplationis. Oportet enim cito extinguere vermes curarum & ſolicitudinum rodentium viriditatem. Sed, cum arbor plena fructu, ne rami ejus præ pondere ſcindantur, ſolent apponere ſtipites aridos, ſine fructu, ita ſpiritualis vir, ne cadat a pondere bonorum operum, apponat memoriam ſuorum peccatorum.

Mat. 7. V. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur.* Tres ſunt arbores ſpeciales: quarum una habet fructus dulciſſimos; ſcilicet ficus. Alia habet fructus amariſſimos; ſcilicet oliva. Tertia fructus mixtos; ſcilicet vitis. De his tribus dicitur *Judicum no-* Judic. 9. *no.* Venerunt ligna ſaltus ad ficum, ad olivam, ad vitem. Per ficum, cujus fructus omnino dulcis eſt, ſignificantur viri religioſi. Sicut ficus ſub uno cortice multa grana pacifice continet, ita religioſi ſub uno jure vivendi multi ſunt. Pſalmus: *Qui habitare* Pſal. 67. *facit unius moris in domo.* Item folia ficus habent ſimilitudinem manus humanæ: & verba clauſtralium debent bonis operibus informari & adæquari. Alioqui, ſi non fecerint fructum juxta genus ſuum, excidentur. Unde *Lucæ decimo tertio: Arborem fici ha-* Lucæ 13. *bebat quidam*, ſcilicet Beatus Benedictus, vel Beatus P. Auguſtinus: *plantatam in vinea ſua*, id eſt, in religione ſua: *Et venit quærens fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ*, id eſt, ad Abbatem, ſive Superiorem: *Ecce tres anni ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio.* Tres anni ſunt illa tria, quæ ſunt in votis, in quorum quolibet debet fructificare religioſus; ſin minus, excidendus. *Succide ergo illam. Matthæi* etiam *vigeſimo primo* dicitur: Quod eſuriens Dominus, *videns* Mat. 21. *fici arborem unam ſecus viam, venit ad eam, & nihil inveniens in ea niſi folia tantum, ait illi: numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum? Et arefacta eſt continuo ficulnea.* Et tamen dicitur *Marci undecimo: Non enim* Marc. 11. *erat tempus ficorum.* In quo ſignificatur, quod omni tempore requirat Dominus fructus a perſonis religioſis. Unde ficus, quando bona eſt, optima eſt, ubi mala, peſſima. *Jeremiæ* Jer. 24. *vigeſimo quarto*, Dominus: *Quid tu vides Jeremia? Et dixit: Ficus, ficus bonas, bonas valde: Et malas, malas valde; quæ comedi non poſſunt* a tanto Domino & tam diviti, quem non decet comedere ſine fructu. Et quare comedi non poſſunt? *Eo quod ſint malæ.* P. Auguſtinus (*a*): Sicut non inveni meliores, (*a*) quam qui in monaſteriis profecerunt, ita non inveni deteriores, quam qui in monaſteriis defecerunt. Ficus prius facit fructum quam folia, quia viri ſpirituales cum ſilentio operantur. Sed Adam & filii ejus de foliis ficuum faciunt ſibi perizomata. Per olivam, cujus Gen. 3. fructus amarus eſt, ſed oleum medicinale, ſignificantur activi operibus miſericordiæ intenti. Hi cum Samaritano debent alligare vulnera, neceſſaria tribuendo; infundere oleum compaſſionis, & vinum conſolationis. In primo notatur ſubventio corporis, in ſecundo compaſſio cordis, in tertio conſolatio oris. De primo dicitur: *Frange eſurienti* Iſaiæ 58. *panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & car-*

(*a*) Epiſt. 78. num. 9., alias Epiſt. 137. *Simpliciter autem fateor charitati veſtræ coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam, ex quo Deo ſervire cœpi, quomodo difficile ſum expertus meliores, quam qui in Monaſteriis profecerunt; ita non ſum expertus pejores, quam qui in Monaſteriis ceciderunt, ita ut hinc arbitrer in Apocalypſi ſcriptum, juſtus juſtior fiat, &c.*

& carnem tuam ne despexeris. De secundo: *Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.* Eccli.18. De tertio: *Nonne ardorem refrigerabit vos? Sic & verbum melius quam datum.* Prov.31. Et iterum: *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo: bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Per vitem, cujus fructus mixtus est, in parte dulcis, in parte amarus, significantur Prælati: qui & suavitatem contemplativæ, & laborem atque amaritudinem activæ participant. Sed heu! non sic in multis. (a) P. Augustinus (a), *in Libro contra quinque hæreses:* Ubi estis o boni Agricolæ? Quid agitis? Quare vacatis? Videtis quod malo plena sit terra: hinc spinæ, hinc tribuli, hinc fœnum surgit. Sed quibus hoc dico? O ubi estis fontes lachrymarum? Quibus agricolis loquar? Alii sunt mortui, alii sunt fugaces: terra tradita est in manus impii. Ibid. 24. *Proverbiorum capite vigesimo quarto: Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverunt urticæ, operuerunt superficiem ejus spinæ.* O cultores vineæ! O cœtus doctorum & prælatorum! Quorum officium est sarmenta amputare, vites bonas propaginare, spinas evellere, bona semina plantare, heu quam pauci qui noverunt vineæ terram excolere, & vitia deprehendere! Multa quidem dicunt, sed non faciunt. Jeremias: *Non est uva in vitibus.* Jer. 8.

VI. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Mat. 7. Ne putemus, inquit P. Augustinus (b), ad illos fructus pertinere, si quis Domino nostro dicat *Domine, Domine:* & ex eo nobis arbor bona videatur; sed illi sunt fructus: Facere *voluntatem Patris mei, qui in cœlis est;* cui faciendæ, seipsum exemplum præbere dignatus est. Sed merito potest moveri, quomodo huic sententiæ conveniat illud Apostoli: *Nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu. Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto?* Solutio: A Spiritu sancto est omne dictum bonum, sicut omnis bona cogitatio. Nec tamen ideo sequitur, quod omnis bene agitans, vel loquens sit in gratia. Quia motus ille, & auxilium spirituale, potest esse sine gratia gratificante, sicut aliæ gratiæ gratis datæ. Secundo: Apostolus posuit verbum, *dicit*, proprie: ut significet voluntatem atque intellectum dicentis. Dominus vero generaliter posuit verbum quod ait: *Non omnis qui dicit, &c.* Videtur enim etiam dicere ille, qui nec vult, nec intelligit quod dicit: sed ille proprie dicit, qui voluntatem ac mentem suam sono vocis enuntiat. Sicut, quod alibi dictum est. Gaudium in fructibus Spiritus sancti proprie dictum est; non eo modo, quo alibi dicit idem Apostolus: *Non gaudet super iniquitate:* quasi quisquam possit super iniquitate gaudere; quia illa elatio est animi turbide gestientis, non gaudium; nam hoc soli boni habent. Ergo dicere videntur etiam illi, qui non hoc, quod sonant, dicere videntur, & intellectu cernunt, & voluntate agunt; sed voce tantum sonant: secundum quem modum Dominus ait: *Non omnis qui dicit Domine, Domine, &c.* Vere autem ac proprie illi dicunt, a quorum voluntate ac mente non abhorret prolatio sermonis sui: secundum quam significationem, dicit Apostolus: *Nemo potest dicere, Dominus Jesus,* nisi in Spiritu sancto. Ibid. 12.

(b) 1. Petr. 2. 1. Cor. 12. Rom. 14. 1. Cor. 13.

IN

(a) Tract. contra quinque hæreses cap. 6., sed neque hic tractatus, qui cæteroquin Lovanienſibus genuinus visus est, Augustino adjudicatur a PP. Congreg. S. Mauri, in quorum editione locum obtinuit in Append. tom. 8., ita se habent verba hoc loco a S. Oratore allegata. *Ubi modo estis o boni Agricolæ? Quid agitis? quare vacatis? Videtis quot malis ista plena sit terra: hinc spinæ, hinc tribuli, hinc fœnum surgit. Spinas incendite, tribulos eradicatæ, fœnum secate, bona semina spargite, non vos terreat hyems: etsi abundat iniquitas, tamen vestra ferveat charitas. Serite hyeme quod metatis æstate. Sed quibus dico? ubi estis fontes lacrymarum? Quibus agricolis loquor? Alii sunt mortui, alii fugati; terra tradita est in manu impii, tribulatio, & necessitas invenerunt nos.*

(b) Verba sunt S. Patris usque ad illa, *seipsum exemplum præbere dignatus est.* Lib. 2. de Serm. Dom. in monte cap. 25.

IN DOMINICAM VIII. POST PENTECOSTEN

CONCIO.

DE REDDENDA RATIONE DOMINO.

Redde rationem, Lucæ 16. v. 2.

CONCIO XCIV.

I. APostolus *ad Epheſios*: *Unicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*, aliis magis aliis minus, ſicut Domino placuit: neque enim hic alia quærenda eſt ratio, niſi ſola voluntas largitoris; Dominus eſt omnium. Nunquid de ſuo non licet ei facere quod vult? Aut dicet vas figulo: *Quid me feciſti ſic?* Ex ea fornace inutili alia eduxit, & alia reliquit. Fecit ergo nos gratis, quia voluit, & tales, quales voluit. Et ſicut ridiculum eſſet ſi ruſticus conqueratur & dicat: Quare ego non ſum natus filius Regis aut Imperatoris? Ita etiam ridicula eſſet querimonia ſi dicat: Quare non ſum conditus ingenioſus, acutus, prudens & eloquens ſicut alii? Qui ergo libere nos creavit, libere diſtribuit gratias ſuas prout vult. Attamen divina Sapientia, quæ omnia diſponit ſuaviter, in donandis gratiis ſemper habet reſpectum ad qualitatem perſonæ, ad habilitatem, capacitatem, dignitatem, officium, curam, quam ei traditurus eſt. Sicut cum Imperator prudens, licet ſit Dominus, non tamen diſtribuit dignitates, officia, & munera, niſi ſecundum qualitatem perſonæ & dignitatem; ita Deus rector mundi juſtus ac rectus facit in diſtribuendis gratiis. Hoc eſt quod dicitur: *Unicuique ſecundum propriam virtutem*, id eſt habilitatem, capacitatem, & ſufficientiam. Nam & Angelis, ſecundum S. Thomam (*a*), dedit gratiam a principio ſecundum proportionem ſuorum naturalium, & perfectiores ad altiorem hierarchiam provexit. Ita etiam fit in Eccleſiaſtica hierarchia. Altiores, & ſuperiores pluribus gratiis ornat, ut officia ſua in Eccleſia debite exerceant; & quos prævidit prælatos, ornatiores fecit. Unde Job: *Aquas appendit in menſura*; id eſt, ſecundum capacitatem vaſorum, ſic immittit gratiam. Nam ſi in vaſculo parvo multam immitteret aquam, aqua diffunderetur, & vas pateretur detrimentum. Non vult Deus perdere gratias ſuas, neque dare nobis dona, quæ ſint nobis ad damnationem: ſi enim imperfectum & inhabilem donis exornaret; quid ei eſſet perfectionum cumulus, niſi perditio & damnatio major? O divina bonitas quanta eſt tibi cura de nobis! Quanta ſapientia & arte menſuras nos, ne pereamus! Quoties humana ſuperbia non contenta acceptis, petit alia; & non das, quia non expedit nobis; & ipſum non dare gratiam, eſt gratia; & non donando, magis donas: nos enim quid nos oporteat orare neſcimus; ſed tu Domine nimia nos charitate, prout expedit, metiris.

Ephes. 4.

Rom. 9.

1. Cor. 12.

Sap. 8.

Mat. 25.

(*a*)

Job 28.

II. Itaque Fratres mei, quilibet contentus ſit cum gratia quam accepit: neque nimis ambiat altiores gratias, ſed potius ſtudeat, ut quam accepit, in Domini ſervitium optime expendat, & ſic forſitan altiores & majores acquiret. Non enim tantum prodeſt magnitudo gratiarum, ſicut bene exequi, quas accepimus; quia Deus in retribuendo, ut ait Hieronymus (*b*), non tam reſpicit fructum, quam laborem. Sicut enim ait Apoſtolus: Unuſquiſque ſecundum ſuum laborem mercedem accipiet. Non dixit ſecundum ſuum fructum; nam labor & induſtria in noſtra poteſtate ſunt, ſed fructus in Dei voluntate conſiſtit. Unus prædicator minus laborat, & amplius fructificat propter ingentem gratiam: alius plus laborat, & minus fructificat. In præmiandis iſtis voluntas & labor magis quam fructus attenditur. Videte hoc aperte in littera. Is qui cum duobus talentis duo lucratus eſt, eadem omnino verba audivit a Domino ſuo, quæ is, qui cum quinque, alia quinque lucratus eſt: quia licet duo minus ſint quam quinque; tamen cum duobus lucrari duo, non minus quam cum quinque lucrari quinque. Itaque Fratres, ut dixi, quilibet ſit ſua ſorte contentus; & nec qui minus accepit conqueratur; nec qui plus accepit ſuperbiat, ſed magis timeat. *Noli altum ſapere, ſed time.* Superior iocus majorem interdum ruinam parat: nam qui multum accepit, multum quoque exigetur ab eo:

(*b*)

1. Cor. 3.

Rom. 11.

(*a*) 1. part. quæſt. 108. art. 4. *Diſtinctio ergo ordinum in Angelis eſt non ſolum ſecundum dona gratuita, ſed etiam ſecundum dona naturalia.*

(*b*) In cap. 25. Matth. *Denique & illum, qui de quinque talentis decem fecerat, & qui de duobus quatuor ſimili recepit gaudio: non conſiderans lucri magnitudinem, ſed ſtudii voluntatem.* Ad hunc autem Hieronymi locum reſpicere S. Oratorem, indicant quæ mox ſequuntur.

(a) eo: & ut ait Gregorius (a): cum augentur dona, rationes quoque crescunt donorum. Tanto ergo humilior atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quanto obligatiorem se esse conspicit in reddenda ratione. Pondus gratiarum Sanctos non elevat, sed deprimit potius & humiliat. O quam timidi, quam humiles sunt Sancti, cum vident se tot donis & favoribus a Deo obligatos, neque sciunt quomodo possint tantis favoribus pro merito respondere! Non est humilitas, Fratres, ignorare dona Dei, quæ accepimus; sed nosse ea. Potius est pernicioſa ignorantia: sed scire, quia accepimus, & quia de illis reddituri sumus rationem. Unde Virgo sacra cum dixisset: *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ;* adjunxit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.* Sciebat optime quæ esset, & quæ acceperat; sed hæc erat humilitas, quia sic se obligatam & oneratam divinis beneficiis videbat, quod neque ipsa, nec totus mundus sufficeret ad rependendum pro eis secundum magnitudinem gratiarum. Qui ergo attendit rationem, quam redditurus est, non levabitur, sed humiliabitur a pondere gratiarum; qui autem non attendit erigitur in superbiam. Cui comparabimus istos superbientes, Fratres? Similes exactoribus Regis, qui redditibus regiis valde superbiunt in equis, & mulis, & fastibus: & postea in carcere moriuntur. Oportet igitur & nos diligenter agnoscere, quæ accepimus; & sollicite curare pro eis, ut pro eis bonam rationem reddamus.

Lucæ 1.

III. Ut ergo hæc agnoscamus, operæ pretium erit, ut dona Domini hic nonnulla, sive gratias exponamus, ut possit unusquisque agnoscere quot dona accepit. Sunt ergo: bonum naturæ, bonum fortunæ, bonum industriæ, bonum gratiæ, bonum spiritus. Horum quidam plura, quidam pauciora suscipiunt. Talentum naturæ vocantur non solum dona naturalia, & dotes corporis & animæ, quæ Deus præstat a principio nativitatis; ut sunt pulchritudo, sanitas, robur, bona complexio, bona dispositio: & animæ dona, ut sunt ingenium, prudentia, modestia, tranquillitas animi, bonæ inclinationes ad omnes virtutes, quas videmus in parvulis adeo varias, ut unus sit cordatissimus, acutissimus, prudentissimus, alius vero rusticus, inquietus, vanus, stultus. Non solum, ut dixi, donum hoc, hæc dona naturalia includit, sed etiam potentias naturales, quas Deus nobis inseruit; videlicet, intellectum, voluntatem, memoriam, quinque sensus interiores, & alias potentias sensitivas & appetitivas, de quibus Dominus in die judicii magnam a nobis exiget rationem. Nam cujus est arbor, ejus sunt & fructus, & qui plantavit arborem, jure ei debentur fructus. Quis enim plantat arborem & de fructu ejus non edit? Ei igitur, qui plantavit in nobis intellectum, debentur jure omnes nostræ cogitationes, & illi, qui plantavit in nobis voluntatem, debentur omnes affectiones, omnes amores, omnes passiones, omnia desideria; & illi, qui plantavit linguam, omnia verba; & ei qui plantavit manus, omnia opera. Quidquid horum tibi usurpas, latro es furca perpetuo pendendus; nam & omnes, qui in inferno sunt, latrones fuerunt. Unde in die judicii de verbis otiosis rationem reddemus, & eadem ratione de cogitationibus otiosis, & de tota vita. O difficilem rationem! Væ nobis miseris, qui tam secure vivimus, & tam male expendimus donum istud! Quid dicet tunc miser carnalis, mundanus, qui totam vitam in curis & negotiis, imo in ludis, vanitatibus & voluptatibus expendit; & vix sustinet ad horam audire Missam vel sermonem, aut vacare Deo? Qui talentum illud in terra suffodit, id est, in terrenis totam vitam expendit? Quid dicturi sunt lusores, qui dies ac noctes in ludis expendunt absorpti sensu in illa vanitate? Modicum est, quod pecuniam perdis; pejus est multo, quod vitam & personam consumis & perdis: major est jactura temporis, quam æris; & hoc vocant, tempus fallere: imo est perdere tempus. O donec prætereat tempus! Bernardus (b): Donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, & acquirendam gratiam, misericordia Conditoris indulget! Donec transeat tempus, quo divinam tibi repropitiari debueras pietatem, properare ad angelicam societatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem! Sed dices: Non habeo, quid faciam; non sum agricola, non sum artifex, non sum mercator. Quomodo miser regnum cœlorum negotiaris, si non habes quid facias? Nonne legere, orare, meditari, flere, gubernare domum, prodesse alicui non poteras? Vere ita est; non habes, quid facias, quia terrenis abundas, & cœlestia non requiris: ita est, non habes, quid facias, quia ad te cœleste regnum non pertinet; ideo de illo non curas.

(b)

IV. Secundum donum est fortunæ; videlicet divitiæ, honores, potentia, dignitas. Donum Dei est, si eo bene utamur. Job: Deus potentes non abjicit, cum ipse sit potens, non divites, cum ipse sit dives. O quantum

Job 36.

(a) Homil. 9. in Euang. num. 1.

(b) Serm. 17. de Diverſ. num. 3., cujus hæc prorsus sunt verba. *Licet confabulari, ajunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora! o donec pertranseat tempus! Donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio Conditoris indulget! Donec transeat tempus, quo divinam tibi repropitiare debueras pietatem; properare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem; excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem!*

tum poſſet unus potens prodeſſe, ſi potentiam ſuam & divitias plene in Domini ſervitium vellet explere! Quot pauperes poſſet alere! Quot afflictos conſolari! Quot oppreſſos defendere! Quod diſcordias concordare! Sed divites hujus ſæculi non putant eſſe donum acceptum; non ſe exiſtimant diſpenſatores, ſed dominos, nec curant de ratione, quam Deo reddituri ſunt. Unde cum expendunt divitias in vanitatibus, ſi arguantur, reſpondent: Non poſſum facere de meo quod volo? Quid ad te? O quantam rationem reddent in die judicii de divitiis in vanitatibus expenſis, crudelitate in pauperes! Bernar-
(a) dus (*a*): Clamant famelici, clamant nudi, & conqueruntur, nobis frigore & nuditate pereuntibus: quid proſunt tot mutatoria? Noſtrum eſt quod ſumitis; noſtrum eſt quod effunditis, & nobis ſacrilega crudelitate ſurripitur; quoniam vos non domini, ſed diſpenſatores inutiliter expenditis. Unde, ut
(b) ait Gregorius (*b*): non ſolum a divitibus & potentibus hanc rationem expetet; ſed etiam ab his, qui apud eos habent gratiam & familiaritatem, ſi pro pauperibus non intercedant. Nam & ipſa familiaritas donum eſt. Quod ſi pro pauperibus non intercedit, de talenti retentione damnabitur.

V. Tertium donum eſt induſtriæ, ſcilicet ſcientiæ vel artis cujuſcumque. Hæc enim quamvis noſtro labore acquirantur, dona Dei ſunt: nullus enim poſſet eſſe ſingularis artifex in aliqua arte, vel ſcientia ſine dono Dei adjuvante, & habilitate maxima, quæ eſt donum Dei. Unde Dominus, *Exodi trigeſimo primo*, ait: *Ecce vocavi ex nomine Beſeleel filium Uri. Et implevi eum Spiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrifieri poteſt ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diverſitate lignorum. Et in corde omnis eruditi poſui ſapientiam, ut faciant cuncta.* Dic idem de artifice: unde tales debent ſua arte vel ſcientia pauperibus, & communitati prodeſſe: nam multum poteſt prodeſſe medicus infirmis pauperibus; pharmacopola, & legiſta, & alii artifices ſimiliter. Sed ſunt quidam adeo tenaces, ut nec verbum nec conſilium darent ſine pecunia. Exemplum in medicis & legiſtis. Hi etiam rationem reddent de ſuo talento; etiam artifices infimi, ut ſutores & fabri ferrarii. Nullus dicat ego non recepi talentum: nam nullus ſervus relictus eſt a Domino ſine talento: nec eſt homo, qui non habeat aliquam gratiam, de qua reddet rationem. Dico hoc de cantoribus & organiſtis, quomodo debeant gratis cantare, & pulſare, ut ornent divinum officium.

Exodi 31.

VI. Quartum donum eſt gratiæ gratis datæ, de qua Apoſtolus: *Unicuique datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem Spiritum: Alteri fides in eodem Spiritu: alteri gratia ſanitatum in eodem Spiritu: Alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.* Qui tanto debent eſſe diligentiores, quanto donum majus. Et quia non pro ſe accipiunt, ſed pro Eccleſia, ſicut Apoſtolus ait: *Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*, ſcilicet Eccleſiæ. Unde Apoſtolus: *Unuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes. Gratis accepiſtis, gratis date.* Videte ne vendatis gratias meas, quas vobis dedi pro Eccleſia mea. Væ illis, qui quæſtum exiſtimant pietatem! Quam grandem ſimoniam admittunt! Si vendere Eccleſiaſticum beneficium, vel dignitatem ſimonia eſt; qualis erit vendere gratias Dei? Non ergo vendatis, non uſurpetis, non vobis eas approprietis ad veſtrum honorem, ſed ad meum. *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Conqueritur Dominus contra iſtos per Prophetam dicens: Dedi eis aurum meum, & argentum meum, & ipſi de auro meo, de argento meo fabricati ſunt Baal; id eſt idolum ſuperbiæ, & ambitionis. Unde tales promerentur amittere talentum; & ut detur aliis fidelioribus, & diligentioribus, ſicut factum eſt de ſervo pigro: non habenti dabitur & abundabit. Sic Deus quos incipit exaltare & ditare, uſque in cœlum exaltat, & ditat.

1. Cor. 12. — Ibidem. — 1. Petr. 4. — Mat. 10. — 1. Tim. 6. — Eccl. 1. — Oſee 2. — Mat. 25.

VII. Quintum donum eſt Spiritus, & virtutis, vel gratiæ gratum facientis; ſcilicet donum amoris Dei, devotionis fervidæ, ſublimis contemplationis, vel compaſſionis in proximos, patientiæ, humilitatis, manſuetudinis, pietatis. Hoc omnium pretioſiſſimum eſt ſine comparatione. Primum donum ex plumbo, ſecundum ex ſtamno, tertium ex aurichalco, quartum ex argento, quintum ex auro puriſſimo & pretioſiſſimo. Beatus, qui hoc ſolo ditatus eſt, etiamſi alia non poſſideat; & ſine hoc quid proſunt habenti cætera? Quod, quanto eſt pretioſius, tanto facilius amittitur; unde magna cura cuſtodiendum eſt; ſi enim parum curæ temporalis immiſeris in vaſe ſtatim corrumpitur hoc balſamum pretioſum. Sed dices: forſitan hoc licet habenti ſit utiliſſimum, tamen non ita videtur Eccleſiæ. Imo dico vobis etiam Eccleſiæ Dei plus omnibus conducit.

Plus

(*a*) De Offic. Epiſcopor. cap. 2. num. 7. *Clamant vero nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt: Dicite Pontifices, in fræno quid facit aurum? Numquid autem a fræno repellit frigus, ſive eſuriem? Nobis frigore, & fame miſerabiliter laborantibus, quid conferunt tot mutatoria vel extenſa in perticis, vel plicata in manticis? Noſtrum eſt, quod effunditis; nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis.*

(*b*) In Euang. Homil. 9. num. 7. *Alius nihil horum aſſecutus eſt, ſed tamen fortaſſe familiaritatis locum apud divitem meruit, talentum profecto familiaritatis accepit. Si ergo nihil ei pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur.*

Plus enim prodest unus homo spiritualis in una civitate, quam mille litterati & prædicatores. Nam homo spiritualis verbo, exemplo, oratione juvat Ecclesiam, & ejus aspectus, & vestitus, & motus, & gestus verba ignita sunt; undique spirat odorem suavissimum, & plus prodest ejus conversatio, quam mille sermones, & plus movet. Videte, si haberemus nunc unum solum talem Sanctum, si prodesset magis huic civitati, quam profumus omnes prædicatores Regni? Nullus bonus est tantum sibi bonus. Jam de oratione quid dicam? Quid esset de nobis, si non isti nos suis meritis, & precibus juvarent? (a) Unde, ut ait Carthusiensis (a), Sancti illi eloquentissimi, ut Hieronymus, P. Augustinus, Bernardus, & alii, qui ad eremum fugiebant, non erant rei coram Domino, quasi abscondissent talentum; quia plus ibi forsitan oratione, quam in civitate verbo Ecclesiam Dei juvabant. Nec potest talentum hoc abscondi. *Non potest civitas abscondi supra montem posita*. Mat. 5. Non potest Deus latere in pectore. Nam sicut ignis validus in domo erumpit tecta, & foras emittit flammas; sic Deus in pectore justi foras per omnes sensus & opera refulget. Si non potes portare pretiosum odorem, ut non spiret foras; quomodo poteris balsamum illud in vase pectoris abscondere, ut tota domus non fragret ex odore unguenti? Jo. 12.

VIII. Audistis Fratres breviter & succincte enumerata vobis talenta sive dona Dei, potius quam enarrata. Videat quisque nunc quot accepit, & sollicitus sit reddere rationem pro acceptis. Quanta putatis diligentia opus est ei, qui hæc omnia accepit? Sicut mercator dives tota die occupatus est valde; ita qui tot divitiis a Deo dotatus est, quomodo potest esse otiosus? Væ misero, qui solum unum acceperat, & de illo non fuit sufficiens reddere rationem! Quid faciet de pluribus? Nec tantum ei sufficit, quod piger & negligens erat, sed qui debuerat suam pigritiam accusare, & cum humilitate veniam petere, culpam in suum Dominum rejecit dicens: *Scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti; & congregas ubi non sparsisti*. Mat. 25. Serve male & piger; piger in commisso, male in blasphemia. Quid dicis o blasphemе? Quid ais? Scio quod homo durus es, & rigidus. Mentiris in caput tuum o inique. Non est Deus rigidus, non est asper, non est durus: sed pius & misericors, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Hic, quem tu cogitas, ut ait Bernardus (b), non est Deus; Idolum est quod tu fingis, Dei, sed non est Deus. Tibi talis videtur, sed non est. Quomodo erit Deus calumniator peccatorum ad perditionem, qui ne perderet eos, sed ut salvaret, mortuus est? *Metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti?* O apertum mendacium! Falsum testimonium in Deum! Quid colligit Deus, quod non seminaverit? O inique! Utinam centesimam partem colligeret ejus, quod seminavit? Si colligit animas; nonne eas in corporibus seminavit creando? Si colligit opera, nonne seminavit gratias? Si colligit laudes, nonne seminavit ora? Quomodo ais, colligis ubi non seminasti? Credite mihi Fratres credite, ita est omnis *impius cum in profundum venerit* malorum, male sentit de Deo, & non habet rectum de illo judicium: nam mentitur iniquitas sibi, ut alium fingat Deum, quam est; & si iniquus & sceleratus, fiet statim impius & blasphemus. Hic servus secundum doctores typum habet Christiani pusillanimis, & timidi, qui gratias, quas habet, non exercet falso timore & nocturno, ne perdat; aut ne ipse exercendo patiatur detrimentum; sicut contingit de quibusdam confessoribus, qui possent prodesse confitendo, & pusillanimitate quadam omittunt, per aliquem timorem & scrupulum. Huic convenit quod ait Job: *Qui timent pruinam irruet super eos nix;* veniet illi aliunde, quod timebat. Job 6. Noluit tractare ne perderet talentum, & damnaretur; & quia non tractavit damnatus est, non quia perdidit; sed quia non adauxit. Non sic Sancti Dei: non sunt ita pusillanimes, sed fortes & magnanimi viri, robusti spiritu, ad omnia habiles, sicut Apostolus: *Ubique & in omnibus institutus sum: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare (ubique & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat*. Philipp. 4. Unde Propheta: *Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem*. Isaiæ 25.

IN

(a) Agit de hoc in lib. de Laude vitæ solitariæ cap. 31.

(b) Serm. 38. in Cant. num. 2. *Ego autem dico omnes ignorare Deum, qui nolunt converti ad Deum. Neque enim ob aliud procul dubio renuunt, nisi quia gravem, & severum imaginantur qui pius est; durum, & implacabilem qui misericors est; ferum, & terribilem qui amabilis est: & mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo quod non est ipse.*

IN DOMINICAM IX. POST PENTECOSTEN

CONCIO.

DE HÆRETICIS EJICIENDIS DE ECCLESIA.

Ingreſſus in Templum, cœpit ejiciere vendentes in illo, & ementes.
Lucæ 19. v. 45.

CONCIO XCV.

I. ADAM ejecto de Paradiſo, poſitus eſt in cuſtodiam Cherub, habens flammeum gladium atque verſatilem, ne alius ingrediatur de genere tranſgreſſoris. Magna ſeveritas juſtitiæ. Nunc autem regno cœlorum, gloriæ Angelorum paradiſo cœleſti, non Cherub, non gladius flammeus; ſed piſcator, homo de genere Adam præficitur in oſtiarium, ut omnibus ſui generis aperiat pro libito, & ut peccatoribus non indignetur, homo ipſe tranſgreſſor. Quid miſericordius, quid ſuavius? Angelus terrenum paradiſum claudit tranſgreſſori. Piſcator homo cœleſte regnum aperit peccatori. Et gaudium illud ineffabile, divitiæ illæ infinitæ, gloria illa inenarrabilis, quam *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*; homini diſpenſanda, communicanda hominibus committitur. Audite, quid dicitur: *Tibi*, inquit, *dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*. Verba Dei non minus continent, imo amplius quam ſonant. Domus Dei claviger effectus, aperit cui vult, & intromittit quem vult in illam. Benedictus Deus qui talem poteſtatem dedit hominibus. Ipſe eſt oſtium: & Petrus illius oſtii claviger. Siquidem, pius & miſericors Dominus, poteſtatem quam accepit a Patre, judicandi omnes (*neque enim Pater judicat quemquam: ſed omne judicium dedit Filio*, quoniam Filius hominis eſt, ut homo homines judicaret) hanc ipſe Deus & homo Chriſtus promittit puro homini Petro: ut ſi timet accedere peccator homo ad judicium Dei hominis ſine peccato, ſaltem vel cathedram peccatoris hominis non perhorreſcat. Et quod majus eſt, vitæ claves promittit homini; mortis autem ſibi reſervat, ut ipſe ait *in Apocalypſi: Ego habeo claves mortis, & inferni*. Nolo mortem peccatoris, ad vitam recipiat Petrus; mortem autem peccatoris mihi reſervo. *Ego habeo claves mortis & inferni*; ſed tibi Petre, *tibi* do *claves regni cœlorum*.

Gen. 3.
Mat. 16.
1. Cor. 2.
Mat. 16.
Ibid. 9.
Jo. 10.
Ibid. 5.
Apoc. 1.

II. Verum, licet converſis in Eccleſia peccatoribus, ut ſe ſalvare queant, clementer indulſerit cœli claves Petro: æquiſſime tamen, quemadmodum per Angelum ſuperbos protoparentes olim e paradiſo; ita propriis ipſe manibus obduratos peccatores, perverſos & inflatos hæreticos hodie expulit e Templo, eorum cathedras, doctrinas evertendo, & ſuperbe ſapientes humiliando. P. Auguſtinus (*a*), *in Pſalmum centeſimum ſextum:* Hæretici reprobati ſunt ab Eccleſia Dei: & magis, quia principes eſſe voluerunt, ideo contempti ſunt, & facti ſunt ſal infatuatum projectum foras; ideo conculcantur ab hominibus. Hinc Pſalmiſta: Effuſus eſt contemptus ſuper principes. Cum autem projecti ſunt, & per quæſtiones malignas inquietant nos, propoſitum eſt nobis ex illis, & inquiſitionis ſtudium & timoris exemplum. Unuſquiſque tremit, cum alterum videt ejectum: tamquam ex illius ejectione dicatur illi: Qua propter, qui ſe putat ſtare, videat ne cadat. Proſunt tamen etiam quando projecti ſunt: nam ſi intus eſſent, & tam mali eſſent, nihil de illis prodeſſet. Sed quid eſt? Projecti ſunt? Anathematizati ſunt, ab Eccleſia reprobati ſunt. Paulus: *Sunt*, inquit, *aliqui qui vos conturbant & volunt convertere Euangelium Chriſti. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema ſit*. Et iterum: *Sicut prædiximus, & iterum dico: Si quis vobis euangelizaverit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit*. Principes ſint, docti ſint, magni ſint, quid adhuc dicturus es? Numquid Angeli ſunt? Et tamen, ſi Angelus de cœlo vobis annuntiaverit, præterquam quod accepiſtis, anathema ſit. Quia & ipſe diabolus Angelus de cœlo lapſus eſt; & omnes hæretici, cum pertinacia tuendo ſuos errores, de catholica ejecti, protrudendi ſunt cum apoſtatis Angelis in gehennam.

(*a*)
Mat. 5.
Pſ. 106.
Galat. 1.
Iſaiæ 14.

III. *Ingreſſus in Templum cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes*. Interim, in Templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem tibi Domino Reges tui, fideliter inquam ſervientes tibi, quoniam Deo ſervire regnare eſt; offerent munera. Sed quæ munera, non

Lucæ 19.
Jo. 2.

(*a*) In Pſal. 106. num. 14., unde ſequentia interrupte hauſta ſunt.

boves & oves & columbas; sed sacrificia laudis, munera gratiosa. P. Augustinus (*a*): Sed huic laudi obstrepunt etiam Christianum vocabulum habentes, & diversa sentientes; quos cum mentibus & vendentibus merito Dominus, tamquam feras arundineas increpans, ejecit de Templo. Nam feræ sunt, quoniam non intelligendo nocent, & feræ arundinis sive calami sunt, quia Scripturarum sensum, qui convenienter per calamum significatur, quoniam calamo fit, pro suo errore pervertunt, attestante Petro: indoctos & instabiles pervertere Scripturas ad proprium suum interitum. Significat autem hæreticos. Cum tamen multi sensus Scripturarum sanctarum lateant, & paucis intelligentioribus noti sint; non asseruntur commodius & acceptabilius, nisi cum respondendi hæreticis cura compellit. Quam multi Scripturarum sanctarum sensus de Christo Deo asserti sunt contra Photinum, quam multi de homine Christo contra Manichæum, quam multi de Trinitate contra Sabellium, quam multi de Unitate Trinitatis contra Arrianos, Eunomianos, Macedonianos: quam multi de Catholica Ecclesia toto orbe diffusa, & de malorum commixtione usque in finem sæculi, quod boni in Sacramentorum ejus societate non obsint, adversus Donatistas & Luciferanos aliosque, si qui sunt, qui simili errore a veritate dissentiunt: quam multi contra cæteros hæreticos, quos enumerare vel commemorare nimis longum est, & præsenti discursui non necessarium; quorum tamen sensuum probati assertores, aut prorsus laterent, aut non ita eminerent, ut eos eminere fecerunt superborum ac fastuosorum hæreticorum contradictiones. Interim non vos terreant, Fratres, sunt instar fluviorum, qui dicuntur torrentes, hyemalibus aquis implentur; nolite timere; post paulum transit, decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit, diu stare non possunt. Multæ hæreses jam mortuæ sunt, cucurrerunt in rivis suis, quantum potuerunt decurrerunt. Siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperit, vel quia fuerint.

(*a*) *Psal.67.* *2.Petr.3.*

IV. *Ingressus in Templum, cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes.* Joannis decimo quinto: *Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* P. Augustinus (*b*), super *Joannem Homilia vigesima septima:* Unum ex duobus palmiti congruit: aut vitis aut ignis, si in vite non sit, in igne erit. Sapientiæ quarto: *Confringentur rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.* Hæretici. *In contradictione Core perierunt. Hi sunt nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arboves autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum,* ut ait Thadæus in Epistola sua. P. Augustinus (*c*), *de vera Religione:* Hæretici multum prosunt, non verum dicendo, quod nesciunt, sed ad verum quærendum spirituales homines catholicos exercendo. Teste Apostolo: *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant.* Sic Thomæ Apostoli dubitatio profuit Ecclesiæ. Hæreticorum mala conscientia causa hæresis. Apostolus primo ad Timotheum: *Quam quidem repellentes, circa fidem naufragaverunt.*

Lucæ 19. *Jo. 15.* (*b*) *Sap. 4.* *Judæ.* (*c*) *1. Cor. 11.* *Jo. 20.* *1. Tim. 1.*

V. Est autem mala conscientia hæresis occasio multipliciter. Primo demeritorie. Psalmus: *Exinanite, exinanite,* scilicet diaboli, *usque ad fundamentum,* scilicet fidei, *in ea,* scilicet conscientia. Secundo effective: quia depravatus intellectus per vitium, non detestatur jam ex consuetudine vitium, imo judicat bonum. Perturbat enim intellectum & rationem prava consuetudo adeo, ut dicat jam fornicationem non esse peccatum. Isaias: *Væ, qui dicitis bonum malum: ponentes tenebras lucem.* Tertio: quia malus non vult esse ultorem sui peccati Deum. Ideo sic consolatur seipsum dicens: Forte non est alia vita, forte non est infernus, forte non est ultio. Psalmus: *Quomodo scit Deus, aut si est scientia in Excelso?* Job: *Circa cardines cœli ambulat, nec nostra considerat.* Item: quia peccatum lumen Dei prohibet ad animam. Job: *Ipsi rebelles fuerunt lumini.* Secunda causa hæreticandi est superbia, quia scilicet multum credunt suo intellectui, ut P. Augustinus, qui volebat humana ratione comprehendere quæ sunt fidei. Inde est quod nolunt subjicere suum intellectum determinationi Doctorum, & Ecclesiæ. Hæretici tunicam Christi inconsutilem Ecclesiam dividunt. Apostolus, contra hæreticos: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem;* scilicet, Ecclesiæ Christi. Isaias: *Ite ad gentem convulsam, & dilaceratam,* scilicet morsibus hæreticorum. *Capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineas.* Bernardus (*d*): Hæretici si capiuntur, id est, intelliguntur, statim pereunt. Sufficit eos capere rationibus, id est, eorum errorem intelligere, ne noceant. Docet Helvicus (*e*), *de Proprietatibus verum:* quod pulli vulpium, quando non inveniunt lac in uberibus matris, den-

Psal. 136. *Isaiæ 5.* *Psal. 72.* *Job 22.* *Ibid. 24.* *Philipp. 3.* *Isaiæ 18.* *Cant. 2.* (*d*) (*e*)

(*a*) In Psal. 67. num. 38. & 39., cujus sunt verba, quæ hic a S. Oratore afferuntur usque ad periodum, *quorum tamen sensuum probati assertores,* licet non eadem orationis serie, qua apud S. Patrem leguntur.

(*b*) In Joann. Euang. tract. 81. num. 3.

(*c*) De vera Relig. cap. 15. *Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiam si essent in Ecclesia, nihilominus errarent. Cum autem foris sunt plurimum prosunt, non verum docendo quod nesciunt, sed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum spirituales catholicos excitando.*

(*d*) Serm. 65. in Cant., qui totus est de hoc argumento.

(*e*) Scriptor est Germanus, qui claruit seculo XIV. Ejus libri de *Similitudinibus rerum* citantur a Gesnero in Biblioth.

dentibus laniant ubera matris. Sic hæretici, non reperientes lac in Scripturis, laniant Matrem Eccleſiam, non intelligentes Scripturam. Hæretici deſignantur per illas locuſtas exeuntes de profundo, quibus data eſt poteſtas. Et per ſcorpiones habentes aculeos in caudis, de quibus in Apocalypſi legitur. Hæretici ſunt Achan de incendio Jericho reſervantes purpuram, id eſt, ſuperbiam. Et linguam auream; quia omnibus hæreticis commune eſt eſſe ſuperbos intellectu, & loquaces, & politos eloquio, & ſic perſuadent ſua eloquentia. Sunt etiam velut angues fluidi, varii, inconſtantes, ut capi vix poſſint. P. Auguſtinus (*a*), *in libro de utilitate credendi*. Hæreticus eſt, qui alicujus temporalis commodi & maxime gloriæ, principatuſque ſui gratia, falſas & novas opiniones gignit, & pertinaciter defendit, vel ſequitur. Thadæus Apoſtolus: *Væ illis; errore Balaam mercede effuſi ſunt*. Beda (*b*): Errore Balaam pereunt, qui amore terreſtrium commodorum, veritatem quam norunt, impugnant, & hoc contumaciter. Alexander de Ales (*c*): Tria faciunt perfectam hæreſim, ſcilicet: falſa credulitas, perverſa voluntas, & pertinax defenſio. Petrus de Tarantaſia (*d*) ait: Hæreſis habet initium in ratione, & complementum in voluntate. Secundum Hieronymum (*e*), ex verbis inordinate prolatis incurritur hæreſis. Hæreticorum, quidam manifeſti ſignificantur per Magog, id eſt, detectum. Alii occulti ſignificantur per Og, id eſt, tectum. Quidam habent errores, quidam ſunt pertinaces, quidam relapſi, quidam hæreſiarchæ. Quatuor perſecutores Eccleſiæ, ſcilicet: Pſeudo-Apoſtoli, tyranni, hæretici, hypocritæ, deſignantur per quatuor beſtias Danielis *ſeptimo capite, verſu tertio*. Abraham abegit aves a Sacrificio. Aves hæretici ſunt, abigendi ſunt; maculant enim omnia, philoſophica doctrina ſua. Sed veniet ignis judicii, & tranſiet in diviſiones. Quia ubi diviſum eſt cor, culpa vix carere poteſt. Examinabit ergo igne ille diviſiones, ſi recte, & purgabit. Qui ſimul totus, & non diviſus, non judicabitur, ſed judicabit cum Chriſto.

Apoc. 9. *Joſue 7.* *Dan. 7.* *Gen. 15.* *Judæ.* (*a*) (*b*) (*c*) (*d*) (*e*)

VI. *Ingreſſus in Templum, cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes*. In Eccleſia Dei peſſima eſt venditio quædam & impia: qua ſcilicet peccator vendit Chriſtum leviſſimo pretio. O quam modicum te facimus Domine? Pro argento, pro momento delectationis oblato a dæmone facile te vendimus. Accuſamus Judam, & idem facimus, committimus quotidie. Non mirandum, ſi cum graviſſimis tormentis, aut pro magno regno, victi cupiditate, licet malum, eſſet excuſatio. Attamen, quid dicere poſſumus, qui pro nihilo te tradimus ex contemptu? Heu! Heu! Maxima tua venditio in Templo eſt, & a tuis Sacerdotibus. Chriſtus hodie venalis eſt, in Eccleſia venduntur beneficia. Gregorius (*f*): Pervenit ad nos, quod in aliquibus partibus nullus ad ſacrum Ordinem ſine commodi datione perveniat. Quod ſi ita eſt, flens dico, gemens denuntio: Quia cum Sacerdotalis Ordo intus cecidit, foris quoque diu ſtare non poterit. Scimus quippe ex Euangelio, quid Redemptor noſter per ſe ipſum fecerit: quia ingreſſus Templum, *cathedras vendentium columbas evertit*. Columbas enim vendere, eſt de Sancto ſpiritu, quem Deus omnipotens conſubſtantialem ſibi per impoſitionem hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi malo, jam innuitur, quid ſequatur: quia qui in Templo Dei columbas vendere præſumpſerunt; horum Deo Judice cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in ſubditis cum augmento propagatur. Nam ipſe quoque, qui ad ſacrum Ordinem perducitur, jam in provectus ſui radice vitiatus, paratior eſt aliis venundare, quod emit. Et ubi eſt, quod ſcriptum eſt: *Gratis accepiſtis, gratis date?* Et cum primum, ſimoniaca hæreſis ſit exorta contra ſanctam Eccleſiam: cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum, quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit, ut hæreticus fiat? Hanc ergo nefandiſſimam pravitatem, ſancta univerſalis omnino damnat Eccleſia. Et hortatur, ut tam deteſtabile, & tam immane peccatum de locis omnibus expellatur.

Luc. 19. *Mat. 26.* *Ibid. 21.* *Ibid. 10.* (*f*)

(*a*) Lib. de utilit. cred. cap. 1. initio.

(*b*) In Epiſt. Judæ cap. 1. *Et errore Balaam effuſi ſunt, qui pro amore terreſtrium commodorum, veritatem, quam ipſi norunt, impugnant.*

(*c*) Summæ Theol. part. 2. quæſt. 161. memb. 1. *Tria enim concurrunt ad perfectam hæreſim, ipſa falſa credulitas, quæ eſt ex parte rationis; & perverſa voluntas, quæ eſt ex parte concupiſcibilis; & pertinax defenſio, ſive impugnatio ex parte iraſcibilis.*

(*d*) Qui ad ſummum Pontificatum evectus, Innocentius V. appellatus eſt. Plurima ſcripſit.

(*e*) Ad Pammach. Epiſt. 38., alias 61. *adverſus errores Joannis Jeroſolymitani*, non procul ab initio.

(*f*) Uſque ad ea verba, *provehendo agit, ut hæreticus fiat*, Gregorii ſententiæ ſunt ex lib. 5. Epiſtolarum, epiſt. 53., quæ referuntur a Gratiano C. 1. q. 1. can. 118.

IN DOMINICAM X. POST PENTECOSTEN

CONCIO.

DE VITIO SUPERBIÆ.

Qui se exaltat, humiliabitur. Lucæ 18. v. 14.

CONCIO XCVI.

I. DUo dicemus de superbia; scilicet: quid sit, & quam grave & horribile peccatum sit. Superbia, juxta S. Thomam (*a*), est immoderatus appetitus propriæ excellentiæ. Nam, sicut avarus pecuniam, & gulosus cibum, & carnalis voluptatem, & iracundus vindictam; sic superbus appetit excellentiam & honorem. Et hoc inordinate & excessive utrumque sibi ascribit. Unde dicitur superbus, ab excessu, nam *superbire, est super statum ire*. Unde superbia consistit in tribus excessibus: quia se multum reputat, & vult ab aliis æstimari multum, & audet multum, & aggreditur. Primum, elatio: secundum, ambitio: tertium, præsumptio. Superbus complacet sibi in semetipso, & superbit in oculis. Secundo vult æstimari ab aliis. Tertio ex hac reputatione nihil tam altum, quod non præsumat; nam ad omnia se sufficientem credit. Et sic, ponuntur tres species superbiæ. Elatio, ambitio, præsumptio.

(*a*)

(*b*) Gregorius (*b*) ponit quatuor species. Prima: quando æstimat se quis amplius quam est, & quam habet: de qua Apostolus: *Si quis æstimat esse aliquid cum nihil sit, ipse se seducit*. Hæc est arrogantia. Secunda: quando existimat se habere quod non habet, & quod habet putat se habere a se; de qua Psalmus: *Qui dixerunt linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt; quis noster Dominus est?* Tertia: quando putat se habere a Deo, sed suis meritis. Quarta: non suis meritis, sed gratis, & tamen super reliquos cum contemptu aliorum. Hæc in Pharisæo: *Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut cæteri hominum*. Contra has quatuor species superbiæ, in Psalmo: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me*. Et est superbia duplex; spiritualis, & carnalis. Nam, quidam de bonis spiritualibus superbiunt, quidam de temporalibus. Prima major est, & periculosior est. Hæc superbia est omnium vitiorum maximum, & periculosissimum. Quod sit maximum. In Psalmo: *Et emundabor a delicto maximo:* Glossa; id est superbia. Sed hoc, prima facie non apparet: nam, quod peccatum est, si ego me ipsum reputo, si de me bene sentio, si cupio honorari, salutari in foro, &c.? Si in bonis operibus, quæ facio, volo apparere bonus, dando aliis bonum exemplum? Si bonus sum; quid magnum si volo haberi, qui sum? Et quid magnum cum sim virtuosus, si honorem cupio? Quod meum est cupio, quia honor est præmium virtutis: & si in his peccatum est, videtur veniale esse. Noli ita dicere: magnum peccatum est superbia. Vis hoc videre? Ex duobus poteris conjecturare. Primo: ex punitione. Quid enim dejecit Luciferum de cœlo cum aliis, & ex Angelo fecit diabolum? Superbia. Quid ejecit Adam de paradiso, & ipsum & totam ejus progeniem morti condemnavit, nisi superbia? Heu! *Incurvati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus!* Quantum putas Deo displicet superbia, quæ sic punitur? Secundo: apparet ex remedio. Nam sæpius justos suos ad curandum superbiam, Dominus permittit cadere in luxuriam; ut sic humilientur, & sanentur. Unde Psalmus: *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum*, id est, ex inflicto vulnere humiliando sanasti: sic tumor aliquando vulnere curatur. Gregorius (*c*) super illud Job: *Balteum regum dissolvit*. Infelix morbus, cui talis adhibetur medicina. Atrociissimum vulnus, quod alio tam grandi vulnere curatur. Ex his satis apparet magnum esse peccatum superbiam.

Psal. 18.

Isaiæ 14. *Gen.* 3. *Rom.* 5. *Habac.* 3.

Psal. 88.

(*c*) *Job* 12.

II. Sed ejus malitia non innotuit: hanc ostendamus. Superbus magnam Deo facit injuriam. Nam, gloriam Dei usurpat, Deum negat, qui contra Deum rebellat, contemnit

Galat. 6.

Psal. 11.

Lucæ 18.

Ps. 130.

(*a*) 2. 2. q. 162. art. 1. 2. & 4.

(*b*) Moral. lib. 23. cap. 6. *Quatuor quippe sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur: cum bonum aut a semetipsis habere se æstimant: aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant: aut certe cum jactant se habere quod non habent: aut despectis cæteris, singulariter videri appetunt habere quod habent.*

(*c*) Moral. lib. 11. cap. 13. *Qui membrorum suorum motus bene regere sciunt, non immerito reges vocantur. Sed cum de ipsa continentia elatione mens tangitur, plerumque Omnipotens Deus, ejus superbiam deserens, hanc in immunditiam operis cadere permittit.*

nit Deum, vult esse similis Altissimo sicut
Isaiæ 14. Lucifer. Dices: Absit, absit. Nam etsi cum hominibus superbus sim, cum Deo omnium Domino quis superbiat? Attende. Ego tibi ostendam. Parum tibi videtur, cum facis eleemosynam, vel aliud opus bonum, quod de illo gloriaris tamquam de tuo? Hæc grandis iniquitas, & injustitia. Feciſtine tu illud? *Numquid gloriabitur ſecuris contra eum*
Ibid. 10. *qui ſecat in ea?* Aut calamus de scriptura? Aut acus de labore? Aut penicillus de imagine? Nonne tu instrumentum es, & Deus
Ibid. 26. Author? Isaias: *Omnia opera noſtra operatus es nobis*. Si bonum opus est, a Deo est. Hoc ergo agens gloriam Dei usurpas, & Deum negas. Job: *Si vidi ſolem cum fulgeret, &*
Job 31. *lunam incedentem clare: Et lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam. Quæ eſt iniquitas maxima & negatio contra Deum altiſſimum*. Non dictis, sed factis Deum negas; sicut ait Apostolus: *Con-*
Tit. 1. *fitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.*
Num. 15. *Anima, quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit, delebitur:* Secundo: superbus, rebellat contra Deum; nam non vult divinis obtemperare mandatis, non vult subjici Deo, non vult regi aliqua lege, sed propria voluntate. Vult esse liber sicut Deus, & cum omnia Deo obediant, Angeli, cœli, terra, maria; solus vult esse exemptus a Deo, & tollit obedientiam Deo. Quanta iniquitas! Non recognoscit superiorem pulex, & formica, vermis de terra. Præcipit Deus, fac hoc: nolo. Minatur infernum: non curat. Flagellat & percutit: & pertinax est. Non solum hoc, sed gloriatur, & ridet in peccatis. Job: *Vir vanus in ſuperbiam erigitur,*
Job 11. *& tamquam pullum onagri ſe liberum natum putat*. Currit contra Deum extento collo,
Isaiæ 3. & pingui cervice armatus est. Sicut enim
Ibid. 14. primus Angelus; sic etiam vult similis esse Altissimo, ut nullam habeat legem, nisi solam voluntatem suam. Vult sibi esse Deus, ut faciat quod vult, in hoc nequiter imitans Deum. Sed miser ubi putat reperire libertatem, ibi reperit durissimam servitutem: ubi sperabat solatium, ibi reperit intolerabile tormentum. Nam nullum majus pondus, quam pondus propriæ voluntatis. Unde Job: *Quare poſuiſti me contrarium tibi,*
Job 7. *& factus ſum mihimetipſi gravis?* Bernar-
(*a*) dus (*a*) exponens hoc, ait: Hoc quippe ad æternam, justamque Dei legem pertinuit, ut qui noluit a Deo suaviter regi, propriæ voluntatis importabile onus sustineret. P. Au-
(*b*) gustinus (*b*): Jussisti Domine, & ita est, ut omnis inordinatus animus sibi ipsi esset pœna. Videas certe, quanta sit superbi contra Deum rebellio, quanta perversitas, & iniquitas. Sed etiam proximo injuriosus est; propterea Deo & hominibus odibilis est superbia. Nam omnes pessundat, omnes contemnit, omnibus vult præponi, omnibus vult dominari; solus sibi placet, omnes displicent, solus vult honorari, solus timeri; omnes deprimit, de omnibus murmurat, omnibus subsannat; insuper, ad pompam sustinendam pauperes spoliat, sicut scriptum est: *Dum ſuperbit impius, incenditur pauper*. *Eccli. 10.* *Pſal. 10.*

III. Non solum superbia magnum peccatum est, sed initium & radix omnium peccatorum. Nam superbus ad sustinendam pompam avarus est, & invidus, quia neminem vult sibi æquari. Est iracundus valde, si quis eum tangat. *Tange montes & fumigabunt*. Est gulosus, amplas habens mensas ad fastum. Est etiam acedus; nam, dum se bonum satis æstimat, non procurat proficere; & cum sit avarus, est prodigus propter fastum. Omitto nunc pertinaciam, inobedientiam, hypocrisim, contentionem, & cætera vitia, quæ ex superbia, quasi ex propria matre & fonte, procedunt. Unde Psalmus: *Superbi inique agebant uſquequaque*. Denique, sicut ait Gregorius (*c*): Nullum majus signum prædestinationis, quam humilitas; & reprobationis quam superbia. Nam superbus, filius est diaboli, sicut ait Job: *Ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ*. Unde contra hanc solum facimus professionem in Baptismo. Est etiam superbia vitium periculosissimum propter tria. Primo, quia occultum: nam alia vitia manifesta sunt, ut gulosus, avarus, iracundus. Sed interdum, sumus usque ad oculos in superbia, & nescimus. Est enim vitium spirituale, & sub specie humilitatis, & ovina pelle latet sæpe in anima occulta quædam elatio, & ambitio luciferina. Apostoli gaudebant dicentes: *Dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo*. Dominus repressit dicens: *Videbam ſatanam*. Cavete: elatio est, superbia est. *In hoc nolite gaudere:* sed, *quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis*. Unde sæpius ipsa Dei dona, & virtutes, non propter Deum, sed ex superbia ad propriam excellentiam quærimus; quod ex eo patet, quod habentibus invidemus, & erubescimus esse minores. Unde liquet, quod non ex amore Dei, sed ex appetitu propriæ excellentiæ eas optamus. Quisnam non cupit esse magnus, & singularis? Secundo, est periculosum; quia publicum: non enim de superbia sicut de aliis vitiis erubescimus; imo de ipsa nos jactamus, parantes & ostentantes vestes, domos, abacos, tapetes, & alia, quæ ad fastum pertinent: publice jactantes nos de dignitatibus, & divitiis, & generatione, & amicitia, & po-

Eccli. 10. *Pſ. 143.* *Pſ. 118.* (*c*) *Job 41.* *Mat. 7.* *Luc. 10.* *Ibidem.*

(*a*) Epist. 11. num. 5. *Hoc quippe ad æternam, justamque legem Dei pertinuit, ut qui a Deo noluit suaviter regi, pœnaliter a se ipso regeretur: quique sponte jugum suave, & onus leve charitatis abjecit, propriæ voluntatis onus importabile pateretur invitus.*

(*b*) Confess. lib. 1. cap. 12. *Jussisti enim, & sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.*

(*c*) Moral. lib. 34. cap. ult. *Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, & Leviathan iste Rex dicitur superborum, aperte cognoscimus, quod evidentissimum reproborum signum superbia est, at contra humilitas electorum.*

poteſtate. Unde, quo remotius eſt a dolore hoc vitium, & pudore; eo longius eſt a curatione. Et ita non emendamus nos, ſicut ab aliis, de quibus pudet. Job: *Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit*. Pſalmus: *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper*.

Job 15. *Pſal.* 73.

IV. Tertio, eſt periculoſum; quia ultimum: eſt enim primum, quod aggreditur hominem, ut ait Gloſſa (*a*): & ultimum quod deſerit. Cum omnia viceris vitia, tunc novum erit de victoria certamen cum ſuperbia; & cum jam liber evadis, tunc durius, & periculoſius bellum oritur. O magnus labor, grandis miſeria hominum, cum deſivit homo, tunc incipit. Cum bonus fueris, & perfectus, cum omnibus bonis, & virtutibus abundaveris, de hoc ipſo maxime formidandum eſt, quia bonus es: tunc magis de ſuperbia timendum eſt. Hoc enim vitium, quia in cœlo primo inventum & formatum eſt, cœleſtes maxime aggreditur mentes. Quis ſanctior Paulo? Cui tamen, cum non erat colluctatio adverſus carnem & ſanguinem; etiam poſt deambulatum cœlum, ne revelationum magnitudine extollatur, datus eſt ſtimulus carnis, qui eum colaphizet & humiliet, ne ſuperbia vinceretur. Quis a ſuperbia ſecurus, ſi Paulus non eſt ſecurus? Hoc enim Dominus ordinarie facit in Sanctis ſuis, ut ait Gregorius (*b*). Nam cum multa vitia grandia ſuperaverint, relinquit in eis quoddam parvum vitium infirmitatis, quod nequeunt ſuperare, ad eos humiliandum. Hoc eſt, quod ait Job: *Aquas appendit in menſuram* gratiam donorum. Figura: *Judicum primo*. In populo cui tot hoſtibus ſuperatis, relictus eſt Jebuſæus in medio, ut in eo erudiret Iſrael; ſic ad humilitatem manet iſte Jebuſæus in Sanctis, ut in eo erudiantur, & agnoſcant, quod non propria virtute, ſed Dei gratia, alia vitia ſuperaverint, cum hoc modicum nequeant ſuperare; ſed maneat tributarius. Nam multæ inde utilitates: humilitatis, orationis, & diligentiæ, & ſperandi in ſolo Deo. Videtis quam periculoſum eſt vitium, cum nec perfectiſſimus quiſque ſecurus ſit. Unde Chryſoſtomus (*c*): A cæteris vitiis plurimos cernimus liberos, ab iſto vix aliquis liberatur.

(*a*)

Ephes. 6. 2. *Cor.* 12.

(*b*)

Job 28.

Judic. 1.

(*c*)

IN DOMINICAM XI. POST PENTECOSTEN

CONCIO.

DE EUANGELIO.

Adducunt ei ſurdum & mutum. Marc. 7. v. 32.

CONCIO XCVII. *Marc.* 7.

I. ADDUCUNT *ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas ejus: & exſpuens tetigit linguam ejus: Et ſuſpiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Ephphetha, quod eſt adaperire. Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte*. Fecit lutum, linivit aures, levavit oculos, ingemuit. Ad quid tot cæremonias ſurdo, cum ſolo verbo mortuum ſuſcitavit? Surdi omnes nos; non audimus voces creaturarum Dominum venerantium. Gregorius: Omnia elementa Authorem ſuum teſtata ſunt, Deum cœli eſſe cognoverunt, quia in nativitate ejus ſtellam protinus miſerunt. Mare cognovit, quia ſub plantis ejus ſe calcabile præbuit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis ſuæ radios abſcondit. Saxa & parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus ſciſſa ſunt. Infernus agnovit, quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit. Et tamen hunc quem Deum omnia inſenſibilia elementa ſenſerunt, adhuc obdurati peccatores, audire noluerunt. Nihil peccatore ſurdius. Non lapis, non mortuus, non vel ipſum nihil. Ecce moritur Dominus: clamat in cruce; non audiunt Judæi. Scinduntur lapides, officium cordium exercent. O corda ſaxis duriora! Clamat Dominus *Lazare veni foras*; exit quatriduanus. Et in judicio: *Venit hora, quando mortui*

Mat. 2. *Ibid.* 14. *Ibid.* 27. *Lucæ* 23. *Mat.* 27.

Lucæ 7.

Ibidem.

Jo. 11. *Ibid.* 5.

(*a*) In cap. 15. Job v. 20., ubi illud S. Gregorii affert Moral. lib. 12. cap. 37. *Solent enim electi in quibuſdam ſuis cogitationibus, atque actibus ſuperbire. Sed quia electi ſunt, cunctis diebus ſuis ſuperbire non poſſunt, quia priuſquam vitam finiant, ad humilitatis metum ab elatione corda commutant. Impius vero diebus ſuis omnibus ſuperbit, quia ſic vitam terminat, ut ab elatione minime recedat.*

(*b*) Moral. lib. 19. cap. 6. *Et aquas appendit menſura. Quia Sancti ipſi, qui ſancto ſublevante Spiritu ad ſumma rapiuntur, quamdiu in hac vita ſunt, ne aliqua elatione ſuperbiant, quibuſdam tentationibus reprimuntur, ut nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt: ſed ne extollantur ſuperbia, fit in eis ipſarum quædam menſura virtutum.*

(*c*) Homil. 43. ad popul., quæ tota eſt *de vana gloria, & ambitione*. Vide etiam Homil. 28. in cap. 3. Joann. ſub finem.

tui audient vocem Filii Dei: & qui audierint vivent. In principio creationis, dixit: *Fiat lux, & facta eſt lux:* Ecce ego Domine. Vocavit firmamentum, & de nihilo exiit: Ecce ego Domine. Dixit: Fiat ſol, & factus eſt. Audivit ſub nihilo vocem Dei ſol. *Vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt.*

Gen. 1.

Rom. 4.

II. O peccator! Tu ſolus ſurdus es ad omnem vocem Dei? Iſaias: *Quis ſurdus, niſi ad quos nuntios meos miſi?* Clamat Deus per creaturas, clamat in corde per inſpirationes, & nemo audit, nemo reſpondet. O quantos clamores ſol, & cœlum, & aliæ creaturæ dant! Ait ſol: Ecce ego tam formoſa creatura a principio inditam legem ſervo; ad ſolum nutum ejus omnia vivifico. Cœlum ait: Ego motum & legem ejus quotidie uniformem ſervo. Et tu homo ſolus mandata contemnis? Quid ſine me potes o fragilis homo? Pſalmus: *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis: Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* P. Auguſtinus (*a*): Marſus dum incantat, ut educat aſpidem de tenebroſa caverna: utique in lucem vult educere; illa autem amando tenebras ſuas, quibus ſe involuta occultare dicitur, recuſans etiam audire illas voces, quibus ſe cogi ſentit, allidit unam aurem terræ, & de cauda obturat alteram; atque ita voces illas quantum poteſt, evitans: non exit ad incantantem. Huic ſimiles dixit Spiritus Dei quoſdam non audientes verbum Dei: & non ſolum non audientes, ſed omnino, ut non valeant audire, facientes. Factum eſt hoc in primis temporibus fidei. Stephanus Martyr prædicabat veritatem, & tanquam tenebroſis mentibus, ut eas in lucem educeret, incantabat. Ubi venit ad commemorationem Chriſti, quem illi omnino audire nollent, quid de eis Scriptura dicit? Quid de illis narrat? *Continuerunt*, clauſerunt, inquit, *aures ſuas*. Quid autem poſtea fecerint, paſſio Stephani narrat atque declarat. Non erant ſurdi, ſed fecerunt ſe ſurdos. Quia enim aures in corde patentes non habebant, violentia tamen verbi per aures carnis irruens, etiam ipſis auribus cordis vim faciebat: clauſerunt & aures corporis, & ierunt ad lapides. Ecce aſpides ſurdæ duriores lapidibus, quibus incantatorem ſuum lapidaverunt, non audientes vocem incantantis ſapienter. Quæ de ſurdo, hæc de muto dicta intelligantur. Nam quia ſurdi, ideo muti ad laudes Dei & gratias. Oportet ergo humiliari, levare oculos, gemere, ſuſpirare ut ſenſus aperiantur.

Iſaiæ 42.

Pſal. 57.

(*a*)

Act. 7.

Marc. 7.

III. *Omnia bene fecit.* Bonus Deus non potuit facere niſi bona; quoniam *arbor bona, fructus bonos facit.* Fuerunt autem per ſe ſingula creata bona, & ſimul entia optima propter ordinem univerſi, qui addit ad ſingularem bonitatem decorem nimium. Tangitur hoc in littera Geneſis primo. *Dixit* vero *Deus, fiat lux. Et facta eſt lux. Et vidit Deus lucem quod eſſet bona. Dixit Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum & appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocavit Deus aridam terram, congregationeſque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod eſſet bonum. Et ait: Germinet terra herbam virentem... Et vidit Deus quod eſſet bonum. Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli... Et vidit Deus quod eſſet bonum. Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis & volatile... Et vidit Deus quod eſſet bonum. Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem ... Et vidit Deus quod eſſet bonum.* Ecce quomodo ſeorſim quidem ſingula declarentur bona a Summo Bono. Sed de omnibus ſimul quid dicitur? *Vidit Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona.* Comparatio. Quia licet quælibet chorda inſtrumenti bona per ſe; ſed juncta aliis optimam facit harmoniam. Sic, ſi rerum ordinem cognoſceremus, nihil ſuperfluum, nihil diminutum; omnia ſuis locis & temporibus accommodata, mirabilem faciunt harmoniam. Si motus cœli, & ordinem, & influentias aſtrorum, & inferiorum inde ſurgentium virtutes; optima melodia. Intellexiſti? Gaudium accidentale de hoc Beatis. Quilibet noſtrum ſuorum temporum videt viciſſitudines; quaſi unam chordam tangit: in die judicii, quando omnia luce clareſcent, & rerum diſpoſitiones, & ordo apparebit tunc, tunc mirabilis facies rerum monſtrabitur, & temporum harmonia. Sicut, ſi eſſent hic multæ pulchræ imagines, nec apparerent; incenſo lumine omnes admiraremur. Modo in tenebris ſumus, tunc aperta & occulta cordium pandentur, & judicia Dei cognoſcentur, quæ modo abſcondita ſunt. Unum tamen mirabile ponderat Ambroſius (*b*), quod de ſolo homine non dicitur: *Et erat valde bonum*. Cur hoc de ſpecioſiſſima omnium creatura corporali tacuit Dominus? Quia bonitas hominis, non in fabrica, ſed in opere. Expectavit opus, ut laudaret.

Mat. 7.

Gen. 1.

(*b*)

IV. Sed ſi Deus bene omnia fecit, cur non fecit hominem impeccabilem, aut glorioſum? Nonne melius eſſet Judici, facere ut non eſſent latrones, ſi poſſet, quam parare furcas in ſupplicium latronum? Solutio S. Thomæ (*c*): (*c*)

Deus

(*a*) Uſque ad ea verba, *non audientes vocem incantantis ſapienter*, hauſtum eſt teſtimonium ex Enarr. in Pſal. 57. num. 7. & 8. Notant autem PP. Congreg. S. Mauri ſententiam illam, *Et non ſolum non audientes, ſed omnino ut non valeant audire, facientes*, quæ in editis ita legitur, in MSS. aliter haberi, nempe: *Et non ſolum non facientes, ſed omnino ne faciant audire nolentes*, quam lectionem in textu retinuerunt.

(*b*) Lib. de inſtit. Virg. cap. 3. *Ideo ergo homo non ante laudatur, quia non in forenſi pelle, ſed in interiore homine ante probandus: ſic prædicandus eſt.* Alias ſubinde affert cauſas. De hoc etiam agit idem S. Ambroſius in lib. de Paradiſo cap. 10., aliamque ibi adducit cauſam. Sed has recenſere hic non vacat.

(*c*) Vide S. Thom. 1. part. quæſt. 47. art. 2. ad 1.

Deus fecit res optime, sed non optimas. Potuit enim facere meliores, sed non poterant fieri melius, non ad objecta, sed ad artem attendentes. Perfectior fuisset homo in gratia confirmatus, aut beatus creatus & melior; sed melius fuit fieri viatorem & peccabilem: propter quatuor. Primo, quia sic expediebat homini, ut cooperaretur ad suam beatitudinem, & voluntate, non necessitate bonus esset. Exemplum. Imperator potest filiis dare triumphum; sed non est gratum, neque gloriosum triumphare sine bello, ideo propter hanc gloriam exponitur periculo belli. Secundo, propter Dei Sapientiam, unde est ordo rerum. Quia secundum (a) Platonem (a), Sapientis est ordinare. Decuit enim mala esse in mundo, ut malum oppositum bono, faceret bonum illustrius. Non esset virginitas laudabilis, si nulla esset corrupta. Et sicut nigrum oppositum albo, facit albius, ita malum oppositum bono. Deus ergo mala ipsa sic reordinat, ut faciat ea intra A ordinem bonorum non per se, sed Deo disponente. Exemplum. Sicut, si plueret in facie mulieris modica nigredo vel nævulus; non de se, sed propter ordinem, licet de se sit fœditas, est tamen propter ordinem pulchritudo. Solent etiam boni musici uti falsis consonantiis, & propter artem fiunt optimæ. P. Augustinus, & S. Thomas (b) dicunt, quod malum culpæ, non per se de ordine universi, sed per accidens. Exemplum. Si in vase pulchro Regis invidus frangat ansam auream, & Rex loco ejus, ponat lapidem pretiosum; pulchrius erit vas post fracturam quam ante; B sed fractura malá fuit, quamvis ordinante Rege per accidens secutum est bonum ex malo. Nullum est malum inordinatum, ordinatur per pœnam hic, aut in futuro. Tertio: Ad ostendendam Dei misericordiam, ut incarnaretur. Quarto: Ad ostendendam Dei justitiam, & severitatem, quæ est pars bonitatis Dei (c).

(b)

(c)

IN DOMINICAM XII. POST PENTECOSTEN

CONCIO.

DE AMORE DEI, JUXTA EUANGELIUM.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex omni mente tua.
Lucæ 10. v. 27.

* CONCIO XCVIII.

I. TRIPLEX est dilectio Dei: scilicet, naturalis, acquisita, & infusa. Naturaliter omnia diligunt Deum, tamquam supremum bonum, a quo totum esse dependet. Et sicut aqua ascendit ad evitandum vacuum propter bonum universi contra naturam suam ex inclinatione generali; ita etiam omnia magis diligunt Deum, quam se ipsa, ex eadem inclinatione naturali. Adeo, ut etiam dæmon in inferno licet voluntario odio oderit Deum, in quantum pœnæ inflictorem, tamen naturaliter, ex illa inclinatione generali, & ipse diligat Deum plus quam se ipsum; secundum S. Thomam 1. *parte*, *quæstione* 60., *articulo* 5. *ad* 5. Alia est dilectio acquisita, ex contemplatione creaturarum, beneficiorum, magnitudinis, excellentiæ, & bonitatis Dei. Psalmus: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*, id est: in contempla- *Psal.* 38. C tione Dei accendetur in corde meo amor ipsius. Alia est dilectio infusa, quam Deus prout vult, donat fidelibus suis; quæ charitas nuncupatur, secundum illud Apostoli: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* In omni dilectionis genere Beata Virgo Maria omnes alios excessit. Nam si de acquisita dilectione agatur; ipsa assidue conversabatur cum Domino, & nova indesinenter amoris divini erga se indicia, nova ad eum redamandum incentiva percipiebat, quibus cor ejus magis magisque in dies in ejus amorem ac- D cendebatur atque æstuabat. Similiter, si de infusa loquamur: notum est quo ardore flagrabat, quæ ignem illum Deitatis carne vestivit, & novem mensium spatio in suis visceribus portavit. Ad naturalem autem dilectionem quod spectat; nos hac dilectione solum diligimus Deum, ut opus artificem, ut creatura Creatorem; ipsa vero, ultra hoc, naturaliter eum, ut Mater Filium diligebat: est autem matris amor ad filium uti naturaliffi- *Rom.* 5.

(a) In Timæo.
(b) 1. part. quæst. 19. art. 9.
(c) Interpretationem cap. 28. libri Job a S. Oratore adornatam, quam Bruxellensis Editor ad calcem hujus Sermonis apposuit, post Conciones omnes recudendam reservare opportunum magis judicavimus.

liſſimus, ita & fortiſſimus; adeo ut, etiamſi filius ſit turpis, & omnino abominabilis aliis appareat, tamen mater ipſum diligit, urgente ac inſtigante natura. Quantum ergo putas illam dilexiſſe talem ac tantum Filium? Igitur, ſi in hoc mundo umquam aliqua creatura, quæ toto corde, tota anima, totis viſceribus, tota mente Deum dilexit, ut dicit thema: illa fuit. Bernardus (*a*) *ſuper Cantica:* Eſt, inquit, etiam ſagitta electa amor Chriſti, quæ Mariæ animam non modo confixit, ſed etiam pertranſivit, & ſic totam undique pervaſit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore reliquerit; fueritque proinde Virgo dilectione & charitate pleniſſima, uti fuit & gratia. Ut ergo de hac ejus plenitudine vel modicum nobis conferatur, offeramus ei conſuetum obſequium ſalutationis Angelicæ:

Luc. 10.

(*a*)

AVE MARIA.

II. Audiſtis Fratres chariſſimi, Dominum in Euangelio inſtruentem Apoſtolos ſuos, & ad ſui notitiam convertentem. Quoniam enim præſentia corporis infirma videbatur, & ipſe inter filios hominum abjectio plebis & humilis apparebat; ne ipſa ejus infirmitas, fidei, qua Deus credendus erat, & pro Deo colendus, obſtaret; quaſi ad ſuæ excellentiæ magnitudinem eorum obtutus elevans, ait: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* O ſi ſciretis quis eſt hic tam infirmus, qui vobiſcum comedit, vobiſcum incedit, vobiſcum fameſcit & friget! Certe major Jona hic & pluſquam Salomon hic. Virtus enim Dei & Sapientia Patris & Conditor ſæculi eſt, quem habitu iſto corporis videtis indutum. *Beati* ergo *oculi, qui vident quæ vos videtis.* Quid enim videtis? Deum in carne, ſolem in nube, Dei virtutem in carnis infirmitate. Et ſi beatos facit oculos videre Deum in carne corruptibili, quanto beatiores qui vident in carne glorioſa? Et ſi præſentia corporalis beatificat in terris, præſentia Deitatis quanto felicius eos beatificat in cœlis? *Dico enim vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.* Iſtius teſtimonium eſt in Propheta, qui ait: *Quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis ſtabit ad videndum eum?* Multi ergo præcedentes hoc deſideraverunt, ſed & nos ſequentes, quantum vellemus vidiſſe Deum inter homines commorantem, cum hominibus converſantem, verba vitæ proferentem, miracula & ſigna facientem? Quis non totum mundum daret pro una hora qua frueretur Chriſto? O felices Apoſtoli! O vere beati oculi qui hoc meruiſtis! O tempora ſacrata! O ſæcula & temporum plenitudo, in qua tam altum & mirabile ſacramentum hominibus apparuit viſibile! Dum hæc dicerentur a Domino, offert ſe legiſ-peritus, magnam & utiliſſimam quæſtionem Domino proponens, ſalutiferum conſilium petens. Attendite Fratres mei, pro omnibus conſulit Dominum hic Phariſæus. Quid enim aliud tu ipſe a Domino quæreres, ſi præſentem haberes, quam quod iſte petit? *Magiſter,* inquit, *quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Hoc eſt, quod omnes affectamus ſcire, hoc eſt, quo tota noſtra fertur intentio. Attente ergo audite & diligenter implete. Audite ipſam Veritatem, viam vitæ, viam ſalutis certiſſimam & rectiſſimam oſtendentem. Quid putatis reſponſurus eſt Dominus? Vita æterna quantum bonum eſt! Quam jucundum frui Deo æternaliter, Angelis aſſociari, perpetuo gaudio frui, habere quidquid velis, & velle quidquid habes! Carere omni malo, abundare omni bono, ſuper ſidéream illam regionem in ſpecioſo & luminoſo illo cœlorum thalamo ſine fine regnare, ſine ſolicitudine vivere, ſine timore verſari. Non ibi fames, non ſitis, non languor, non inimica mors, non denique aliqua triſtia mentis claritatem obnubilat. Non eſt ibi dæmon qui paret inſidias, non qui tendat laqueos, non qui exterreat. Non eſt qui decipiat, quia omnia in illo lucidiſſimo ſpeculo Deitatis ſimplici videntur intuitu, ſine circuitu ratiocinantis apparent, ſine aliquo diſcurſu ſciuntur. Non ibi tenebræ, non ignorantia, non involucrum aliquod falſitatis; omnia in propria veritate vera, & veritas ipſa ſunt. Pro tali igitur & tam felici ſtatu adipiſcendo, quid non pati paratus eſt animus? Quid aſperum, quid difficile, quid durum poterit apparere? Quid non faciet, quid non patietur homo, ut talem poſſideat hæreditatem? Propone Domine quod vis, ſive mortem, ſive dolores, ſive martyria, ſive pœnitentias, ſive ſudores, ſive inediam, famen, nuditatem, labores, anguſtias; *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Habacuc: *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat. Ut requieſcam in die tribulationis: ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum.*

Luc. 10.

Pſal. 56.

Habac. 3.

III. Hic omnia quantumvis aſpera pro vita æterna ſuſtinere parati ſumus. Sed o miſericordiſſime, o benigniſſime Jeſu quam ſuave eſt onus tuum! Et quam leve jugum legis tuæ! Attendite quid ad vitam æternam obtinendam petat a nobis? Videte quid vos oporteat pati. *In lege,* inquit, *quid ſcriptum eſt? quomodo legis?* Ad legem remittit legiſ-peritum, ut legi præbeat authoritatem. *Diliges,* ait, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum*

Luc. 10.

Mal. 12.

Luc. 10.

Ibidem.

Malach. 3.

Luc. 10.

(*a*) Serm. 29. in Cant. num. 8. *Eſt etiam ſagitta electa amor Chriſti, quæ Mariæ animam non modo confixit, ſed etiam pertranſivit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret, ſed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & eſſet gratia plena.*

mum tuum ſicut te ipſum. Dixitque illi: rectè reſpondiſti: hoc fac & vives. Ama, & vives. Hic omnis labor eſt, ut ames. In amore ergo vita noſtra, & ſalus noſtra tota conſiſtit. Si delicatus es, ſi labores & ſudores non vales tolerare, numquid non poteris amare? Ama, & poſſide. Dilige Deum, & obtine cœlum. O dulcis commutatio! Tam exiguo & grato pretio emitur tam glorioſa poſſeſſio. Si te amavero, dabis te mihi. O Domine, amabo ego te, etiamſi nihil conferas pro amore. Imo, etiamſi æternos cruciatus pro tua dilectione ſuſtinere deberem, non poſſem non amare te. Ut quid enim ego non amabo Conditorem meum, Patrem meum, Magiſtrum meum, Regem meum, Redemptorem meum? O anima mea, numquid habes, unde tepiditatem tuam excuſes? Dic, obſecro, quiſnam alius pro te mortuus eſt? Quis alius ſe obtulit pro te in pretium? Quis alius ſe tibi dedit in cibum? Quis alius ſe promittit in præmium? Quo alio conditore formata? Quo alio liberatore redempta? Quo alio directore ſalvata es? Cui amplius debes? Quis te plus diligit? Quis dignior amari? Quis fructuoſius amatur? Quis te ferventius amat? Reſponde mihi, ſi vales. Quid in opere quæris, quod non reperias in artifice? Si pulchritudo te afficit; pulchritudo *& decor indumentum ejus.* Si honore, ſi divitiis delectaris; gloriæ, *& divitiæ in domo ejus.* Si delectationes juvant te; *delectationes in dextera ejus uſque in finem.* Si rejectis corporeis bonis, animæ bona magis placent, & ſapientia, vel virtus, vel ingenii acumen te alliciunt; quo alio niſi Deifico lumine iſta poſſidentur? Quid ad hæc reſpondere poteris? Quænam poteſt eſſe excuſatio tanti torporis? Dic: quare faſtidis ſummam gloriam, ſupernam quietem, ſupremam felicitatem? Cur amorem ipſum, te amantem abhorres? Fugis enim & quærit te, ſpernis eum & allicit te, repellis eum & amplectitur te, offendis eum & ſuſtinet te, avertis oculos ab eo, & ipſe ſe objicit in proſpectum tuum. Si recedis, trahit te, ſi corruis, ſublevat te, ſi devias, corrigit te. O miſera, o cæca, o lenta, o duriſſima! Quid ſtas? Quid hæres? Quid friges? Cur tam lento gradu ad vitam tendis? Et quis iſte tam fervidus, tam fidus, tam ſedulus amator tui? Angelorum gloria, Conditor ſæculi, Dominus univerſi; cui omnia quæ in cœlo ſunt, & quæ in terra, & quæ in abyſſo genuflectunt. Et tu ſola eum contemnis! Videte Fratres mei, quantam facimus injuriam Conditori. Ecce amor in vili perſona vilis non eſt. Si te ſervus tuus diligit, & non diligitur; injuriatur, quia ei non rependis amorem: ſi ergo diligentem ſervum non diligere injuria eſt, diligentem & amore ferventem Creatorem non redamare, quam impium? Quanta injuria fit Creatori, ſi amans non redamatur? Et quanta injuſtitia eſt ei, qui dedit unde poſſes eum diligere, tributum dilectionis negare? Si ergo cætera deſunt vitia, & fur non ſis, neque adulter, neque homicida; ſatis tu offenſor es Dei tui, ſi tepidam agas vitam; uſque adeo, ut Deus nonnumquam permittat homines tepidos cadere in enormia vitia, ut peccato quaſi quodam aculeo, a torpore ipſo & gelicidio tepiditatis excitentur. Pſalmus: *Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum, Domine.* In quo ſenſu intelligi poteſt illud Apocalypſis: *Utinam frigidus eſſes, aut calidus: ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.*

IV. Sed dices: Quomodo ergo poterimus fugere illam tepiditatem, & acquirere amorem Dei? Reſpondeo: certum eſt quod ex tenebris intellectus naſcatur cordis tepiditas. Nam ſi homo videret, quanta ſit Dei bonitas ſuper ſe, & continua beneficia quæ recipit a Deo; non poſſet eum non diligere. Pſalmus: *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ:* id eſt, cordi terreno, *commota eſt & contremuit terra.* Ut vidit, *commota eſt terra.* Ad commotionem ſatis eſt ſi videat. Quomodo autem iſta lux quæri poterit: Iſaias capite 58. oſtendit dicens: *Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes; dimitte eos qui confracti ſunt, liberos, & omne onus diſrumpe... Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adſum. Si abſtuleris de medio tui catenam.* Primum eſt cordis puritas: quando dicitur: *Si abſtuleris de medio tui catenam.* Secundum eſt libertas animi ab amore ſæculari. Ibi: diſrumpe *colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes, dimitte eos liberos, & omne onus diſrumpe.* Eſt enim amor rei temporalis pondus injectum cervicibus animæ, & deſideriis cordis, non ſinens eam aſcendere ſurſum ad ſuum finem, ad quem ſuapte natura inclinatur. Solve igitur deſideria, tolle onera amorum deprimentium, & ipſa ſtatim naturali impetu in ſuum principium evolabit. Tertium eſt, ut prius te exerceas in amore proximi, ut diſcas amare Deum. Joannes: *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Iſta tria ſunt quibus maxime animus in Deum levatur, & ardor amoris Divini acquiritur. Sequitur enim: *Cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit, & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.* Deus autem diligitur *toto corde*, ſi omnis affectio animæ ad ipſum tendat; *tota anima*, ſi omnis ſenſus corporis ſervitio Dei deſerviat; *totis viribus*, ſi omnis operatio exterior ad ipſum dirigatur; *tota mente*, ſi omnis cogitatio ad ipſum ordinetur; denique totum te debes impendere in

ejus

Prov.31. Pſ. 111. Pſal.15. *Philipp. 2.* *Pſal.82.* *Apoc. 3.* *Pſal.76.* *Pſal.96.* *Iſaiæ58.* *1. Jo. 4.* *Iſaiæ58.*

ejus amorem: ut omnis cogitatio, omnis affectio, omnis sensus, omne opus tuum tendat in Deum, & impleatur illud Apostoli: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Et iterum: *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.*

1. Cor. 11.

Coloss. 3.

V. Sed dices: Si Deus toto corde diligendus est, quomodo ergo proximus diligendus est? Videtur enim repugnantia: quoniam si Deus totum cor occupat, & totum sibi vindicat amorem, non erit ergo amoris portio, quæ proximo tribuatur; alioquin divisus est amor, & non toto corde diligit, cujus cordis portio in alium applicatur. Solutio. Dabo tibi modum, quo Deum toto corde diligas, & omnia diligas. Modus iste est; diligere Deum in omnibus & omnia propter Deum; & solum Deum diligis. Qui ergo Deum diligit in proximo, & proximum propter Deum, solum videtur Deum diligere, nec divisus est amor; quoniam ubi unum propter alterum, ibi tantum unum est. Si quis autem proximum alia ratione diligat, & non propter Deum, hic jam de corde subtrahit Deo, quod applicat proximo, nec totum amoris impetum rejicit in Deum, nec talis amor proximi charitas est; quoniam, ut ait (a) Bernardus (a): Amor proximi si charitas sit, neque a proximo incipit, neque in proximo finitur: nec proximus charitatis principium est, neque finis. Exemplum. Si amas proximum quia cognatus est, quia socialis est, quia utilis est; non est a Deo talis amor, nec charitas. Si autem ipsum diligis, quia bonus est, quia Deo servit, & hoc ei cupias, ut Deo fruatur, & Deo serviat; charitas est.

(a)

(b) VI. Dionysius (b): Bonum & pulchrum omnia desiderant. Deus autem summum bonum, summa pulchritudo est. P. Augustinus (c) *de Trinitate:* Cum ista non diligantur, nisi quia bona sunt, pudeat non amare bonum ipsum a quo omnia bona sunt. Diligamus ergo id quo nihil est melius. Item amandus est Deus propter donum. Bernardus (d) *super Cantica:* Valde mihi amandus est, per quem sum, & vivo, & sapio; si ingratus non sum & indignus. Qui tibi Domine recusat vivere, mortuus est, & qui tibi non sapit, desipit, & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. *Deum time, & mandata ejus observa: hoc est omnis homo.* Ergo absque hoc nihil est homo. Et de diligendo Deo idem Bernardus (e): Quid ego, qui Deum meum teneo non solum vitæ meæ gratuitum largitorem; sed etiam largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem, copiosissimum redemptorem, æternum conservatorem & glorificatorem? Psalmus: *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus adjutor meus, protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.* Numquid pro his omnibus juste diligam te? Imo, numquid pro his diligam te, & non magis pro te ipso diligam te? Justissime qui plantat arborem colligit fructus ejus, teste Apostolo: Oportet agricolam de fructibus edere. *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit?* Qui ergo plantavit in me voluntatem, non colliget dilectionem? Qui mihi præbuit facultatem diligendi, non juste exiget tributum amoris? Omni hora diligendus est Deus, & omni momento: P. Augustinus (f) *in Soliloquiis:* Idcirco Domine jussisti in lege tua, ut diligam te omnibus horis & momentis, quibus fruor bonis misericordiæ tuæ; quoniam semper perirem, nisi quia semper me regis; & semper morerer, nisi quia semper me vivificas. Sicut ergo nulla hora est vel punctum in omni vita mea, quo beneficio tuo non utar; sic nullum debet esse momentum, quo te non diligam ex omni fortitudine mea. Item amandus est quia nos amat. P. Augustinus (g), *libro de Catechizandis Rudibus:* Amare piget, saltem redamare non pigeat. Nulla enim major est ad amorem incitatio, quam præveniri amando: & nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit & rependere. Bernardus (b): Super omnia te mihi amabilem reddit,

(c)

(d)

(e)

Ecclesiast. 12.

Psal. 17.

1. Cor. 9.

(f)

(g)

(b)

(a) Tract. de diligendo Deo cap. 8. num. 25. *Oportet ergo Deum diligi prius, ut in eo diligi possit & proximus.*

(b) De Divin. Nominib. cap. 4. §. 10., ubi post plura hac de re, *Universis igitur*, ait, *pulchrum, & bonum desiderabile, & amabile est, & ab universis diligitur.*

(c) De Trinit. lib. 8. cap. 3. num. 5. *Pudeat autem, cum alia non amentur, nisi quia bona sunt, eis inhærendo non amare bonum ipsum unde bona sunt.*

(d) Serm. 20. in Cant. num. 1. *Valde omnino mihi amandus est, per quem sum, vivo, & sapio. Si ingratus sum; & indignus. Dignus plane est morte, qui tibi Domine Jesu recusat vivere, & mortuus est: & qui tibi non sapit, desipit; & qui curat esse, nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est.*

(e) Tract. de diligendo Deo cap. 5. num. 14. *Quid ergo ego, qui Deum meum teneo vitæ meæ non solum gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem: sed insuper etiam copiosissimum redemptorem, æternum conservatorem, diligatorem, glorificatorem?*

(f) In libro Soliloquiorum animæ ad Deum, qui in Appendicem tomi 6. rejectus est, cap. 8. in fine, ubi hæc habentur verba: *Idcirco Domine Deus meus, sanctificator meus jussisti mihi lege tua, ut diligam te toto corde meo, tota anima mea, tota mente mea, tota fortitudine mea, & ex omnibus viribus meis, & etiam ex intimis medullis cordis mei, omnibus horis, & momentis, quibus fruor bonis misericordiæ tuæ: quoniam semper perirem, nisi quia semper me regis, semper morerer, nisi quia semper vivificas, & omni momento me tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia præstas. Sicut ergo nulla est hora, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar: sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, ut te non diligam ex omni fortitudine mea.*

(g) De Catechiz. Rudib. cap. 4. num. 7.

(b) Serm. 20. in Cant. num. 2. *Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi, Jesu bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis.*

reddit, bone Jesu, calix quem bibisti, opus meæ redemptionis. Seneca *in Epistolis* (*a*): Si nescis quomodo amicum facturus sis, cito ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine sortilegio, sine herba, sine veneficio, & carmine. Si vis amari, ama.

VII. Item diligendus est Deus, quia præcipit. S. P. Augustinus (*b*) admirans præcepti benignitatem *in libro Confessionum*: Quid, inquit, tibi sum ipse, ut amari te jubeas a me, & nisi hoc faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Tanti facis amorem meum, ut nisi te amavero, æternos mihi cruciatus mineris, & scribas contra me amaritudines. Non desunt tibi amatores plurimi. Quid hujus pulicis amorem cupis? *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum* vel amorum *non eges*. Item P. Augustinus (*c*): Non postulat a nobis Deus aurum, argentum, vestes, agros, &c. sed nos metipsos quærit, & in nobis quiescere cupit. Amor transformat in amatum sive bonum, sive malum, ut ait Dionysius (*d*). Osee: *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*. Et primæ Corinthiorum, capite sexto: *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur: erunt enim*, inquit, *duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus Spiritus est*. S. P. Augustinus (*e*), *super prima Canonica Joannis*: Talis est quisque, qualis est dilectio ejus. Terram diligis? terra es. Deum diligis? Quid dicam? Deus es. Ecclesiastici: *Dilectio Dei honorabilis sapientia. Quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione*. Amor Dei suavis est: P. Augustinus (*f*): Habent hæc infima suas delectationes, suosque amores: non tamen tali modo delectant sicut tu Deus noster. Nam pectora quæ possides, dulcedine tua, virtute & tranquillitate reples. Equidem amor sæculi anxius, animas quas ingreditur quietas esse non patitur. Agnosce ergo o homo amoris Dei, & aliorum amorum ex ipsa experientia differentiam. Ille dulcis est, & tranquillus, ac quietus; alius cujuslibet creaturæ amor amarus, anxius, crucians, inquietus, perturbans. *Inveni*, inquit Salomon, *amariorem morte mulierem*. Est etiam amor Dei utilis & fructuosus. Bernardus (*g*), *de Diligendo Deo*: Non enim sine præmio diligitur Deus. Est autem triplex utilitas dilectionis. Prima, remissio peccatorum: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Glossa: Ignis charitatis in ea rubiginem peccatorum combussit. Secunda, illuminat mentem: *Qui timetis Dominum diligite illum, & illuminabuntur corda vestra*. Tertia: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, etiam ipsa peccata. Ultimo: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt eum*. Basilius (*h*): Thesaurus indeficiens est amor Divinus: quem qui habet, est dives, qui non habet, pauper est.

VIII. Primo: modus diligendi Deum est diligere sine modo. Bernardus (*i*): Causa diligendi Deum, Deus est. Modus, sine modo diligere. Cur enim mensuram habebit dilectio, quæ tendit in immensum? Et infra: Deus meus, adjutor meus, diligam te pro dono tuo, & modo meo minus quidem justo, sed plane non minus posse meo, qui etsi quantum debeo non possum, non possum tamen ultra quam possum: potero vero plus, cum plus donare dignaberis, numquam tamen prout dignus haberis. S. Thomas (*k*) probat sic: quod in dilectione Dei non sit modus; quia actus mensurantur ab eo quod est ratio agendi, sicut misericordia a miseria proximi cui subvenitur. Causa autem, sive ratio diligendi Deum est divina bonitas quæ infinita est; ergo & amor terminum non habet ex objecto: habet autem ex potentia, quæ finita est: totum tamen debet potentia, quia amplius debet quam possit. Ideo dicitur Deuteronomii: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*. Quod sic exponitur: *Ex corde: non verbo, neque lingua, sed opere & veritate*, ut ait Joannes. Et Psalmus: *Dilexerunt eum in corde suo, & lingua sua mentiti sunt ei. Ex toto*: S. P. Augustinus (*l*): Totum exigit, qui totum fecit. *Ex toto*: ut ipsum, & nihil aliud præter ipsum, diligamus, aut propter ipsum. P. Augustinus (*m*): Minus te amat, qui aliud amat, quod non propter te amat. Sunt enim qui & Deum & mundum simul diligere volunt; partem cordis Deo, partem deliciis & mundo tribuentes. Non acceptat Deus partitum cordis habitaculum; solus possidere, solus habitare cor petit, & vult: consors alterius effici non vult, quia consortem non habet, qui parem non habet. Si habes alium simi-

lem

(*a*) Epist. 9. in edit. Ven. an. 1658. *Hecaton ait: Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine. Si vis amari, ama.*

(*b*) Confess. lib. 1. cap. 5.

(*c*) Serm. 48. cap. 1. num. 2., alias de tempore 236. *Quærebas quid offerres pro te: offer te. Quid enim Dominus quærit a te, nisi te?*

(*d*) De Divin. Nomin. cap. 4. §. 15., cujus verba aliquanto prolixa prætereo.

(*e*) In Epist. Joann. tract. 2. num. ult. *Talis est quisque, qualis ejus dilectio est. Terram diligis? terra eris. Deum diligis? Quid dicam Deus eris? Non audeo dicere ex me, Scripturas audiamus: Ego dixi: Dii estis, & filii Altissimi omnes.*

(*f*) Medit. cap. 35. in Append. tomi 6. §. *Quamquam autem hæc infima, &c.*, cujus verba nonnullis prætermissis hic affert S. Orator.

(*g*) Tract. de Dilig. Deo toto capite 7. de hoc agit S. Bernardus.

(*h*) Epist. 9., alias 41., & Epist. 203., alias 77. in editione Garnier.

(*i*) Tract. de Diligendo Deo cap. 6., ubi etiam sequentia leguntur.

(*k*) 2. 2. quæst. 27. art. 6., cujus titulus est: *Utrum Divinæ dilectionis sit aliquis modus habendus.*

(*l*) Serm. 34. num. 7., alias de Divers. 2. *Ex toto*, inquit, *corde. Totum exigit te, qui fecit te.*

(*m*) Confess. lib. 10. cap. 29. *Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

lem in domo, fac illum conſortem in cordis hoſpitio. Jacobus: *Adulteri, neſcitis quia amicitia hujus mundi, inimica eſt Dei? Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur.* Secundo: diligendus eſt ex tota anima; id eſt: omnibus viribus, & potentiis, & inſtrumentis animæ. (a) P. Auguſtinus (a): Quid dicam? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Diligat eum os tuum, oculus tuus, manus tua, pes tuus, & omnes ſenſus tui, & tu totus diligas eum. Diligat ergo eum omnis animæ vis, & quidquid eſt in regno animæ. Tertio: diligendus eſt Deus tota virtute, id eſt, perſeveranter & conſtanter; ut propter nullum incommodum, etiam mortem, hæc dilectio dimittatur. *Fortis eſt ut mors dilectio.* Amor igitur Dei timorem expellat, laborem aggrediatur, mortem contemnat, damnum corporis & facultatum non ſentiat, temporalia ut ſtercora calcet, honorem fugiat, &c. Paulus: *Ego non ſolum alligari, ſed & mori paratus ſum, propter nomen Domini Jeſu.* Et iterum: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Sed in his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos.* Iſte amabat fortiter & tota virtute. (b) Bernardus (b): Diſce Chriſtiane a Chriſto, quomodo diligas Chriſtum. Diſce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illectus; prudenter, ne deceptus; fortiter, ne oppreſſus amare deſiſtas. Non abduci blanditiis, non ſeduci fallaciis, non injuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere eſt. Dilectio ſui ipſius non præcipitur, ſed naturæ inſeritur. Cum proximum diligere virtus ſit, te ipſum odiſſe virtus eſt. Vis te diligere? Si te odias, (c) tunc diligis. S. P. Auguſtinus (c) *lib. de Diſciplina Chriſtiana.* Ecce quod dicit: In domo diſciplinæ diligere Deum, diligere proximum; Deum tamquam Deum, proximum tamquam te. Non enim invenies parem Deo, ut poſſit tibi dici, dilige Deum ſicut diligis illum. De proximo inventa eſt tibi regula, quia inventus es proximo par.

IX. Proximus propter multa diligendus. Primo, propter præceptum. *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem.* Et hoc maxime commendavit Dominus moriens. Pro hoc maxime oravit, quia pro unitate. Peſſimum malum diſcordia eſt. Providit de remedio, qui pro concordia tam ardenter orat prope mortem. Secundo, propter fraternitatem corporalium naturalem. P. Auguſtinus (d) *de Civitate Dei lib. duodecimo.* Nihil tam diſcordioſum vitio, nihil tam ſociale natura, quam genus humanum. Propterea Deus voluit creare parentem unum, de quo multitudo propagaretur, ut hac admonitione etiam multis concors unitas ſervaretur, vel ut ſaltem ipſa naturalis fraternitas nos invitet ad amorem. Secunda fraternitas eſt ſpiritualis. S. P. Auguſtinus (e) *de Diſciplina Chriſtiana.* Omnes fratres ſumus. Ad id quod homo eſt, unus pater fuit Adam, una mater Eva: ad id quod Chriſtianus eſt, unus Pater Deus, una mater Eccleſia. Hæc fraternitas tanto melior eſt naturali, quanto meliorem habet Patrem Deum, meliorem matrem Eccleſiam, & meliorem expectat hæreditatem. Si ergo amantur fratres, qui minorem faciunt hæreditatem, quare non illi qui augent? Pſalmus: *Cujus participatio ejus in idipſum*, ubi Gloſſa: Hic habent homines bona deficientia, ibi vero bonum, quod cum fuerit ſingulorum, erit omnium. Gregorius (f): Felix hæreditas, quam multitudo cohæredum non coanguſtat. Tertio diligendus eſt, quia Deus nos dilexit. Joannes: *Qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Quarto; exemplo Angelorum. Dominus: *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei.* Pſalmus: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum & eripiet eos.* *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paravi. Obſerva eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris.* Angelus cuſtodiam non contemnit. Quinto; quia membrum es ejus, dein Corporis Chriſti. Omnia membra naturaliter ſe invicem juvant. Joannes: *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Non in miraculis, non in ſcientiis, &c. *Qui diligit fratrem ſuum, ſcandalum in eo non eſt.* Charitas etiam peccato proximi non irritatur, non ſcandalizatur. Gloſſa: Qui diligit fratrem, etiamſi correctionem adhibeat, non iraſcitur, non injuriam infert. *Pax multa diligentibus* tuam legem. *Legem tuam;* id eſt, cha-

Jacob. 4. *Deut.* 6. *Lucæ* 10. *Cant.* 8. *Philipp.* 3. *Act.* 21. *Rom.* 8. *Jo.* 15. *Pſ.* 121. *Apoc.* 1. *Mat.* 18. *Pſal.* 33. *Exodi* 33. *Jo.* 13. 1. *Jo.* 2. 1. *Cor.* 13. *Pſ.* 118.

(a) Seu incertus Auctor duorum librorum de Viſitatione Infirmorum, qui in Append. tom. 6. Operum S. P. Auguſtini leguntur in editione PP. Congreg. S. Mauri. Sic autem habetur lib. 1. cap. 4. *Diligat Deum oculus tuus, os tuum, manus tua, pes tuus, omnis ſenſus tuus, quidquid tu es, quidquid dilectionis in te eſt, tu totus diligas Deum.*

(b) Serm. 20. in Cant. num. 4. & 5. Vide etiam Sermonem 29. de Diverſ.

(c) Hæc habet S. Parens in lib. de Diſciplina Chriſtiana cap. 3., non autem *de Doctrina Chriſtiana*, ut in Bruxellenſi editione allegatur.

(d) De Civit. Dei lib. 12. cap. 27. *Nihil enim eſt, quam hoc genus tam diſcordioſum vitio, tam ſociale natura. Neque commodius contra vitium diſcordiæ, vel cavendum ne exiſteret, vel ſanandum cum extitiſſet, natura loqueretur humana, quam recordationem illius parentis, quem propterea Deus creare voluit unum, de quo multitudo propagaretur; ut hac admonitione etiam in multis concors unitas ſervaretur.*

(e) De Diſcipl. Chriſtiana cap. 3.

(f) Sententiam hanc apud S. Gregorium non inveni. Extat apud S. P. Auguſtinum non abſimilis in Pſal. 49. num. 2. *Hæreditas autem, in qua cohæredes Chriſti ſumus, non minuitur copia poſſeſſorum, nec fit anguſtior numeroſitate cohæredum; ſed tanta eſt multis, quanta paucis, tanta ſingulis, quanta omnibus.*

charitatem: *Et non eſt illis ſcandalum*. Qui
1. Jo. 3. diligit fratrem ex Deo eſt. P. Auguſtinus (*a*):
(*a*) Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei, & filios diaboli. Signant ſe omnes ſignaculo ſanctæ crucis. Reſpondent omnes *Amen*. Cantant omnes *Alleluja*. Baptizantur omnes, omnes intrant Eccleſias. Non diſcernuntur filii Dei a filiis diaboli, niſi ſola charitate. Sexto; propter præmium beatitudinis. Hie-
(*b*) ronymus (*b*): O nimiam Dei clementiam! O ineffabilem Dei benignitatem! Præmium ſe nobis pollicetur, ſi nos mutuo diligamus, & ſi nobis ea petamus invicem, quibus invicem indigemus.

Lucæ 10. X. *Sicut te ipſum*. Similitudo quoad tria: Primo, quoad finem. Ut ad id ames proximum, ad quod te amas, id eſt, propter Deum. Sit ergo dilectio ſancta, non carnalis. Secundo, quoad regulam diligendi. Ut ſicut ſibi vult bonum, ita & proximo. Non ergo faciat pro illo illicita. Sit ergo dilectio juſta. Tertio, quoad cauſam diligendi. Ut ſcilicet, ſicut ſe ipſum non propter commodum, ita etiam & proximum propter ſe & non propter commodum amet. Non ergo propter propriam vel utilitatem, vel delectationem proximum diligat. Sit ergo dilectio vera. Diligens proximum propter ſuam delectationem vel utilitatem, non proximum, ſed ſe ipſum diligit. Unde fit ut amatores carnales, non amatores, ſed concupiſcentes dicendi ſint. Non enim amant fœminas, ſed ſe ipſos, quorum voluptatem quærunt in illis. Quinque maxime inducunt ad amorem proximi. Primum eſt ſimilitudo. Ambroſius (*c*): Eſt inſitum bonis, ut unuſquiſque virtutes ſuas in aliis amet. Eccleſiaſticus: *Volatilia ad ſibi ſimilia conveniunt*. Secundum eſt pulchritudo. Plato (*d*): At vero pulchritudo hanc habuit ſortem, ut & maxima omnium & ſpecioſiſſima ſit & amabilis. Tertium, virtus: Tullius (*e*): Nihil eſt virtute amabilius; propter virtutem enim etiam eos quos numquam vidimus, amamus. Quartum eſt, amare prius. Quintum, eſt beneficium. Amor enim beneficiis ſicut ignis alitur lignis. Beneficia etiam feras provocant ad amorem. Ad Romanos: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ipſius*, id eſt: cor ejus ad te amandum accendes. Præcipis Domine ut amem te: imo, ſi aliter præciperes, ut non amarem te, implere non poſſem. Etiamſi mille infernos minareris, ſi te amarem; non deſiſterem ab amore tuo.

(c) Ecclı. 27. (d) (e) Rom. 12.

IN DOMINICAM XIII. POST PENTECOSTEN CONCIO.

DE CÆCO, ET LEPROSIS.

Jeſu præceptor, miſerere noſtri. Lucæ 17. v. 13.

* CONCIO XCIX.

I. SENTENTIA S. P. Auguſtini (*f*): Opera Chriſti myſticum aliquid continebant. Et probat hoc exemplis. Primo de ficulnea quam maledixit Dominus, & aruit: neque erat tempus ficorum: myſtice ſynagogam, moraliter animam, verbo & non opere Deo ſervientem, repræſentans. De quo, *Sermone Dominicæ*
Mat. 21. *quintæ & ſeptimæ poſt Pentecoſten*. Item de
Jo. 11. Lazaro inveteratum denotans peccatorem, De quo, *Dominica decima quinta*. Item de cæco: tenebram & ignorantiam ſignificans naturæ lapſæ. De quo hic & *in alio alveario, in Dominicam Quinquageſimæ*. Item, de præſentis Euangelii leproſis, repræſentantes peccatores incurabiles, contagioſos, &c. De quibus, quemadmodum & de cæco, ut propter connexionem thematis: *Jeſu præceptor miſerere noſtri. Jeſu fili David, miſerere mei*, breviter aliquid dicamus: notandum, quod Sanctus Thomas (*g*) ait: Quamvis natura procedat de imperfecto, ad perfectum; ſed agens perfectum Deus, procedat de perfecto.

Lucæ 18. Ibid. 17. (g)

(*a*) In Epiſt. Joann. tract. 5. num. 7. Reformandum eſt teſtimonium in ſingulis verbis, nempe: *ſignent: reſpondeant: baptizentur: intrent*; & addendum poſt *intrent Eccleſias: faciant parietes Baſilicarum*: abjiciendum τὸ *ſola*.

(*b*) Epiſtola eſt Paulini Epiſc. Nolani ad Celantiam. Vide tom. 4. Oper. S. Hieronymi pag. 815. editionis P. Martianæi.

(*c*) De Officiis lib. 1. toto cap. 33., ubi oſtendit benevolentiam in earundem aut affinium virtutum hominibus perſeverare. Ita ſub finem: *Nihil autem tam conſociabile, quam eum æquitate juſtitia: quæ velut compar, & ſocia benevolentiæ, facit ut eos, quos pares nobis credimus, diligamus*.

(*d*) In Phædro pag. 346. edit. Lugd. an. 1590.

(*e*) Epiſtolar. lib. 9., Epiſt. 44. *Nihil eſt enim, mihi crede, virtute formoſius, nihil pulchrius, nihil amabilius*.

(*f*) Hoc habet S. Parens Serm. 77. num. 7., alias Serm. 74. de Tempore.

(*g*) 2. 2. quæſt. 1. art. 7. ad 3.

fecto. Entia autem quæ fuerunt a Deo primo creata, non solum ut sufficerent in se, sed etiam ut essent aliorum futurorum principia, & quasi semina, perfecta creata sunt. *Gen.* 1. Adam ergo sicut principium generationis extitit cæterorum hominum secundum carnem, ita etiam fuit principium doctrinæ. Ideo perfectus, quoad virtutes & scientias. Inde est, quod imposuit nomina omnibus rebus *Ibid.* 2. secundum naturam, quam in unaquaque cognovit. Fuerunt autem in eo inter alia quatuor privilegia. Primum erat obedientia carnis, & pax illa interna, & concordia potentiarum, velut harmonica. Secundum, immortalitas, & incorruptio, & impassibilitas. Tertium, fuit claritas illa sapientiæ. Quartum, dominium creaturarum, principaliter animalium. *Omnia subjecisti sub pedibus* *Psal.* 8. *ejus, oves & boves universas: insuper & pecora campi: volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Quando ipse rebellavit contra Deum, omnia ista perdidit. Psalmus: *Cor meum conturbatum est in* *Psal.* 37. *me.* Ecce rebellio carnis ad animam, & bel- *Psal.* 54. lum, & contradictio intra hominem. *Dere-* *Psal.* 37. *liquit me virtus mea.* Ecce passibilitas, & mortalitas. *Et lumen oculorum meorum, &* C *ipsum non est mecum.* Ecce cæcitas & ignorantia. *Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt.* Ecce animalium conspiratio contra hominem. Hic ergo cæcus, sedens juxta viam, necdum autem ambulans in via veritatis clamat: *Jesu* *Lucæ* 18. *fili David miserere mei.* Hic clamor fuit omnium Prophetarum. O cæce curari vis?

II. Ecce ascendimus Jerosolymam, & Fi- *Ibidem.* lius hominis tradetur. *Ecce*, inquam, *ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus,* D *& illudetur, & flagellabitur & conspuetur. Et postquam flagellaverint occident eum.* O pietas singularis! O ineffabilis Dei clementia! Sic curatur cæcus? Supplicio morientis liberatur reus? Pro raptore punitur innocens? Quæ justitia hæc? Job: *Quomodo tu eum qui justus* *Job* 34. *est, in tantum condemnas?* Quomodo, justus cum sis, & juste omnia judices, eum qui non debuit puniri, damnas? Psalmus: *Quæ* *Psal.* 68. *non rapui, tunc exolvebam.* Hoc judicium rectum est Domine? Pro creatura punitur Creator! Attende homo, quam rectum sit. Quis reum debuit liberare nisi innocens? Justum E est, ut peccator solvat culpam per pœnam. Ipse non potest, Deus non debuit: fit Deus homo, punitur homo, qui debuit; solvit Deus, qui potest. Et diabolus dum occidit innocentem, perdidit reos. Vides justitiam permixtam clementiæ? Vides summam misericordiam cum summa justitia? *Rectus es* *Ps.* 118. *Domine, & rectum judicium tuum.* Tu etiam peccator, ut recorderis, quomodo in hoc sæculo justificeris, in principio tuæ pœnitentiæ, & jejunii, Ecclesia miro consilio reducit tibi ad memoriam Christi passionem. In hac, tua opera accepta sunt, & valorem dant tuæ pœnitentiæ. Job: *Terra ne operias sanguinem* *Job* 16. *meum*, terra, homo, cinis, ne operias, ne obliviscaris. Memento flagellorum, memento fellis, memento clavorum. *Terra ne operias sanguinem meum.* Non addas iniquitates, & excusationes. Non vageris per vanitates, & gaudia terrena. Memento dolorum meorum, *Terra ne operias sanguinem meum, &c.* Hanc authoritatem pondera multum.

III. *Cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans.... Dixerunt ei, quod Jesus Nazarenus transiret. Et clamavit dicens: Jesu fili David miserere mei.... Stans autem Jesus, jussit illum adduci ad se.... Jesus dixit illi: Respice.... Et confestim vidit.* Ecce miraculum: Jesus transibat: Cæcus clamat: ad clamorem stetit Jesus & sanavit. *Jesus Christus heri &* *Heb.* 13. *hodie: ipse & in sæcula. Tu autem idem ipse* *Ps.* 101. *es, & anni tui non deficient.* Jam pro sanando cæco itineratur, transit jam Christus, tandem tum stat, cum curat. Stetit fixus in ligno, stetit per naturam divinitatis, labitur per naturam carnis. Psalmus: *Si non* *Ps.* 105. *electus ejus stetisset in confractione.* Stetit in confractione, Verbum in morte. *Dixerunt* *Lucæ* 18. *autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret.* Nazarenus, flos dicitur. *Ego flos campi, &* *Cant.* 2. *lilium convallium. Ecce odor filii mei, sicut* *Gen.* 27. *odor agri pleni.* Ipsum nondum videbat, sed odorem sentiebat, sed fragrantiam. Fratres mei: non vidistis eum, tamen creditis, tamen odoratis; ideo ipse liberabit, & illuminabit. *Ipse vero multo magis clamabat.* Am- *Lucæ* 18. brosius (*a*): Hæc est invicta fides: quo ma- (*a*) gis increpatur, magis clamat. Turba erat Gentilium multitudo. Turba erat Judæorum perversitas. Veritas quo plus arguitur, & reprehenditur, plus multiplicatur, & lucet. Sicuti ferrum fortiter confricatum splendet, ut aurum verum, igne rutilat. *Ipsi horum* *Ibidem.* *nihil intellexerunt.* Crediderunt autem eum mystice loqui, & parabolice, ut alias. Item *ipsi horum nihil intellexerunt*, quia causam mortis ignorabant. De Cæco. Triplex cæcus. Primus, qui non videt. Secundus, nec videt, nec vult videre, nec curat videre. Tertius, neque videt, & putat se videre. Pessima cæcitas. Talis Episcopus Laodiciæ Ecclesiæ. *Quia dicis: Quod dives sum, &* *Apoc.* 3. *locupletatus, & nullius egeo: Et nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Quatuor notantur in cæco isto. Primo, infirmitas periculosa, quia cæcus, ignorantia periculosa infirmitas: quia qui nescit se peccare, non curat remedium. Secundo, status & conditio: quia sedet. Ecce otium, ecce tranquillitas maledicta. Ber-

(*a*) Hoc testimonium apud Ambrosium non inveni. Simile habet Auctor imperfecti in Matth. Homil. 36. ante med. *Talis est enim natura fidei, quanto magis vetatur, eo magis accenditur.*

(a) nardus (a): Unde tibi o anima iſta ſecuritas maledicta? Tertio, ſitus: ſecus viam; *Pſ.* 139. Pſalmus: *Juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi*. Quarto, officium verecundum, quia mendicans. *Jo.* 9. Pro alio cæco illuminando Dominus fecit lutum. Ad quid? Niſi ut daret intelligere; quod cognitio propriæ fragilitatis illuminat animam.

IV. Verum ad Euangelii præſentis leproſos nos convertamus. Curatio lepræ ſpirituale aliquid ſignificat. Lepra tres habet conditiones. Prima, quod eſt infirmitas incurabilis. Secunda, quod eſt univerſalis. Tertia, quod eſt contagioſa. Hæc tria habet peccatum. Primo, eſt incurabilis ægritudo. Nam peccator cadere poteſt per ſe, ſurgere non valet niſi ex potentia Dei. Homo enim per peccatum incurrit deformitatem & inordinationem, ex defectu gratiæ pulchrificantis animam: nam anima cum gratia eſt pulchrior quam Angelus in ſua natura ſine gratia: ſolus autem Deus poteſt dare gratiam. Secundo, lepra eſt morbus univerſalis. Sic & peccatum, omne bonum tollit ab anima. Nam tria ſunt bona; ſcilicet fortunæ, naturæ, & gratiæ. Exempla. Peccatum tulit bona fortunæ. Propter peccatum, Saul abjectus eſt, ne eſſet Rex, & occiſus. *1. Reg.* 15. Propter peccatum, filii Heli occiſi. *Ibid.* 4. Propter peccatum, David ſpoliatus regno. *2. Reg.* 15. Jam de damno in bonis naturalibus; ſcilicet, in potentiis. Cæcat intellectum, & obdurat voluntatem, & omnes potentias inordinat, & ponit diſcordias in anima. Et quanta pœna eſt iſta diſceptatio & diffidium animæ! *Origenes de Igne inferni* (b). Jam de obſtinatione & induratione voluntatis: pone exemplum de virga, quæ flectitur, ſed poſtea fit trabs, quando creſcit, & jam flecti non poteſt; ſic anima aſſueta peccato. Quid non audet perverſa voluntas; aut quando ponit finem voluptatibus? Uſque ad enormes & brutales voluptates deſcendit. *Job* 36. Job: In puteum non habentem fundamentum ſubter ſe. (c) Gregorius (c): Sicut qui in puteum mergitur, putei profundo retinetur; ita corruens: quaſi in quodam fundi loco conſiſteret anima, ſi ſemel lapſa in aliqua ſe peccati menſura retineret; ſed peccatis in quæ labitur non contenta, quotidie ad deteriora dejicitur, & quaſi in puteo quo cecidit, fundum non invenit quo figatur: eſſet enim fundus putei, ſi fuiſſet menſura peccati. Unde bene *Prov.* 18. alias dicitur: Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit. Redire namque diſſimulat; quia miſereri ſibi poſſe deſperat: ſed cum deſperando amplius peccat, quaſi puteo ſuo fundum ſubtrahit, ne ubi retineri poſſit, inveniat. Sed dicet aliquis: non caſtigat me Deus. O! Iſta diſſimulatio eſt magna ejus indignatio; nec magis potuit indignari contra te, quam quando permittit, & ſinit te implere tuas peſſimas voluntates. Et tu reputas favorem? Secundo, deſtruit etiam bona gratiæ. Privat hominem donis gratuitis, & ſponſalibus ornamentis, ſocietate Angelorum, amicitia Dei. Figura hujus: Rex Antiochus ingreſſus templum. Primo, evertit altare. Secundo, deſtruxit menſam, in qua erant panes ſanctificati. Tertio, *1. Mach.* candelabrum. Quarto, candelabrum deſtruxit, & quatuor cortinas, & propitiatorium. *1.* Antiochus Rex, diabolus. Per peccatum intrat animam. Primo, deſtruit altare devotionis. Secundo, menſam communionis. Tertio, candelabrum luminis. Quarto, candelabrum articulorum. Solet enim perverſitas, in altum quando creſcit, uſque ad fidem tangere. Apoſtolus: Tenete bonam conſcientiam: quam quidam abnegantes circa fidem *1. Tim.* 1. naufragaverunt. Item, menſam ſeptem panum, id eſt, ſeptem donorum Spiritus ſancti. Tertio, lepra eſt infirmitas contagioſa, item & peccatum. Dices, quomodo unus peccator perdit integram domum, de mala ſocietate, de pellendis veneficis, & meretricibus a populo. Apoſtolus: An *neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* *1. Cor.* 5.

V. De cura lepræ. Peccator autem facere debet quod fecerunt iſti. Primo: ſtantes a longe clamaverunt: *Jeſu præceptor miſerere noſtri*. Stare debet, a peccato quieſcere. *Fili peccaſti? non adjicias iterum*. Et *Luc.* 17. Propheta: *Quieſcite agere perverſe*. Qui flet *Eccl.* 21. peccatum (d) & committit, ſicut qui lavat *Iſaiæ* 1. laterem. Item: qui lavat mortuum, & iterum tangit mortuum. O quanta cæcitas in his quos pœnitet, non habentes propoſitum abſtinendi a peccato! Et ſi habent propoſitum, non habent fortitudinem ad reſiſtendum peccatis. Quid ergo faciendum? Clamandum ad Dominum cum iſtis leproſis: *Jeſu præceptor miſerere noſtri*: ut Deus det virtutem. *De neceſſitatibus meis* eripe *me*. *Domine vim patior, reſponde pro me*. Sic Pſalmus: *Rugiebam a gemitu cordis mei*. Sed ſtandum a longe. Notatur verecundia peccatoris. Propheta: Appropinquare Deo volunt, ſicut gens quæ juſtitiam fecerit, & mandata Dei ſui non dereliquerit. Bernardus (e) *in Meditationibus*: Odibilis plane Deo frontoſa temeritas & impudentia execranda. De curatione leproſi eſt ſingularis figura: *Levitici decimo quarto capite*. Duorum paſſerum, *Luc.* 17. *Pſal.* 24. *Iſaiæ* 38. *Pſal.* 37. *Luc.* 17. *Iſaiæ* 38. *Levit.* 14. unus

(a) Serm. 28. de Diverſ. num. 6. *Unde nobis iſta diſſimulatio eſt Fratres mei? Unde hæc tam perniciosa tepiditas, unde hæc ſecuritas maledicta?*

(b) Lib. 2. Periarchon cap. 11., cujus verba recitavimus in notis ad Concionem 2. in Dominicam Paſſionis.

(c) Gregorii verba ſunt uſque ad ea, *ne ubi retineri poſſit inveniat*, excerpta ex Moral. lib. 26. cap. 37. Reformari tamen debet periodus illa: *Sed peccatis, in quæ labitur, &c.* hoc pacto: *Sed cum peccato in quod labitur non poteſt eſſe contenta, dum quotidie ad deteriora dejicitur, quaſi in puteo quo cecidit, fundum non invenit quo figatur.*

(d) Idem habetur can. 9. diſt. 3. de Pœnit.

(e) Legitur ſententia hæc in Declamationibus ex Bernardo Gaufridi Abbatis Decl. 20.; quæ ſub nomine S. Bernardi non uno in loco a S. Oratore allegantur.

unus occiditur, alter perfusus sanguine occisi passeris, dimittitur volare liber. Hoc significat duas in Christo naturas. Una occiditur, altera dimittitur perfusa sanguine: quoniam Deus in homine passus est, mortuus est: & meritum in homine a Deo conjuncto. Lignum cedri, crux. Hyssopum, passio. Vermiculus, charitas. Aqua saliens viva, baptismus. Deinde, leprosus radit omnes pilos carnis suæ: omnes cogitationes & desideria priora totaliter innovans rejecto veteri homine. Et offert agnos, id est, vitæ innocentiam: & ovem, id est, vitam sine querela in mansuetudine: & similam consperſam oleo: puritatem cum misericordia & A charitate. Item: auris ejus intingitur sanguine, & pollex manus & pedis: ut deserat mundum. Sic auditus ne audiat malum, & manus ne operetur; & pes ne vagetur per vias distortas; ut ibi in Glossa Origenes exponit. Vide Glossam ordinariam super illo. Est hæc figura similis in aliquo cum illa de hirco. Nota: quod primo leprosus septies aspergitur: per quod denotantur septem Sacramenta. Et postea secundo septies contra domum fit aspersio sanguinis: per quæ denotantur septem dona Spiritus sancti: quæ omnia in mundatione peccatoris leprosi contingunt virtute sacrificii passionis. *Num.* 28. *Levit.* 14. *Ibidem.*

IN DOMINICAM XIV. POST PENTECOSTEN

CONCIO.

DE COMPARANDIS SPIRITUALIBUS ET CONTEMNENDIS TEMPORALIBUS DIVITIIS.

Quærite primum Regnum Dei. Matth. 6. v. 33.

* CONCIO C.

I. AMBITIOSUM est genus Adæ, & cupidum: ideo cœleste regnum præmium dicitur. Fratres laborate, ut sitis Reges perpetui, non terræ, sed cœli. Regnum cœlorum (*a*) quidam mercantur, quidam furantur, quidam vi rapiunt, quidam inveniunt. Mercantur dantes eleemosynam. Audivimus futuros quosdam ad dexteram, quibus dicet Paterfamilias: *Venite benedicti Patris mei*, percipite. Mat. 25. Quid percipite? *Regnum*. Pro qua re? *Esurivi & dedistis mihi manducare*. Quid tam vile, quid tam terrenum, quam frangere panem esurienti? Tanti valet regnum cœlorum. *Frange esurienti panem tuum*, & egenum sine tecto *induc in domum tuam*. Si *videris nudum*, vesti. Si non habes facultatem frangendi panem, non habes domum quo inducas, non habes vestem, qua operias, da Mat. 10. calicem aquæ frigidæ; mitte duo minuta in Marc. 12. gazophylacium. Tantum emit vidua duobus Mat. 4. minutis, quantum emit Petrus relinquens retia, quantum emit Zachæus dando dimi- Luc. 19. dium patrimonium. Regnum Dei tantum valet, quantum habes. O bonum mercatum! Das obolum, & suscipis cœlum: illud enim B est pauperum. *Facite* ergo *vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Magna authoritas pauperum. Chrysostomus (*b*): Ea quæ superabundant, & supervacanea sunt nobis, necessaria facere vult Dominus: & quæ frustra ac in vanum reposita sunt, ea vult bene distribui, ut occasione accepta hinc nos coronet. Ne igitur nos privemus tantis bonis. Nam, si Agricolæ penum suum evacuant, & semina terræ concredunt, & collecta dispergunt, idque cum voluptate faciunt, spe majora recipiendi se solantes: & C quamvis sciant, quod aeris intemperies, nonnumquam & terræ sterilitas, & alia multa accidentia, ut locustarum exercitus, & rubiginis insidiæ, spe excidere faciant; attamen spe lucri sese alentes, ea, quæ in promptuariis collecta sunt, terræ concredunt: multo magis nos, quæ absque usu recondita sunt, dispergere in pauperum usus & educationem convenit. Ubi numquam spes eluditur, neque timenda aliqua terræ sterilitas. Effundamus igitur facultates nostras in egenos mente liberali, ex his quæ nobis Dominus dedit: & quæ ab eo data sunt, ipsi iterum demus, ut sic iterum nostra cum lucro fiant. Tanta enim est ejus liberalitas, ut licet accipiat de his quæ ipse dedit, non *Luc.* 6. (*b*)

(*a*) Non prorsus absimile est quod habet S. Bernardus Serm. 99. de Divers. *Quatuor sunt genera hominum regnum cœlorum possidentium. Alii violenter rapiunt, alii mercantur, alii furantur, alii ad illud compelluntur.*

(*b*) In Genes. Homil. 20. sub finem, & expresse magis Homil. 34. ante medium. *Glorifica Dominum tuum, quia propter te, & salutem tuam permittat illum in paupertate versari, ut tibi via pateat, per quam peccata possis abluere: & dispensatis bene iis, quæ a Domino tibi sunt concessa, laudes illas mereare, quæ omnem sermonem, & rationem transcendunt.*

putet tamen propria se accipere, sed magno lucro.

II. Furantur vero qui occulte agunt bona opera, sub veste pulchra & molli gerentes cilicium. Quamquam enim splendidis vestibus auro gemmisque ornatis appareant exterius, totam tamen hominis dignitatem in interiori animæ ornamento collocant; neque enim nobilitas in forensi pelle, sed in interiore homine. Et ut ait Chrysostomus: Mundanorum dignitates, ex signis extrinsecus circumpositis manifestæ sunt: spiritualium in sola anima notas esse decet. Unde (a) Clemens Alexandrinus (a) narrat: Cæum Sophistam, improbitatis quidem imaginem descripsisse splendida veste ornatam, virtutem desuper vel sola verecundia indutam.

III. Rapiunt vi conquestam Martyres glorioſi, & monachi sibi vim inferentes, per pœ- (b) nitentiam & patientiam. P. Augustinus (b): Quanta mala passi sunt Martyres, quanta exitia, quanta tormenta! Squallores carcerum, strictura catenarum, sævitias ferarum, ardorem flammarum, aculeos contumeliarum. Ista omnia passi non essent, nisi nescio quid viderent, quod ad hujus sæculi felicitatem non pertinet. *A diebus Joannis* Mat. 11. *Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quid est enim regnum cœlorum, nisi locus justorum? Solis enim justis cœlestis patriæ præmia debentur, ut mites, humiles, casti, atque misericordes, per tribulationem, pœnitentiam, patientiam ad gaudia sempiterna perveniant. Igitur *& nos* Heb. 12. *tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio justinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis.*

IV. Ultimo; quidam inveniunt regnum cœlorum: illi nempe qui in fine vitæ dono Dei convertuntur, cum male vixerint. Sic regnum cœlorum invenit latro & similes. Cogitate rogo, cogitate Fratres, quam sint incomprehensibilia in omnipotenti Deo misericordiæ viscera. Latro ille cruentis manibus, abstractus a facie itineris, suspensus est in patibulo crucis; ibi confessus, ibi sanatus est, ibi audire meruit: *Hodie mecum* Lucæ 23. *eris in Paradiso.* Quid est hoc? Quis tantam bonitatem Dei dicere, quis æstimare sufficiat? De ipsa pœna criminis, pervenit ad præmia virtutis. Verum, quemadmodum inveniunt aliqui cœlum, qui finaliter pœnitent, cum tamen male vixerint: ita, aliquamdiu bene viventes, nonnulli male finiunt. Qui bene per statuam illam Danielis significantur. *Hujus statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de ar-* Dan. 2. *gento, porro venter & femora ex ære: Tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam autem fictilis.* Et *abscissus est lapis de monte sine manibus; & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter, ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta, quasi in favillam.* Moraliter: habent caput, id est principium aureum. Pectus, id est vitam sequentem, habent argenteum: deinde habent æreum, solum sonum & titulum sanctitatis: deinde habent impurum, ferreum: deinde fit limosa & delicioſa. In fine venit lapis, quædam tentatio, & confringit pedes, ultimum vitæ: & totum comminuitur. Nec tota vita præterita computatur coram Deo. Juxta Prophetam: *Si im-* Ezech. *pius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis* 18. *suis: vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Et iterum: *Si autem averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem: omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.* Et alibi: *Justitia justi non li-* Ibid. 33. *berabit eum, in quacumque die peccaverit: & impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua: & justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit. Etiamsi dixero justo, quod vita vivat, & confisus in justitia sua fecerit iniquitatem: omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio: Morte morieris: & egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium & justitiam: vita vivet, & non morietur.*

V. *Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid* Mat. 6. *manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Divitiæ temporales non sunt divitiæ, sed opinio; neque eas congregare laus est, sed infamia, & vituperium: quas licet opinio & deceptio populi faciat esse divitias, non sunt tamen divitiæ propter tria. Primo, quia viles; secundo, quia exteriores; tertio, quia breves, & momentaneæ sunt. Viles; Bernardus (c): Quid est (c) aurum

(a) Lib. 2. Pedag. cap. 10. prope fin. *Quocirca Cæum Sophistam jure approbo, qui virtutis, & improbitatis aptas describit imagines: quarum hanc quidem fecit simpliciter stantem, candida veste indutam, & puram, nempe virtutem sola verecundia ornatam ... Alteram autem, nempe improbitatem, contra inducit superflua quidem, & varia veste indutam, & alieno colore exultantem.* Vide Chrysost. in Ep. ad Rom. Homil. 1. sub fin.

(b) In Psal. 63. num. 1. de Martyribus loquens: *Nunquam enim*, ait, *tantas tribulationes carne tolerarent, nisi magnam quietem mente conciperent.* Et paulo infra: *Nec potuerunt esse fortes Martyres, nisi intuerentur eum, qui primus passus est, nec talia sustinerent in passione, qualia ille, nisi talia sperarent in resurrectione, qualia ipse de se demonstravit.*

(c) Serm. 4. de Advent. Dom. num. 1. *Aurum, & argentum nonne terra est rubra, & alba, quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam?*

aurum & argentum, nisi terra rubra & alba? Unde Propheta Habacuc: *Væ ei, qui multiplicat non sua! Usquequo & aggravat contra se densum lutum?* Densum lutum vocavit aurum, & argentum, & lapides pretiosos, quæ sunt mundi divitiæ. Simile. Si quis glabratos oculos piscis tamquam margaritas avide custodiret & quæreret, irridendus esset; sic sunt divites hujus mundi; non solum irridendi, sed etiam lamentandi sunt. O quanta tristitia, videre animam spiritum pretiosum & nobilem, Angelo similem, Dei imagine insignitum, Dei capacem, futurum quandoque Angelorum socium, & civem cœlestis Jerusalem, hujusmodi lucris inhiantem, & inhærentem, tam anxie quærentem, & desiderantem hæc ludibria puerorum; & vitam, quam in laudando Deo, & cœlo lucrando expendere deberet, in istis vanitatibus perquirendis male consumptam! Quis non deploret tantam dejectionem, tam miseram cæcitatem? Quam deceptos se inveniunt in morte, qui consumpserunt vitam in his? Psalmus: *Dormierunt somnum suum: & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Et quidem, si homines solum curarent habere sufficientiam ad istam vitam sustentandam ad vacandum Deo & bonis operibus, bonum esset: sed totam vitam in congregandis divitiis expendere, magna deceptio & stultitia est.

Habac.2.

Psal.75.

VI. Secundo non sunt divitiæ, quia sunt exteriores, & possunt a quovis, quantumvis stulto & impio possideri. Da mihi hominem Æthiopem, fœdum, turpem, rudem, brutalem, vitiosissimum, & abominabilem, habentem mille arcas auro & argento plenas: numquid omnes illæ facient ipsum meliorem, aut pulchriorem, aut sapientiorem? Unde Salomon: *Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit?* Si per divitias posset emi aut haberi habilitas, ingenium, memoria, prudentia, fortitudo, pulchritudo, magnanimitas, juste æstimarentur: sed cum hæc haberi, & emi non possint, quid prosunt divitiæ? Dices: prosunt ad habendum abundantiam rerum temporalium. Imo si bene aspicias: divitiæ non faciunt hominem abundantem, sed potius indigentem. Nam qui prius cum esset pauper cum modico poterat sustentari, crescentibus divitiis crevit cura, creverunt necessitates: indiget enim multis pro se, pro statu, pro filiis, pro familia, pro fastu: & sic factus est magis indigens, & pluribus necessitatibus constringitur. Unde Salomon: *Ubi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis?* Quid habet amplius nisi quod videat eas? Unde Boetius (*a*): Illud verum: neminem pluribus indigere, quam qui plura possidet. Experientia testis est in magnatibus hodie, qui fere omnes vivunt in maxima necessitate, pleni debitis. Unde non est dives, qui plura possidet, sed qui paucis indiget. P. Augustinus *in Regula:* Melius est minus egere, quam plus habere.

Prov.17.

Eccl. 5.

(*a*)

VII. Tertio non sunt veræ divitiæ, quia temporales & breves; nihil valent, quam citissime amittuntur. Unde Dominus in Euangelio: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: ubi erugo, & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo.* Quid prodest cum summo labore quærere & congregare, quod post modicum relinques invitus? Exemplum divitis: *Anima* mea, *habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.* Si quis in exilium missus pro duobus mensibus emeret domum & hæreditatem, quam statim relicturus esset, numquid non haberetur stultus? Sic omnis qui in hoc mundo thesaurizat. Psalmus: *Ne timueris cum dives factus fuerit homo: & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.* Ne timueris: id est, ne zeles, ne invideas. *Introibit in progenies patrum suorum: & usque in æternum non videbit lumen:* sed vivet in summa egestate. Quanta fuit egestas illius divitis, qui in igne positus, nec unam guttam aquæ habuit? Quanto sapientius feciisset, si sibi imposterum providisset, sicut scriptum est: *Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent?* Unde merito sequitur in Psalmo: *Homo, cum in honore esset non intellexit. Quis sapiens & intelliget hæc?* Pauciissimi sunt. *Beatus dives, qui inventus est sine macula: & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum?* Unum ex duobus: aut non credis, aut non speras, qui sic thesaurizas hic, & sic negligis futura.

Mat.6.

Luc.12.

Psal.48.

Ibidem.

Luc.16.

Deut.32.

Psal.48.
Ps. 106.
Eccli.31.

(*b*)

VIII. *Nolite ergo soliciti esse. Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus.* Non terrena, sed spiritualia a viris maxime religiosis quærenda esse bene notavit D. Hieronymus (*b*) ad illud Prophetæ: Ubi ducebat Spiritus, sequebantur & rotæ. Dicamus, inquit, hoc de interiore homine. Rota modulo quodam vestigio stat in terra, imo, potius

Ezech.1.

(*a*) De Consol. Philosoph. lib. 3. prosa 3. per totam.

(*b*) Breviar. in Psalter. Psal. 76. in ea verba: *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ.* Quamquam non integrum a S. Oratore, sed contractum affertur testimonium Hieronymi. Nam post illud *cogitare:* ita legimus apud Hieron. *Et quando venerit ad victum, & vestitum, & cætera hujusmodi habens victum, & vestitum his contentus est, & tangens terram ad altiora festinat. Ille, qui currit, & ad altiora festinat, in illo est sermo tuus. Legimus & in Propheta, sancti lapides volvuntur super terram. Videte quid dixit sancti lapides volvuntur super terram. Quoniam enim rotæ sunt, propterea volvuntur super terram, & ad altiora festinant.*

potius non ſtat, ſed quaſi percurrit, non ſtat, ſed tangit & præterit: denique volvitur, & ad altiora tranſcendit. Ita & ſanctus vir: quoniam in corpore eſt, neceſſitatem habet aliquam de terrenis cogitare, ſed tangens terram, ad altiora feſtinat. In illo eſt ſermo tuus, quem legimus & in Propheta Zacharia: ſancti lapides volvuntur ſuper terram. Vide quid dixit: Sancti lapides volvuntur ſuper terram, & ad altiora feſtinant. Sponſus: *Aperi mihi ſoror mea*. Cui illa: *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Acſi metuat pedum inquinationem etiam dum ad Sponſum per terram properat. Pedes victimæ lavari præcepit Dominus ſignificans ſanctificatos ſibi ac conſecratos, non humi jam, ſed per æthera debere incedere. Exemplo Apoſtolorum, qui ſua reliquerunt omnia. Unde Petrus: *Domine, jube me ad te venire ſuper aquas*. Bernardus (*a*) *in Declamationibus:* Antiqui venerunt ad Dominum, ſed inter aquas, nam rebus potiebantur, ideo diviſit illis mare rubrum. Sed Petrus ſuper aquas ambulavit, quoniam divitias calcavit. Pſalmus: *Viam feciſti equis tuis in aquis validis*. Equis, id eſt Apoſtolis. Equus eſt Paulus, de quo dictum eſt: *Ut portet nomen meum*. Equi ſunt reliqui Apoſtoli; ſuper aquas validas, fluxas mundi divitias, quas ſpernere illos docuit Chriſtus exemplo ſuo; de quo in Euangelio ſæpius repetitur: *Præteriens Jeſus: Tranſiens Jeſus*. Bernardus (*b*) contra Eccleſiaſticos pecunioſos. Quid tu camele gibbum? Quid tu pecunioſe proditoris loculos tollis? Non ſic, non ſic impie ingredieris; foramen acus hujuſmodi ſarcinas non admittit.

Zach. 9. *Cant. 5.* *Levit. 1.* *Mat. 14.* *Habac. 3.* *Act. 9.* *Jo. 9.* *Lucæ 4.* *Jo. 13.* *Mat. 19.*

(*a*)

(*b*)

IN DOMINICAM XV. POST PENTECOSTEN

CONCIO.

DE EUANGELIO.

Ibat Jeſus in civitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo Diſcipuli ejus, & turba copioſa.
Lucæ 7. v. 11.

* CONCIO CI.

I. CUM *appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur*. Vel, *noli flere*. Vel, de Epiſtola ad Galatas: *Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus*. Solent diligenter portæ caſtelli cuſtodiri & armari; maxime, quando vallantur ab inimicis. Porta Virgo: porta mundi & porta cœli. Porta mundi Deo: porta cœli mundo. *Hæc porta Domini, juſti intrabunt* per *eam*. Hæc armis inſignita inviolabilibus. Salomon: *Sicut turris David quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Clypeus eſt omnibus invocantibus. Armatura omnis fortium. Omnis modus virtutis. Arma noſtræ militiæ ſpiritualia ſunt. Pſalmus: *Præcinxiſti me virtute ad bellum*. In alio Sancto alius & alius modus armaturæ, juxta donum Dei & ſtatum illius; in Virgine omnis armatura, omne genus virtutum Sanctorum. Cum ad hanc portam per incarnationem appropinquaret Verbum Patris; *Ecce defunctus efferebatur*. Ecce defunctum genus humanum. *Et ibant cum eo Diſcipuli ejus, & turba copioſa*. Tum propter miracula, tum propter ſanctitatem, tum propter verborum ſuavitatem. *Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur*. Judæi foras ſepeliunt; ſed noſtra magis pia conſuetudo. *Defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ: & hæc vidua erat: & turba civitatis multa cum illa. Quam cum vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere*. Ambroſius (*c*): Cito flecti Divinam miſericordiam matris viduæ lamentatione credamus: ejus præcipue quæ unici filii, vel labore, vel morte frangatur: cui etiam viduæ gravitatis meritum, exequiarum turba conciliet. *Et turba civitatis multa cum illa*. P. Auguſtinus (*d*), *de Cura pro mortuis:* Pompa funeralis, concurſus populi, & conditio ſepulturæ, magis ſunt ſolatia vivorum, quam remedia mortuorum. De ſalutari autem hoſtia audenter dico cum magno Gregorio, *lib.*

Lucæ 7. *Galat. 5.* *Pſ. 117.* *Cant. 4.* *2. Cor. 10.* *Pſal. 17.* *Lucæ 7.* *Lucæ 7.* *Ibidem.* *Ibidem.*

(*c*)

(*d*)

(*a*) Seu Gaufridus Abbas in Declamationibus ex Bernardo. Huc ſpectant quæ ibi traduntur num. 7., nimirum: *Quomodo Judæus inter aquas, Petrus ſuper aquas*.

(*b*) Idem Gaufridus in Declamationibus num. 5.

(*c*) In Lucæ Euangel. cap. 7. v. 11.

(*d*) De Cura gerenda pro mortuis cap. 2. *Proinde iſta omnia, ideſt curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompa exequiarum, magis ſunt vivorum ſolatia, quam ſubſidia mortuorum*. Idem habet S. Parens Serm. 172. cap. 2., alias Serm. 32. de Verbis Apoſt.

lib. 4. *Dial. cap.* 55. 57. & 60., quod ea poſt mortem non indigebimus, ſi ante mortem Deo ipſi hoſtia fuerimus. Credendum eſt tamen, ſacram oblationem ſalutaris hoſtiæ, non ſolum viventes adjuvare, verum etiam, ſi culpæ poſt mortem inſolubiles non ſint, animabus mortuorum multum prodeſſe: ita ut hanc nonnunquam ipſæ defunctorum animæ expetere a viventibus videantur. Sed ſciendum eſt, quia illis ſacræ victimæ mortuis proſunt, qui hic vivendo obtinuerunt, ut eos etiam poſt mortem bona adjuvent, quæ hic pro ipſis ab aliis fiunt. P. Auguſtinus (*a*): Orationibus ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro defunctorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari; ut cum eis miſericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum, univerſa obſervat Eccleſia, ut pro eis qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cum ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Sed hoc ſolum Deus ſacrificium accipit, ut ait Gregorius (*b*), *Hom.* 35. *ſuper Euangelia*, quod ante ejus oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit.

(*a*)

(*b*)

Lucæ 7. II. *Cum appropinquaret portæ civitatis: ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ*. Triplex mortuus. S. P. Auguſtinus (*c*): Tria genera mortuorum, ſunt tria genera peccatorum, quos ſuſcitat Chriſtus. Primus in domo. Filia Archiſynagogi intus erat in domo, nondum erat de ſecretis parietibus elata in publicum. Ita teſtatur Euangeliſta. *Ecce*, inquit, *princeps unus acceſſit*, Mat. 9. *& adorabat* Jeſum, *dicens: Domine filia mea modo defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam & vivet. Et ſurgens Jeſus ſequebatur eum, & Diſcipuli ejus. Et cum veniſſet Jeſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem dicebat: Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et cum ejecta eſſet turba, intravit & tenuit manum ejus. Et ſurrexit puella*. Sunt intus, qui peccatum in corde habent, in facto nondum habent. Neſcio quis, commotus eſt aliqua concupiſcentia; dicit enim ipſe Ibid. 5. Dominus: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Nondum acceſſit corpore, conſenſit in corde: mortuum intus habet, nondum extulit: & fit, ut novimus, ut quotidie homines in ſe experiuntur, aliquando audito verbo Dei, tamquam Domino dicente, ſurge, condemnatur conſenſus ad iniquitatem, reſpiratur in ſalutem atque juſtitiam. Surgit mortuus in domo, reviviſcit cor in cogitationis ſecreto. Facta eſt iſta reſurrectio animæ mortuæ intus intra latebras conſcientiæ, tamquam intra domeſticos parietes, conſenſu interiori.

(*c*)

III. Secundus mortuus iſte adoleſcens extra domum. *Cum appropinquaret Jeſus portæ civitatis ecce defunctus efferebatur*. Iſte ergo Lucæ 7. jam non in domo; ſed tamen nondum in ſepulchro, parietibus elatus erat, terræ mandatus non erat. Reperiuntur alii qui poſt conſenſum eunt in factum, tamquam efferentes mortuum, ut quod latebat in ſecreto, appareat in publico: non conſenſu tantum interiori, ſed & opere. Verum, numquid jam iſti, qui in factum proceſſerunt, deſperati ſunt? Nonne quemadmodum in domo, prima reſuſcitata eſt, & viva parentibus reddita; ita extra domum? Unde ſecundo dictum eſt: *Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Et reſedit qui erat mortuus*, & redditus eſt Ibidem. *matri ſuæ*. Sic ergo & qui jam fecerit, ſi forte commonitus & commotus verbo veritatis ad Chriſti vocem reſurgit, vivus redditur. Potuit ad tempus progredi, in æternum perire non poteſt.

IV. Tertius mortuus Lazarus quatriduanus, peſſima conſuetudine ſepultus, fœtet. Sed, nonne & Jeſus *clamavit voce magna: Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus?* Datur ergo & genus aliud peccatorum, Jo. 11. teſte P. Auguſtino (*d*), qui faciendo quod malum eſt, etiam mala conſuetudine ſe implicant, ut ipſa conſuetudo mali non eos ſinat videre quia malum eſt, fiunt defenſores malorum ſuorum. Iraſcuntur cum reprehenduntur: in tantum, ut Sodomitæ quondam dicerent viro juſto reprehendenti nequiſſimam voluntatem: Habitare veniſti, non leges dare. Tanta ibi nefandæ turpitudinis conſuetudo erat, ut jam nequitia eſſet juſtitia, & probibitor potius reprehenderetur quam factor. Tales conſuetudine maligna preſſi, tamquam ſepulti ſunt. Et quid dicam, Fratres, ita ſepulti, ut de Lazaro dictum eſt, jam putet. Moles illa impoſita ſepulchro, ipſa eſt vis diræ conſuetudinis, qua premitur anima, nec ſurgere, nec reſpirare permittitur. Et factum, in conſuetudinem dum vertitur, fit quædam deſperatio. Venit tamen & ad hunc quoque Dominus, cui utique facilia erant omnia, & difficultatem quandam oſtendit ibi. *Infremuit ſpiritu*, oſtendit multo clamore objurgationis opus eſſe ad eos qui conſuetudine duruerunt. Et ad vocem clamantis Domini rupta ſunt vincula neceſſitatis. Tremuit inferni dominatio, redditus eſt Lazarus vivus. Liberat enim & de mala conſuetudine Dominus quatriduanos mortuos. Tres ergo mortui: conſenſu interiori, opere, conſuetudine. Prima ſuſcitata, ſecundus reſedit, tertius ſtatim exiliit. Peccatum dicitur mors: Gen. 19. Jo. 11.

(*d*)

quia

(*a*) Serm. 172. nuper laudato, eodem cap. 2.
(*b*) Homil. allegata in ipſo textu num. 4.
(*c*) Serm. 98., alias 44. de Verb. Domini. Vide etiam tract. 49. in Joann. Euang. num. 3.
(*d*) Hæc habet Serm. 98. nuper allegato num. 5. & 6. Verba ſunt S. Patris uſque ad ea, *& factum in conſuetudinem dum vertitur, fit quædam deſperatio*,

quia ſicut mortem ſic homo debet vitare peccatum. Eccleſiaſtici: *Quaſi a facie colubri fuge peccatum.* *Eccl.* 21.

V. *Cum appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur.* Portæ mortis, ſenſus. Pro quo notandum cum Magno Gregorio (*a*), quod, cum anima inviſibilis ſit, nequaquam corporearum rerum delectatione tangatur, niſi quod inhærens corpori, quaſi quædam egrediendi foramina ejuſdem corporis ſenſus habeat. Viſus quippe, auditus, guſtus, odoratus & tactus, quaſi quædam viæ mentis ſunt, quibus foras veniat; per hos etenim corporis ſenſus, quaſi per feneſtras quaſdam exteriora quæque anima reſpicit, reſpiciens concupiſcit. Hinc Jeremiæ nono: *Aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras.* Mors quippe per feneſtras aſcendit & domum ingreditur, cum per ſenſus corporis concupiſcentia veniens habitaculum intrat mentis. Jam vero licet ex Bernardo (*b*) manifeſtum quoque ſit, quoniam in corporis ſenſibus viſus quidem cæteris omnibus, auditus reliquis tribus dignior, odoratuſque & guſtum & tactum, etſi non utilitate, dignitate tamen ſuperare videatur, & guſtus tactui ſupercellere; quod manifeſtat etiam diſpoſitio ipſa membrorum: dum oculis in ſummitate locatis, aures inferiores ſunt, & auribus nares, & fauces naribus, ipſis etiam faucibus manus pariter, ad quas pertinet tactus, ſubeſſe manifeſtum eſt. *Luc. 7.* (*a*) (*b*) *Jer. 9.*

VI. Ad cuſtodiendam tamen (*c*) cordis munditiam exteriorum omnium ſenſuum diſciplina nobis ſervanda eſt. Nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat, carnales tamen ſenſus puerile quiddam exterius perſtrepunt, & niſi interioris gravitatis pondere, & quaſi juvenili quodam vigore refrænentur, ad fluxa quæque & levia mentem inermem pertrahunt. Videamus quomodo Beatus Job, id quod in eo fluxum ac puerile caro ſapere potuit, juvenili ſapientiæ vigore reſtrinxit. Et quidem de viſu: qui ſenſus cæteris omnibus excellentior, perſpicacior quoque cæteris invenitur, & qui diſcernit multo remotiora; videamus. Vir ſanctus, qui acceptis corporis ſenſibus, velut ſubjectis miniſtris quidam æquiſſimus judex, quomodo culpas conſpexit antequam venirent, & velut inſidianti morti feneſtras corporis clauſerit. *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Ut enim cogitationes cordis caſte ſervare poſſet, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incaute aſpiceret, quod poſtmodum invitus amaret. Valde namque eſt grave, quod caro deorſum trahit, & ſemel ſpecies formæ cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis manu ſolvitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione verſemur, providendum nobis eſt, quia intueri non decet, quod non licet concupiſci. Ut enim munda mens in cogitatione ſervetur, a laſcivia voluptatis ſuæ deprimendi ſunt oculi, quaſi quidam raptores ad culpam. Neque enim Eva lignum vetitum contigiſſet, niſi hoc prius incaute conſpexiſſet. Hinc ergo penſandum eſt, quanto debeamus moderamine erga illicita reſtringere nos, qui mortaliter vivimus; ſi mater viventium per oculos ad mortem venit. Hinc etiam ſub Judææ voce, quæ exteriora videndo concupiſcens, bona interiora perdiderat, Propheta dicit: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Sed quia non actionem tantummodo, verum & cogitationem luxuriæ extinxit, adjunxit Prophetа Domini: *Ut ne cogitarem quidem de virgine.* Sciebat nimirum luxuriam eſſe in corde refrænandam, ſciebat per ſancti Spiritus donum, quod Redemptor noſter veniens, legis præcepta tranſcenderet, & ab electis ſuis non ſolum luxuriam carnis, ſed etiam cordis aboleret, dicens: Scriptum eſt: *Non adulterabis: Ego autem dico vobis:* Quoniam *omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Per Moyſen quippe luxuria perpetrata, per Authorem vero munditiei, luxuria cogitata damnatur. Hinc eſt quod Angelus qui Joannem alloquitur, zona aurea ſuper mamillas cinctus eſſe perhibetur. Quia enim teſtamenti novi munditia etiam cordis luxuriam frænat: Angelus qui apparuit, in pectore cinctus erat, quem bene zona aurea ſtringit: quia quiſquis ſupernæ patriæ civis eſt, non jam timore ſupplicii, ſed amore charitatis immunditiam deſerit. Hinc eſt etiam, quod Diſcipulis primus Eccleſiæ Paſtor dicit: *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrii perfecte ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam.* Lumbos enim carnis ſuccingere, eſt luxuriam ab effectu refrænare: lumbos vero mentis ſuccingere, eſt hanc etiam a cogitatione reſtringere: malum enim luxuriæ aut cogitatione perpetratur, aut opere. Ita Gregorius. *Gen. 3.* *Thren. 3.* *Exod. 20.* *Mat. 5.* *1. Petr. 1.*

VII. In reſurrectione defuncti, quatuor. Primo, appropinquavit. Secundo, tetigit. *Et acceſſit & tetigit loculum.* Tertio, fecit ſtare portitores. *Hi autem qui portabant ſteterunt.* Quarto, clamavit. *Et ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge.* Primum eſt appropinquare. Quando Dominus inſpirat converſionem, imprimit dolorem, ſanat affectum corruptum. Tangit, quando convertit, quando pungit. Siſtuntur portantes; ſcilicet, adulatio, ſpes vitæ, præſumptio miſericordiæ Dei, aſpectus ad peccatores. Clamat: *Adoleſcens, tibi dico, ſurge.* *Luc. 7.* *Job 31.*

Num-

(*a*) Moral. lib. 21. cap. 2., cujus verba referuntur uſque ad allegationem S. Bernardi.

(*b*) Teſtimonium hoc uſque ad ea verba, *ſubeſſe manifeſtum eſt*, legitur in Serm. 10. de Diverſ. num. 4., licet paulo aliter expreſſum, ita tamen ut idem prorſus ſit ſenſus.

(*c*) Ab his verbis uſque ad ea, *ita Gregorius*, excerpta ſunt omnia ex lib. 21. Moral. ejuſdem S. Doctoris cap. 2., licet non eodem ordine, quo ibi digeſta leguntur.

Numquam dixit: Senex, tibi dico, ſurge. Difficilis converſio in ſenectute. *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* *Prov. 22.* *Puer centum annorum morietur.* *Iſaiæ 65.* *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas.* Igitur, *memento Creatoris tui, in diebus juventutis tuæ.* *Jer. 13.* Capite ultimo Eccleſiaſtæ. *Antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas: non mihi placent.* *Eccl. 12.* *Antequam tenebreſcat ſol*, id eſt intellectus. *Et lumen*, id eſt viſus. *Et luna*, id eſt memoria. *Et ſtellæ*, id eſt ſenſus. *Et revertantur nubes*, id eſt cataractæ. *Poſt pluviam*, id eſt pituitam. *Quando commovebuntur cuſtodes domus*, id eſt coſtæ, quæ cuſtodiunt arcam corporis & inteſtina. *Et nutabunt viri fortiſſimi*, id eſt crura partes in juventute robuſtæ. *Et otioſæ erunt molentes in minuto numero*, id eſt molæ erunt otioſæ, quia deciderunt relictis gingivis. *Et tenebreſcent videntes per foramina*, id eſt oculi. *Et claudent oſtia in platea*, id eſt greſſus erunt infirmi, & non poterunt ambulare. Vel *platea*, publica facies. Et *oſtia*, ſenſus qui clauduntur tempore ſenectutis. *In humilitate vocis molentis;* quia mandibulis contuſis, vox infirma eſt, & minime ſonora, & verba imminuta & ſciſſa; mandunt enim jam verba ſenes. *Et conſurgent ad vocem volucris*, id eſt galli cantu excitabuntur, & ſurgent: non valentes jam dormire, quia ſomnus minor eſt, calore diminuto. *Et obſurdeſcent omnes filiæ carminis*, id eſt aures, jam non percipientes melodiam, ut dixit Berzellai ad David. *Excelſa quoque timebunt.* *2. Reg. 19.* Caput contremeſcet: vel formidabunt ire per excelſa præ infirmitate crurium. *Et formidabunt in via* plana, ſcilicet, hac & illac vacillantes baculo innixi. *Florebit amygdalus*, id eſt caput canitie albeſcet tamquam amygdalus. *Impinguabitur locuſta*, id eſt podagra; quia tumeſcent membra, vel pituita, quæ tunc augetur in oculis. *Et diſſipabitur capparis.* Concupiſcentia, id eſt libido frigeſcet. *Quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* Sepulchrum vel aliam vitam intellige. *Et circuibunt in platea plangentes.* Funera vel lacrymas ſponte per faciem, quam dicit plateam defluentes: tempore ſenectutis intellige. *Antequam rumpatur funiculus argenteus.* Vox de pulmone attracta & ſonans, vel ipſe halitus quo aſpiramus, qui morte rumpitur. *Et recurrat vitta* vel vita *aurea*, id eſt adveniat vita ſimilis vitæ innocentiæ, vita nova, melior iſta miſera, quæ erit poſt diſſolutionem; vel vita *aurea*, id eſt anima *recurrat*, ſcilicet ad Factorem. *Et conteratur hydria*, corpus. *Super fontem:* & diſſolvatur vita, ut effundatur aqua. *Et confringatur rota*, id eſt artificium hoc magnum organorum diſſolvatur. Hac rota extrahitur aqua in morte ſcilicet. *Et revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus*, id eſt anima, *redeat ad Deum, qui dedit illum:* non enim ab homine eſt per generationem, ſed a Deo creatur. Hæc Hieronymus (*a*).

(*a*)

VIII. Tria fecit ſanando. Primum *reſedit*. Peccator, quamvis vivus, non ſtatim ſurgit: adhuc pondus concupiſcentiæ. *Mundans non faciet innocentem.* *Lucæ 7.* Secundo *cœpit loqui*. Pſalmus: *Et immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro.* *Nahum 1.* *Lucæ 7.* Tertio *dedit matri ſuæ.* *Pſal. 39.* Hæc eſt perfecta reconciliatio, quando reſtituitur homo priori ſapientiæ: mater enim juſtorum ſapientia eſt. *Lucæ 7.* Eccleſiaſtici tertio: *Filii ſapientiæ, Eccleſia juſtorum.* Deinde ſequitur timor lætitiæ, & magnificatio Domini. *Eccli. 3.* *Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum.* *Lucæ 7.*

IN

(*a*) In Cap. 12. Eccleſiaſtæ.

IN DOMINICAM XVI. POST PENTECOSTEN CONCIO.

DE RATIONIBUS ET DAMNIS SUPERBIÆ.

Qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.
Lucæ 14. v. 11.

* CONCIO CII.

I. IN imagine perfecta quisque aliud, & aliud notat. Unus oculos, alius vestes, alius agilitatem, &c., & licet tota pulchra sit, tamen quædam particularitas annotatur. Ita in Virgine, licet tota perfecta sit, tamen Deo in ea placuit humilitas. Sic ipsa ait: *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Et Bernardus: Humilitate placuit, virginitate concepit. Angelis autem placuit in ea virginitas, quia virginitas est cognata Angelis. Hominibus autem miseris, misericordia magis placet, ut ait Bernardus (*a*); quia ista virtute magis indigent. Diximus in alio sermone (*b*), quam vitium magnum sit & periculosum superbia; nunc ejus radicem inquiramus, & originem ejus investigemus. Unde in omnibus morbus iste? Utique ex duobus: ex nimio amore sui, & ex ignorantia sui. Nam, quia nimis nos diligimus, ideo propriam excellentiam appetimus: & quia ignoramus, qui sumus, ideo superbimus. Sufficit enim ad omnem humilitatem cognitio sui. O si aperiret Deus oculos nostros, & videremus, quanta est insufficientia, paupertas, & miseria nostra, & quam modicam habemus, imo, nullam superbiendi occasionem! Non miror ego Luciferum in cœlo positum, Angelum lucidum, pulcherrimam potentissimam, nobilissimam creaturam, immortalem, incoream, impassibilem, nullis molestiis obnoxiam, altissimi intellectus, liberrimæ voluntatis, cæteris præpositam, Dei gratiis & donis decoratam, in tanta sublimitate superbire, (licet male & perverse) non miror: habuit occasionem a sua magnitudine & pulchritudine. Sed tu vermis de terra putridus, in hoc sterquilinio constitutus inter viperas, & serpentes, & bruta, infimus, pauper, & egenus, laboribus, & infirmitatibus onustus, morti subjectus, futurus post modicum esca vermium, & inferni, nisi caveris; in hoc carcere, ferro & catenis ligatus post modicum sententiandus ad furcam inferni forsitan; in tanta vilitate, in tanta miseria, paupertate, & discrimine constitutus, unde tibi superbia? Unde inquam, gloria putride pulvis? Quæ occasio superbiendi? O stultitiam, o insaniam, o phrenesim intolerabilem, omni inferno digniſſimam, omni cruciatu puniendam! Si enim superbientibus Angelis non pepercit, sed sic damnavit; hanc tuam superbissimam superbiam, sine occasione, quo inferno castigabit? Bernardus (*c*): O mira fatuitas cordis nostri! Cujus cervicem domare tanta humilitatis materia non sufficit. O stulte, quid gloriaris in tanta paupertate & miseria? O Domine, quomodo aggravasti super me manum tuam! Quantis nos miseriis, & laboribus in hac vita gravasti! Omnia hæc necessaria fuerunt ad domandum superbiam nostram. *Audivimus*, inquit, *superbiam Moab, superbus est valde.* Quod si, cum quotidie hoc patiamur, & videamus nos in sepulchris putrescere, superbi sumus; quis toleraret nostram superbiam, si in deliciis, & immortales mansissemus? Si hæc omnia dissimulamus, quasi non videamus; quid esset si in paradiso deliciarum essemus? Quis nostram superbiam toleraret? Jeremias: *Castigasti me Domine, & eruditus sum, ut juvenculus indomitus.* Exemplum de Domino habente servum insolentem, superbum, & protervum; qui ad ejus ferocitatem, & protervam domandam, eum ferro & catenis onerat, & quotidie flagellat, & modico pane pascit. Sic omnino fecit Deus nobis ex sua misericordia, ne pereamus. Psalmus: *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Ex hoc apparet, quam cæcus, quam insanus, quam stultus sit omnis superbus, qui in tanta paupertate & miseria gloriatur.

II. O stultissime! De quo gloriaris, qui nec

Lucæ 1.

Isaiæ 14.

Isaiæ 16.

Jer. 31.

Psal. 118.

(*a*) Serm. 4. in Assumptione B. V. Mariæ num. 8. *Nos quidem servuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem: humilitatem miramur: sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius invocamus.* Vide Homil. 1. super Missus est num. 5. pro superiori allegatione.

(*b*) Concione in Dominicam 10. post Pentecosten.

(*c*) Serm. 26. de Divers. num. 1. *O mira fatuitas cordis nostri! cujus elationem perfecte reprimere, cujus cervicosos motus omnino domare, humilitatis materia tanta non sufficit, quin superbiat adhuc terra, & cinis.*

nec unam bonam cogitationem ex tuo habere potes, nec unum bonum desiderium? *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1. Cor. 4. Forsitan gloriaris, quia multum accepisti? Inde magis humiliari, & timere debueras: sciens, quia *cui multum datum est, multum quoque quæretur ab eo;* Luc. 12. & quod quanto magis crescunt dona, tanto magis rationes crescunt donorum. Ergo: *Noli altum sapere,* Rom. 11. *sed time*, ne forte in vacuum gratiam Dei 2. Cor. 6. acceperis, & pro talento suffosso, in tenebras Mat. 28. mittaris exteriores. Quod si de bonis spiritualibus, quæ vere bona sunt, gloriari stultum est; quid dicam de hujus sæculi hominibus, qui de divitiis, & dignitatibus, & honoribus gloriantur? Qui pro gloriæ inanis vento, tam anxie desudant? *Stultorum,* Eccl. 1. ait Sapiens, *infinitus est numerus:* vix est reperire hominem, in quo non sit aliquid stultitiæ, cum & in cujusvis spiritu sit aliquis dolus. Unde dicitur: quod Athenis (a) duo philosophi (*a*) sedebant in foro; unus omnes ridebat, alius omnes plorabat; & qui ridebat, plorantem ridebat, & qui plorabat, ridentem plorabat. Uterque rationem habebat, sed majorem qui plorabat: nam vere deploranda potius, quam ridenda est tanta hominum cæcitas, & insania. Psalmus: *Deus de cœlo prospexit super filios hominum: ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Psal. 52. Non est sensatus sine errore, sine vanitate, qui collimet in scopum veritatis. Dic mihi o superbe omnium hominum stultissime: quod tantum est bonum in gloria ista mundi, in hac existimatione populi, ut pro illa sic labores, sic fatigeris, sic anxieris? Quæ utilitas, si omnes te æstiment, omnes te honorent? Si avarus quærit divitias, nimirum habet commodum ex eis, domum bonam, vestes, cibos, & oblectamenta; sed ubi quid prodest ventus iste vanæ existimationis? Chryso- (b) stomus (*b*): Pone, quod in foro omnes te honorent, & admirentur, & laudent, & ultimum honorem attingas, reversus domum tuam, quid habes de illo vento? Evanuit sicut fumus, & disparuit sicut umbra. Nonne si famescis utilius tibi est fructum panis, quam tota illa inanis gloria? Et tamen pro

A hac quid non faciunt homines? Quid non sustinent? Quid non aggrediuntur? Quæ discrimina, quæ pericula non subeunt? Opes dilectissimæ, longo labore quæsitæ, si modicum honoris arriserit, largissime effunduntur; vita carissima pro modica gloria periculo exponitur, quasi post mortem aliquid ad eos pertineret de ista gloria. Numquid non hæc aperta insania & extrema dementia est? Et tamen in mundo quis non insanit? Multos, inquit Chrysostomus (*c*), ab aliis vitiis (c) inveni liberos, inveni modestos, castos, liberales; sed qui oblatum contemnat honorem B reperi neminem, cum sit insania manifesta. Bernardus (*d*): Si ad vestrum, inquit, tribunal adstare deberem, merito vestrum de (d) me judicium existimarem; sed qui me judicat Dominus est. Quid ad me, si vos me 1. Cor. 4. æstimatis, vel contemnitis? Numquid ideo bonus, aut malus sum, quia vos me approbatis, aut reprobatis? An non ego me melius novi quam vos? Nemo enim novit quid *Ibid.* 2. sit in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Cur ergo relicto meo judicio, vestram de me sententiam requiro? Sicut, si habens oculos claros, cæcorum judicium de C pictura requirat. Si ego novi, quod vitiosus sum, & indoctus, quid mihi prodest, quod vos me sapientem, & studiosum reputetis? Non est hæc gloria, sed injuria, non est honor, sed irrisio. P. Augustinus (*e*): (e) Falsus honor non delectat, sed pungit. Hic honor non mihi lætitiam, sed magnam causat confusionem, & pudorem. Pudeat, pudeat decipere plebeculam, pudeat esse populi illusorem. Non confunderis, non erubescis honorari justus, & bonus, qui te nosti peccatorem & profanum?

III. Quod si sola hæc esset stultitia, propter hoc fugienda esset superbia; sed præter D hoc, pœna etiam gravissima punienda est in inferno. O quomodo deplorabitur in inferno hæc stultitia! *Quid nobis profuit superbia,* Sap. 5. *aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles;* scilicet, pro vano honore quærendo. *Non luxit nobis lumen, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Tunc apparebit insania, deplorabitur stultitia. O Fratres mei, nolite exspectare ad illud tempus, nunc nunc aperite oculos, nunc fugite hanc dementiam. Quod si vos delectat gloria, ju-

(*a*) Scilicet Democritus, & Heraclitus, de quibus Seneca de Ira lib. 2. cap. 10. *Heraclitus*, inquit, *quoties prodierat, & tantum circa se male viventium, immo male pereuntium viderat, flebat, miserabatur omnium, qui sibi læti, felicesque occurrebant... Democritum contra, ajunt, nunquam sine risu in publico fuisse: adeo nihil illi videbatur serium eorum, quæ serio gerebantur.*

(*b*) Homil. 43. ad popul. de Vana Gloria, & Ambitione, circa med. *Dic enim mihi quid habet boni a multis circumspici? Inanis est gloria, nec quidquam aliud. Nam domum revertere, & solus esto, & totum illico defluxerit. In forum processisti, præsentes in te convertisti, & quid amplius? Nihil: extinctum est, & evanuit tamquam fumus diffusus.*

(*c*) Homil. præallegata sub initium. *Non est enim, non est, inquam, vitium ita tyrannicum, & ubique dominans, ex majori quidem, vel ex minori parte, attamen ubique.*

(*d*) Serm. 7. de Divers. num. 2. *Fratres, si me ante vestrum oporteret tribunal adstare, merito super vestris laudibus gloriarer. Quod si vel meo ipsius essem judicandus examine, jure meo ipsius testimonio contentus propriis laudibus delectarer. Nunc autem cum nec vestro, nec meo, sed Dei sim judicio præsentandus; quantæ insipientiæ, immo & insaniæ est, aut in vestro me, aut in meo ipsius testimonio gloriari?*

(*e*) Vide Tract. 100. in Joann. Euangel., & Enarrat. in Psal. 140.

vant honores, si delectat dignitas & pompa, non renuo, sequimini; sed quærite veram gloriam, veros honores, veras dignitates. 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Ibid. 10. *Qui gloriatur in Domino glorietur.* Non prohibeo gloriam, sed in Domino. Nulla quoque major dignitas, quam servire Christo: nam servire Deo regnare est. Quantus erit honor, amicum esse Dei, civem cœlorum, Angelorum socium, amicum cœlestium potestatum; agnosci in cœlo, visitari ab Angelis? Non quæras gloriam in hoc vico, sed in cœlesti urbe. Quanta erit pompa servorum Dei? Servus Dei toti imperat creaturæ, & obedit ei. Psalmus: *Quid mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram?* Psal. 72. Elias, cum voluit, cœlum aperuit, pluviam dedit. 3. Reg. 18. Dic alicui potenti, ut pluviam nunc adferat mundo sitienti. Moyses mare aperuit. Quare non fuit in exercitu (*a*), qui sedaret mare Algerini? Si superbus esse cupis, ego docebo te superbiam laudabilem. Cognosce te creaturam nobilem, animam Dei imagine insignitam, speciem pulchram, & formosam, Angelo similem, & dedignare vanos istos honores, & pueriles, glorias quærere. Dedignare divitias terrenas concupiscere, dedignare in tanta pulchritudine vitiis subjici, & luto sæculi fœdari, & peccatis, & immunditiis deservire. Memento quod nobilis es civis cœlorum. Hæc vera, & sancta superbia est, Deo & Angelis accepta. Exodi 14. (*a*)

IV. Sed jam damna superbiæ dicamus, quæ multa sunt. Nam, primo facit hominem Deo & hominibus odiosum, sicut ait Sapiens: Eccli. 10. *Odibilis coram Deo est, & hominibus superbia.* Quantum Deus superbiam odit, Lucifer testis est, testis est Adam, testis Nabuchodonosor, qui propter superbiam versus est in bestiam. Est etiam hominibus odibilis superbus, quia rixosus, contumeliosus, iracundus, protervus, damnosus, malemoratus, etiam contra illum qui nihil nocuerit, nihil molestе egerit. Quis toleret hominem stultum, turgidum, inflatum, præsumptuosum? In summa ignominia glorioſum, in summa vitiorum miseria præsumptuosum? Illam cæcitatem, illam insaniam non sustinet videre oculus, nec sapiens tolerare. Isaiæ 14. Gen. 3. Dan. 5.

V. Secundo: facit hominem servum vilem, & abjectum: nam pendet ab opinione hominum, quid de illo sentiat populus; si murmurat de illo; si contemnitur; si despicitur; si non fit ei reverentia, quam cupit, indignatur omnibus; servit, ut ab omnibus honoretur. O duriſſimam servitutem! Quanto major humilis, quia omnia illa contemnit, & non curat! O quam dominus omnium est, qui hominum opiniones de se despicit! Psalmus: *Dejeciſti eos dum allevarentur.* Non solum, *qui se exaltat, humiliabitur*, sed ipsa eorum exaltatio, ut ait Gregorius (*b*), dejectio est, & humiliatio. Psalmus: *Non veniat mihi pes superbiæ.* Pes est calcans, & pessumdans hominem, nam unde putat fieri illustris & glorioſus, fit servus vilis, & abjectus. Psal. 72. Luc. 18. (*b*) Psal. 35.

VI. Tertium damnum: facit hominem incapacem donorum Dei. Nam, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Psalmus: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam: Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.* Non sentit spiritum, non sentit dulcedinem, non habet devotionem, nec alia Dei dona; nam amplius superbiret, & essent ei in damnationem. Unde grandem mercedem facit Deus non dando dona, ne fiant ei in interitum. Est magna ægritudo superbia, quæ peccatis sanatur; & virtutibus, & donis augetur. Jacob. 4. Ps. 130.

VII. Quartum damnum: superbia omnes virtutes & dona destruit: est enim virus virtutum, donorum pestis, tinea gratiarum. Ex virtute generatur, & virtutem rodit & destruit. Da hominem omnibus virtutibus, & donis, & gratiis plenum, si adsit superbia, totum perditum est, totum ei vertitur ad ruinam. Vide: quid profuit Lucifero tanta pulchritudo cum superbia? Melior est peccator humilis, quam justus superbus. Respice Pharisæum & Publicanum; unde Dominus in Euangelio: Si ego quæro gloriam meam, gloria mea nihil est. Hanc igitur pestem omnium bonorum omnes fugiamus, occidamus eam. Sed quomodo? Sicut David gigantem Goliath suo gladio jugulavit, ut ait Bernardus (*c*). Si videris te aliqua virtute, vel dono Dei superbientem; statim conversus ad te, dic: Quomodo tam exiguus sum ego, & tam vilis, quod de tam modico bono extollor? Quam modicum valeo? Quam indignus sum, ut alia præstentur dona? Quam modicum capio? Quomodo mihi Deus dabit dona sua, qui tam leviter superbio? Hoc est superbiam in corde tumentem, suo gladio jugulare. Valet etiam ad coercendam superbiam Sanctorum comparatio & conversatio. Cum tibi magnus videris, compara te alicui Sanctorum, lege vitam ejus, & videbis, quod in comparatione illius quasi formica sis ad elephantem. Sic solent rustici in suo vico gloriari in pauperiores, sed cum veniunt ad civitatem, reputant se ut servos. O quanta est nostra paupertas, si ad Sanctorum divitias comparatur! Isaiæ 14. Luc. 18. Jo. 8. 1. Reg. 17. (*c*)

(*a*) Alludit ad memorandam illam tempestatem, quæ florentissimam Caroli Quinti classem, in Algeriana expeditione anno 1541. suscepta, pene totam absumpsit, demersis centum supra triginta navibus, præter triremes quindecim. Quæ quidem implacabilis tempestas in causa fuit, ut re infecta, Cæsar in Hispaniam reverti coactus sit; deficiente nimirum annona, cæterisque ad urgendam adversus Barbaros pugnam necessariis. Calamitatem narrat, qui eidem interfuit, immo & in ea vulneratus est, Nicolaus Villagagnonius, cujus Historia extat apud Schardium tom. 2. Scriptor. Rer. Germanic.

(*b*) Moral. lib. 32. cap. 9. *Impius ergo in loco suo conteritur, quia ipsa superbia, qua elevatur, opprimitur.*

(*c*) Serm. in Dom. 6. post Pentec. num. 6. Vide etiam pro iis, quæ sequuntur, Sermonem ejusdem S. Bernardi 36. de Divers. num. 3. & 4.

ratur! Valet etiam Sanctorum conversatio plurimum: videre eorum contemptum gloriæ, & divitiarum, quomodo omnia ut stercora arbitrantur; habent enim meliores & pretiosiores divitias: gaudent in præsenti sæculo humiliari, recordantes promissionis Domini; quod *qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*. Gaudent hic despici, contemni, pro nihilo haberi pro Domino. Psalmus: *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti*. Scientes, quod pro hac dejectione magnum habent in cœlo repositum honorem, & supereminentem gloriam: ad quam nos perducat Jesus Christus Dominus noster. Amen.

Philipp. 3. *Luc. 14.* *Psal. 89.*

IN DOMINICAM XVII. POST PENTECOSTEN

CONCIO PRIMA.

DE MANDATO AMORIS.

Diliges Dominum Deum tuum, &c.
Matth. 22. v. 37.

Concio CIII.

I. DE re locuturi sumus, qua nulla excelsior, nulla utilior est in universo. Det Dominus sensum, & aperiat ostium sermonis; ut sentiamus quod debemus, & dicamus quod sentimus. De amore Dei futurus est sermo, de quo nullus recte loquitur, nisi amans: habet enim amor proprium idioma, quod solus novit amator. Nemo igitur hujus materiæ idoneus auditor, nisi amator: nemo idoneus orator, nisi qui præ cæteris amore pollet: quo enim quisque ferventior amator est, eo facundior, vehementior, atque potentior orator existet amoris. O qualia sunt amantium verba! quam fortia, quam ignita, quam suavia, quam penetrantia, quam potentia! Quasi scintillæ ab igne exeuntes, ita penetrant corda. Neque Demosthenes, neque Cicero ita loquitur sicut amor. Vere enim *ex abundantia cordis os loquitur*: & ex pinguedine cordis pinguia quoque procedunt eloquia. *Sicut adipe* ergo, & *pinguedine repleatur anima mea* Domine: & sic, *labiis exultationis laudabit os meum*. Mitte Domine unctionem tuam, quæ doceat nos de omnibus; ut recte loquamur de amore tuo, & eundem amorem in visceribus nostris veluti magistrum infunde; ille est enim, qui revelat mysteria. Fac hoc mitissime Deus, almæ tuæ Genitricis precibus exoratus. Cujus favorem, & auxilium omnes humiliter imploremus, Angelicam salutationem offerentes.

Mat. 12. *Psal. 62.* *1. Jo. 2.*

II. Præcipis Domine, atque severo nimis injungis mandato, ut amem te, & in omnibus, & super omnia diligam te. Itane Domine tam iniquus ego sum, & tam ingratus, ut tali indigeam mandato? Postquam a te factus sum, & tanto pretio redemptus, post tot & tanta beneficia, quæ mihi quotidie præstas, opus est mandato, ut diligam te? Confundis me utique Domine, & hoc tuo mandato valde me convincis. Sed, o suave nimis, & dulcissimum mandatum, o jucundum, & leve præceptum! Gratias tibi Domine pro tam benevolo, & tam grato mihi mandato tuo: sponte currenti calcaria addidisti. Et quid mihi gratius quam amare te? Quid jucundius quam te diligere? Et quis potest non amare te Domine mi? Si præciperes, ut non diligerem te, hoc mihi impossibile, & intolerabile videretur; tolerabilior propemodum infernus est, quam non diligere te. Cum enim de inferni cruciatibus sermo incidit, quod animum meum præ ignibus (*a*), & tormentis omnibus magis terret, hoc est: quod, ut fertur, qui illic cruciantur miserrimi, oderunt te & maledicunt. O miseras & infelices creaturas, quæ talem vicem rependitis Authori vestro, Deo vestro! Absit hoc a me, ut unquam te diligere cessem. *Si oblitus fuero tui* Deus meus, *oblivioni detur dextera mea; adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero te* Domine mi, *in principio lætitiæ meæ. O quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!* Attendite Fratres charissimi, attendite, & videte qualia præcepta nobis injungit Deus noster, non aspera, & difficilia, non gravia, & importabilia. Non qui-

(*a*)

Psal. 136. *Psal. 72.* *Ps. 105.*

(*a*) Familiaris erat S. Oratori nostro sententia hæc, ac passim dicere consueverat: sibi propemodum tolerabilius videri se in infernum præmitti, quam non diligere Deum, & præ ignibus, & tormentis magis terreri, quod qui cruciantur in inferno Deum oderunt. Ita testatur Card. Pallottus in relatione habita coram Summo Pontifice pro Canonizatione S. Thomæ de Villanova apud P. Aznar in Serie Actor. Canon. Porro ex hac, & duobus sequentibus Concionibus facile colliget Lector, quo Divini amoris incendio flagraret S. Orator.

quidem jugulare filios, ut olim crudeliſſimi dæmones idolorum cultoribus præcipiebant, non lacerare carnes verberibus, non pedibus nudis ſuper ferreos tribulos ambulare. Sed quid? *Hoc eſt*, inquit, *præceptum meum*, *Jo.* 15. *ut diligatis invicem. Mandatum novum do vo-* *Mat.* 13. *bis, ut diligatis invicem. Diliges Dominum* *Ibid.* 22. *Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, nihil aliud peto, nihil aliud a vobis requiro, ſolum amorem flagito, hoc ſolo pro tot beneficiis & donis contentus ſum. O homo! Ama, & regna. Ama, & omnia quæ habeo tua ſunt. Audiſtis umquam aliquid clementius aut benignius? Audiſtis umquam tam clementem Dominum, qui a ſervis ſuis hoc ſolum exquirat obſequium, ut ametur? Si quis Rex a domeſticis ſuis pro omnibus donis ſuis ſolum repeteret amorem, neque omnino aliud injungeret obſequium; quam pius, quam clemens haberetur? Talis eſt Rex noſter, Fratres, talis eſt Dominus noſter. O qualem Dominum habemus Fratres mei! Quam bene hoc noverat, qui di- *Pſal.* 18. cebat: *Lex Domini immaculata, convertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis. Juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.* Præcepta, inquam, Domini *deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum: & dulciora ſuper mel & favum.* Quid enim jucundius, quid dulcius, quam amare? Quid ſuavius, quid levius? Quid eſt vita ſine amore, niſi atrociſſima mors? Qui non amat, etiam dum vivit mortuus a corde eſt; vita enim cordis amor eſt.

III. Quis excuſari poterit a tali præcepto? O quam juſte damnatur æterno ſupplicio, qui perpetuo maluit ardere, quam amare; ſi enim ex charitate diligeret, in inferno non arderet. Nimis non dico te, ſed ſeipſum odiſſe convincitur, qui potius elegit ardere, quam diligere. Quid vidiſti in Deo tuo o damnate, quid vidiſti? qui ne diligeres, ardes. Quam excuſationem afferre poteris in judicio, qui neque juſſus quidem infinitam Dei bonitatem amare, paruiſti? Non maria ſulcare præceptum eſt tibi, non penetrare nubes, non nudis pedibus ulteriorem Indiam adire: de cellario cordis implere poteras præceptum & contempſiſti. Quid dicturus es in poſtremo illo examine, quid ad tam immenſam clementiam reſponſurus? Hoc eſt quod Dominus per Iſaiam populo ſuo ex- *Iſaiæ* 43. probrat, dicens: *Non me invocaſti Jacob, neque laboraſti in me Iſrael. Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui, & victimis tuis non glorificaſti me: non te ſervire feci in oblatione, neque laborem tibi præbui in thure. Non emiſti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriaſti me. Verumtamen ſervire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Ac ſi diceret. Non tibi aſpera præcepta dedi, *Mat.* 23. non tibi gravia onera & importabilia impoſui, non omnem tuam ſubſtantiam in meis ſacrificiis & oblationibus expendere præcepi; facilia ſunt quæ imperavi tibi, & tu pro nihilo habuiſti præcepta mea, & in peccatis tuis triginta tres annos ſervire me feciſti, & ad ultimum pro te abjectiſſimam & acerbiſſimam mortem ſufferre. Utique ſi gravia tibi imperaſſem & facere debueras: quanto magis, quia non dixi tibi, niſi ama, & regna. Hæc omnia ad populum novum quem creavit ſibi, id eſt Chriſtianum, cui, quia ipſe ſacrificium & hoſtia eſt, nullum aliud ſacrificium impoſuit, ſicut veteri illi Hebræorum populo, ſed ſuum dumtaxat indixit amorem.

IV. O quam juſtum & æquum eſt Domine, ut amet te opus tuum quod feciſti! Opus quod plaſmaverunt manus tuæ! Gratis feci- *Job* 10. ſti illud, nec tibi opus erat, ut faceres illud, ſed ſpontanea voluntate illud creaſti. Ad quem igitur, niſi ad te debuit eſſe converſio ejus? Si pictor imaginem pulchram depinge- *Cant.* 7. ret in tabula, & illi viſum dare poſſet, & ſenſum, ut ſeipſam, pulchritudinem ſuam, & pictorem ſuum agnoſceret, & coram ſe poſitum videret; quo amore, qua benevolentia exiſtimas diligeret ipſum? Aut quid aliud imago illa toto conatu ageret, quam amare, laudare, colere, & venerari pictorem ſuum, a quo habuit ut eſſet, & tam pulchra eſſet? Numquid, obſecro, non tota in amorem ejus incandeſceret? Numquid non die noctеque pro tanto beneficio illi gratias ageret? Et tu homo non ſolum hujus tanti, & tam mirifici pictoris imago es, quia ipſe te fecit; ſed quod majus eſt, quia in te ſeipſum depinxit, ad imaginem enim ejus plaſ- *Gen.* 1. matus es, ut ipſa te ſimilitudo ad amorem ejus amplius incitaret. Quanti igitur piaculi reus es, ſi tantam neglexeris gratiam, & tanti immemor fueris beneficii? Illi namque debes quicquid es, quicquid potes, quicquid ſapis, te totum denique. Cui enim debetur fructus, niſi ei qui plantavit arborem? Illi igitur integrum debes amorem, qui tibi amandi præſtitit facultatem: illi debes omnes cogitationes, qui vim intelligendi animæ tuæ inſeruit: illi debes deſideria omnia tua & appetitus, qui appetendi, deſiderandique potentiam in te plantavit. Si quam igitur cogitationem, ſi quam dilectionem in aliud expendis, ſi quid aliud cupis aut ſapis, ſi quid agis vel meditaris, quod non ipſe eſt, aut propter ipſum eſt, fur es, & latro, & alienum eſt quod prodigis. Unde *Mat.* 12. & in judicio non ſolum de verbo otioſo, ſed etiam de cogitatione vaga, & deſiderio vano rationem reddere cogeris. Illi enim qui tibi præſtitit ut eſſes, omnis actus & operatio tua jure debetur. Non igitur tibi fit injuſtitia; ſi a te exigitur, ut ex toto corde, & ex tota anima, & ex omni mente diligas ipſum, ac ex te toto, quia totus illius es. Tres enim potentias, velut tres plantas, in te plantavit Altiſſimus: intellectum ſcilicet, voluntatem, & memoriam. Horum trium a te jure ſuo fructum ex-

expoſcit, cum præcipitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ex *tota anima tua*, & ex omni *mente tua*. *Mat. 22.*

V. Satis, ut opinor, innotuit ex dictis bonitas, & clementia Præceptoris talia præcepta populo ſuo largientis: non poteſt de illis dici, quod de aliis quondam dictum fuit: *Dedi eis præcepta non bona, juſtitias in quibus non vivent*. *Ezech. 20.* A bono enim & optimo Præceptore, bona & optima præcepta expectanda erant. Nam & illa de quibus ait, quod bona non erant; propter ſubditorum inertiam bona non erant: quia ſcilicet perfectiorum præceptorum capaces non erant, tamen pro tempore, & populo illo bona. Unde & populo novo, novum quoque injungit mandatum, dicens: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*. *Jo. 13.* Quomodo Domine novum eſt, quod tamdiu a te datum eſt? Utique novum, quia *non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo* clamatis, *Abba* (*Pater*). *Rom. 8.* Lex enim amoris eſt non timoris, quam præſto. Novum ergo eſt, quia novo modo datum eſt: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis ſcriptum. *2. Cor. 3.* Novo etiam modo impletum eſt; Deo enim nos uſque ad mortem crucis diligente. Dum tam inſignem erga homines oſtendit amorem, didicerunt homines novo modo amare illum, cujus tam novam & inauditam experti ſunt dilectionem. Vetus ergo & novum eſt mandatum dilectionis, ut ait Joannes *in Epiſtola*. *2. Jo. 4.* Vetus quoad traditionem, novum quoad vim amoris & intenſionem. Jam enim homines & ſe, & ſua pro Dei amore libenter exponere cœperunt, ex quo ipſum flagranti amore pro eis in cruce pendere, Apoſtolis prædicantibus, audierunt.

VI. Eſt quoque aliud non minus in iſto præcepto ponderandum, quod Dei magnificentiam largitatemque demonſtrat; videlicet, quæ pro tam leni ac ſuavi mandato, grande nimis, & in æternum præmium repromittitur. Teſtis eſt Apoſtolus qui ait: Nec *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*, quod repromiſit *Deus iis qui diligunt illum*. *1. Cor. 2.* O ineffabilem largitatem! Amantibus talia promittit. Et quænam remunerandi ratio in amore? Quis labor, quæ moleſtia, quæ difficultas, quod diſpendium eſt amare? Ipſe amor ſibi grande præmium eſt, omnibus enim deſiderabilibus amor amabilior eſt: & tamen illi adjungitur remuneratio. Mira res, das amorem, & pro amore paradiſum donas: das quia dediſti: das, ut des gratiam pro gratia, donum pro dono. (*a*) Cum enim merita noſtra præmias (*a*), quid aliud quam dona tua præmias? Nam meritum noſtrum donum quoque tuum eſt. Quis non admiretur ſuper tanta dignatione tua? Veluti ſicut famelico favus mellis, ut ſuaviſſimus cibus apponatur: & ut comedat, aureus ei condonetur nummus: aut ſi cui valde ſitienti ut deſideratum poculum bibat, pretium promittatur. Sic nobiſcum agis Domine, quando ſitientibus amorem tuum, & ipſum gratis præſtas, & pro ipſo inſuper gloriam repromittis. Quomodo *adhæret tibi ſedes iniquitatis*, o magnificentiſſime Deus, *qui fingis laborem in præcepto*. *Pſal. 93.* In præcepto, inquam, ſuavi & jucundo amoris tui laborem fingis, ut præmiandi habeas occaſionem, & non laborioſum, remuneras quaſi laborioſum; tanta eſt aviditas præmiandi. Quomodo ergo tam bonus & liberalis Dominus ſervis ſuis juſtam mercedem denegabit, qui non laborantibus quaſi laborantibus præmia repromittit? Talis enim Domine eſt amor tuus & tantus, ut pro illo adipiſcendo, quantumlibet gravia ac dura tormenta libenter ſuſtinenda eſſent, & tamen non ſolum gratis das illum, ſed etiam paradiſo præmias eum.

VII. Jam vero quanti æſtimandum eſt, quod non ſolum amari a me non dedignaris: verum etiam ſtrictiſſime a me hoc exquiris? Quis ego ſum Domine, aut quæ eſt ſubſtantia mea (*b*), ut ſic a me cupias amari, quod æternos cruciatus, & ignes atroces mihi, ſi te non dilexero, miniteris? Tantuſne ego ſum coram te Domine, ut tanti facias a me amari? *Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quia* ſic *reputas eum?* *Pſ. 143.* Ecce coram te millia millium Angelorum in amore tuo flagrantium, & tibi curæ eſt de vili vermiculo ſuper terram repente, ut te diligat? *Dan. 7.* Gratias tibi ago Domine, quia ſic reputas me. Sed non pro te, ſed pro me amari vis a me: quia enim diligis me, ideo diligi vis a me. Noſti enim, quia in amore tuo mihi ſalus omnis & vita eſt. Ob hoc igitur exquiris amorem, ut præſtes vitam. *Hæc eſt autem vita æterna, ut* cognoſcam te, & cognoſcendo diligam te, & *quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. *Jo. 17.* Ut enim nemo a vita excluderetur, vitam in amore poſuiſti, quoniam cunctis præſto eſt amare te. Et quam pie, quam miſericorditer hoc feceris Domine, quis verbis explicare valebit? Si enim in alio quovis opere noſtra conſiſteret ſalus, excluderentur nonnulli, excuſarentur plurimi, quibus tale opus non eſſet aut poſſibile, aut facile. Sicut ſi in eleemoſynarum largitione ſalvos nos eſſe voluiſſes, excluderetur egenus: ſi in jejunio, excluderetur ægrotus: ſi in labore, excluderetur debilis: ſi in doctrina, excluderetur idiota: ſi in contemplatione, excluderetur agricola: ſi in virginitate, excluderetur uxor: ſi in paupertate, excluderetur dives, & ita de aliis. At vero ab

(*a*) Ita S. P. Auguſtinus Epiſt. 194. num. 19., alias Epiſt. 105. *Et cum Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronet, quam munera ſua*. Idem repetit Enarrat. in Pſal. 98. num. 8., & Serm. 333. cap. 5., alias Homil. 14. inter 50., ac denique lib. de Grat. & Libero Arbitr. cap. 6.

(*b*) S. P. Auguſtini ſententia eſt Confeſs. lib. 1. cap. 5. *Quid tibi ſum ipſe, ut amari te jubeas a me, & niſi faciam iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias?*

amore quis excluditur, aut quis legitime excuſatur? Sapientibus & inſipientibus, divitibus ac pauperibus, pueris & ſenibus, omni ſtatui, omni ſexui, omni ætati communis eſt amor: nullus ſenex ad amorem, nemo pauper ad amandum. Quis enim amare neſcit, aut nequit? Ubique, & omni tempore amor omnibus præſto eſt: ſive comedas, ſive bibas, ſive ambules, ſive ſedeas, ſive labores, ſive quieſcas, quomodocunque te habeas, & quocunque te vertas, ſi libet, amare potes: neque te quidpiam ab amore valet impedire. Adeo enim amor tuus eſt, ut ſurripi non poſſit invito. Teſtes tibi ſunt Martyres, & exempla quibus vita ſurripi potuit, amor autem nunquam. Libentiſſime enim vitam dederunt, ne darent amorem, quia amor vita pretioſior eſt.

VIII. Piiſſimus itaque Deus, mundi hujus rectiſſimus moderator, & rector, ſic omnes ad vitam condidit, & ita omnium ſalutem concupiſcit, ut ad eam obtinendam nemini viam præcludat. Et ideo licet in his vilibus, abjectis, floccipendendis bonis, quæ tempore tranſeunt, impares nos conſtituit & fecit, neque pro libito donat cuique quod petit: attamen in veris & legitimis bonis, quæ ad ſalutem & vitam æternam ſpectant, neminem fecit egenum, ſed parem omnibus indidit facultatem, ac libertatem integram, ut diteſcat in eis quicunque voluerit, & pro ſuo arbitrio tam magnus fiat, quantum ſe ad gratiam diſpoſuerit. Ea enim bona quæ homines in hoc triſti ſæculo & extollunt, & magni faciunt, apud Deum pro nihilo reputantur, ac veluti furfures in domo Dei ſunt, abjecta nimis, & contemptibilia: quæ autem vera ſunt bona, cujuſque arbitrio cum ipſius gratia reſervavit. In utroque juſtus: ut omne os obſtruatur, & *omnis iniquitas* oppilet *os ſuum*; neque ullam habeat rationabilem, aut juſtam adverſus Deum querimoniam, etiam quamtumvis proterva malitia. Horum autem omnium bonorum culmen tenet amor, nihil enim in tota domo Dei amore ſuo pretioſius, nihil præſtantius. Hoc omnium donorum Dei maximum eſt, donum ſuper omne donum, quod non præſtatur niſi amicis, imo donum ipſum amicitia eſt. *Ego*, inquit, *diligentes me diligo*. O pretioſam margaritam! quam qui invenit homo, vendit omnia, quæ habet, & emit eam. O præſtantiſſimum theſaurum! quem qui poſſidet, etiamſi omnibus careat, dives eſt: quo qui caret, etſi cætera omnia habeat, pauper eſt. Vere *ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam*. Beatus namque ille eſt, quem tu ditaveris Domine, & de amore tuo locupletaveris eum. Hic eſt enim fons proprius, cujus non eſt particeps alienus. Hæc veſtis nuptialis, quam qui in nuptiis non habet, mittitur in tenebras exteriores. Hoc operimentum eſt, quo omnis peccatorum multitudo operitur. Hæc ſacra unctio, quæ docet nos de omnibus. Hic eſt ignis, quem Dominus venit mittere in terram, & quid vult niſi ut ardeat? *De excelſo*, inquit Propheta, *miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me*.

IX. De cœlo mittitur iſte ignis, non de noſtro promitur. Et ideo: o maxime & optime Jeſu, ſi amari te jubes, da quod jubes (*a*), & jube quod vis; quia licet jucundum, & valde jucundum ſit mihi amare te, ſed tamen ſupra vires, ſupra facultatem meam, & naturam eſt amor quem præcipis, dilectio quam requiris. Supernaturalis namque eſt: dono tuo non meo arbitrio ſolo poſſidenda. Neque tamen ex hoc excuſatio mihi ulla eſt, ſi non dilexero te: tuam enim volenti dilectionem neque denegas, & petentibus ipſam liberaliter præſtas. Videre non poſſum ſine luce, & tamen in meridie ſi non videro, oculos habens clauſos, culpa mea eſt, non defectus in ſole, cujus clara lux omnia illuſtrat. Ita eſt omnino in amore tuo Domine. Quis mihi det, ut omiſſis omnibus, hanc ſolam inquiram margaritam; hanc totis viribus & omni conatu mihi procurem? O mortales, o curvæ in terras animæ, & cœleſtium inanes! quid perituris his intenditis bonis, & perpetuam hanc, ſpecioſiſſimamque gemmam inſpicere negligitis? Quantum deſudant, quos non libenter labores ferunt miſeri homines, in acquirenda ſcientia, quæ deſtruitur? O ſi ita Dei perquirerent dilectionem! Quæ quanto melior & utilior ſcientia ſit, dies ultimus demonſtrabit. Quia hic amor non ſolum in ſeipſo pretioſus eſt, ſed etiam omnium aliorum pretium eſt. Quid ſcientia, quid eloquentia, quid oratio, eleemoſyna, quid jejunium, ſive quodlibet aliud opus ſine charitate valeat, Apoſtolum audi, qui fidem transferentem montes, & angelicam linguam, & martyrii agonem, & omnem facultatum elargitionem, ſine charitate pro nihilo reputat. Vetula illa quæ duos obolos miſit in gazophylacium, plus omnibus miſit, quia plus omnibus dilexit. Et Deus noſter non reſpicit quantum, ſed ex quanto: affectum ponderat, non cenſum. Hic eſt ille ſiclus ſanctuarii, quo omnia ponderantur; ita enim habes in Levitico: *Omnis æſtimatio ſiclo ſanctuarii ponderabitur*.

X. Sicut fiebat in illo myſtico, ita fit in hoc vero, quod præfigurabatur, ſanctuario. Omnia donaria ſiclo amoris ponderantur. Tantum habiturus es in illo gloriæ & honoris, quantum hinc detuleris gratiæ & amoris. Menſura plena reddetur tibi, ſed tamen hoc ſiclo ponderata. Cave ne appenſus in ſtatera, inveniaris minus habens, & pereas. Hoc igitur nunc maxime cura, hoc præ omnibus in hac mortali vita ſatage; ut iſto ſiclo non careas, ut hoc dilectionis theſauro abundes, ut hac margarita locupleteris: id eſt,

ut

Pſ. 106. *Prov.* 8. *Mat.* 13. *Cant.* 8. *Mat.* 22. 1. *Jo.* 2. *Lucæ* 12. *Thren.* 1. 1. *Cor.* 13. *Lucæ* 21. *Levit.* 27. *Lucæ* 6. *Dan.* 5.

(*a*) Haud aliter S. P. Auguſtinus Confeſs. lib. 10. cap. 29. & 37.

ut amorem teneas, amorem augeas, amorem in te confirmes. Vacuum enim & otiosum est omne tempus, quod in hoc non expenditur: vacuum & sine fructu est omne opus, quod ad hoc non dirigitur. Nunc autem etsi valde conemur, ex parte diligimus, & ex parte desideramus, neque perfecte a nobis impletur, quod præceptum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua.* *Mat. 22.* *Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam;* *Sap. 9.* & sensus hominis suo pondere ad ista inferiora deflectit, neque valet totus intendere, quo conatur. Spargitur enim animus per multa, & per quasdam occultas rimulas, quas vix comprehendere valemus, a seipso egrediens per diversa male vagatur, lustransque omnia in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur; & dum per singula male dividitur, vero illi & summo Bono non totus adnectitur. Sed veniet ecce tempus o anima, quando omnis iste tui cordis motus cessabit, & omnis ista cogitationum inundatio sedabitur, & silebunt omnes fluctus tui, & lætaberis quia siluerunt. *Tunc videbis,* *Isaiæ 60.* *& affluës, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Mirabitur, inquam, quia contra morem suum fixum non permutabitur. Tunc veluti carbo tota ignieris, & amore succensa in Deum tota transformaberis; & adhærens Deo, sicut scriptum est: cum eo unus spiritus efficieris. Dicit *Dominus: cujus ignis* *1. Cor. 6.* *est in Sion, & caminus in Jerusalem.* Hic in *Isaiæ 31.* Sion ignis fumans, ibi in Jerusalem caminus flagrans. Vere caminus, vere fornax in quo cœlestium vasa spirituum, flagrantissimo illo ac potentissimo igne excoquuntur, conflantur, & transformantur in Deum; & ad perpetuum illum & immarcescibilem gloriæ impetum, & voluptatis torrentem deguſtandum *Psal. 35.* firmissimo robore solidantur; quo nos portare dignetur ipse amoris dator & præceptor, & super omnes ardentissimus amator noster Jesus Christus: cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN DOMINICAM XVII. POST PENTECOSTEN

CONCIO SECUNDA.

QUARE DOMINUS DEUS DILIGENDUS.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Matth. 22. v. 37.

CONCIO CIV.

I. DE amore Dei tria dicenda sunt; scilicet: quare diligendus est Deus, & quomodo diligendus est, & quomodo amorem ejus obtinere poterimus. Ratio & modus diligendi tanguntur in themate, cum dicitur: *Diliges Dominum Deum,* &c. tertium propter ejus utilitatem adjecimus. Satis compertum esse omnibus, non modo fidelibus, sed etiam barbaris & infidelibus, non ambigo, quare diligendus sit Deus, ita ut admonitore nemo indigeat in hac parte. Convincunt enim quemlibet etiam durissimum, ad amorem ejus, tum numerosa & quotidiana multitudo suorum beneficiorum, quæ suo pondere omnes mortales obruit, & provocat ad amorem; tum omnium creaturarum clamor continuus, qui omni rationali auditui majestatem, pulchritudinem, magnitudinemque ejus apertis vocibus ingerit, & ostentat. Siquidem: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* *Psal. 18.* Et *non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum:* *Rom. 2.* ita ut sit inexcusabilis omnis homo. Verumtamen, quia apud homines humanus sermo efficacior est, & potentior ad movendum (habet enim nescio quid latentis energiæ viva vox) ideo hominibus homo eundem amorem, quem omnia prædicant, modo quo potero repræsentabo. Primo breviter perstringens rationes propter quas diligendus est Deus; quæ tanguntur in prima parte thematis cum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Diliges, inquam, quia Deus; *Mat. 22.* diliges, quia Dominus; diliges, quia tuus. Itaque ipsum diliges propter se, diliges propter sua, diliges propter te. Undequaque se nobis diligibilem præstat Deus, & quia bonus, & quia delectabilis, & quia utilis. Ut dum ex omni parte diligibilis est, nullus ab eo effugere possit affectus. Si studiosus es, dilige quia bonus; si delicioſus, dilige quia dulcis; si cupidus, dilige quia utilis. Non est, o homo, qua fugere possis ab ejus amore.

II. Primo igitur dilige, quia Deus est, id est propter seipsum, & propter id quod est, quia summum bonum, in quo omne bonum, & a quo omne bonum: quare & omni amore digniſſimus. Quanta in eo majestas, quanta bonitas, quanta gloria, quanta potentia, quanta sapientia, quanta plenitudo, quanta suavitas, quanta voluptas, quanta lux, quanta perfectio, quanta denique omnium bonorum, & omnium desiderabilium plenitudo! Dilata sinus tuos o anima, expande affectus tuos, & extende sicut pellem desiderium tuum: &, ut ait Propheta, *dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende. Ne parcas: longos* *Isaiæ 54.* *fac funiculos tuos, & clavos tuos consolida;* quia superat omnem capacitatem tuam, & omne desiderium tuum majestas illa, bonitas illa, felicitas illa. Quid enim ad illud summum bonum noster omnis affectus, nisi gutta ad oceanum? Exuperat namque omnem sensum, atque omne desiderium vincit infinitus ille & gloriæ, & decoris oceanus, abyssus illa profundissima luminis & claritatis; quæ desiderio non comprehenditur, sed ipsa magis desiderium ambit, & comprehendit. Cujus figura fuit corona illa, quæ propitia- *Exod. 25.*

pitiatorium ex omni parte ambiebat in Sancta Sanctorum.

III. Solus itaque dignus amari propter se Deus; propter quem, & ad quem omnis amor impellit se habentem: est enim centrum quoddam amoris Deus, in quod dirigit omnem creaturam pondus amoris. Soli igitur Deo per se competit amor, sicut honor: si quid enim diligitur, quod non propter ipsum diligitur, vane diligitur: unde neque Angelus digne propter se, quasi finis debet amari. Tam diligibilis est, ut ab omnibus suo modo etiam insensibilibus diligatur. Quid enim sunt naturalium rerum inclinationes, nisi amores quidam, quibus feruntur in Deum? Sed propter earum imperfectionem non attingunt quo tendunt, id est, bonum ipsum increatum, sed in bono creato ab ipso participato persistunt. Quid enim est gravitas in lapide, nisi amor centri? Quid levitas in igne, nisi amor sphæræ? Bonum est, quod omnia appetunt, & nihil sine amore est. Et ipse naturalis appetitus boni in rebus aliqualiter amor Dei dicendus est: sed quia ad incommutabile bonum natura insensibilis non pertingit, in bono participato quiescit. At vero creaturæ intellectuales, & rationales, id est, Angelus & homo, hac dignitate præfulgent, ut ad ipsum summum bonum, quod appetunt, pertingant, ejusque sint capaces. Amor igitur pondus est animæ, teste Divo Parente Augustino (*a*). Amor, inquit, meus, pondus meum; illo feror quocumque feror. Sicut enim pondus defert lapidem in centrum, ita quoque amor defert animam in centrum suum, quod Deus est, qui ita proprius est animæ locus, quemadmodum centrum locus est lapidis. Imitare igitur o anima naturam, imitare vel saltem lapidem insensibilem. Nonne vides quanto impetu lapis properat in centrum, & locum suum? Quantum potest quidem conatur ad descensum, & si quid forte interponitur tota sua potentia id repellit ne iter suum impediatur, & tandem pertingat quo vadit. Decisa rupes a loco suo, & cadens ex alto, horribile visu, quo fragore labitur ad ima, qua celeritate properat ad expedientem sibi locum, & aptum; & quicquid illi e regione objicitur, subruit, & comminuit, ut progrediatur, & demum perveniat quo tendit. Talem te Deo tuo exhibe o anima mea. Erubesce cum vel ab ipso insensibili lapide superatam te videris, majorique impetu illum in centrum suum ferri, quam tu properes in tuum. Subrue ergo quidquid obstat, dirumpe & transi, sicut scriptum est: *In Deo meo transgrediar murum*. Nam si levi vento elationis, vel levi obstaculo alicujus cupiditatis detineris, agnoscas oportet, quam sis exigui ponderis, & quam similis levibus paleis, quas ventus, quia modicum pondus habent, detinet a descensu. Cadentibus autem rupibus quid obstabit? Ita & virtutis animos neque totus mundus impedire valet a Deo. Vide rupem Apostolicam ingentem, in Deum cum impetu properantem, & cui nihil obsistere valet. *Quis nos*, inquit, *separabit a charitate* Dei? *tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate* Dei, *quæ est in Christo Jesu Domino nostro*. Rom. 8.

IV. O pondus eximium, & admirabile animæ tam sanctæ! O potentissimam rupem, mole sua omnia subruentem, & per angustias, & labores plurimos, per famem, per sitim, per gladios, per infamiam & terribilia quæque, celeritate incredibili in centrum suum properantem! cujus voluntas jam quodammodo versa erat in naturam. Siquidem lapis naturali impetu fertur in centrum: anima autem nostra voluntario, & libero impetu fertur in Deum. Hanc ergo tibi præstitam facultatem o anima mea renuntia, & libertatem vertito in naturam: ut tota tua potentia, toto conatu tuo properes ut natura, quo tendis. Hoc est enim, quod tibi intimatur in themate, cum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex tota fortitudine* tua, id est; secundum ultimum potentiæ tuæ, ut natura. Quod enim centrum tuum Deus sit, & ad ipsum te deferat vis amoris, si aperire oculos velis, conspicuum est, & in aperto. Nec enim tibi extra Deum quies est, sicut neque lapidi extra centrum; cum vero ad ipsum perveneris, tunc quiesces: sicut scriptum est a Parente Augustino (*b*) in illud Psalmi quadragesimi quarti: *In pace in idipsum dormiam & requiescam:* Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec perveniat ad te. Mat. 22. Marc. 12. (*b*)

V. Et si experientiam consulas, experimento disces, & videbis, quod in nullo alio amor tuus quiescere potest, quia omnia a se te expellunt, & mittunt in centrum tuum. Nonne experiris, quod si quid aliud propter se diligis, in amore illo inquietudo sit maxima & amaritudo? O quam acerba & amara est omnis creatura, si propter se diligitur! Quomodo, si de hoc consulantur stolidi amantes, quot nobis tragœdias ingerent, & narrabunt? Omnis creatura, o anima mea, te pellit a se cum ignominia, & colaphizat, ut ab ea recedens, Deo tuo adhærere coneris: quasi tibi exprobrando diceret: Quid mihi adhæres miserrima? Non sum ego bonum tuum, quod

(*a*) Confess. lib. 13. cap. 9., & de Civit. Dei lib. 11. cap. 28., ac demum Epist. 157. num. 9.
(*b*) Hoc etiam habet S. P. August. Confess. lib. 1. cap. 1.

quod requiris, & quod affectare deberes; A vade quo tendis, neque veram defere viam. Tu tamen nimium cæca & ſtulta reluctantem amplexaris; & pellentem te, & cum convitio, demulces: invitam retines, fugientique adhæres, & quæ tibi data eſt in obſequium, etiam nolentem provehis ad dominium, tanta eſt veſania tua. Sed non hic diu tibi durat amplexus, ſtatim enim in amaritudinem vertitur, illico faſtiditur, & quam tanto labore quæſieras, tanto amplexabaris ardore, poſt tempus modicum abjicis, dedignaris, contemnis, & ad alia tibi de novo quærenda feſtinas: atque ita miſera, dum nulla B tibi ſufficit creatura, in circuitu per ſingulas cum multo labore vagaris, ſicut ſcriptum eſt: *Caput;* ſcilicet malorum, *circuitus eorum*, & iterum: *In circuitu impii ambulant.* Unde liquido conſtat, quod ſicut bonum hominis Deus eſt, ita in ipſum omnis vis amoris naturaliter hominem inclinat, ſicut in primum & proprium objectum: quamquam ad alia, quod indignum eſt, inordinate per voluntatem propriam ejus inclinatio deflectatur. Sicut enim natura in unum tendit, ita & voluntas omnis, licet propter arbitrium plurium ſit capax, & quo voluerit pro libito divertere poſſit; quia non eſt in voluntate neceſſitas ad bonum ſuum, ut in natura; quæ utinam eſſet, utinam jam neceſſario tibi vinculo uniremur Deus noſter, ſicut poſt aliquando, miſerante te, colligabimur.

Pſ. 139. *Pſal.* 11.

VI. Vide nunc in hominibus miraculum grande; grande & malum miraculum ego video. An non miraculum putares, ſi rupes ingentes in aere ſuſpenſas, nullo detinente, pendere videres? Quis eas aſpiciens non illico ſtuperet? O Deus meus, & quomodo fieri poteſt, ut ad te non properet omnis anima propter te creata, ſed levi vento ſuſpenſa, tanto bono privetur, & rideat? Quomodo, inquam, poſſibile eſt, ut aliqua creatura capax tui ſit, & ad te non properet, quantum poteſt? O centrum infinitum, infinite bonum, ac proinde infinite attractivum! Quid a tanto bono capacem creaturam in illud ipſum ruentem poteſt retardare? O grande pondus peccati, quod cervicibus animarum ſuperpoſitum, reſidere eas facit in imo, ne properet ad ſphæram ſuam, ad quam ſunt creatæ! Videtur plane miraculum videre ſuſpenſas animas, ſicut & videre rupes pendentes tam exiguo vento a ſuo centro detineri; & quod pejus & flebilius eſt, non ſentire. Quis enim toleraret ſi ſentiret? Quis, inquam, vitam ſuam patienter & æquo animo ſuſtineret; ſi quanto bono privatur, diſtincte cognoſceret? O carnis meæ ingratiſſimum velum, quanta lætitia me privas! Quid me detinet, quod meis te manibus non dirumpo, ut Deum meum videam, & ipſo fruar; & in ipſo requieſcam? O quanto gaudio, & quanta felicitate careo propter te! Et iſta cognoſcens te tolero, & rideo, nec diebus ac noctibus ſuper tanto exilio, ut par erat, defleo & ingemiſco, & in lachrymas totus diſſolvor.

VII. Unde hæc tam iniqua patientia? Nempe, quia velamen interpoſitum eſt, & interjecta carnis nubecula, ſolis claritas oculis animæ non coruſcat. Tolle velamen, & videbis, quo impetu feratur anima in centrum ſuum. Attende Beatorum animas ſoluto jam velamine liberas, quo impetu ferantur in Deum. Quis eas poterit impedire? Quis a loco ſuo ſeparare valebit? Ibi plena & perfecta quies, ibi omnium motuum animæ & deſideriorum plena & integra ſaturitas. Vere *magnus Dominus & laudabilis* valde, verum etiam & amabilis valde, neque minus amabilis quam laudabilis: ſed *in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus*. Ibi flagrat vis amoris, ubi non obſtat interpoſitio velaminis. Sed & nunc, quo velamen hoc tenuius eſt ac tranſparentius, eo anima celerius movetur in Deum, & magis in ea impetus viget amoris: quorumdam autem velamen carnis craſſiſſimum, & nimia rerum opulentia impinguatum, quorum motus in Deum, aut nullus, aut lentus: quorumdam vero ita vigiliis, abſtinentiis, aliiſque laboribus velamen carnis attenuatum & attritum eſt, ut propter ejus tranſparentiam lux illa beata jam oculis animæ aliqualiter transfulgeat; quemadmodum Apoſtolus ait: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*. Unde & ad ipſum in odorem unguentorum ſuorum currunt. Quod ſi quandoque contingat per rimulas quaſdam, & velaminis rupturas, radios illos Divini luminis oculis animæ, vel ad modicum fulgurare: tunc tota liqueſcit præ amore, & rapido impetu fertur in ipſum, non jam odore, ſed decore ejus attracta. Sed heu, quam parum radiatio iſta durabilis eſt! Nam ſicut fulgur ita animam percurrit & pertranſit. *Siquidem in manibus abſcondit lucem*, ut ait Job, *& præcipit ei ut rurſus adveniat. Annunciat de ea amico ſuo, & quod poſſeſſio ejus ſit, & ad eam poſſit aſcendere;* ſed ſtatim eam velut inter manus abſcondit, quæ per digitorum rimulas ad modicum fulgurabat. Si enim fulgurare voluerit lumine ſuo deſuper ad plenum, cardines etiam cœli, id eſt, Spiritus cœleſtes ſuo ſplendore, magis quam oportet, illuſtrabit; nimio enim obruentur lumine. Nam quis integram Majeſtatem Divinam, ſi ſeipſam non attemperaverit, ferre valebit?

Pſal. 47. *1. Cor.* 13. *Cant.* 1. *Ibid.* 5. *Job* 36.

VIII. Patet igitur ex dictis quam naturaliter & ſponte anima in Deum inclinetur per amorem. Unde ſi per peccatum infecta non fuiſſet natura, & rationis ac fidei lumen obſcuratum: nulla umquam talis homo expreſſione indigeret præcepti, quod tam impreſſum habebat in corde. Neque enim modo, ſcripto datum eſt præceptum, ut quiſquam ſeipſum diligat, cum tamen teneamur nos ipſos ex charitate diligere; nam quod in natura inſertum eſt tam tenaciter, non indiget admonitione doctrinæ. Naturalius autem

autem & propenſius diligit homo Deum, quam ſeipſum; quare igitur dilectio Dei cum ſit naturalior expreſſe præcipitur, & non ſui? Utique peccatum in cauſa eſt, quod oculos animæ a Deo divertit, & in ſeipſum fixit: totumque amoris torrentem, qui in Deum impetuoſe fluebat, in ſeipſo ſtagnavit. Non ergo tali opus fuiſſet expreſſione præcepti, ſi natura in ea puritate manſiſſet, in qua condita eſt, & ea polleret gratia & juſtitia, qua pollebat in principio. Unde non legitur homini a prima conditione Conditor ipſe tale aliquid verbo, aut ſcripto tradidiſſe; quia videlicet in idipſum præpeti volatu ferebatur naturæ integritate, & juſtitiæ perfectione, quaſi duabus alis adjutus: nec aliis calcaribus indigebat, cui lex amoris intime, & maxime a Conditore eſſet & inſerta & infuſa. Nunc autem hujus amoris & charitatis ita obliti ſumus, ita a naturali noſtra proprietate alienati, & a gratia alieni: ut neque præceptis, neque promiſſionibus, neque comminationibus, neque quotidianis, & immenſis beneficiis, ad amorem Dei induci, trahique poſſimus: ſed veluti talentum plumbi, quod per violentiam ſurſum detinetur, ſi dimittitur ſtatim ad ima deſcendit: ita anima noſtra, ſi ad modicum ad divina per violentiam rapitur, ſtatim ſuo pondere ad terrena & tranſitoria iſta prolabitur, & per creaturas tota diſpergitur.

IX. Dic ergo mihi anima mea, reſponde miſera, & ediſſere mihi, quidnam cauſæ ſit, quod tam libenter per creaturas foris vagaris ſitibunda, guttulas quaſdam, eaſque turbidas ab eis mendicans, quæ ſitim magis provocant quam ſedant, & limpidiſſimum illum fontem perennem omnium bonorum relinquis, in quo ſolo omnem ſitim tuam ſatiare poſſes ad plenum? Dic, inquam, o miſera: quid deſiderare potes, quod non plene reperiatur in Deo? Si te delectat ſapientia, ſapientiſſimus eſt: ſi pulchritudo, ſpecioſiſſimus eſt: ſi potentia & fortitudo, potentiſſimus eſt ac robuſtiſſimus: ſi gloria, ſi divitiæ, *gloria & divitiæ in domo ejus:* ſi voluptas & delectatio: *delectationes in dextera ejus uſque in finem:* ſi ſaturitas & abundantia, *inebriantur ab ubertate domus* ejus, qui poſſident eum. Omnium ergo bonorum perennem abyſſum miſera ſcienter relinquis, & creaturarum rivulos anxia inſectaris? Sponte oblatum fontem contemnis, & cum ingenti labore turbidos tibi puteos fodis? O admirandam ſtultitiam, ſtupendamque nimium cæcitatem! Et ideo ſuper hoc indignans Dominus, per Prophetam clamat: *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Vere *ciſterna diſſipata*, gloria mundi; *ciſterna diſſipata*, voluptas carnis; *ciſterna diſſipata*, omnis honor & dignitas ſæcularis; *ciſterna* eſt *diſſipata*, & perforata, omnis divitiarum jucunda poſſeſſio. *Continere non valent aquas.* Et ſi mihi fidem non adhibes, putaſque me tibi illudere, experientiam conſule. Quanto ardore quæſiſti dignitatem aliquam? Quos pertuliſti labores pro illa obtinenda? Obtinuiſti tandem, & obtentam poſt triduum faſtidis, quia *ciſterna diſſipata eſt*, & continere aquas non valet: ad modicum ſitim tuam refrigerabit, cum optata potitus fueris voluptate, ſed *diſſipata ciſterna* aquas illas voluptatis retinere non valuit: fluxerunt ipſæ, & tu juxta ciſternam ſitibundus manes. Diſcurre per omnia, & ita verum eſſe in ſingulis reperies.

X. Et tamen licet ſic ſe res habeat, quo labore iſtæ ciſternæ fodiantur & fabricentur, teſtes ſunt mercatores, teſtes milites, teſtes mundanæ curiæ ſectatores, qui fabricandis fodiendiſque hujuſmodi ciſternis die noctuque indeſinenter deſudant, quibus fons ipſe limpidiſſimus aquarum viventium gratis effluens in plateis pro nihilo habetur. Ipſe eſt enim qui omnibus in plateis clamitat: *Omnes ſitientes venite ad aquas: properate, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum, & non in panibus; & laborem veſtrum, & non in ſaturitate?* Gratis ſe offert, neque tamen ad illum properatur. Hoc eſt, ſuper quo ad Angelos, & ad Sanctos ſuos conqueritur, dicens: *Opſtupeſcite cœli*, id eſt: o Angeli beati, ſtupeſcite & admiramini ſuper hoc, vos qui beati eſtis & totius mœroris expertes; vos etiam *portæ ejus:* id eſt ſancti mei, qui adhuc in carne militatis, per quos multi, ut per januas intrant cœlum, vos, inquam, *deſolamini vehementer*, & uſque ad mortem contriſtamini, ſuper tam horrenda, & execranda cæcitate populi veſtri. Dimitte igitur o anima mea, dimitte, obſecro, *ciſternas* has *diſſipatas*, quas tibi tanto labore perfodiſti, & ad ipſum fontem aquæ vivæ properanter accurre. Ibi tuam ſitim penitus extingues: ibi delitiis plene, & affatim, ac pro voto cumulatiſſime ſatiaberis. Tolle hoc bonum, & tolle illud bonum; & vide ipſum bonum ſi potes: noli hoc vel illud bonum, id eſt finitum, & limitatum diligere; ſed dilige infinitum, & illimitatum bonum; non hanc vel illam dulcedinem, ſed ipſam per ſe ſubſiſtentem dulcedinem; non hanc vel illam pulchritudinem; non hoc vel illud bonum, ſed ipſam per ſe ſubſiſtentem bonitatem. Si ergo quæris delectationem vel dulcedinem, non eam quæras in pomo, non in favo, non in pane, non in carnibus, non in cibo aliquo, vel in aliqua particulari natura: ſed quære ipſammet delectationem, ipſam dulcedinem per ſe ſubſiſtentem, quæ nullius eſt dulcedo, ſed tantum eſt dulcedo, & tota dulcedo. Similiter ſi quæris pulchritudinem, non eam quæras in ſole, non in ſtellis, non in homine,

Pſ. 111. Pſal. 15. Pſal. 35. Jer. 2. Iſaiæ 55. Jer. 2.

ne, non in equo, non in veſte, non in auro, ſed ipſammet per ſe ſubſiſtentem pulchritudinem; quæ non hujus vel illius eſt pulchritudo, ſed pura pulchritudo, nulli admixta naturæ, cujus totum eſſe eſt eſſe pulchritudinem: & hoc ſic de aliis quibuſcunque bonis judicare debemus.

XI. Hanc autem dulcedinem, bonitatem, pulchritudinem meram, & per ſe ſubſiſtentem, quia ad nullius eſſe contrahitur, neceſſe eſt eſſe infinitam & illimitatam; hæc eſt Deus tuus o anima mea, quæ non eſt hoc vel illud bonum, ſed omne bonum, & ipſa per ſe ſubſiſtens bonitas, o quomodo ſaturabit ipſa ſaturitas! Quis verbis dicere poterit, centum ſibi licet ora, totidemque linguæ adeſſent: quam dulcis ſit ipſa dulcedo, quam delectabilis ſit delectatio ipſa? O quomodo lætificabit nos ipſa lætitia! Quomodo denique omni bono replebit ipſa bonitatis plenitudo! Si favus dulcis eſt, propter dulcedinem quæ in ipſo eſt, quanto magis dulcis erit ipſa dulcedo? Si ſapit panis propter ſaporem ſibi immixtum, quanto magis ſapiet ipſe ſapor? Si delectat aurum propter pulchritudinem quam in ipſo artifex elaboravit, quanto amplius delectabit ipſamet pulchritudo? Tolle igitur o anima, tolle hoc bonum, & illud bonum, & fruere ipſo bono, id eſt ipſa bonitatis ſubſtantia ſubſiſtente, a qua, & propter quam bonum eſt quicquid eſt bonum. Hanc electis & amicis ſuis repromittit & præſtat Deus, non tam aliquod bonum, quam ipſam bonitatem. Siquidem amico ſuo Moyſi, dum ſui laboris oſtendi ſibi præmium poſtularet, dicens: Domine *oſtende mihi faciem tuam*: a Deo illi reExodi 33. ſponſum eſt: *Ego oſtendam omne bonum tibi*. Hoc operis tui ſtipendium, hoc præmium erit. Non ergo ſimiliter exiſtimes Deum bonum, ſapientem, potentem, pulchrum, ut hominem, ut ſolem, vel Angelum: homo enim & Angelus, ex accidenti boni ſunt; Deus autem eſſentialiter & ſubſtantialiter bonus eſt, non ex adjuncto: cui ſuum eſſe, eſt bonum eſſe; quia non adjungitur Deitati bonitas, vel pulchritudo, ut bonus vel pulcher ſit Deus; neque contrahitur ad naturam Dei bonitas, ſed Deus ipſe eſt ipſamet illimitata, & infinita bonitas, & pulchritudo, & ſapientia, & potentia: & ita in aliis, quæ omnia de Deo dicuntur non denominative, ut in creaturis, ſed eſſentialiter. Neque tamen idcirco me tibi ideas Platonicas confingere exiſtimes, & quod de bonitate, ſapientia, & pulchritudine dictum eſt, ne ad alias naturas conſimiliter extendas. Cave: ut pari forma velis dicere, Deum coloreitatem vel albedineitatem, vel caliditatem ipſam, & ita de aliis, ſicut dicitur magnitudo, fortitudo, potentia, ſapientia. Hæc enim nominant perfectiones ſimpliciter primas in Deo reperibiles primo, & conſequenter in creaturis: alia vero non ita, neque enim Deus albus eſt, aut coloratus, ſicut ſapiens, vel potens,

A XII. Sed quorſum iſta, aut quid hæc intendit oratio? Quid ventilamus verba, quorum non eſt populus capax? Amare propoſueramus, non diſputare: diligere, non intelligere. Quare ad prima redeundum eſt: nec ſine lacrymis conſiderandum, quod Deus ipſe maximus & optimus rerum omnium Creator & Conditor, plenus deliciis & divitiis, inter ipſas creaturas quas condidit, ambulet quærens amatorem, & non inveniens: det plurima, promittat plura, ut ametur, & nemo illum vel aſpicere dignetur: ſiquidem *ſtatuerunt oculos ſuos de-*
B *clinare in terram*. Attende eum in Canticis *Pſal.16.* ſuam creaturam deprecantem, & ad amicitiam provocantem. *Aperi mihi*, inquit, *ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*. *Cant. 5.* Et ſi non vis propter me, aperi mihi ſaltem propter te, quia caput meum plenum eſt rore: Divinitas mea plena eſt omni ſuavitate, & dulcedine. Aperi ergo mihi, & cœnabo tecum, abſque ullo gravamine tuo; ego namque de meo omnem faciam ſumptum, & dulciſſimum tibi obſonium ponam. *Apoc. 3.* Et illa ex lecto nimium indignabunda: *Expoliavi me tunica mea, quo-*
C *modo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo* *Cant. 5.* *inquinabo illos?* O ingrata, o miſera & cæca! Sic reſpondes Dilecto tuo, Deo tuo? Itane contemnis Creatorem & Amatorem tuum? Aperi miſera, aperi: non enim inquinaberis, ſed lavaberis; non laborabis, ſed quieſces; non inquietaberis, ſed lætaberis. Nec permiſit eam piiſſimus Adamator ejus in ſua duritia permanere. *Miſit* namque *manum ſuam per foramen*, & quæ vocem prius deſpexerat, *venter* ejus *intremuit ad tactum ejus*, victaque & ſuperata a fortitudine contactus illius, ſurrexit anxia, ut aperiret Dilecto:
D *At ille declinaverat, atque tranſierat*. Juſte quidem: cum tam proterve & indigne fuerit ab ipſa deſpectus. Diſcurrit igitur, miſera per vicos & plateas, clamans & ejulans, adjurans & conjurans filias Jeruſalem, ut ſi invenerint Dilectum, annuncient ei amorem ſuum. Quærit, & non invenit: pulſat, nemo aperit: vocat, & non eſt qui reſpondeat ei. Unde lacrymis perfuſa tota liqueſcit, & amore languet, juſtam in ſe recipiens procacitatis ſuæ vindictam, ut quæ deſpexit quærentem, nunc & ipſa quærens deſpiciatur: & quæ neglexit, negligatur.
E Ita Domine, ita facis: tangis, ut agnoſcaris; fugis, ut inquiraris; vocas, & lates; provocas, & abis; incitas, & recedis; non minus pius quando recedis, quam quando advenis. Nonne hoc experientia multoties advenire videmus, cum aliquem multo tempore inſpirationibus, muneribus, punctionibus, tribulationibus, & ægritudinibus inſequeris, ut ad amorem tuum excitetur, & mundum deſpiciens, te ſolum quærat? Qui tandem a te convictus, mundum deſerit, & totus te ſequitur, mandatorum tuorum viam non derelinquens. Et tunc: quando magis

quæ-

quæreris, & ardentioribus votis desideraris, abscondis te ab eo, & ardenter amantem te deseris, nec clamantem post te diutius audire dignaris? Sed noli desistere quicunque es, noli cessare, noli deficere. Circui civitatem, adjura filias Jerusalem, sollicita cives percontare custodes: illi tibi placidi occurrent, illi te vulnerabunt, illi te stimulabunt, illi te, ut celeriter curras, pallio tuo veteri spoliabunt, & paululum cum
Cant. 3. pertransieris eos, procul dubio reperies, quem diligit anima tua. Petransi igitur eos, nec sistas (non enim tibi adjumento erunt, imo magis impedimento si persistas in eis) donec tibi occurrat Dilectus, & ad suos te dulcissimos suscipiat amplexus. Tunc gaudebis, tunc delectaberis, tunc de præterito labore gloriaberis, tunc totam mœstitiam tuam deponens, & desiderato dudum bono tuo, sponso tuo perfrueris in gloria: ad quam nos perducat ipse Dilectus, & Amicus, & Dominus noster Jesus Christus Filius Dei: cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN DOMINICAM XVII. POST PENTECOSTEN

CONCIO TERTIA.

DE EODEM THEMATE:

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex *tota anima tua*, & ex *tota mente tua*. Matth. 22. v. 37.

CONCIO CV.

I. SAtis præcedenti concione discussimus, quod numquam est satis: quomodo, scilicet, propter seipsum diligendus est Deus, & quanta in eo ratio dilectionis, quantumque ad hoc propensa sit a principio nostra natura. Hic amor castus est, & verus, & omnium amorum maximus. Quocunque enim alio respectu diligatur Deus, minus diligitur: sive propter exhibitum beneficium, sive propter præmium exhibendum. Imo cum solum propter præmium diligitur, non aliter diligendus: non tam ipse, quam præmium diligitur: hujusmodi enim amore mercenario, cum sine charitate est, non delectatur Deus. Sed neque quispiam hominum sic amari dignatur, neque gratus aut amicus habetur, qui tantum sic diligit: non est amicus talis, sed cupidus, qui sub simulatæ specie amicitiæ habere bona cupit amici. Imperfectus est hic amor, si non ascendit superius: nec vere est amor, sed cupiditas; hanc habens utilitatem, quod veluti per occasionem Deo servire nos facit, & bonis operibus assuescere, unde facilior patet ascensus, accedente Dei gratia, ad perfectum illum amorem, de quo Sanctus Bernardus (*a*) ait: Amor affectus est non contractus; præmium habet, sed non quærit. Imo maxime illo amor dignus est præmio, qui præmium non quærit: præmium namque amoris id est, quod amat: & sufficiens ipse sibi amor est præmium. Seipso verus amor contentus est, non quærit aliquid extra se, a seipso incipit, & in seipsum desinit, velut animæ circulus quidam. Amo quia amo, amo ut amem, non aliam quærens causam, nullum alium finem exquirens. Principium & finis amoris amor est: in seipsum namque reflectitur amor: si quid aliud respicit extra se, degenerat a se, & a ratione deficit ingenui amoris.

II. Sed non ita pervius est hic affectus, ut ad eum statim pertingere possimus, sed gradatim ad ipsum conscendimus. Et quidem ut supra diximus, si læsa non esset nostra natura, ab ipso noster amor sumpsisset initium; sed quia peccato infecta spirituale lumen amisit, aliud amandi sumpsit exordium. Veluti cum fons limpidissimus in sua origine affluenter scaturiens, injectis salebris, & terra obturatus, alium sibi quærit meatum; & qui in sua naturali origine clarus scaturiebat, infecta origine & corrupta, turbidus defluit; ita omnino est in amoris fonte: aliam sibi fecit originem, sed turbidam, fœtidam, & palustrem. A nobis enim incipimus amare, qui a Deo debuimus: & id quidem naturalius erat, sed depravata natura, amoris origo mutata est: ut qui Deum primo & per se, & omnia propter ipsum, & ad ipsum diligere debebamus, nunc a nobis incipientes, nos ipsos præ aliis, omnia propter nos diligamus. Inde jam in Deum proficimus, diligendo ipsum, non tam propter se, quam propter nos; quoniam sine ipso neque esse, neque feliciter esse nos posse cognoscimus. Unde quotidiana necessitas nos urget illum quærere adjutorem, interpellare fautorem, & ad vitæ necessaria poscere largitorem. Quia ergo hoc quod diligimus, id est, nos ipsos, absque eo possidere non possumus, consequenter illum propter nos, veluti necessitate coacti diligimus. Sed dum assidui illum propter necessaria frequentamus, & ejus in nos benevolentiam experimur, etiam largitatem, benignitatem, suavitatem, bonitatemque illius cognoscimus. Quo fit, ut jam in seipso placere incipiat bonitas ejus, qui antea ut nobis utilis solummodo quærebatur. Hic tertius amoris gradus est. Nam primus est quo nos, secundus quo Deum diligimus propter nos.

III. Ad quartum vero dilectionis gradum, quo jam & nos & omnia propter ipsum solum amamus, quis pertinget? Felix qui tantam amoris promeruit celsitudinem, ut oblitus sui, & omnium, & a seipso penitus alienatus, in Deum totus absorbeatur: non est præsentis vitæ tanta felicitas, sed futu-

(*a*) Tract. de Dilig. Deo cap. 7. num. 1.

futuræ. Quod si quandoque ad hunc gradum raptim attingimus, modicum in eo subsistimus. *Corpus*, namque, *quod corrumpitur* *Sap. 9.* *aggravat animam*, voluntatemque per culmina ire nitentem, suo pondere ad ima deflectit, & ingerit se etiam nolenti importuna caro, mille clamoribus perstrepens & obtundens eam, quæ ad modicum concessa fuerat, cordis tranquillitatem. Ad hunc gradum pertigerat, qui dicebat: Quoniam *in-* *Psal. 72.* *flammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt: & ego ad nihilum redactus sum, & nescivi*. Exarsit in amore tuo cor meum Domine, & flamma hæc omnem in me concupiscentiæ ignem extinxit: nullam enim aliam secum ardere patitur ista flamma. Unde *& renes mei commutati sunt*, videlicet in pudicitiam multam ex concupiscentia multa, alienum in me ardorem igne de cœlo penitus devorante: & meipsum penitus absorbuit, & ad nihilum redegit potentissima vis amoris. Impletum est in me, quod olim per Prophetam salubriter comminando prædixe- *Isaiæ 1.* ras: *Ego convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stamnum tuum*. Quicquid enim meum in me erat, consumptum est, *Galat. 2.* *& ego ad nihilum redactus sum*, ut vivam *ego jam non ego, vivit vero in me Christus*. Et nescivi, nescivi, inquam, absconditum tanti sacramenti arcanum, nesciebam vere tantæ permutationis mysterium, quoniam absumi me oporteret, ut vere sim, totumque in Deum deficere: sicut scriptum est: *Defecit cor meum,* *Psal. 72.* *& caro mea Deus cordis mei*, & rursus: *De-* *Ps. 118.* *fecit in salutare tuum anima mea*. Bonus defectus, cum anima in Deum deficit, & a seipsa in Deum transit, & adhærens Deo, *1. Cor. 6.* unus spiritus est cum eo. Satis autem proclive, naturæque consentaneum erat, ut omnia propter ipsum amarentur, propter quem condita sunt; rectusque hic amor habendus, qui ita naturæ consonus esset: & si mens non læva fuisset; hic gradus ultimus amoris fuisset primus, ut dictum est.

IV. Sed jam ad cæteras diligendi Deum rationes, quas in principio alterius concionis prænotavimus, accedamus. Non solum enim diligendus est Deus a nobis, quia Deus, id est propter se amore absoluto, sed etiam quia Dominus, id est propter curam quam habet nostri, in cunctis affluentissime providendo. Est enim hæc secunda ratio diligendi non minima: quia scilicet illi ex beneficio debetur amor. Diligamus Deum quia bonus est, diligamus etiam quia debitum est. Et quantum debitum, & quomodo debitum? Quid retribuam tibi Domine, quid retribuam *Ps. 115.* pro omnibus quæ dedisti mihi? Dedisti meipsum mihi, dedisti omnia tua mihi, & insuper adhuc magnificasti facere nobiscum, *Ps. 125.* ut dares etiam teipsum mihi sicut Apostolus inquit: *Dilexit me, & tradidit semetip-* *Galat. 2.*

A *sum pro me*. Tam caro pretio redemisti me, de supplicio revocasti me, de servitio retraxisti me. Pudeat, pudeat non redamare te pro tanto amore tuo, pro tam ingenti beneficio tuo: horum omnium debitor sum. Quid tibi retribuam Creatori meo, Gubernatori meo, Redemptori meo, Judici meo, Remuneratori meo? Hos enim quinque habeo ingentissimos, & arctissimos creditores, cui primo persolvam ignoro. Creatori vitam debeo, quam ab illo gratis accepi: Redemptori quoque eamdem debeo vitam, quia ipse pro me suam posuit in patibulo: Gubernatori B etiam meo, qui me pascit a juventute mea, & gratis me tot deliciis sustentat, eandem me vitam debere confiteor, quam ejus beneficio possideo: sed & Judici meo, toto tempore vitæ meæ satisfacere nequeo: nam totum istud vivere meum innumeris licet laboribus conspersum sit: quid est ad futuram gloriam, quam mihi paravit in præmium magnificus Præmiator meus? Nunquid etsi dum vixero obsequentissimum me ei præbeam, & omnia terribilia pro amore ejus sustineam, adæquabitur opus mercedi? His omnibus totum meipsum debeo, & cui me primo præstem ignoro. C Decem millium talentorum, juxta para- *Mat. 18.* bolam Euangelicam debitor sum egenus & pauper, & quotidie in auribus meis personat vox illa terribilis: *Redde quod debes*. *Lucæ 16.* Quid faciam miser? Nam si ad rationem accessero, etiam cum re mea venditus, neque unum pro mille satisfacere valebo. Occurrit huic tam anxiæ solicitudini Propheta Michæas dicens: *Quid dignum offeram Domino?* *Nunquid offeram ei holocaustomata, & vitulos* *Mich. 6.* *anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum* D *meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Non, inquam, non, sed quid? *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te: Utique facere judicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo*. In quo solicitum? Utique solicitum ne offendas eum: solicitum, illius perquirere voluntatem: solicitum, ut illi in omnibus, & per omnia placeas. Hæc solicitudo amantis est, non timentis: diligentis Deum, non formidantis tormentum. Hanc igitur amoris solicitudinem redde, & solutus es a debito. Ama & solvi- E sti omnia. Solum hoc amoris tributum pro omnibus a te requirit Altissimus: naturaliter namque omnes ad amandum beneficos inclinamur.

V. Et quid de hominibus loquor ratione præditis, cum & animalia rationis expertia, beneficis suis gratam exhibeant amicitiam? Videas ferocissimum leonem, feritate deposita, caudæ motu & vultus alacritate, nutritori suo amicissime blandientem, & beneficis suis maxima benevolentia junctum fuisse pluries legimus (*a*), eosque a magnis incom- (*a*)

(*a*) Apud Gellium lib. 5. cap. 4.

modis & morte liberaſſe. Urſus etiam atrociſſima bellua, non ſolum beneficiis manſuefcit, ſed & in gratitudinis ſignum, & ut domino ſuo placeat, cum eo familiariter, & ad nutum ejus, meliori modo quo poteſt, & gratulatur & ludit: juſſus ſaltare, ſaltat: luctatur etiam cum jubetur: nec ullum recuſat opus, quod ipſe perficere poſſit, ne hero ſuo, & benefactori ingratus queat haberi. In quod vitium ſimiliter ne incidant elephantes, paſcentibus ſe Indis manſuetiſſime, & cordatiſſime obſequuntur: gaudent illos ſupra ſe portare, ad eorum dirigi nutus, illa facere quæ jubentur. Et cum tantum ſit animal, tantarumque virium, homunculo debili pro beneficiis, quæ recognoſcit, ſervire non dedignatur. De domeſticis vero animalibus, ut ſunt canes, & equi, quanta gratitudine polleant, ſupervacaneum judico dicere, cum tam in aperto ſit & pateat cunctis. Nullum periculum adeo terribile eſt, quod non pro ſuis dominis libentiſſime ſubeant, ut beneficia recognoſcant. Sola rationalis creatura, proh pudor! o facinus! beneficium ignorat, neſcit gratitudinem, gratiam non rependit: ſola ſuper omnia bruta, ad beneficium obbruteſcit. Quam juſte conqueritur de hoc ipſe Largitor per Prophetam dicens: *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* O homo, interroga jumenta, & docebunt te: eſto jumentorum diſcipulus, qui eorum creatus es dominus; docebunt te, inquam, gratitudinem, docebunt benevolentiam, docebunt amorem, quem exhibere teneris illi, qui de te ita benemeritus eſt. Pudeat te ex ſchola jumentorum addiſcere gratitudinem, & virtutem a jumentis, qui ea ſuperas intellectu.

Iſaiæ 1.

VI. Quod ſi nec tanta Dei majeſtate, neque tanto beneficiorum pondere alliceris ad amorem: lapides ipſos & ſilices cordis tuis duritia vincis. Si non diligis quia Deum, neque diligis quia Dominum, dilige ſaltem quia tuum. Quis enim propria ſua non diligat? O homo, diligis veſtem tuam, diligis domum tuam, diligis arva tua, dilige quoque Deum tuum. Dilige vel quia tuum. Nihil enim ita tuum eſt, ſicut Deus tuus; tuus, inquam, magis quam tu. Quod ſi indignum tibi videtur, quod Deus, cujus ſunt omnia, tuus nuncupetur; Prophetam audi: *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis, boves eorum craſſæ. Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt.* Ita dicit mundus, cum videt aut hæreditatem opulentam, aut pulchram domum, aut armentorum numeroſam multitudinem. Beatus cujus talis eſt domus, beatus cujus eſt tam præclara hæreditas, beatus tanti gregis poſſeſſor. Et tu Propheta quid ſentis? Dic tuam ſuper hoc ſententiam: *Beatus*, inquit, *populus, cujus eſt Dominus Deus ejus.* Beatus vir cujus eſt Deus. O præclaram hæreditatem, o pulcherrimum prædium, ipſe Deus! Beatus, & quam vere beatus eſt Dei ſui poſſeſſor! Si ergo tuus eſt Deus, quia omnia tua diligis, cur Deum tuum ab hoc amore ſecernis? Cur Deum maxime & ſuper omnia tuum, a communi tuorum exceptas dilectione? Soluſne inter tua indignus a te judicatur amore, ut cum omnia tua diligas, ipſum maxime tuum, minime diligas? Nonne indignabitur Deus ſuper tam execrando contemptu? Quid dicam tibi o homo, quid tibi miſerrime dicam? Nonne ſuper tanta iniquitate tua confunderis? Nonne de tanta ingratitudine, & malitia erubeſcis? Pallium tuum diligis, caligas tuas diligis, zonam tuam diligis: & Deum tuum non diligis? Et perpetuam tuam illam, & præclariſſimam hæreditatem, in æternum duraturam, non concupiſcis? Perdidiſti pallium, & doles: perdidiſti drachmam, & triſtaris: perdidiſti Deum, & non ſentis? Super tam præpoſtera re, quid tibi dicam ignoro. Si amares, quidem doleres: ſi diligeres, utique ſentires. Et ideo non ſentis, quia non diligis. Nunquid non audiſti, nunquid non annuntiatum eſt tibi ab initio, nunquid non quotidie in compitis acclamatur: *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt eum?* Et alges, & diſſimulas & vilipendis? Si ad amorem non te promovent exhibita beneficia, moveat te ſaltem vel ipſum exhibendum præmium. Si non vis amare Deum propter Deum, ama jam ipſum vel propter te ipſum. Quid enim amore Dei utilius, quo & hic, & in futuro feliciter vivit omnis amans? Nam & in præſenti vita, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, etiam, ſi fas eſt dicere, ipſa peccata quibus humiliores, & ferventiores, & cautiores redduntur. Dei autem contemptoribus, etiam ſi quas videntur habere virtutes, in malum cooperantur, & in gehennam eos injiciunt: dum enim de virtutibus ſuperbiunt, altius elevantur, ut facilius ſe in præcipitium collidant; ſicut ſcriptum eſt: *Dejeciſti eos, dum allevarentur:* & iterum: *Quia elevans alliſiſti me.* Diligentibus Deum totus arridet mundus, omnis obſequitur creatura; tepidos autem & contemptores omnis inſequitur natura, omnis abhorret creatura. Ubique labor, quia ubique in vindictam ſui Creatoris ſævit in impios creatura: ſicut ſcriptum eſt: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos.* Et quis magis inſenſatus, quam qui cum poſſit amando omnia poſſidere, amittit omnia, ne amet?

Iſaiæ 64. 1. Cor. 2.

Rom. 8.

Pſal. 72. Pſ. 101.

Sap. 5.

VII. Quod ſi neque adhuc tanta te utilitas excitat ad amorem, excitet te ſaltem amor illius, quo te diligit. Nihil enim ad amorem magis provocat, quam amari. Diligimus diligentes nos, etiam indignos amore, ſolum quia diligunt nos: neque alio, quam amore compenſatur amor. Nam ſi omnia amanti dederis, amorem autem non dederis,

Prov. 8.

deris, non a debito ſolutus es, auro, & argento, & lapidibus pretioſis non compenſatur amor, tanti pretii eſt: ab inimico enim aurum proveniens, in lutum computatur. Quod ſi de hoc amore dubitas, & qua te Deus tuus dilectione proſequatur ignoras: *Pſal.92.* *Teſtimonia ejus credibilia facta ſunt nimis.* Teſtis crux, teſtes clavi, teſtes dolores, teſtes ſanguinis inundantes fluvii, teſtis amara mors & acerbiſſima, quam pro te ſuſtinuit: & cum hæc omnia patiatur, videntur ei omnia pauca præ amoris magnitudine; adhuc enim majores & abundantiores, ſi *Gen. 29.* poſſibile eſſet, expetit pro te dolores graviores, longioreſque pro te ſitit anguſtias. Hoc eſt enim quod in cruce pendens clamat ad Patrem: *Sitio;* & in Pſalmo: *Cucurri in ſiti:* *Jo. 19.* *Pſal.61.* paratus videlicet ad longiores, & acerbiores pœnas pro homine, ſi Pater adhuc injungeret. Et quamvis de illo ſcriptum ſit: *Saturabitur opprobriis;* *Thren.3.* *Pſal.87.* & iterum: *Quia repleta eſt malis anima mea;* ſitit tamen adhuc: ſatur quoad effectum, ſitiens quoad affectum. Satur, quia *a planta pedis uſque ad verticem* *Iſaiæ 1.* *non eſt in eo ſanitas:* ſitiens, quia amor adhuc doloribus plenus non eſt, quamvis corpus vulneribus plenum ſit. Jam hic, o homo, & ſi adhuc in amando frigidus inveniris, duriorem te lapidibus eſſe oſtendis, ſiquidem ad tantæ dignationis conſpectum duriſſimi lapides confracti ſunt, & qui ſenſum non habent, ſenſum oſtenderunt, ut attendas quid facere teneantur hominum corda, ſi tantum pondus amoris, neque rupes ipſæ ſuſtinere valuerunt. Ad jumenta te paulo ante remiſimus, ut amorem addiſceres, nunc ad rupes, & duriſſimos lapides te remittimus. Emollire, emollire o pectus humanum, videns quia & lapides ipſi ad tantum beneficium comminuti ſunt, & quod cordium officium pro ipſis hominibus rupes faciunt. Eſto nunc diſcipulus lapidum, qui prius extiteras jumentorum, ad amandum enim Deum allicit quidem te creatio, ſed redemptio te convincit. Quod ſi nec ſic præ duritia tua convinceris, ad inferni te malleos noveris reſervari; ſicut ſcriptum eſt: *Cor ejus indurabitur tamquam lapis, & Job 41.* *ſtringetur quaſi malleatoris incus.*

VIII. Hucuſque de rationibus propter quas a nobis diligendus eſt Deus, locuti ſumus: nunc modum, quo ipſum diligere debemus, breviter attingamus. De quo in tituli ſecunda parte dicitur *ex toto corde tuo*, & ex *Mat.22.* *tota anima tua*, & ex omni *mente tua:* id eſt, ex tota poteſtate tua, & ex toto tuo conatu. Modus diligendi Deum, ut ait Ber- (a) nardus (a), eſt diligere ſine modo. Dilige ergo ſine modo, dilige omni modo, dilige ſicut ipſe diligibilis eſt, & ſufficit. Quid miraris? Nonne Propheta jubet laudare eum *ſecundum* *multitudinem magnitudinis ejus?* id eſt: ſicut *Pſ. 150.* laudabilis eſt? Dices. Nemo illum ita diligere poteſt, niſi ſe ipſe ſolus: ſed neque laudare. Ipſe ſe adæquat diligendo, cujus amor infinitus eſt, ſicut & magnitudo. Bene utique loqueris, neque tua mihi diſplicent verba, neque ſenſus. Si ergo non potes ſufficere ad laudem, non ceſſes a laude: ſi non potes amare ut debes, ama quantum potes: neque enim poteſt exceſſus in amore timeri, ubi vincitur a gloria & excellentia dilecti, facultas & potentia dilectoris: & facundia laudantis, a virtute & merito laudati ſuperatur. Ardent illi Seraphim, flagrant Virtutes Angelicæ in amorem ejus, ſicut ſcriptum eſt: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros* *Pſ. 103.* *ſuos ignem urentem*, neque ceſſant ab ardore, quia nunquam ſatis arſiſſe videntur. Et quid eſt omnis amor pulicis hujus exigui, ad ardorem illum beatarum mentium? Omnis amor noſter tepiditas eſt, ſi ad illorum flagrantiam comparetur. Diligamus ergo eum ſine modo, & ſine menſura, quia ſic ab eo dilecti ſumus. Qui enim omnia in pondere, *Sap. 11.* numero fecit, & menſura, in diligendo modum non habuit, neque menſuram. Exceſſit in hoc ſolo Deus, exceſſit ſupra omnem rationem, & intellectum, & qui in omnibus modum ſemper ab initio tenuit, in hoc modum tenere non voluit, & ſupra modum nimius fuit. Ignoſce Domine, obſecro, ignoſce famulo tuo, de te cum gaudio & audacia loquenti: nimius namque, & valde nimius fuiſti in nos amando Deus noſter. An non nimium eſt, ut pendeat Deus in patibulo pro vili vermiculo? Nunquid non exceſſus eſt grandis, quod moriatur Deus, ut vivat reus? Exponatur Creator, pro creatura? & pro opere ſuo patiatur, qui fecit illud? Si modus hic eſt, apud tuam Domine ſapientiam modus eſt, nam apud omnem creatum intellectum hic exceſſus, & grandis exceſſus, & nimietas eſt. Non timebo dicere, quod & res oſtendit, & Apoſtolus in ſpiritu dicere non pertimuit. Quoniam nimia charitas fuit, qua nos ita dilexit Deus, ut ſeipſum pro nobis tra- *Galat.2.* deret, Filius pro vernaculo. O vere nimiam, & vere nimiam, & valde nimiam charitatem, & quæ terminos totius charitatis excedit, & metas! Noſtræ redemptionis opus *copioſam* redemptionem Propheta prædixerat: ſed ſigni- *Pſ. 129.* ficantius eam Apoſtolus vocat *nimiam*. Scio hic nonnullos longam texere quæſtionem, quod videatur viatori impoſſibilis tanta perfectio, ut ſcilicet *ex toto corde*, & ex *tota* *Mat. 22.* *anima*, & ex omni *mente* diligat Deum, quod proprie Beatorum eſt, quorum omnis vis & facultas in Dei amorem abſorpta eſt: ſed abſit, ut Deum quicquam impoſſibile præcepiſſe dicamus. Quid ergo dicemus ad hæc? Facile ſolvitur iſta quæſtio, ſi præcepti habeatur intentio.

IX. Tripliciter enim Deum diligimus toto corde: aut ſcilicet quia ipſi totum cor noſtrum offerimus, neque male dividimus, ſicut

(a) Tract. de Dilig. Deo cap. 1. & 6.

ille Cain, qui licet bene obtulit, tamen quia male divisit, reprobatus est, ut ait Scriptura. Sunt enim, qui dividunt cor suum, partem Deo, partem mundo & deliciis tribuentes: qui ita Deo placere volunt, ut mundo quoque non displiceant; ita ad cœlestia anhelant, ut terrena non respuant. Ad quos Jacobus Apostolus clamat, dicens: *Adulteri,* *Jacob. 4.* *an nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Deo?* Hi quia totum non offerunt, nihil offerunt, neque enim partem cordis acceptat Deus, neque dignatur cohabitare spiritus vanitati. Unde quia ex toto corde non diligunt, hujus præcepti transgressores existunt. De his Propheta loquitur, dicens: *Divisum* *Osee 10.* *est cor eorum, nunc interibunt.* Ipsa namque cordis divisio interitus quidam animæ est. Sicut enim corpus a se ipso divisum non vivit, ita neque animus. Potest rursus aliter intelligi ista totalitas. Ita scilicet, ut Deus solus diligatur, & nihil aliud diligatur, nisi propter ipsum, & ad ipsum, & ita scilicet, quod ipsi soli tribuatur totum pondus amoris, neque etiam licitis amoribus per creaturas animus distendatur: minus enim te dili- (a) git (a) Domine, qui aliud diligit, quod propter te non diligit. Et iste modus perfectorum est, quorum omne studium est vacare Deo, & ipsi soli mundam, vacantemque mansionem in animo præparare. Potest tertio intelligi totalitas ista amoris, sicut supra expositum est præcedenti concione, ut omnis cogitatio, omnis affectio, omnis appetitus, omnisque animæ virtus in Deum penitus absorbeatur, totoque mentis conatu Deus a nobis diligatur; & hæc perfectio Beatorum est, non viatorum. Primo igitur modo præceptum est: secundo consilium: tertio, supra præceptum, & supra consilium, quia beatitudo nostra est. Consonat huic (b) distinctioni, quod dici ab aliquibus solet (b): quod tripliciter potest diligi Deus, scilicet: cum aliis, præ aliis, sine aliis. Qui cum aliis diligit, & quasi unum ex aliis, hic cor dividit, & præceptum non implet. Qui præ aliis diligit, quamvis scilicet alia cum ipso licite diligat, cor non dividit, licet aliquo modo illud ad alia divertat. Hic præceptum implet, sed tamen perfectionem nondum obtinuit. Qui vero solum & sine aliis diligit, hic jam culmen perfectionis obtinuit. Qui jam dicere potest cum sponsa: *Dilectus meus* *Cant. 2.* *mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Pri- *1. Cor. 3.* mus ædificat ad gehennam. Secundus ædificat supra fidei fundamentum stipulam, linum, & paleas. Tertius aurum, & argentum, & lapides pretiosos, juxta verbum Apostoli. Diligendus est præterea a nobis (c) Deus tripliciter, ut inquit Bernardus (c), scilicet, dulciter, prudenter, & fortiter. Dulciter, id est, affectuose & ardenter, ne animus sensibilium voluptate allectus, ad illicita rapiatur. Prudenter vero, ne dum agiliter currit, insipienter in aliquo pes ejus impingat. Fortiter, id est, perseveranter, ne victus difficultate resideat. Ne igitur animus alliciatur ad mundana, diligendus est dulciter; ne decipiatur a dæmonio meridiano, diligendus est sapienter; ne vincatur a tentatione, vel persecutione superveniente, diligendus est fortiter.

X. Talis fuit Martyrum amor, qui Christo Domino forti glutino agglutinati, scindi quidem potuerunt, sed non divelli; occidi, sed non separari. Hoc est illud glutinum, de quo Propheta prædixit: *Confortavit faber* *Isaiæ 41.* *ærarius, percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis dicens: Glutino bonum est: & confortavit eum clavis, ut non moveretur.* O bonum fabrum, spiritum veritatis! qui cudentem, formantemque tunc temporis in cordibus populorum Christum, Apostolum, & prædicatorem Euangelii foris malleo persecutionis premebat, & intus clavis timoris figebat. Foris agitabatur, & intus confortabatur: ut non moveretur a fide. Et ne eum vel ipsa mors atrociſſima mille tormentorum inventionibus exquisita moveret, clavis timoris addidit glutinum fortissimi, & invictissimi amoris, dicens: Glutinum bonum est, bonum, inquam, est, ne forte deficiat clavus, & pereat in examine miles Christi probatus. Glutino amoris igitur bonum est adjuvari clavum timoris, quia ligatura duplex difficile rumpitur. Et si forte clavus malleo persecutoris excussus resilierit, glutino tamen ceu visco colligatus Christo animus inhæreat indissolubiliter. Nos igitur Christi milites, sicut merito laudamus & veneramur, ita etiam amore & zelo fidei imitemur. Hi enim etsi non dignam, certe homini possibilem Deo gratiam rependerunt: hi sine modo, & sine mensura Deum suum dilexerunt: quippe quia pati pro ipso omnia, quantumvis gravia & acerba, parati erant, nullum amori præfixum terminum statuentes. Sæviat tyrannus, flagret rogus, armetur equuleus, acuatur gladius, bestia ad devorandum frendeat, afferatur ungula crucians, plumbata strideant, faces accendantur, pix & resina liquentur, & quicquid terribile excogitare potuit judicis impii dira crudelitas, ad tormentorum cuneum præparetur: superat omnia potissima vis amoris, nulli cedit tormento, nulli subjicitur detrimento, nulli obsequitur damno; sed magis ardens pectore beato caminus amoris, veluti aqua tribulationis injecta, dum extingui putatur, fortius ardet; dum magis comprimitur, flagrat uberius. O vere beatissimos Martyres, o vere feliciſſimos milites, quorum devoto mentis obsequio mundus justum

(a) Est S. P. Augustini sententia Confess. lib. 10. cap. 29. *Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

(b) Sententiam esse Hugonis a S. Victore notat in margine editio Romana.

(c) Serm. 20. in Cant. num. 4. & 5. Vide etiam Serm. 29. de Divers.

ſtum Deo rependit affectum, debitum amoris, & gratitudinis Redemptori perſolvit tributum: ſanguinem pro ſanguine, mortem pro morte, preſſuram pro preſſura, dolorem pro dolore, & ſi non æqua menſura rependens (neque enim æquabitur morituri hominis quantumvis atrociſſima mors, immortalis Dei, & impaſſibilis cuivis exiguo detrimento: plus eſt enim impaſſibilem quidvis pati, quam omnes homines mortales mori) gratiſſima tamen, ac digna Deo ſacrificia in corporibus veſtris oblata ſunt, quibus etſi non ad plenum rependitur beneficium, animi tamen gratitudo iſtis indiciis demonſtratur. Sed quid proderit hæc omnia de amore Dei fuiſſe locutum, ſi eundem amorem poſſidere, obtinereque auditori non detur? Optabilius enim eſt, vel unum amoris gradum in ſe habere, quam grandia, & alta de ipſo ſentire.

XI. Qua igitur via ad illum pertingere poſſimus, ſicut promiſimus, maxime monſtrandum eſt, ante omnia præmonentes, non humano aliquo ſtudio, aut induſtria, non hominis labore, aut ſola cura, Dei amorem poſſe acquiri, ſed a Deo gratis donari, donum enim Dei eſt, & gratia ſuper omnem gratiam. Lacrymis, & precibus obtinetur, non viribus noſtris acquiritur: non docetur, ſed infunditur: non addiſcitur, ſed gratis ex alto ſuſcipitur. Siquidem a quærentibus illum invenitur, ſed non quia quæritur, ſed quia donatur, non per inveſtigationem quærentis, ſed per gratiam largientis. Nullus namque poterit cellam Dei vinariam introire, niſi manu Regis fuerit introductus: ſicut ſcriptum eſt: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Nemo temerarie irruat in hanc cellam, ſed humiliter pulſet ad januam: non enim patitur violentiam, ſed per gratiam, quibus Regi placuerit, aperitur. Sunt tamen multa, quæ nos ad hunc amorem obtinendum diſponere valent, & juvare poſſunt. Primum eſt cordis noſtri puritas, quæ nos maxime ſupercœleſtis doni & idoneos facit, & capaces reddit. Neque enim tam purus, ac pretioſus liquor impuro, & ſordido infunditur vaſculo. Quapropter juxta Prophetæ ſententiam, ſcopendus eſt ab omni terreno pulvere ſpiritus noſter, ut tantum valeat liquorem accipere. *Purificate* igitur *corda veſtra duplices animo*, ſi iſto cupitis ditari affectu: purificate, inquam, non ſolum ab omni fæce ſordidantis libidinis, & omni contagio culpæ coinquinantis, ſed etiam ab omni ſtrepitu curæ ſolicitantis, & omni affectione curæ diſtrahentis, & omni duplicitate & fraude, omnique ſolicitudine, & vagatione ſpiritus diſcurrentis. Liberum, vacuumque cordis vaſculum ſpiritui relinquite: tota ipſum devotione rogantes, ut placeat illi habitare in eo. Neque enim dignatur ſpiritus cohabitare ſerpentibus, viperis, & ſcorpionibus, immundamque & fœtidam lubrici cordis cloacam introire: fruſtraque gemitibus, & precibus exoratur, ſi fœtente ab intus nidore repellitur.

XII. Prius igitur cordis habitaculum mundandum eſt, & virtutum tapetibus exornandum, bonarumque affectionum & cogitationum, vernantibus floribus undequaque ſpargendum, ut cum Sponſa dicere poſſimus: *Ecce pulcher es dilecte mi, & decorus* nimis: *lectulus noſter floridus.* Et tunc ſponte aderit non vocatus, non invitatus adveniet: ſufficit namque ei floridum oſtendere lectum, ut odore florum attractus adveniat. Plus enim eum allicit fragrantia, quam verba: munditia, quam ſacrificia: & devote petentis perſeverans humilitas, quam verboſe ſupplicantis proterva loquacitas. Valde tamen delicatus eſt ſpiritus charitatis, & qui ad levem offenſam ſtatim abit. Solicite ergo cuſtodiendus eſt, poſtquam conceditur: ne videlicet, velut ſcintilla parva, ſuperinjectis temporalibus curis, veluti humectantibus lignis extinguatur, ſicut ſcriptum eſt: *Spiritum nolite extinguere.* Quia ſicut nihil eo pretioſius, ita nihil delicatius, nihil tenerius invenitur. Valet præterea ad obtinendum amorem, anxium illius deſiderium, & aſſidua pro illo ad Dominum deprecatio, ſicut ſcriptum eſt: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Os cordis deſiderium eſt, quod tunc ad amorem aperitur, quando ſupra modum ab homine deſideratur. Contemptoribus enim & negligentibus non dat Deus ſpiritum ſui amoris, neque mittit margaritas ſuas porcis calcantibus eas. Quod ſi anxie deſiderantibus, & efflagitantibus illum vix poſt longum temporis tractum conceditur exoptatus ſpiritus; quando tepidis & non curantibus præſtabitur tantum bonum? Eſt etiam aliud non minus animi præparatorium ad amorem; paſſionum videlicet carnalium mortificatio: vigentibus enim in anima appetitibus obruitur, ſicut dictum eſt, Spiritus Dei; ac veluti atris quibuſdam nebulis, & nubibus, & turbinibus, ne ſerena luce reſplendeat, offuſcatur. Et dum minus lucet, neceſſe quoque eſt, ut minus ardeat, ſicut & lumen ſolis obnubilatum minus calefacit; ſublatis vero paſſionum offuſcantium nebulis, atra nox in ſerenum vertitur diem, calefacienteque lumine cor affectibus, veluti olla aquis tumentibus, fervet. Valet præterea ad amandum Deum, prius diligere proximum; quoniam amor proximi ad amorem Dei veluti gradus quidam eſt, ipſumque in animum ſicut cera filum introducit. De amore loquor charitatis, non vanitatis; hujuſmodi enim ab amore Dei potius hominem retrahit, quam juvet. Diligendus itaque eſt Deus in proximo, ut poſt diligatur in ſeipſo; & per proximum in Deum nobis eſt conſcendendum.

XIII. Sunt alia pleraque ad amandum Deum diſponentia, quæ longum eſſet enumerare per ſingula, ſacrarum videlicet li-

Cant. 2. Mat. 25. Pſal. 76. Jacobi 4. Cant. 1. 1. Theſſ. 5. Pſ. 118. Mat. 7.

terarum ſolertiſſima lectio; incarnationis & paſſionis Chriſti, amoriſque ejus erga nos aſſidua meditatio; beneficiorum quoque ejus in nos continua recordatio; familiariſque ad ipſum & devota conjunctio; ſpiritualium, devotorumque hominum, quorum verba velut ſalientes ſcintillæ noſtrum accendunt teporem, ſpiritumque ſopitum excutiunt, frequens collatio, & converſatio. His omnibus & ſimilibus ſacer ille ignis veluti lignis e ſylva fovetur, nutriturque, ne deficiat, ſed ſemper ardeat in altari coram Deo, ſicut in lege præceptum eſt. *Ignis*, inquit, *in altari ſemper ardebit quem nutriet Sacerdos, ſubjiciens ligna mane per ſingulos dies, & impoſito holocauſto deſuper adolebit adipes pacificorum. Ignis eſt iſte perpetuus, qui numquam deficiet in altari.* Cuilibet ergo noſtrum hæc omnium potiſſima cura erit, ne juxta verbum Domini, ſacer iſte ignis aliquando deficiat coram Deo in cordis noſtri ara. Non ſolum mane, ſed & nocte & meridie, continue & ſemper eundem ignem meditationibus ſanctis, lectionibus, orationibus, collocutionibus, exercitationibus nutrientes; ne forte veniat Sponſus, qua hora non putamus, & deficiente oleo extincta lampade, ab ejus perpetuo excludamur conſortio, & terribilem illum audiamus auditum: *Neſcio vos.* Propter quod ſi quis lampadem habere ſe putat; videat ne deſit oleum in lecytho. Nam & Propheta Zacharias cum lampadibus ſeptem in ſacra illa viſione ſeptem quoque infuſoria lucernarum vidit, quibus videlicet ignis lampadum, ne deficeret, fovebatur. Unde & Salomon ſalubri conſilio unumquemque noſtrum hortatur, dicens: *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat*; id eſt: nunquam corpori deſit munditia caſtitatis, neque cordi tuo fervor devotionis: hoc enim oleo, hac unctione, veluti quodam fomento flamma amoris Dei, & alitur, & augetur, donec abyſſo illi conflantis ignis adjuncti, ignis ab igne perpetuis ardoribus foveatur, nutriaturque, neque exteriori aliquo creaturæ fomento opus ſit, quia veluti in ſua ſphæra perpetuus & invariabilis permanebit: quem nobis præſtare dignetur, qui Spiritum ſuum in cordibus Apoſtolorum, veluti ardentem ignem, immiſit: cui cum Patre, & eodem Spiritu ſancto, eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Levit.6. — *Mat.25.* — *3. Reg. 17.* — *Zach. 4.* — *Eccl. 9.* — *Marc. 4.* — *Act. 2.*

IN DOMINICAM XVIII. POST PENTECOSTEN CONCIO.

DE EUANGELIO.

Aſcendens Jeſus *in naviculam, transfretavit, & venit in civitatem ſuam.* Matth. 9. v. 1.

* CONCIO CVI.

I. QUID egebas navigio Rex majeſtatis? Nonne ipſe es, qui ſiccaſti aquas maris filiis Iſrael? Qui Petro ſiccis pedibus ambulare ſuper aquas conceſſiſti? Chryſologus (*a*): Chriſtum in humanis actibus divina geſſiſſe myſteria, & in rebus viſibilibus inviſibilia exercuiſſe negotia lectio hodierna monſtravit. Aſcendit, inquit, *in naviculam*, & *transfretavit*, *& venit in civitatem ſuam*. Nonne ipſe eſt, qui fugatis fluctibus maris profunda nudavit, ut Iſraeliticus populus inter ſtupentes undas ſicco veſtigio, velut montium concava tranſiret? Nonne hic eſt, qui Petri pedibus marinos vortices inclinavit, ut iter liquidum humanis greſſibus ſolidum præberet obſequium? Et quid eſt, quod ipſe ſibi ſic maris denegat ſervitutem, ut breviſſimi lacus tranſitum ſub mercede nautica transfretaret? Aſcendit, inquit, *in naviculam & transfretavit*. Et quid mirum Fratres? Chriſtus venit ſuſcipere infirmitates noſtras, & ſuas nobis conferre virtutes: humana quærere, præſtare divina: accipere injurias, reddere dignitates: ferre tædia, referre ſanitates: quia medicus, qui non fert infirmitates, curare neſcit, & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem. Chriſtus ergo ſi in ſuis manſiſſet virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet: & ſi non compleſſet carnis ordinem, carnis in illo eſſet otioſa ſuſceptio. Aſcendit, inquit, *in naviculam*, & *transfretavit*, *& venit in civitatem ſuam*. Creator omnium (*b*) Deus, poſtquam ſe propter nos noſtra angu-

Exodi 14. — *Mat. 14.* (*a*) — *Ibid. 9. Exodi 14.* — *Mat. 14.* — *Mat. 9.* — *Ibidem.* — (*b*)

(*a*) Serm. 50., qui Sermo a nonnullis Hieronymo, ab aliis Joanni Chryſoſtomo tribuitur; ſed immerito, ut advertit in Præfat. noviſſimæ editionis P. Sebaſtianus Pauli.

(*b*) Chryſologus Serm. ſupra allegato: *Creator rerum orbis Dominus poſtquam ſe, &c.* reliqua ut jacent. Eadem ferme habet initio Sermonis 48.

guſtiavit in carne, cœpit habere humanam patriam, cœpit civitatis Judaicæ eſſe civis, parentes habere cœpit parentum omnium ipſe Parens, ut invitaret amor, attraheret charitas, vinceret affectio, ſuaderet humanitas, quos fugarat dominatio, metus diſperſerat, fecerat vis poteſtatis extorres. Hæc ex Chryſologo. Aſcendit, inquit, *in naviculam*, & *transfretavit*. Aſcendit ad aquas, ut eas ſanctificaret, qui jam terram ſanctificaverat infectam ſanguine Abel. *Mat. 9.*

II. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. O Domine non hanc remiſſionem, ſed ſanitatem petit. Dominus curavit radicem. S. Thomas (*a*): Quid eſt, quod iſte petebat ſanitatem corporis, & Dominus dat ſanitatem animæ? Ratio eſt: quia peccatum erat cauſa ægritudinis. Unde fecit Dominus ſicut bonus medicus, qui cauſam curat. Incipit, inquam, Dominus curando paralyticum a morbo ſpirituali, qui erat radix morbi, & cauſa infirmitatis corporalis. Remittit igitur peccata ejus primo, quæ fuerant origo mali: & ad modum experti medici, tollit primo morbi ſcaturiginem, & deinde intendit curationi. Sanctus Nilus (*b*): Allaborandum eſt, inquit, ut malorum radicem penitus evellamus: hac enim manente, rami quoque pullulabunt. Origenes (*c*): Si eradicatur aliquid, & eradicatio ipſa non etiam diſpergitur, adhuc permanet, quod evulſum eſt. Si ſubruitur domus, & lapides in ruina ſunt integri; diſſipata eſt domus, non tamen perdita. Opus eſt igitur benignitate Dei, ut eradicatio primo, deinde ipſa ſubverſio etiam tota diſpereat. Chryſoſtomus (*d*): Num tu ſaxum es? Num ferrum? Homo es communis naturæ imbecillitati obnoxius, & ignem gerens in ſinu tuo etiamnum non uris? *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Diſcamus, Fratres, in noſtris infirmitatibus prius curare peccata. Statim cum quis ægrotat, confiteatur & communicet. Reprehenſio illorum, qui vix jam jam morituri, volunt condere teſtamentum, & confiteri. *Remittuntur tibi peccata*. O Domine, nondum doluit, non contritus eſt, & lacrymas non fudit. Utique magnificus Dominus, ſola fide contentus (*e*), mundavit a peccato. Petitur tamen confidentia. Gratis eum ſanavit: nam ſine pœnitentia ſunt dona & gratia Dei. Dominus eſt, & poteſt gratis dimittere. Quis novit, an interius contritus eſt æger? Ecce fide iſte mundatus eſt, & amore Magdalena: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* & dolore Petrus: *Egreſſus foras, flevit amare*. An vero de lege communi, in Sacramento requiritur dolor, vel ſatis eſt ut non ponat obicem: Scotus periculoſus (*f*) in hac quæſtione. *Mat. 9.* *Ibidem.* *Lucæ 7.* *Mat. 26.*

III. *Aſcendens* Jeſus *in naviculam, transfretavit*. Navicula humanitas Chriſti, levis ſine peccato, calcavit tumentes fluctus. Solent mercatores navibus tranſportare merces, quæ non ſunt alibi, & inde etiam alias adferre ad penuriam, quæ deſunt ibi. Cœleſtis mercator animarum, in hac navicula e cœlo cœleſtes attulit divitias. Quas inquies? Ecce, vide, omnes Eccleſiæ divitias, gratias, dona, ſcientias, Sacramenta; omnia ex hac navicula fluxerunt. Et accepit e terra noſtra merces noſtras, quæ non ſunt in patria ſua. Quid dicit Iſaias? *Vere languores noſtros ipſe tulit*, infirmitates & labores. Solent mercatores, cum divitias inferunt pelago, timere tempeſtates & ſubmerſiones. Tamen cum conſiderant lucrum, quod expectatur ex tranfretatione, exponunt *Iſaiæ 53.*

ſe

(*a*) In Matthæum cap. 9. Angelici Doctoris verba ſunt, uſque ad ea, *qui cauſam curat*.

(*b*) Orat. 3., quæ eſt de Avaritia. *Qui vitia cupit exſcindere, radicem evellat. Licet enim reliquos amputes ramos, manente avaritia nihil proficies: nam iterum renaſcentur*. Huc ſpectat illud S. Bernardi Serm. 2. in Annunt. B. V. M. num. 5. *An vero aliud eſt quam fictio execranda, ſi peccatum ſuperficie tenus radas, non intrinſecus eradices? Certus eſto, quoniam pullulabit uberius*.

(*c*) Ipſa ſunt verba Orig., ſequitur autem: *Opus eſt igitur benignitate Dei, ut eradicatio ipſa, & ſubverſio tota diſpereat*. Homil. 1. in Jerem. part. 1. pag. 648. edit. Baſil. an. 1545.

(*d*) Homil. 1. in Pſal. 50. circa medium. *Numquid lapideus es, aut ferreus? Homo communis naturæ ſubditus infirmitati, igni colloqueris, & non ardebis? Pone lucernam in fœnum, ſi poteris dicere, quoniam non exuritur fœnum*.

(*e*) Hoc Euangelii loco inter alia abutuntur Novatores, ut inde probent hominem ſola fide juſtificari. Eorum errori non favet S. Orator, tametſi Paralyticum iſtum ſola fide juſtificatum aſſerere videatur. Non enim ſicut illi ordinaria lege in homine per fidem fieri contendunt, hoc Sanctus noſter in Paralytico Euangelico factum concedit; ſed extraordinario modo, ut patet ex iis, quæ mox ſequuntur: *An vero de lege communi, &c.* Cæterum ne Paralyticum quidem ſola fide juſtificatum fuiſſe probant alii Theologi, qua de re vide Bellarminum tom. 3. de Juſtif. lib. 1. cap. 20., & Maldonatum in cap. 9. Matthæi.

(*f*) Nonnullis viſum eſt Scoto placuiſſe opinionem, quod ad conſequendum Sacramenti Pœnitentiæ effectum, ſatis ſit non ponere obicem, hoc eſt, non actu peccare in ejus ſuſceptione, & intendere illud recipere, juxta Eccleſiæ intentionem. Id conſtare cenſuerunt ex iis, quæ tradidit Subtilis Doctor in 4. Sent. diſt. 14. q. 4. art. 3. & diſt. 16. q. 1. Verum aliam ejuſdem mentem fuiſſe, oſtendit Vega de Juſtif. lib. 9. cap. 5., ubi locutiones quaſdam ambiguas ex aliis ipſius perſpicuis locutionibus egregie explicat, eumque a labe hujuſmodi vindicat. Sane ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem diſerte tradidit Scotus diſt. 16. q. 1., de his enim loquens: *Hæc tamen*, inquit, *tria ad Sacramentum Pœnitentiæ ad hoc, ut digne recipiatur, requiruntur, vel prævia, vel ſequentia*. Itaque ſuppoſita horum actuum neceſſitate, hoc unum diſputavit, an partes eſſentiales Sacramenti dicendi forent. A qua quidem finienda quæſtione conſulto abſtinuiſſe Patres Concil. Trident. aſſerit Pallavicinus Hiſt. Concil. Trident. lib. 12. cap. 10. & 12., actus illos appellando non materiam, ſed quaſi materiam, ne rem inter Scholaſticos controverſam dirimerent, & ſeſs. 14. cap. 3. & can. 4. eoſdem actus appellando partes non quidem Sacramenti, ſed ſimpliciter Pœnitentiæ, atque eo ſenſu partes, quod ex divina inſtitutione neceſſarii ſint illi actus ad integritatem Sacramenti, & ad plenam, abſolutamque peccatorum remiſſionem: quo certe ſenſu eos admiſerat Scotus. Proinde ejus opinio, etſi a communiori Theologorum ſententia recedat, in hæreſim tamen non impingit.

se & sua pretiosa periculo tempestatis. Sic Christus transfretaturus per sæculum pertimuit. O quantus timor, quando sudor sanguineus diffluebat in terram! Agnosco plane in Duce belli pusillanimorum trepidationem, agnosco ægroti vocem in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis. (a) Quid magnum fuerat (a) Domine Jesu, si accedente hora, propter quam veneras, intrepidus stares, tamquam qui potestatem habebas ponendi animam tuam? An non longe gloriosius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, ut non modo passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret; & quos vivificabat mors tua, nihilominus & trepidatio robustos, & mœstitia lætos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, & desolatio consolatos? Lego quidem in Lazari resurrectione, quia *infremuit spiritu*, Jo. 11. *& turbavit seipsum*. Sed esto interim, quia seipse turbavit non conditionis necessitate, sed suæ beneplacito voluntatis. Nunc autem aliquid aliud audio. Usque adeo siquidem prævaluit ea, quæ *fortis est ut mors dilectio*, Cant. 8. ut Christum Angelus Dei confortaverit. Quis? Quem? Euangelistam audi: *Apparuit*, inquit, *Angelus confortans eum*. Quem *eum?* Plane eum, cui nascituro clausus patuit Virginis uterus; Luc. 22. cujus nutu in vinum aqua mutata est; Jo. 2. Mat. 8. cujus tactu lepra fugata est; sub cujus plantis solidum mare stetit; ad cujus vocem mortui surrexerunt. Jo. 11. Denique *eum*, qui portat omnia verbo virtutis suæ, per quem facta sunt omnia, per Ibid. 1. quem universa subsistunt, etiam & Angelus ipse. Et quid dicam? Quem eum? minus enim morarer, si non penitus esset indicibilis. *Confortans eum*. Quem eum? Cujus nec ipse quidem confortator suus capere poterat majestatem. Rogo te Angele, quem consolaris? An ignorabas, quis esset, ad quem consolandum veniebas? Certe ipsemet consolator est, certe Paraclitus est. Alioquin non diceret alium Paraclitum a Patre mittendum Apostolis, si non esset & ipse Paraclitus. Denique; agnosco & in hoc ipso Paraclitum maximum, agnosco Paraclitum benigniffimum, qui prope sit his, qui tribulati sunt corde. Non despero jam Domine, etiamsi molesta mihi videatur tribulatio, quam patior, etiamsi pusillanimis sum, etiamsi desidero, ut transferatur calix a me. Non despero, inquam, dummodo audiam ipse: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Didici etiam ex hoc ipso, non Luc. 22. ad carnalem, sive caducam currere consolationem; sed ad Angelicam, sed ad spiritualem, sed ad cœlestem.

IV. Timuit ergo sicut homo intraturus mare passionis: sed vicit lucrum ex passione. Quæ lucra? Primum: auferre injuriam Dei a mundo idololatra. Secundum: eripere animas e potestate diaboli. Tertium: instaurare civitatem Jerusalem ruinosam, & beatitudinem homini præstare. Magna lucra nobis, sibi autem mundi dominium & resurrectionis gaudium lucratus est. Apostolus ad Hæbreos: *Aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Jesum: qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta*. Ita Heb. 12. & nos labores sustineamus, proponentes æterna illa lucra beatitudinis. In Canticis: *Ferculum fecit sibi Rex Salomon*. Ferculum a ferendo, vehiculum, naviculam, *fecit sibi Rex Salomon*, quia triginta annis Dominus majestatis ferebatur per aquas sæculi: *de lignis Libani* impenetrabilibus, & incorruptibilibus, virginalibus, purissimis sanguinibus. Non fuit corruptio peccati in matre illa. *Columnas argenteas*; virtutes mirificas, & purissimas, & nitidas carnis suæ. *Reclinatorium aureum*; portionem illam animæ superiorem, totam beatam, totam Deificatam, in quam reclinavit Divinitas. *Ascensum purpureum*. Ita est: gradus purpurei. Per sanguinem ascendit, per passionem transfretavit in gloriam suam. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Luc. 24. Per hanc naviculam tutissimam, crucem & passionem suam, per hanc transfretavit Christus ad palatia cœli. Et putas te hominem infirmum per delicias ascensurum in cœlum? Non certe. Nam ascensus purpureus est. Sic Petrus, sic Paulus, sic Bartholomæus ascendit, sic omnes Sancti per sanguinem, aut per sudorem. Novi alios gradus cordis; de quibus Psalmus: *Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit*; Psal. 83. sed & hujus scalæ cordis ascensus purpureus est, media charitate constratus. Sudore & fervore itur ad cœlum. Rubent gradus sanguine, rubent & charitate. Per laborem & per amorem ascensus patet in cœlum.

IN

(a) Ab his verbis usque ad ea, *Sed ad Angelicam, sed ad spiritualem, sed ad cœlestem*, portio est Sermonis 1. S. Bernardi in Festo S. Andreæ Apost. num. 6. & 7.

IN DOMINICAM XIX. POST PENTECOSTEN

CONCIO PRIMA.

DE MATRIMONIO CHRISTI CUM ECCLESIA, ET QUALIBET ANIMA.

Simile factum eſt regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Matt. 22. v. 2.

* CONCIO CVII.

I. DE Matrimonio Chriſti & Eccleſiæ: quod etiam particulariter fit cum qualibet anima. Ante matrimonium præcedunt ſponſalia per verba, & ſponſionem de futuro. Ita Chriſtus ante nuptias ſponſus decorus per verba de futuro. Hoc clamabant oracula Prophetarum, hoc cæremoniæ antiquæ, hoc figuræ promiſſionum hujus connubii factæ a Deo etiam ſub juramento: *Jusjurandum quod juravit ad* Luc. 1. *Abraham patrem noſtrum*. Aliud autem operabatur paſſio Chriſti exhibita, aliud promiſſa. Nam promiſſa, fide liberabat a culpa, liberabat a gehenna, ſed non introducebat in gloriam. Sicut Rex David dimiſit injuriam Abſaloni, ſed ait: Maneat in aliqua 2. Reg. 14. civitate, non videbit faciem meam. In incarnatione autem matrimonium celebratum eſt paranympho Gabriele in thalamo Virginis: de cujus utero tanquam e thalamo ſuo Luc. 1. cœleſtis ſponſus eſt Chriſtus Dominus: ſponſa vero nos ipſi ſumus, & omnes ſimul una ſponſa, & animæ ſingulorum quaſi ſingulæ ſponſæ. Et quamquam ſponſa ſua nobilior multo ſit genere, ſpecioſior forma, eminentior dignitate, tamen propter Æthiopiſſam iſtam de cœlo deſcendit Regis æterni Filius, ut ſibi illam deſponſaret in terris, pro qua etiam mori non timuit. Et Moyſes quidem Num. 12. Æthiopiſſam duxit uxorem, ſed non potuit Æthiopiſſæ mutare colorem. Chriſtus vero, quam adamavit ignobilem adhuc, & fœdam, Epheſ. 5. glorioſam ſibi exhibuit Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam. Pro quo notandum: quod cum aliorum pulchritudo foris ſit, hominis intus in voluntatis arbitrio. Sol exterius fulget, terram exterius multiplici fructu fœcundat, vernat, & facit vireſcere. Homo intus fulget, intus vernat: ideo Dominus cum cætera approbaſſet, ſolum ho- Gen. 1. minem non approbavit, expectans quid ſequeretur per arbitrium: ut ait Ambroſius (*a*) in Hexameron. Solus homo de omnibus gaudet; non gaudet de ſua formoſitate ſol. Mirabilis etiam hominis dignitas: aliis præfixus eſt ſtatus, aſſignatus ordo, tam Angelis, quam Archangelis; homo autem indifferenter creatus eſt, ut ſit quod velit; vel cum Angelis, vel cum Archangelis, vel etiam aſcendat ad ſuperiores ordines. Creatura extravagans potens aſcendere, vel deſcendere. Omnia ordinem habent, etiam elementa, & ſitum ſecundum naturam; & Angeli gratiam, & gloriam ſecundum naturalia. Homo vero cum natura minor ſit Angelis, dignitatem non habet naturæ proportionatam: nam poteſt etiam ſuper Angelos aſcendere; ut Virgo ſuper choros elevata eſt. Item hoc, quod in homine eſt minoris perfectionis, ſcilicet, ut eſſet naturæ vertibilis, & voluntatis mutabilis, in bonum ejus ceſſit. Nam quia prævidit Deus caſurum, mutabilem, & vertibilem, fecit, ut poſſet levari, quod non poteſt dæmon; neque enim verbum evocare, & palinodiam canere, neque pœnitere poteſt, neque habet liberum arbitrium (*b*). Homo non natura, ſed voluntate meretur, ut poſſit eſſe, quod velit. Accipit præſentem vitam, inducias, & tempus negotiationis, ut creſcat: quantum ſe diſpoſuerit, tantum merebitur. Præmii menſura in tuo arbitrio eſt: quantum dilexeris, tantum præmiaberis. Præcellentia hominis belle item dignoſcitur, & comprobatur ex verbis illis Pſalmi: *Et erit* Pſal. 71. *firmamentum in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper Libanum fructus ejus. Erit firmamentum in terra in ſummis montium*. Mirabilis phraſis: ſi firmamentum altiſſimum ſit in terra, quomodo erit firmamentum in pulvere ſolidum? Utique *erit firmamentum in terra*, cum *Verbum caro factum eſt, & habi-* Jo. 1. *tavit in nobis*. Hoc eſt *firmamentum in medio* Gen. 1. *aquarum*.

II. Nota aquas: populi multi, aquæ multæ. Quoniam inter homines, *in terris viſus* Baruch 3. *eſt*,

(*a*) Actum eſt de hoc in notis ad Concion. in Dom. 11. poſt Pentec.

(*b*) Ideſt flexibilitatem poſt primam electionem, & adhæſionem libere factam. Hanc enim eſſe Angeli naturam docet Angelicus Doctor 1. p. q. 64. art. 2. *Et ideo*, inquit, *ſi conſideretur ante adhæſionem, poteſt libere adhærere huic, & oppoſito in his, ſcilicet quæ non naturaliter vult, ſed poſtquam jam adhæſit, immobiliter adhæret*.

est, & *cum hominibus conversatus est*. Mat. 25. Dividens filios regni, & filios perditionis. Audi Lucæ 2. quomodo dividens, dicat Simeon: *Positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum*. Heb. 1. Vide firmamentum omnium: *Portans omnia* Jo. 1. *Verbo virtutis suæ*. Ecce firmamentum *Verbum*. Vide terram: *Verbum caro factum est*. Ps. 103. Audi Psalmum: *Qui* firmavit *terram super stabilitatem suam*. Cujus *suam*, nisi firmantis, nisi Dei? Super ipsum, terra, Ecclesia fundata est; super humerum ejus imperium Isaiæ 9. ejus. Firmamentum fundamentum est. 1.Cor. 3. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. In summis montium. Fundamenta ejus* Psal. 86. *in montibus sanctis*. Imo in monte sancto sanctorum, de quo: *Erit mons domus Do-* Isaiæ 2. *mini in vertice montium*. Quorum montium? Prophetarum, Patriarcharum, imo & Angelorum. *Ascendit super Cherubim, & vola-* Psal. 17. *vit: volavit super pennas ventorum*, spirituum Angelorum. Denique ait Sponsa: *Fuge di-* Cant. 8. *lecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque cer-* Ibid. 2. *vorum super montes Bether*, id est, Domus *Dei*. An ipse solus super montes Bether? Jo. 12. An caput solum est? Et non ubi Dominus, ibi & minister ejus? Ubi caput, ibi membrum ejus. Audi quod sequitur: *Superex-* Psal. 71. *tolletur super Libanum fructus ejus*. Psalmus: Ps. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum: Ecce hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris*. Ecce fructus, omnes Christiani electi fructus ejus. Libanus Angelica natura est. Fructus ejus, quem fructificavit in arbore crucis, superextolletur super Libanum, quia multi Sancti, quia Beata Virgo exaltata est super choros Angelorum. Christus fructus est ven- Lucæ 1. tris Virginis Mariæ. *Benedictus fructus ventris tui*. Et beata Virgo fructus est Sanguinis Jesu Christi. Ecce ergo super Libanum (a) fructus ejus. Sed unde tibi o anima (a) humana, unde tibi hoc? Unde tibi tam inæstimabilis gloria, ut cum tot memoratis prærogativis sponsa etiam merearis esse il- 1.Petr. 1. lius, *in quem desiderant Angeli prospicere?* Unde tibi hoc, inquit Bernardus, ut ipse sit sponsus tuus, cujus pulchritudinem sol, & luna mirantur, ad cujus nutum universa mu- Ps. 115. tantur? Quid retribues Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi, ut innumeris dotata virtutibus sis etiam socia mensæ, socia Cant. 1. regni, socia denique thalami? Ut introducat te Rex in cubiculum suum? Vide jam quid de Deo tuo sentias; vide quantum de Deo præsumas; vide quibus brachiis charitatis redamandus, amplectendus sit, ac imitandus, qui tanti te æstimavit, imo qui tanti te fecit. Non dedignetur sponsa conformari sponso. Sponsus in patibulo, sponsa in thalamo; non est æquum. Sponsus in laboribus, sponsa in deliciis; non est æquum. O

A confusio ecclesiasticis! Confusio monachorum! Confusio christianorum! O anima defere carnales affectus (b), sæculares mores dedisce: a prioribus vitiis abstine, consuetudines noxias oblivisçere. Quid enim putas? Nonne stat Angelus Domini, qui secet te mediam, si forte (quod ipse avertat) alterum admi- Dan. 13. seris amatorem? (b)

III. *Dicite invitatis: ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occisa sunt, &* Mat. 22. *omnia parata: venite ad nuptias. Tauri, & altilia occisa sunt*. Tauri pingues, Patres veteris legis. Altilia, grossa pinguedine Spi- B ritus, Patriarchæ, Apostoli, Martyres occisi; qui, ut expeditiores essent etiam laniata membra relinquunt. Tot exempla confessorum, qui viriles labores sumpserunt, ut pervenirent. Tot volumina Scripturarum. Quænam hæc protervia nostra, quæ pertinacia? Eja, invitat: *omnia parata* sunt: *venite ad nuptias*. Multum accusati sunt Judæi de pertinacia, quia non crediderunt. Illis non Euangelium prædicatum, illis nondum Martyres tanti, nondum tot confessorum, & Sanctorum exempla. Sub nube erant: dicente Paulo: *Patres nostri omnes sub nube* C *fuerunt. Tauri mei, & altilia occisa sunt*. 1. Cor. Omnia hæc possunt ad exemplum referri in 10. Christo. Ipse enim vitulus ille saginatus de Mat. 22. armento cœlesti ad mundum in convivio præ- Lucæ 15. paratus a Patre. Ipse altile illud, quod super omnes spiritus volat. *Inclinavit cœlos &* Psal. 17. *descendit; & ascendit super Cherubim, & volavit: volavit super pennas ventorum*. Ipse ad convivium semel occisus est: sed millies in illa morte mortuus est. An non amarior morte illa spinarum confixio? Illa flagellatio tam dira, illa tam crudelis membrorum ex- Jo. 19. tractio? Et super omnia, illa nuditas in cruce, Ibidem. D quam nec ipse sol potuit sustinere? Marc. 15. Millies mortuus es Domine, ut me vivificares. Propter quid omnia ista? Apostolus: ut exhiberet ipse sibi Ecclesiam sponsam gloriosam, Lucæ 23. sine macula, sine ruga, lavans eam lavacro sanguinis sui. O amor sponsi! Suo sanguine mundavit, suis vulneribus ornavit spon- Ephes. 5. sam suam. P. Augustinus (c): Ut non esset (c) macula, lavit sanguine; ut non esset ruga, extendit eam secum in cruce. Bene lota, bene extensa. *Tauri mei, & altilia occisa* Mat. 22. *sunt, & omnia parata: venite ad nuptias:* Fratres, nos respicit illa parabola. Potue- E runt forsitan priores excusare se, ut non venirent, quia ante mortem Christi non omnia hæc parata viderant: sed quid ait: *Consummatum est:* hinc nos post tot Sanctorum mor- Jo. 19. tes, post tantam sanguinis effusionem, post tot testimonia veritatis, post tot scripturas, & apertam doctrinam, quomodo possumus excusari? Jam lux eviscerata spiritum latentem in corticæ literæ patefecit. Jam Sacramenta

(a) Ab his verbis usque ad ea, *immo qui tanti te fecit*, S. Bernardi sententiæ sunt Serm. 2. Dom. 1. post Oct. Epiphan. num. 3.

(b) Iterum S. Bernardus loco allegato.

(c) In Psalm. 132. num. 9. *Mundatur, ut non habeat maculam; extenditur, ut non habeat rugam, &c.*

menta inſtituta ſanctificantia, non præfigurantia ſanctitatem, jam janua cœli patefacta per ſanguinem Chriſti, jam prælium ſolutum, dæmonis potentia confracta. Quid miſeri nos in media luce palpitamus, & palpamus in meridie? Quam excuſationem habemus? Venerunt pueri, puellæ, virgines teneræ, mulieres; nos vero timemus rigorem. Iſti libri aperientur contra nos in judicio. Eja: induite animam veſte nuptiali, veſte purpurea charitatis. Ecce Chriſtus occiſus, ſanguis effuſus, Euangelium prædicatum; gloria Dei plena eſt omnis terra. Properate, &c.

Mat. 22. IV. *Amice, quomodo intraſti?* De ingreſſu Chriſti in mundum. De vitæ ejus progreſſu: & exitu per crucem pœnoſo. Numquid non extra omnem ſuſpicionem mali facta eſt converſio mundi, ut obſtruatur omnis malitia obloquentis? Venit Deus in mundum, non in majeſtate, non in Angelorum comitatu & purpura, non in terrore, & potentia, ſed in paupertate, pannis involutus. Elegit *Lucæ* 2. ſocios, non divites, non potentes, ſed piſca- *Mat.* 4. tores; non philoſophos, non ſapientes, ſed *Marc.* 1. idiotas ſimplices. Clamat in Euangelio: *Qui* *Mat.* 16. *vult venire poſt me.* Non cogo, non decipio, non deterreo, non allicio; qui vult venire, voluntate, non neceſſitate veniat; libere, non coacte, qualiſcumque, & undecumque ſit, ſive maſculus, ſive fœmina, ſive ſenex, ſive puer, ſive dives, ſive pauper, ſive potens, ſive ſimplex, ſive ſapiens, ſive idiota, ſive pulcher, ſive deformis, ſive ſanus, ſive leproſus, ſive Græcus, ſive Judæus, ſive Hiſpanus, ſive etiam Æthiops, neminem rejicio: non ſum acceptor perſo- *Act.* 10. narum; veniat, & in domo recipiam eum. Et ut magis ſit procul ab omni ſuſpicione mea doctrina, non promitto divitias, non dignitates præſto, non delicias propino, non ad epulas, non ad delicias voco; *Si quis vult* *Mat.* 16. *poſt me venire, abneget ſemetipſum.* Magnum, ſtupendumque monſtrum abnegare ſeipſum: fugiat ſeipſum, ſit ſibi inimicus, adverſetur ſibi ipſi, ſeipſum ut inimicum tractet, per- *Ibid.* 10. dat animam ſuam, ut inveniat. O terribilis impoſitio! O mira res adverſari ſibi! O cœleſte magiſterium negare ſeipſum! *Si quis* *Ibid.* 16. *vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Non dico ut præcedat; ſequatur. Ego primus antecedo: ſequatur creatura Creatorem, ſequatur diſcipulus Magiſtrum, ſequatur ſervus Dominum ſuum. Ego præibo; non vereatur opus ſequi Factorem ſuum. Sic Domine, ſic ſubjeciſti tibi omnia. Carnales populos laboribus, & cruci, & tribulationibus ſubjiciens miro, & ineffabili modo. *Tollat crucem ſuam:* bona meditatio, bona devotio; ſed melior, impoſitio crucis. Apoſtolus, 2.*Cor.* 4. mortificationem Domini ſuo corpori ſubinferentes. Ego ſuppleo ea, quæ deſunt paſſionis Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus, *Coloſſ.* 1. quod eſt Eccleſia. Ecce ingreſſum Chriſti in mundum, ecce vitæ ejus progreſſum. Vide jam exitum per crucem pœnoſum. Miro artificio juſtitia, & miſericordia obviaverunt ſibi in morte Domini: ut in ea inveniretur ultimum juſtitiæ, & ultimum miſericordiæ. Ibi enim, & omnia punita ſunt, & nihil punitum eſt. Magna miſericordia dimittere peccatum; major dare Angelum ſolatorem: perſolvere in Filio ultimum miſericordiæ. Poterat Deus aliter, ſed ſic magis benignus apparuit, magis bonus emicuit. Conſidera vero qualis juſtitia, pro reatu ſervi, Filium unigenitum morti damnare. Quale eſt peccatum, quod tanto perſolvitur cruciatu! Bernardus (*a*): Ex magnitudine remedii, ulceris æſtimo quantitatem. (*a*) Pſalmus: *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Omnes tem- *Pſal.* 87. peſtates afflictionum, & dolorum ſuperventuras generi humano exoneravit ſuper me, ait Chriſtus. Poſuit in eo omnes languores noſtros, & livore ejus ſanati ſumus, &c. *Iſaiæ* 53. *Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Amice ſuperbe, amice ava- *Mat.* 22. re, *quomodo huc intraſti?* Non in divitiis, non in voluptate ad nuptias Agni intrandum eſt; ſed in byſſino ſplendenti, & can- *Apoc.* 19. dido. *At ille obmutuit.* Pſalmus: *Omnis iniquitas oppilabit os ſuum.* *Pſ.* 109.

V. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Stupeo nimis, dum cogito peccatorum ſecuritatem. In quanto periculo animarum ſuarum vivant, & quam ſecure dormiant; lætantur, negotiantur, acſi de ſua ſalvatione illis conſtaret. E converſo juſtos ipſos, homines cœleſtes in tanto timore vivere video, ut etiam de minimis peccatis vehementer timeant. Job ille, qui de ſe ipſo vere tam multa ipſe prædicaverat: *Oculus fui cæco,* *& pes claudo, &c.* Tamen poſt tanta, ac *Job* 29. tam præclara opera ſanctitatis, *verebar*, inquit, *omnia opera mea, ſciens quod non par-* *Ibid.* 9. *ceres delinquenti;* & iterum: *Semper enim,* *quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Deum.* *Ibid.* 31. Unde provenit iſta perverſio rerum, ut ſecurus trepidet, & perditus aſſecuretur? Utique ex cæcitate malorum, & ex bonorum orbato proſpectu. Ignorat enim malus periculum, & licet ſuſpicetur, tamen non videt periculum: juſtus vero, qui apertis oculis videt, quanta ſunt præmia, quæ ſperat, quanto ea magis videt, tanto magis timet amittere. Sicuti qui pergunt ad patriam ſuam, quando propinquiores, tunc ſunt celeriores, quia appropinquant ad domum, & conjugem, & filios. Alii vero remoti poſiti, tardius itinerantur; & quod pejus eſt, ut ait Bernardus (*b*): Si forte in ipſo itinere (*b*) aliqua jucunda viderint, vel prata virentia, vel

(*a*) Serm. 3. in Nativit. Dom. num. 4. *Ex conſideratione remedii, periculi mei æſtimo quantitatem.*

(*b*) Serm. 7. in Quadrag. num. 1. *Nam peregrinus, etſi non admiſcetur civibus, aliquando tamen delectatur videre quæ fiunt, aut audire ab aliis, aut ipſe narrare quæ viderit: & his, & hujuſmodi, & ſi penitus non retinetur, detinetur tamen, & retardatur, dum minus memor patriæ, minori accelerat deſiderio. Nam & tantopere poteſt in his delectari, ut jam non ſolum remoretur, & minus cito veniat, ſed & remanens ex toto, ne tarde quidem perveniat.*

vel etiam amœnum hortum, ibi detinentur obliti, quo tendunt. Sic peccatores illecebris sæculi detinentur in itinere obliti patriæ suæ. Bonus igitur timor justorum; nam
1. Jo. 4. licet vera *charitas foras mittat timorem*, tamen bona mixtio est amoris, & timoris; timor enim frænat amorem, ne insolescat; amor timorem confortat, ne deficiat; amor sine timore temerarius est; timor sine amo-
Psal. 2. re mancipium. Psalm. *Exultate ei cum tre-*
Psal. 85. *more*; & iterum: *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum*: amor fiduciam præstat; timor fiduciam conservat, ne vacua sit. Quis dormiat audito tali sermone? Quis non ti-
Mat. 20. meat audita hac sententia Salvatoris: *Multi sunt vocati, pauci vero electi?* Neque enim comminatio est, sed assertio; nam comminationes per verbum de futuro pronunciantur:
Jonæ 3. sicut illa: *Adhuc quadraginta dies, & Nini-*
Isaiæ 38. *ve subvertetur*; & illa: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*. Hæc autem
Mat. 20. de præsenti asseritur. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*.

VI. Quantum cupimus omnes scire, an ex hac communi vita Christianorum multi salventur. Veniunt ad Ecclesias, audiunt Missas, recipiunt Sacramenta, fidem retinent inconcussam. An sufficiat ista communis vita ad salutem? O quam terribilem sententiam Dominus protulit, quæ terriculamenta!
Lucæ 13. *Contendite*, inquit, *intrare per angustam portam*. Proposuerunt olim istam quæstionem
Ibidem. Discipuli Redemptori: *Domine si pauci sunt, qui salvantur?* Quid eis responderit attendamus:
Mat. 7. *Contendite*, inquit, *intrare per angustam januam; nam arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci* ingrediuntur per eam. Ecce responsionem: Pauci salvantur. Poterat quis putare, quod pauci salvantur, quia fideles respectu infidelium, & tunc, & nunc pauci sunt; sed attendite, quid de vocatis,
Ibid. 20. quid de fidelibus modo proferat: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Etiam ex vocatis non solum ad fidem, sed ex quolibet genere vocationis. Hei! hei! ex multis vocatis pauci electi. Ex multis vocatis ad clericatum, ad religionem pauci electi? Quid igitur desperabimus? Non ideo dicitur, ut desperemus, sed ut diligentius vigilemus. Nam si ex tanta multitudine, quanta hic sumus, solus unus esset salvandus, & id sciretur; contenderem esse ille unus. Verum ut quid, cum Deus super omnia misericors prædicetur, patitur tantam multitudinem perire? Respondeo: hæc perversitas malorum est, culpam suam in Deum rejicere, grandis blasphemia. Si multi damnantur, non est ipse causa damnationis, sed salutis. Sicut ipse ait
Osee 13. per Prophetam: *Perditio tua ex* te Israel, *tantummodo ex me auxilium tuum*. Ex te perditio tua. Si essent plures captivi, & pius Rex mitteret centum millia ducatorum, & eos redimeret, & postquam redempti sunt, ipsi nollent exire, sed manerent in captivitate; dic obsecro: hæc captivitas imputabitur ne Regi liberali, an stultitiæ captivorum? Ita Dominus copiosam misit hominibus redemptionem, sed post hanc libertatem præstitam, ipsi peccatores nolunt exuere peccatorum vincula. Dices: Non omnino quietor: si enim pauci electi, quare pauci electi? Numquid enim tunc quando ab æterno eligebantur, jam peccaverant? Cur ergo non plurimos elegit ex tam multis, sed paucos? Nam utique si pluriores eligeret, salvarentur. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Tu formica audes disputare cum Deo, & petere ab eo rationem operum suorum? P. Augustinus (*a*). Quare hunc eligat, & non illum, noli investigare, si non vis errare. Tamen pro nunc sufficiat tibi, quod ejus electio nullam importet necessitatem in rebus, liberum manet arbitrium: quod, quia depravatur, ideo damnatur: nec enim Deus te damnat, nisi quia peccasti: peccasti autem, quia voluisti, &c. voluisti, quia voluisti; vel quia deceptus fuisti volens, & sciens. Accusa te ipsum, non excuses: nam a te ipso perditio tua, non a Deo: *Deus*
1. Tim. 2. *enim omnes homines vult salvos fieri: & ad agnitionem veritatis venire*. Sed sic vult, ut non cogat, nam & istos vocavit ad nuptias, & non coegit: licet alias de alio, vel de eodem convivio dicatur: *Compelle intrare*.

VII. Felix qui compellitur a Deo ingredi
Lucæ 14. nuptias Agni. An non compulsus Paulus,
Apoc. 14. non compulsus latro? &c. Sed si compulsi,
Act. 9. quomodo ex meritis salvi facti sunt? Solu-
Lucæ 23. tio. Bernardus (*b*): Deus neminem salvat invitum, sed facit volentem: compulit intrare, quia compulit velle intrare. Utinam sic nostras rebelles voluntates Deus compellat. Quis hujus convivii opulentiam, quis delicias enuntiare sufficiat? Utique convivium dignum Deo! Quale putas est sedere ad mensam Dei? *Beatus*, inquit, *qui man-*
Ibid. 14. *ducat panem in* domo *Dei*. Sed heu contemnitur convivium! Paucos habet Deus in suo convivio. Multos convivas habet mundus. Infelix convivium mundi hujus; ubi parum apponitur, & malum, & cum grandi impendio. Parum est omne, quod habet mundus de suo. Quid enim habet mundus mellificationis? Joannes: *Omne quod est in mun-*
1. Jo. 2. *do, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, delicias, divitias, pompas, hæc habet mundus. Quam parva sunt hæc: sed etsi magna essent, quantum durant, ut quærantur? Et, si parum apponit, id bonum est? Utique malum: nam si istæ divitiæ, istæ deliciæ sine cura, sine timore possiderentur, adhuc parva essent, quia momentanea; sed o quot dolores, quot curæ, quot anxietates, quot laquei, quot timo-

(*a*) Tract. 26. in Joann. Euang. num. 2. *Quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare.*

(*b*) Tract. de Gratia, & Lib. Arbitr. cap. 11. *Hoc quippe intendit cum terret, aut percutit, ut faciat voluntarios, non salvet invitos: quatenus dum de malo, mutat voluntatem in bonum, transferat, non auferat libertatem.*

timores has ipſas divitias, & delicias mundi circumſtant! exigua, & inſipida, & finaliter care appretiata. Quod eſt pretium? Quæ ſymbola? Infernus, ignis ſempiternus, æterna damnatio; pro tam brevi convivio hæc
(a) ſolvuntur. Gregorius (a): Tranſit quod delectat, manet in æternum quod cruciat. Fugite, Fratres, tale convivium. Quis enim ingrederetur convivium, ubi poſt prandium nudandus, flagellandus, trucidandus eſſet? Quis acceptaret? Non ſic in Dei convivio: nam licet fructus qui ponuntur in principio, parum amari ſunt, ſalubres tamen ſunt. Et poſtmodum, quid expectatur? *Quod oculus*
1. Cor. 2. *non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt* ipſum. Quod ejus pretium? Amorem ſolum pro convivio. O dulce pretium! *Quod præparavit*, inquit, *iis, qui diligunt* eum. Et hoc de ſuo theſauro præſtatur; ubi ut ſolvas, pete ſolum ab eo, & dabit tibi unde ſolvas: & amplius debitor fies ſolvendo, quia non de tuo, ſed de ſuo illi ſolvis. O admiranda ſolutio! ubi cum magis ſolvitur, magis debetur. Ad propoſitum hujus materiæ nota ex Auguſtino ſermone feriæ 4.
(b) poſt Paſcha (b), duas piſcationes in Petro. Prima ſcilicet ante reſurrectionem. Secunda poſt reſurrectionem. De prima dixit illi Dominus, *duc in altum*, id eſt profundum,
Lucæ 5. quia in pelago mundi facta eſt. De ſecunda
Jo. 21. dicitur illi, *mittite ad dexteram*, oſtendens quoniam figura tantum bonorum eſt. In prima, indifferenter magni, & parvi piſces piſcantur, copioſa multitudo, ſine numero. In ſecunda tantum piſces magni, & in certo numero. Prima piſcatio typum gerit vocationis ad fidem, quæ indifferenter magnorum, & parvorum, malorum, & bonorum eſt. Secunda poſt reſurrectionem, ſignificat bonorum, & electorum tantummodo captionem, quæ magnorum eſt tantum, & in certo numero, quia paucorum; juxta illud Sapientiæ: Si ſervaverimus mandata tua, eri-
Sap. 15. mus computati apud te. Comparatio piſcaturæ. *Multiplicati ſunt ſuper numerum*. Nam
Pſal. 39. multi capiuntur qui non ſunt ſcripti in libro vitæ.

IN DOMINICAM XIX. POST PENTECOSTEN CONCIO SECUNDA.

DE DESPONSATIONE CHRISTI CUM ANIMA;

AD IMPERATOREM CAROLUM QUINTUM.

Simile factum eſt regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Matth. 22. v. 2.

I. TRiplex Chriſti eſt deſponſatio. Prima cum carne, ſecunda cum Eccleſia, tertia cum anima, de qua Paulus: *Deſpondi enim vos:* de hac ſermo. Ut ait Bernardus (c) *ſuper Cantica:* Deus multifarie tractat animas, & varie ſe oſtendit ad illas. Quibuſdam enim ſe exhibet ut medicum: aliis ut magiſtrum: aliis ut patrem: aliis ut ſponſum; ſecundum ſtatum, & diſpoſitionem illarum. Et ita in domo ejus quædam ſunt ægrotæ, quædam quaſi ancillæ, quædam ut filiæ, quædam ut ſponſæ. Harum ſtatum exponamus. Quædam animæ vadunt ad Dominum per viam contritionis, non ſunt omnino ſanæ, agnoſcunt ulcera ſuorum peccatorum, dolent, anxiantur, plorant quotidie coram Domino, dicentes cum Propheta: *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quonim conturbata ſunt oſſa mea. Sana me Domine, & ſanabor.* Hoc totum deſiderium earum, hæc Jer. 17. continua poſtulatio. Quibus Dominus aliquando poſt fletum, & nimiam amaritudinem, magnam præſtat fiduciam & conſolationem, ungens ulcera earum unctione miſericordiæ ſuæ. *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Bernardus (d): A Pſ. 146. quanta me amaritudine liberaſti, &c. quoties poſt fletum, &c. quoties oratio, &c. Anima quæ ulceribus plena eſt, non ſponſum, ſed medicum debet quærere, non delicias, ſed lacrymas. Aliæ animæ vadunt ad Deum per viam timoris; cogitant enim frequenter Dei majeſtatem, & quam *horrendum* ſit *incidere in manus Dei viventis:* & ita Heb. 10. cum magno timore, & tremore vigilant ſuper ſe, ut cuſtodiant præcepta Dei, ſecundum illud Job: *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti.* Et ite- Job 9. rum: *ſemper quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Deum.* Iſtæ ſunt ancillæ, bo- Job 31.

CONCIO CVIII.

(c) 2. Cor. 11.

(d)

(a) In cap. 3. lib. 1. Reg. lib. 5. num. 15. *Et quia in momento tranſit carnis delectatio, & omnis peccatorum commiſſio, & brevis quidem eſt hora tranſgreſſionis, non tamen brevis pœna flagitii: quia dum ad momentum in nobis regnum peccati erigimus, illa regna perdimus omnium ſæculorum.* Magis ad ſententiam a S. Oratore allegatam accedit id, quod legitur in Serm. S. P. Auguſtino olim tributo, 250. de Tempore, nunc in Append. 293., ita ibi num. 3. *Vere enim nimium plangenda, & miſeranda conditio eſt, ubi cito præterit, quod delectat, & permanet ſine fine, quod cruciat.*

(b) Seu de Tempore 148. in editione Lovan. Et in edit. PP. Congreg. S. Mauri Serm. 248., cujus argumentum eſt: *De Lectione Euangelii Joann. 21., & de duabus Piſcationibus, una ante paſſionem, altera poſt reſurrectionem.*

(c) Serm. 31. & 32. in Cant., ubi plura de hoc argumento.

(d) Serm. 32. in Cant. num. 3. *A quanta me amaritudine frequenter liberaſti adveniens Jeſu bone? Quoties poſt anxios fletus, poſt inenarrabiles gemitus, & ſingultus, ſauciam conſcientiam meam unxiſti unctione miſericordiæ tuæ, & oleo lætitiæ perfudiſti? Quoties me oratio, quem pene deſperantem ſuſcepit, reddidit exultantem, & præſumentem de venia?*

nus ſtatus: *Beatus eſt homo, qui ſemper eſt pavidus;* nam per timorem Domini declinat omnis a malo. Aliæ autem vadunt ad Deum per viam contemplationis, & ſapientiæ, quærentes faciem ejus ſemper, ſicut ſcriptum eſt: vultum *tuum Domine requiram*. Tenentur enim magno deſiderio ſapientiæ, ſcrutantes legem Dei die, ac nocte, & profunda myſteria meditantes: ſicut Propheta ait: *Quomodo dilexi legem tuam Domine: tota die meditatio mea eſt;* ſedentes ad pedes Domini ſemper cum Maria, ut audiant verbum ejus, quibus propter maximum ſapientiæ deſiderium Dominus magnam concedit lucem, & magna ſecreta revelat: ſicut ſcriptum eſt: *Incerta, & occulta ſapientiæ tuæ*. Hæ ſunt diſcipulæ in ſchola ejus ſtantes, & habet ſe ad eas Dominus, ut magiſter. Aliæ ſunt animæ, quæ vadunt ad Deum per viam orationis, & laudis: hæ enim cognitis maximis beneficiis a Domino præſtitis, & magnam habentes ſpem de futura hæreditate ſibi præſtanda, *teſtimonium illis perhibente ſpiritu* Dei, *quod filii Dei ſunt;* ideo relictis omnibus, tam pro præſtitis, quam pro præſtandis, cum ſumma reverentia filiali divinis laudibus, & gratiarum actionibus intendunt. Iſtæ ſunt filiæ, & Dominus ſe eis, ut benevolus Pater, oſtendit. Aliæ ſunt animæ, quæ vadunt ad Deum per viam charitatis, & amoris, quibus Dominus tantam conceſſit vim charitatis, & incendium amoris ſui, ut nihil magis optent, quam *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto:* quibus abſentia Dei intolerabilis eſt: quarum eſt illa vox: Spera *anima mea in Domino: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ, &c. dum dicitur mihi quotidie: Ubi eſt Deus tuus?* Et illa: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*. Unde ſicut ſponſa die, ac nocte non poteſt obliviſci ſponſi ſui, ſemper habet eum præſentem, ſemper deſiderat eſſe cum illo, & omnia, quæ ſunt ſponſi, ſive equum, ſive famulum, ſive veſtem, ſive enſem, diligit propter ſponſum: ſic iſtæ ſemper Deum in præſentia, ſemper in deſiderio habent: quidquid agant, quidquid intendant, & omnes homines, & omnes creaturas diligunt propter ſponſum, & ſponſum in eis, omnino abſorptæ in ejus amore. O quam felices, & beatæ! & ſunt aliquæ tales? Sunt profecto vel rariſſimæ. Mira res: anima quæ alium ſponſum ante noverat, ſic ei agglutinatur, ut non poſſit ab ſe abjicere idolum ſponſi ſui die, ac nocte. Et ego creatus a te, redemptus a te, a quo ſpero tanta, non ſimiliter faciam? Iſtæ ſunt ſponſæ; hæc animarum differentia, quamvis ſub aliis verbis tangitur Cantici, ubi dicitur: *Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus. Una eſt columba mea, perfecta mea;* quia rariſſima eſt, quæ poteſt dici ſponſa, & non niſi valde perfecta anima.

II. Sicut ergo in illa cœleſti domo Patris manſiones multæ ſunt, ſic & in hac domo militante varius, & multiplex eſt animarum fidelium ſtatus. Et ſicut in illa domo quilibet eſt contentus ſuo ſtatu, ſic in iſta domo non eſt noſtrum eligere ſtatum in domo Domini: Dei eſt ſuum præſtare unicuique, prout vult. Beatus qui manducat panem in domo Dei, ſive ſit filia, ſive ancilla, ſive ſponſa. Unde ſicut ibi Angelus non invidet Archangelo, neque Confeſſor Apoſtolo: ſic & hic non debet eſſe invidia, ſed gratiarum actio de ſtatu perfectiorum; gaudentes de bono illorum. Beatus Domine, qui tales habes ancillas; gratias tibi, quia ſunt aliqui in mundo, qui diligunt te: hæc enim charitas, & humilitas gratiſſima eſt apud Deum. Non quod non conemur proficere; ſcriptum eſt enim: æmulamini, optate, procurate, zelate meliora chariſmata, & mutate ſtatum, ſi Domino placuerit, de ancilla in filiam. Sed ſicut idem Apoſtolus ait: *Bonum autem æmulamini in bono ſemper*. Eſt enim quædam æmulatio, quæ naſcitur ex odio, quædam ex ſuperbia, quædam vero ex charitate. Qui videt excellentiam proximi, & triſtatur, quia ille eam habet, ex odio naſcitur hæc æmulatio. Qui autem videns proximum, qui ſibi non erat infenſus, proſperari, triſtatur, eo quod quantum illi honoris tribuitur, tantum ſibi videatur detractum; invidiæ peccatum committit, quod proprie ex ſuperbia naſcitur, quæ eſt appetitus inordinatus propriæ excellentiæ. Qui autem videns proximi excellentiam lætatur, & gaudet de bono proximi, & cum humilitate imitatur, deſiderans & ipſe ſic placere Deo; ex charitate naſcitur hæc ſancta æmulatio, & multo citius perveniet ad illam optatam gratiam per viam humilitatis, & conformitatis cum divina voluntate, quam ſi vane ſe cruciet, & affligat.

III. Qualis debeat eſſe anima, quæ meretur dici ſponſa, & quales conditiones debeat habere, & qualem habeat cum ſponſo familiaritatem, quos favores, & blandimenta ab illo ſuſcipiat, & quales ſuavitates ſpirituales intercedant inter eos, & amoris deliciæ, qualia deſideria, quales amplexus, qualia oſcula, & quales conſolationes, & gaudia, mirifice Spiritus ſanctus deſcripſit in illo libro, quem de iſto connubio deſcripſit, per os Salomonis, qui dicitur *Cantica Canticorum*, ſive Epithalamium, & merito: quia vere ſpiritualis eſt, & ſuper omnia Cantica; ſingula verba faces ſunt incenſæ, & flamma ignis: ſed non poteſt bene intelligi niſi ab expertis. Mira Dei judicia! Quis non timebit te o Rex gentium? Fiſtula illa cœleſtis, per quam Spiritus ſanctus talia divini amoris incendia perſonuit, ex alto illo contemplationis faſtigio uſque adeo lapſus eſt, ut idolum adoraret Moloch, & illi templum conſtrueret, & ſacrificium offerret, deceptus amore mulierum, quæ illum ad tantum malum perduxerunt. Hieronymus (*a*): Nihil periculoſius viro, quam fœmina: hæc decepit

(*a*) Pluries hac de re ſcripſit Hieronymus. Ut loca aliqua indicemus, vide Epiſt. 49. ad Paulinum, alias 13. Com-

Prov. 28. — Pſal. 26. — Pſ. 118. — Lucæ 10. — Pſal. 50. — Rom. 9. — Ibid. 8. — Philipp. 1. — Pſ. 129. — Pſal. 41. — Cant. 2. — Ibid. 6. — Lucæ 14. — 1. Cor. 12. — Galat. 4. — 3. Reg. 11. — (*a*)

pit Adam, hæc ſanctiſſimum David præcipitavit, hæc ſapientiſſimum Salomonem, hæc fortiſſimum Samſonem, &c. Sed quoniam liber nimium ſpiritualis eſt, & obſcurus, placuit nunc Altitudini Veſtræ aliud Epithalamium clarius, & compendioſius exponere, quod Spiritus ſanctus ore patris ejus David perſonuit in Pſalmo qui incipit: *Eructavit*, *Pſal.44.* *&c.* In quo Pater cœleſtis, ſecundum P. Auguſtinum (*a*), aut Spiritus ſanctus, qui paranymphus eſt ſecundum Hieronymum (*b*), mirifice alloquitur & ſponſum, & ſponſam, & inſtituit de agendis. Ait ergo Propheta: *Eructavit cor meum verbum bonum*. Magnum eſt Canticum, quod locuturus ſum, altiſſima doctrina, facio vos attentos. *Dico ego opera mea Regi*, in cujus gloriam hoc Epithalamium cano, nec putetis quod a me ipſo. *Lingua mea calamus* eſt *ſcribæ* Spiritus ſancti *velociter ſcribentis*. Quæ ego ſcribo, & loquor, ipſe dictat. Et incipit materia: *Speciosus forma præ filiis hominum*, imo præ millibus Angelorum. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*, *Cant. 4.* *&c.* *Favus diſtillans labia tua, mel, & lac* *Pſal.18.* *ſub lingua tua. Eloquia tua ſuper mel, &* *Pſal.44.* *favum. Accingere* ergo *gladio tuo* acutiſſimo *potentiſſime*. Utere gladio tuo iſto ancipiti, *Heb. 4.* verbo tuo. *Specie tua, & pulchritudine tua,* *Pſal.44.* *Cant. 2.* *&c.* Oſtende faciem tuam, ſonet vox tua, & ſufficit ad mundi converſionem. Oſtende mundo pulchritudinem tuam, revela majeſtatem, & Divinitatem tuam, & ſufficit. Intende viriliter, procede proſpere, regna feliciter; intende fortiter in paſſione, procede proſpere in reſurrectione, & regna feliciter in gentium converſione propter veritatem doctrinæ, & manſuetudinem, & juſtitiam tui judicii. Nec timeas aggredi tantum opus. Nam *deducet te mirabiliter dextera* illa, Di- *Pſal.44.* vinitas tua. *Sagittæ* enim *tuæ acutæ:* verborum ignitorum, & acutiſſimarum inſpirationum. Flecte arcum, & transfige corda inimicorum: *Populi ſub te cadent: Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi:* Quam aperte oſtendit ſplendorem illuſtrem hujus ſponſi! Ex quo loco maxime in veteri Teſtamento concludi poteſt Divinitas Meſſiæ: ſicut Apoſtolus mirifice hunc locum citat ad probandum Deitatem Chriſti ad Hebræos. Propterea unxit te o Deus, Deus tuus. Quid apertius de Chriſti Deitate, & Trinitate Perſonarum? Deus unctor, Deus unctus, Deus unctio. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit* *Ibidem.* *me, &c. Præ conſortibus tuis:* quia non eſt illi datus Spiritus ad menſuram, aut quia in aliis hæc unctio eſt per gratiam; in illo in- *Coloſſ.2.* habitat plenitudo Divinitatis corporaliter, & hypoſtatice. Audiſtis ſponſi pulchritudinem, potentiam, decorem, fortitudinem, nobilitatem; audite magnificentiam: *Myrrha, & gutta, & caſia a veſtimentis tuis, a*

domibus eburneis. Cum domos illas eburneas, & manſiones cœleſtes puriſſimas conſcenderis, mille dona, mille gratias per illas odoriferas ſpecies deſignatas a tuis veſtimentis, ab illa ſacra humanitate in mundum ſtillabis, ſicut ſcriptum eſt: *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, ex quibus* delectabuntur *filiæ regum* ornatæ a te gratiis, congregatæ ab Apoſtolis, *in honore tuo*, id eſt Eccleſiæ. Hucuſque ad ſponſum. *Epheſ.4.* *Pſal.44.*

IV. Placet nunc aliqualem facere parentheſim (*c*), & verba hæc dirigere ad Sublimem Veſtram Altitudinem; hæc enim lectio moraliter intellecta utiliſſima eſt pro Veſtra Altitudine. In hoc Epithalamio cœleſtis ille Paranymphus ore Prophetico Principem gloriæ Jeſum noviter in mundo in carne regnantem inſtruit, & inſtituit, & formam ille regnandi tradit, quam omnes Principes imitentur. Non eſt talis inſtructio in tota Ariſtotelis Politica, neque in Platonis Republica, neque in omni libro compoſito de Regimine Principum. *Speciosus forma præ filiis* *Ibidem.* *hominum*. Debet enim cunctos præcellere excellentia, virtute, & claritate morum, qui omnes excellit dignitate: & quanto eminentior dignitate; tanto debet eſſe ſublimior virtute ſuper homines. Et quodammodo pluſquam homo eſſe debet, qui præeſt hominibus, qui poſitus eſt in regno, quaſi ſpeculum, in quod omnes aſpiciant, quaſi in exemplar, quod omnes imitentur, & quaſi forma, quam omnes ſequantur. Unus nævus vitii in Principe plus videtur, & plus nocet, quam magnum vitium in alio quocumque. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*. Oportet Principem eſſe affabilem, & comem, humanum, hilarem, ſuavem, dulcem in verbo, & placidum in converſatione. Habeat hilaritatem ſeveram, & ſeveritatem hilarem: ſic mixtam, ut & magnus timeat & revereatur, & infimus audeat. Attamen cum hoc debet eſſe animoſus, fortiſſimus, magnanimus ad caſus occurrentes. Unde ſequitur: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime*. Ut imitetur illum, qui quaſi agnus erat in converſatione, & quaſi leo in reſurrectione. Unde de illo Baptiſta ait: *Ecce Agnus Dei:* *Jo. 1.* & de illo alter Joannes ait: *Vicit Leo de tri-* *Apoc. 5.* *bu Juda*. Sequitur *ſpecie tua & pulchritudine tua*. Nihil eſt quod magis alliciat regnum, & ſubjiciat populos quam virtus Regis. Hæc facit illum amabilem, & gratum omnibus: plus virtus poteſt, quam omnis terror mundi, unde potius amari appetat, quam timeri. *Intende, proſpere procede, &* *Pſal.44.* *regna*. Faciat & impleat hoc Deus in Veſtra Altitudine, ut ſemper proficiat, ſemper augeatur; quale oſtendit initium, talis ſit & melior proceſſus & finis. Sed quo modo fiet illud? *Propter veritatem*, inquit, *& manſue-* *(c)*

Commentar. in Eccleſiaſten cap. 7. circa finem. Vide etiam Regulam Monachorum ex Hieronymi ſcriptis, collectam per Lupum de Oliveto titul. de Caſtitate. Præter S. Hieron. legenda eſt hac in parte Homil. 15. S. Joann. Chryſoſt. ex variis in Matthæum locis, ubi fuſe habentur expoſita, quæ hoc loco innuit S. Orator.

(*a*) In Pſal. 44. num. 4.

(*b*) Vide Breviar. Hieronym. in Pſalt.

(*c*) Mirum non eſt S. Oratorem verba ad Carolum Quintum nominatim dirigere, quandoquidem Euangelicæ libertatis, qua pollebat, aliud majus exemplum exhibet Salonius Vitæ lib. 2. cap. 6.

tudinem, & juſtitiam. Iſtæ ſunt virtutes regiæ, virtutes honorabiles, quæ Regem maxime decent. Omitto nunc religionem, & devotionem, fidem, quæ Regibus maxime neceſſaria eſt; tanto magis, quanto magis indigent Deo quam alii; unde tanto timidiores, tanto devotiores, tanto humiliores, tanto Deo conjunctiores eſſe debent, quam alii. Sunt enim in maximo faſtigio, & magnum poſſunt habere præcipitium. Ille enim deponit *potentes de ſede, &* exaltat *humiles*. Et ſicut Job ait: *Balteum Regum diſſolvit & præcingit funerenes eorum*. O quanta exempla audivimus!

Lucæ 1.

Job 12.

V. Omiſſa itaque hac religione, & obedientia, & devotione, & Chriſtianiſmo: inter virtutes morales quæ maxime decent Regem ſunt iſtæ tres: Veritas, Juſtitia, Manſuetudo; debet diligere veritatem, odiſſe fraudes, technas, mendacia, & omnes ſeditioſos & hypocritas. Secundo juſtitiam, quæ proxima eſt, & ſoror veritatis. Debet eſſe amicus juſtitiæ & zelator ejus rectus: ut pro toto mundo non flectat eam. Unde dicitur: *Virga* æquitatis *virga regni tui:* & alibi: *Reges eos in virga ferrea* inflexibili. De hoc Salomon: *Rex* ſedens *in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo*. Debet eſſe manſuetus ut eam conſervet: Nam *ira viri juſtitiam Dei non operatur. Turbatus eſt*, inquit, *a furore oculus meus*. Non debet excandeſcere faciliter, aut indignari: ſed ſicut de Deo dicitur: *Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia diſponis nos*. Oportet Regem eſſe magni animi ad graves caſus, qui ſe offerunt, ſereniter perferendos. Unde debet habere vultum ſerenum ſemper. Talis erat Moyſes, quem Deus præfecit illi populo: talis Salomon, de quo ſcriptum eſt: *Dedit* ei *Deus latitudinem cordis* ſicut *arenam, quæ eſt in litore maris*. Sequitur: *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*. Non ait: propter temperantiam, modeſtiam, fortitudinem; non propter liberalitatem; non propter caſtitatem, patientiam, benignitatem, clementiam: non propter hæc, licet hæc omnia deceant, Regem te præpoſuit Deus: ſed, quia *dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem*. Hoc in Rege primum, maximum, & potiſſimum: amicus bonorum, iniquorum inimicus; magna nota inuritur Regi, ſi quis ejus amicus, aut conſiliarius malus eſt. Hoc eſt quod omnes malos fugat, & omnes ſubditos bonos facit; omnes ſtudent placere Regi, ſi amicus eſt bonorum, omnes ſtudent eſſe boni, aut ſaltem apparere; & quod non faciunt timore Dei, faciunt timore Regis. O! ſi ſciverit Rex hoc, non me ultra aſpiciet, non apparebo coram illo ultra. O magnus prædicator Rex, plus proficit verbo & exemplo, quam omnes mundi prædicatores.

*Pſal.*44.

Pſal. 2.

*Prov.*20.

Jacob. 1.

Pſal. 6.

Sap. 12.

3.*Reg.*4.

*Pſal.*44.

VI. Quid autem de bello? Oportet eſſe animoſum & bellicoſum: ſed in quo? Attendite: *Sagittæ tuæ acutæ in corda inimicorum Regis*. In infideles, in inimicos fidei, ſemper zelans ampliare non regnum, non ſtatum, ſed fidem, & nomen Domini ſui: & ſic proſperabitur, ſi hoc cum zelo faciat. Erga fideles autem oportet illud Apoſtolicum ſervare: *Quod in vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Quantum in vobis eſt, inquit: nam interdum non poteſt hoc fieri, ſi invadunt ſtatum ſuum iniqui. Numquam tamen ipſe moveat temere bellum: quod ſi moverit, timere debet ne incurrat comminationem Regis David: *Diſſipa gentes quæ bella volunt*. Debet eſſe quoque liberalis, magnificus. Unde ſequitur: *Myrrha, & gutta, & caſia a veſtimentis tuis*. Duci bono, qui poſuit vitam pro illo, debet largiri: & equiti bono, qui in ejus obſequio patrimonium conſumpſit: & bono conſiliario, qui ſine cupiditate illum in regimine adjuvat; & judici recto, qui terram pacificavit, & juſtitiam ſervavit. Si aliud non habeat; veſtem, torquem, annulum, phialam auream de ſuo præſtet. Non ſcurris, non hiſtrionibus, non aliis ſuperflue: nam ſi non det ſuperflue, habebit pro neceſſariis. Unde hic dicitur: *A veſtimentis tuis, a domibus eburneis*, id eſt regiis. Non ſpoliet iſtum ut donet alteri; ſed de ſuis reditibus, quantum reditus ſufficiunt. Domus regis unam portam debet habere, per quam intret pecunia, & aliam per quam exeat; ſed illa per quam exit, debet eſſe minor. Ut in ſtagnis aquarum ampliori canali, & orificio debet influere aqua, quam effluere, alioqui, ſtagnum exſiccabitur. Dixi diffuſius forte quam oportuit, quoniam pluris æſtimo ſoli Veſtræ Altitudini prædicare, quam toti regno. Ut, quoties hunc Pſalmum recitaverit, toties meminerit hujus inſtitutionis, & eam ſequatur.

*Rom.*12.

*Pſal.*67.

*Pſal.*44.

VII. Quod ſi hæc Tu, o potentiſſime feceris, *concupiſcet Rex decorem tuum*, eriſque ei amabilis, & gratus. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviſcere populum tuum & domum patris tui*. Quinque ſunt quæ petuntur. Ut audiat, ut videat, ut inclinet aurem, ut obliviſcatur populi, ut obliviſcatur parentis domus. Hæc omnia debet obſervare anima, quæ tanti ſponſi ſponſa eſt. Primo ergo audiat ſermones, audiat inſpirationes Dei, audiat voces cataractarum eam vocantium, audiat Deum. Ne obſurdeſcat, ne ſit ſicut aſpis ſurda, & obturans aures ſuas, quæ non audit vocem incantantis ſapienter. Spiritus ſanctus incantator ſapiens animarum. Serpens incantatus non mordet, non habet virus, ſtat attonitus, videns & non videns, audiens & non audiens. Hoc facit Spiritus ſanctus in ſanctis: non habent virus invidiæ & rancoris: non mordent detrahendo proximis: ſic vident omnia hujus mundi, quaſi non videant, abſorpti & rapti in cœlum. Audi magnum incantatorem animarum Paulum: *Qui habent uxores tamquam non habentes ſint: & qui emunt tamquam non poſſidentes*. Magnum bonum animæ habere apertum auditum: nam ille eſt prima janua omnium bonorum ſpiritualium. Fides ex au-

Ibidem.

*Pſal.*41.

1. *Cor.*7.

ditu:

ditu: per auditum converſus eſt totus mundus ad Chriſtum. Unde in nuptiis baptiſmi Sacerdos poſitis digitis in auribus, ait: *Ephphetha, quod eſt adaperire*. O anima aperire ad cœleſtia, nec claudas aurem Chriſto. Sicut conchylia, quæ aperta calore recipiunt cœleſtem rorem, & gelantur in viſceribus, & replentur margaritis: ſic tu quoque cœleſtem recipe rorem lucis, quo omnibus divitiis ſpiritualibus replearis. Ad hoc nos invitat Dominus per Iſaiam: *Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. Inclinate aurem veſtram, & venite ad me, & feriam vobiſcum pactum ſempiternum*, ſcilicet, ut ſim ego Dominus, & vos populus: ego Pater, & vos filii: ego Sponſus, & vos ſponſa in ſempiternum ex parte mea.

Marc. 7.

Iſaiæ 55.

VIII. *Et vide*. Bonus ordo: audi ut videas, noli videre ut audias: crede ut intelligas, noli velle intelligere ut credas; nam per fidem venitur ad intelligentiam, teſte Propheta: *Niſi credideritis* (*a*), *non intelligetis*. Unde ſancti per fidem perveniunt ad notitiam Dei. Sed quid videre debes? Primo teipſum: hoc enim præ omnibus expedit tibi, ut ſemper te habeas in proſpectu. Pſalmus: *Anima mea in manibus meis ſemper*. Unde animalia Ezechielis coram facie ſua ambulabant. Primo te, deinde Deum. P. Aug. (*b*): Videam me, & videam te. Vide & vitæ brevitatem, & gloriæ æternitatem: vide mundi vanitatem, fraudem, deceptionem: vide errores hominum & ſtultitias: vide æternorum bonorum ſoliditatem: vide pravorum laborem & angorem, juſtorum quietem & ſuavitatem: vide denique juſtorum præmium, & malorum ſupplicium perpetuum. O ſi iſta claris oculis videremus! Hæc mali noſtri ſumma eſt, habere lippientes oculos. Non videmus niſi quæ prope ſunt temporalia: æterna longe poſita non proſpicimus; vitiis & peccatis, quaſi nubibus obſcurantibus oculos noſtros: ſicut ait Propheta: *Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus, & non potui ut viderem*. Unde Apoſtolus hunc viſum deſiderans pro populo, ait: *Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis: ut Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis, in agnitione ejus; illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus*. Ut ſcilicet ex viſione præſentium certa fieret expectatio futurorum. Sed ad viſionem Ezechielis revertamur. Animalibus illis ſanctis a Propheta ſanctus vir deſcribitur, in quo Deus habitat. Habet quatuor facies. Eſt homo, id eſt rationalis in converſatione: eſt aquila in contemplatione: eſt leo in tolerandis, & vincendis adverſis: eſt vitulus in ſacrificio carnis, id eſt, voluptatibus mortificandis. Unumquodque plenum oculis; quia circumſpectus & providus, ad omnia mandata implenda, & omnia peccata vitanda, intus & foris oculatus: intus ad moderandos affectus, foris ad dijudicandos defectus. Unumquodque coram facie ſua ambulabat: ſeipſum ſemper habet ante ſe, ne poſtea dicatur: *Arguam te & ſtatuam te contra faciem tuam*: vel quia conſilio prævidet viam ſuam, vel quia in ſuo ſenſu abundat, & pro ſe ſolicitus non ſcrutatur vias aliorum. *Ubi erat impetus ſpiritus illuc gradiebantur. Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur ii ſunt filii Dei*. Sanctus eſt equus, cui inſidet ſpiritus regens eum loro juſtitiæ. *Non revertebantur cum* ambularent, quia ſemper proficiunt, quæ retro ſunt obliti; non ſicut uxor Lot.

Ibid. 7. (*a*)

Pſ. 118. *Ezech.* 1. (*b*)

Ezech. 1.

Pſal. 39.

Epheſ. 1.

Ezech. 1.

Ezech. 1. *Rom.* 8.

Ezech. 1.

Gen. 19.

IX. Similitudo eorum ſicut carbonum ignis ardentium per charitatem, ardorem & zelum Dei, & animarum. *Et quaſi aſpectus lampadarum* per doctrinam ardent amore, lucent verbo, & opere. *Ibant & revertebantur*: vadunt per cognitionem Dei, revertuntur per conſiderationem ſui: vadunt aſcendentes per contemplationem ſupernorum, revertuntur deſcendentes pro utilitatibus proximorum: utrumque *in ſimilitudinem fulguris coruſcantis*: qui, ſive contemplentur cum Deo, ſive negotientur cum proximo, ex ſe ſcintillas emittunt, quæ videntes inflammant: *Tamquam ſcintillæ in arundineto* diſcurrunt. *Gloria hæc eſt omnibus ſanctis ejus*. Alas habent, & ſub alis manus contemplatione ſuſpenſi, & actione præcipui. Junctæ ſunt alæ alis, non diſcordant in ſenſu, non diſcrepant in intellectu Divinorum: vel ideo junctas habent alas, quia ſe mutuo adjuvant ad volandum. Cum fit vox ſupra firmamentum ſubmittunt alas ſuas, quia verbo Dei ſubmittunt ſenſus ſuos, captivantes intellectum in obſequium fidei: vel voce audita ſubmittunt alas, quia ſuperatur intellectus eorum a luce ſecretorum quæ deſuper revelantur: ſcilicet, verbo Dei ſubmittunt alas propter ſummam reverentiam, quam exhibent verbis divinis. Super ipſos quaſi ſimilitudo hominis: Chriſtus regnans ſedet in omnibus. Et homo Chriſtus eſt; ſed quaſi homo dicitur: quia ſic eſt homo, quod eſt ſupra hominem. Unde de illo Joſeph: ſi tamen homo dicendus eſt. Naſcitur ut homo, ſed ex Virgine. Concipitur in utero ut homo, ſed ex Spiritu ſancto. Veram carnem habet ut homo, mortalem, paſſibilem, fameſcentem, infirmam: ſed mundam a concupiſcentia, & conditionibus carnis; caro miraculoſa: caro, ſed non ſicut caro: caro natura, ſed argentum puriſſimum conditione. Eſt igitur homo ſupra hominem. *Ecce Homo*: ſi ad naturam reſpicias homo eſt: ſed & Deus eſt. Scientia ejus quaſi hominis, ſed ſuper hominem voluntas ejus: ſimiliter vita ejus exterius humana, ſed intus divina: quaſi hominis, loquela ejus, operatio ejus quaſi humana: ſed potens & Divina.

Ezech. 1.

Pſal. 49.

Ezech. 1.

Ezech. 1.

Sap. 3. *Pſ.* 149.

2. *Cor.* 10.

Ezech. 1.

Gen. 23. *Eccli.* 49.

Jo. 19.

(*a*) Ita legunt Septuaginta, Vulgata vero: *Si non credideritis, non permanebitis*.
(*b*) Soliloq. lib. 2. cap. 1. *Deus ſemper idem, noverim me, noverim te*.

X. Prosequitur David suum Epithalamium: *Et inclina aurem tuam*; per obedientiam scilicet. Parum namque prodest auditus & visus bonus sine opere. Non enim auditores legis, sed factores justificabuntur. Unde Habacuc: *Super custodiam meam stabo*, &c. Dupliciter potest intelligi hæc inclinatio auris. Uno modo referendo ad intellectum, & sic est captivare intellectum in obsequium fidei: quæ renunciatio sensus proprii, & subjectio intellectus, magnum est coram Deo sacrificium & maxime meritorium. Non multum est renuntiare quæ possides, renuntiare etiam sensualitatem carnis; sed mentem Deo subjicere, quæ est culmen in homine, illud magnum est: quæ renuntiatio fit per fidem. Similis est renuntiatio propriæ voluntatis, quæ fit per obedientiam charitatis; per quam velle nostrum omnino Deo subjicimus, vim facientes voluntati, ut obediamus præceptis Dei. Primæ obedientiæ debetur visio, secundæ fruitio. Sed quia non sufficit hæc renuntiatio, additur alia, quæ est renuntiatio mundi, pomparum, honorum, & vanitatum. Hæc designatur, cum dicitur: *Obliviscere populum tuum*. Filia Babylonis non potest desponderi cœlesti sponso, nisi egrediatur de Babylone, & a sæculari sua conversatione. Quæ enim conjunctio lucis ad tenebras? *Quis consensus templo Dei cum idolis* avaritiæ? Abrahæ præceptum est: *Egredere de terra tua, & de cognatione*. Jacobus: *Adulteri*, an *nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei?* Unde Apostolis dicebat Christus: *Ego vos elegi de mundo*, sed vos non estis de mundo. Apostolus: *Nostra conversatio in cœlis est*. Oportet etiam renuntiare domui patris nostri, id est carni, quam de patre terreno habemus, quæ est animæ domus: id est delitiis, voluptatibus, gaudiis, concupiscentiis, & cæteris vitiis carnis. Purissimæ debent esse animæ, quæ purissimo sponso copulantur. Apostolus: *Despondi enim vos uni viro, virginem castam*. Unde dicebat: *Vos in carne non estis*. Hæ sunt sponsæ conditiones: scilicet; fides, contemplatio, obedientia, mundi renuntiatio, & carnis mortificatio: quas si habet; tunc *concupiscet*, inquit, *Rex decorem tuum*. Non ait, amabit, sed concupiscet. Magnus decor animæ, quam Rex cœlestis usque adeo amat, ut concupiscat illam. O anima si videres te ipsam! O si agnosceres tuam excellentiam & pulchritudinem! non ita te dejiceres ad amorem vilium terrenorum. Quam pudendum est, generosam creaturam luto voluptatum fœdari! & sponsam cœlestis Regis viliissimo Æthiopi copulari! *Decorem tuum*: id est, qui in te est, non qui a te est. Non enim concupiscit decorem, nisi quem ipse præstat: sicut ait Psalmista: *Domine in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem*.

XI. Est autem pulchritudo debita proportio membrorum cum suavitate coloris. Unde duo requiruntur ad pulchritudinem; scilicet: & congruentia membra, & bonus color. Ambo hæc habuit Adam in sua creatione, creatus ad imaginem & similitudinem Dei. Imago in potentiis, similitudo in bonis. Primum est debita proportio potentiarum. Secundum ornatus gratiarum & virtutum. Sed heu! Deturpata *est super carbones facies eorum*. Et similitudo Dei in similitudinem pecoris mutata est, manente primo, scilicet imagine & proportione: facies ejus fœdata, leprosa, ulcerosa, abominabilis. O quantum sudasti Domine, ut eam decorares, & ad pristinum decorem reduceres! Ad curandas maculas balsamum pretiosissimum tui sanguinis dedisti: non enim aliter curari poterant. Unde Dominus: *Si laveris te nitro* pœnitentiæ, *& multiplicaveris tibi herbam borith*; saponis mollitiem, id est orationis & lacrymarum abundantiam; tamen *maculata es* tu *coram me*; id est, sine meo sanguine, non tibi sufficiunt ad munditiam. Dedit ergo balsamum sui sanguinis, ad ungenda ulcera pessima peccatorum. Mundavit eam aquæ lavacro de suo latere in baptismo, ut exhiberet sibi eam sine macula & sine ruga. *Unxit oleo lætitiæ suæ* & perfudit eam spiritu suo, ut genas ejus purpuraret. Ornavit de cœlo, donis & monilibus gratiarum, sicut nuptam quæ ducitur ad thalamum. O qualis ornatus ex illo ditissimo Dei thesauro! Audi ornatum in Ezechiele pulcherrimum: *Et facta es mihi. Et lavi te aqua, & unxi te oleo, & vestivi te discoloribus*. Unde admirans pulchritudinem ejus, ait: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es*. Pulchra in naturalibus, pulchra in gratuitis, pulchra facies, pulcher ornatus. Sed licet pulchra facies, pulchrior est ornatus. Unde ait: *Quam pulchri sunt gressus tui filia principis!* scilicet, *in calceamentis*. Pedes animæ, potentiæ: gressus, actus earum quibus Deo appropinquamus: affectus, desideria: calceamenta, dona Spiritus sancti, quæ singulas potentias ornant, sapientia intellectum, pietas voluntatem, fortitudo irascibilem, &c. Pulchri sunt gressus animæ: id est actus, cogitationes, affectus; sed propter calceos gratiarum, non de se. Sequitur: *Omnis* decor *filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis*: inflammatis desideriis, & purissimis cogitationibus; non in auro & purpura, & gemmis: non in exterioribus ornamentis; sed in virtutibus. Quam bene hoc expressit Petrus Apostolus dicens: *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo. In incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples*. Hæc est animæ pulchritudo, integritas a peccato mortali, modestia. P. Augustinus (*a*): Summa perfectio, nulla cupiditas, quies, id est pax quæ nascuntur ex integritate, & modestia. Hunc animæ decorem sponsus concupiscit, quoniam eam non sustinet diu privari sua præsentia; sed eam juvat in hoc exilio, & sibi eam copulat

*Psal.*44. *Et inclina aurem tuam*; — *Rom.* 2. *Habac.*2. — *Super custodiam meam stabo*, &c. — 2. *Cor.* 10. — *Psal.*44. *Obliviscere populum tuum*. — 2. *Cor.*6. — *Ibidem*. — *Gen.* 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione*. — *Jacob.* 4. *Adulteri*, an *nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei?* — *Jo.* 15. *Ego vos elegi de mundo*, — *Philipp.* 3. *Nostra conversatio in cœlis est*. — 2. *Cor.* 11. *Despondi enim vos uni viro, virginem castam*. — *Rom.* 8. *Vos in carne non estis*. — *Psal.*44. *concupiscet*, inquit, *Rex decorem tuum*. — *Psal.*29. *Domine in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem*.

Gen. 1. — *Thren.*4. *est super carbones facies eorum*. — *Jer.* 2. *Si laveris te nitro* — *& multiplicaveris tibi herbam borith*; — *maculata es* — *coram me*; — *Ephes.*5. — *Psal.*44. *unxit oleo lætitiæ suæ* — *Ezech.* 16. *Et facta es mihi. Et lavi te aqua, & unxi te oleo, & vestivi te discoloribus*. — *Cant.* 1. *Quam pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es*. — *Ibid.*7. *Quam pulchri sunt gressus tui filia principis!* — *Psal.*44. — *1. Petr.*3. *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo. In incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples*.

(*a*) In Psal. 44. num. 3. *Summa, & vera pulchritudo justitia est.*

pulat in æterno thalamo, multo intimius, quam juncta sit ipsa sibi: sicut ignis in ferro, sicut sol in nube: ita ut jam non sint duo, sed unus spiritus. Quam suavitatem, quod gaudium referat ex illa conjunctione ineffabili: *Nec oculus vidit, neque auris audivit.* Unde sequitur: *Adducentur*, scilicet ab Angelis, *in lætitia, & exultatione.* Si in desponsatione fit gaudium super uno peccatore, quid in connubio perpetuo? 1. Cor. 2. Psal 44. Lucæ 15.

IN DOMINICAM XX. POST PENTECOSTEN

CONCIO.

DE UTILITATE ÆGRITUDINIS, EJUSQUE CURATIONE.

Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Joann. 4. v. 46.

* CONCIO CIX.

I. SANCTUS Pater Augustinus, *Serm. de Gratia* (*a*). Quinque modis infirmitate flagellat Deus hominem. Primo, probatione, ut Job, & Tobias afflicti sunt. Secundo, ne se extollat, ut Paulus. Tertio modo, propter peccata, sicut Paralytico Dominus dixit, dimittuntur tibi peccata. Quarto, ut hic incipiat tormentum sustinere: unde scriptum est: *Duplici contritione contere eos:* sicut Antiochus, & Herodes. Quinto, ut sua virtus, vel Sanctorum ostendatur, sicut de Cæco nato, & de Reguli hujus filio sanato. Pondera quanta sit utilitas ægritudinum, & quanta medicina animæ. Quomodo animus illustratur, quando frænatur a concupiscentiis, quomodo eruditur? Psalmus: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea acceleraverunt.* S. P. Augustinus (*b*), *Tract. 7. in Joannem.* Quam multi ægrotant in lecto innocentes, & si sani fuerint procedunt ad scelera committenda? Quam multis obest sanitas? Latro qui procedit ad faucem occidere hominem, quanto melius illi erat, ut ægrotaret? Qui noctu surgit ad fodiendum parietem alienum, quanto melius si febribus jactaretur? Innocentius ægrotaret, scelerate sanus est. Tussi laboras, pulmone deficis, cibum stomachus respuit, phthisi decoqueris, vinum fastidis, dysenteria sauciaris, multimodo morborum genere afficeris: hæc, si oculum habes, si cordatus es, Dei dona sunt. Disciplinam patris ne abjicias fili. Nemo filius quem non corripit pater. Sed noli deficere a disciplina Domini, & ne fatigeris, dum ab eo argueris. *Quem enim diligit* Deus, *corripit: & quasi pater in filio complacet sibi.* Vis scire, quia infirmitas corporis salutem animæ parturit: audi Dominum Apostolo respondentem: *Virtus in infirmitate perficitur.* Ac si dicat: complectere quam pateris infirmitatem: atque ita proficies de virtute in virtutem. Flagellum Dei ergo non contemnas, sed flagellatus dic: *Deo gratias.* O quam jucundo pectore, quam læto corde visitationem divinam debes portare. Certe, si corpore totus prævaleres, infirmitatem medicinalem a Deo debueras votis omnibus expetere, & ne sanitas corporis infirmitas esset animæ, metuere. Eja, si Episcopatum, aut honorem alium, aut donum aliud, aut sanitatem infirmis optabilem, tibi concessisset Deus, nonne omni gaudio illud donum Dei suscepisses? Certe majori exultatione, & affectuosiori voluntate, cum gratiarum etiam actione hanc Dei animadversionem debes unicam habere, quia & hoc utilissimum Dei donum est. Hactenus S. P. Augustinus.

(*a*) Job 2. Tob. 2. 2. Cor. 12. Mat. 9. Jer. 17. Marc. 6. Act. 12. Jo. 9. Ibid. 4. Psal. 15. Prov. 3. Heb. 12. Prov. 3. 2. Cor. 12. Psal. 83.

II. *Hic cum audisset, quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus.* Pondera hic in persona Christi existimationem medici, quem suppliciter interpellat Regulus pro salute filii jam morientis: *Incipiebat enim mori.* Pro quo notandum, quod honor secundum Aristotelem (*c*), *in Ethicis*, non est virtus: & si virtus est, non est honorati, sed honorantis. Nam in honorante honor potest esse virtus, modestia, vel observantia, vel humilitas: tamen in honorato nulla virtus est. Plures vitiosi honorantur, ut Mahoma. Nec est præmium virtutis; nam majus præmium ei debetur: & si daretur totus mundus non esset præmium sufficiens virtuti. Ego, ait Abrahæ Deus: *Sum merces tua magna nimis.* Psalmus: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Qui dat virtutem ipse solus potest dare præmium rerum. Sed honor est testimonium virtutis: nam cum aliquem honoramus, testimonium illi perhibemus, quod est virtuosus, aut repræsentat virtuosum. Unde jure duobus debetur honor: scilicet virtuosis & Principibus. Nam omnis potestas a Deo est, & repræsentat summam potestatem Dei. Propter quod Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas*

Jo. 4. (*c*) Gen. 15. Psal. 23. Rom. 13. Ibidem.

(*a*) Apud Barthol. Urbinat. in Milleloq. August. sub Tit. *Infirmus*.

(*b*) Usque ad ea verba, *Innocentius ægrotaret, scelerate sanus est*, spectat testimonium ad Tract. 7. in Joann. num. 12. Quæ sequuntur excerpta sunt ex lib. 1. de Visit. Infirmor. partim cap. 4., partim cap. 6. Non tamen sunt Augustini libri duo de Visit. Infirmor., quos ad calcem tom. 6. rejiciunt PP. Congreg. S. Mauri.

(*c*) Ethicor. lib. 1. cap. 5.

testas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, 1.*Petr.*2. *Dei ordinationi resistit:* & iterum: *Regem honorificate.* Et bene rationem dedit: quia *non est potestas nisi a Deo:* ipse tribuit Regibus & Principibus authoritatem & populo reverentiam, timorem & subjectionem. Psal- *Ps.* 143. mus: *Qui subdit populum meum sub me.* Nam alias, quomodo tot millia hominum uni homini subderentur? Damus etiam aliquando honorem alicui propter necessitatem: &, quia inter omnes maxima est medici in ægritudine, ut de illo dicat Ecclesiasticus: *Eccli.* 38. *Honora medicum propter necessitatem;* hinc Re- B *Jo.* 4. gulus hic, cujus filius infirmabatur ad mortem usque, honore Christum tamquam medicum præveniens, rogavit eum, ut descenderet ac filium sanaret: propter necessitatem scilicet quam habebat de illo. Omnium necessitatum hæc maxima: quia nihil habent homines pretiosius vita & salute. Quid non sustinent homines in ægritudine pro obtinenda salute? Quæ pharmaca, quæ cauteria, quas incisiones, tormenta? Non solum homines, sed & animalia & aves. Quomodo conservant vitam & salutem? Sed vere, *Psal.*59. *vana salus hominis:* nam aliquando perden- C da est. Illa salus vera, ex qua dependet *Psal.*34. vita æterna, de qua Psalmus: *Dic animæ meæ: salus tua ego sum.* Quam pretiosa sit 1.*Tim.*1. illa salus, attende. Quia pro illa Verbum *Jo.* 5. Dei venit in mundum; & reliquit piscinam sanguinis qua lavaremur; & dedit balsamum illud, quo ungerentur ulcera nostra. Pro- *Ibid.* 20. pter hanc venit Spiritus sanctus: propter *Heb.* 1. hanc mittuntur Angeli. Apostolus: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?* Si ergo pro salute corporali tot sustinent homines ægroti, quanto magis D debent pro obtinenda salute animæ maxima? Quia si nolunt modica temporalia sustinere, sustinebunt maxima detrimenta æterna. Non vis jejunare quadragesimam? Jejuna- *Lucæ*16. bis perpetuo. Ecce Dives ille jam ante per bis mille annos petivit guttam, & non est ei data, & sustinet atrocem sitim. Non vis sustinere lectum durum? Et ecce subter te ster- *Isaiæ*14. netur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Et sic in aliis. Si interim medicis corporalibus exhibemus honorem, propter corpoream salutem, quanto magis medico animarum? *Ps.* 102. Hic est solus Deus. Psalmus: *Qui sanat omnes* E (*a*) *infirmitates tuas.* P. Augustinus (*a*): Magnus de cœlo venit Medicus: itaque hunc honora.

III. Sed quomodo curat? Ad modum medicorum corporalium: nam, aliqui curantur sudore, alii vomitu, alii phlebotomia, quando abundat sanguis, vel est corruptus, alii cauterio, alii somno. Sic & Deus animas. Primo sudore lachrymarum. Hoc autem fit eo modo quo Christus sudavit. Nam repræ- *Lucæ*22. sentata passionis acerbitate sudavit sanguinem, sic ergo ægrotus peccator objiciat animæ mortem, infernum, judicium, suorum A peccatorum malitiam: & positus in agonia sudabit salubriter lachrymas. Secundo curat vomitu peccatorum: in confessione evomendo malos & pestiferos humores, cum pœna & erubescentia. De quo vomitu Ecclesiasticus: *Si coactus fueris in edendo multum, surge e medio, evome: & refrigerabit te, & non* *Eccl.*31. *adduces corpori tuo infirmitatem.* Tertio, curat phlebotomia. Si abundant temporalia, minuenda: pauperibus eroga in usus suos. Nam excessivus sanguis, etsi non male sit acquisitus, est corruptus, & nocet. Nam multi propter excessum divitiarum committunt peccata multa. Si autem excessus est corruptus, id est, male acquisitus, scilicet, usura vel furto; statim minue ne totum corrumpat. Restitue statim, noli de illo facere eleemosynam vel ædificare sacellum: nam qui facit eleemosynam de aliena substantia, est sicut qui jugulat filium coram patre suo. Quarto curat Dominus cauterio, quando ulcus est fistulosum. Sic multi indurati peccatores gravissimis infirmitatibus curantur; & quæ pingebat vultum, fit leprosa. Ne despicias correptionem Domini: signum amoris est. Illa magna ira, quando non irascitur, & ex voto succedunt omnia. Psalmus: *Exacerbavit Dominum peccator, secundum mul-* *Psal.*10. *titudinem iræ suæ non quæret:* & iterum: *Non visitabo super filias vestras cum fuerint* *Osee* 4. *fornicatæ, & super sponsas vestras cum adulteraverint.* Ultimo, curat somno: quando claudit sensus & appetitus rerum temporalium, & facit dormire in consideratione æternorum. De quo dicitur: *Ego dormio,* *Cant.*5. *& cor meum vigilat.* Sic continue dormiunt religiosi: sic ad tempus sæculares dormire debent, etsi non continue huic mundo sicut religiosi, ad minus diebus festivis, & vacare Deo. Nam sicut scriptum est: Porta orien- *Ezech.* talis in sabbatho aperiebatur in templo Eze- 46. chielis. Quia qui Domino vacat & sabbathizat, aperitur ei porta lucis, ut videat diem serenum: & qui hic non sabbathizat, non sabbathizabit illic in perpetuum. Sic enim scriptum est: *Et erit sabbathum ex sabbatho;* & re- *Isaiæ*66. quies sempiterna post requiem spiritualem.

IV. Audistis modos præstantissimos curandi, sapientissimi Medici & expertissimi: hunc Medicum honoremus; non solum propter necessitatem, sed propter charitatem. Sed fieri solet, ut ait Bernardus (*b*), ut Deum prius (*b*) honoremus & amemus, quia illo indigemus; & deinde non ex necessitate vel commodo, sed ex charitate diligamus. Hujus Medici apothecarii fuerunt quatuor Euangelistæ. Hi antidota salutis, quæ habuerunt ab illo Magistro cœlesti nobis in suis Euangeliis, veluti in apotheca reservarunt ad medelam vulnerum nostrorum. Unde ex parte plus debemus Euangelistis quam Apostolis: in his diluvium illud Spiritus sancti, quod de cœlo descendit, inundavit, & suo impetu sub- *Sap.* 1. vertit montes, & colles, & omnia prostravit ad pedes Crucifixi; sed pertransivit do- *Isaiæ*30. *Gen.* 7.

ctrina

(*a*) Vide Enarr. in Psal. 102. num. 5. & 6. (*b*) Vide cap. 9. tract. de Diligendo Deo.

ctrina Philippi, Bartholomæi, Petri, Andreæ: mundum convertit ſed pertranſiit. Modo neſcimus, quid Petrus, quid Andreas docuit: ſed iſta quatuor flumina permanſerunt in perpetuo in Eccleſia ad ſedandam ſitim noſtram, & extinguendum vitiorum incendium. Quid eſſet de nobis, ſi non haberemus Euangelia, ſi doctrina Chriſti caruiſſemus? Vere
Iſaiæ 1. *niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen* doctrinæ ſuæ, *quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus*. Hæc ſunt
Gen. 2. quatuor illa flumina paradiſi, quæ irrigant totam terram aridam, ex illo perenni fonte, ſcilicet Verbo Dei defluentia; unde Eccleſia irrigata rore, illis debetur omnis illa
Ibid. 41. viriditas & fructificatio Eccleſiæ. Iſti ſunt Joſeph: in tempore abundantiæ nobis reſervaverunt triticum in horreo, ut eſſet unde tempore famis ſaturaremur hic pane illo vivifico ſalutari doctrinæ Chriſti, quo animæ hic curantur, fortificantur, & impinguan-
3. Reg. 19. tur, donec perveniamus ad montem Dei Horeb, & viſione gloriæ ſaturemur.

V. *Dixit ergo Jeſus ad eum: Niſi ſigna*
Jo. 4. *& prodigia videritis, non creditis*. S. Tho-
(*a*) mas (*a*), exponens illud Apoſtoli: *Eſt fides*
Heb. 11. *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*; dat aliam definitionem. Fides eſt lumen mentis faciens intellectum aſſentire veritati non apparenti. Dices: Quantum contra naturam eſt, intellectum aſſentire non probato. Quanta repugnantia inter fidem & intellectum. Ideo ad imprimendam fidem Deus fecit omnia miracula.
Pſal. 32. Pſalmus: *Omnia opera ejus in fide*, id eſt, ad imprimendam fidem. Pondera ergo in Euangelio: *Niſi ſigna & prodigia videritis,*
Jo. 4. *non creditis*. Quomodo? Quid eſt illud, cui debet inniti fides, niſi miraculum? Præcipue, quia juſte videbantur petere ſignum ad credendum hominem eſſe Deum; ut ipſe dixe-
Ibid. 15. rat: *Si* non veniſſem & *opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum*. Quomodo ergo nunc eos increpat: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis?* Ad primam: ſolutio. Fides, ſecun-
(*b*) dum D. Thomam (*b*) *Secunda ſecundæ de Fide*, nititur primæ veritati infallibili cognitæ per revelationem. Innititur ergo revelationi factæ Prophetis, Apoſtolis, Eccleſiæ per Chriſtum. Fides alioqui etiam naturalis eſt: nam vita iſta ſine fide non agitur. Opus eſt multa credere o homo. Si credis pluribus hominibus Romam eſſe, quam non viderunt: cur optimis quibus cœleſtia revelata ſunt,
1. Jo. 5. & qui ea viderunt, non credis? *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt*. Sunt qui credunt quia de parentibus Chriſtianis: ſed ſola fides hæreditaria vana eſt. Sunt qui propter miracula, qui

A volunt a Deo probam & experimentum dicti. Si hoc faceres Regi, ut peteres ab eo teſtimonium dicti ſui, injuriam ſuæ dignitatis & authoritatis putaret. Væ tibi miſero, cui non ſufficit authoritas Dei! Quomodo non ſufficit, quod hoc dicit Deus? Dicat quidquid velit, Deus Veritas eſt. Attingere tu forſitan non potes; ipſe mentiri non poteſt. Alii habent fidem per rationem. De quibus Gregorius (*c*): Fides non habet me- (*c*)
ritum, ubi quotidiana ratio præbet experimentum. Apoſtolus: *Judæi ſigna petunt, &* 1. Cor. 1.
Græci ſapientiam quærunt. Alii propter ſo-
B lam interiorem experientiam Dei, de quibus Joannes: *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*. Sanctus Bonaven- 1. Jo. 5.
tura dixit: quod experientiæ internæ ideo non manent, neque earum memoria; ne credamus propter illas, ſed propter Scripturas. Sincera ergo fides non petit aliquod teſtimonium nec rationis nec miraculi. Propter hoc, Virgo admirabilis, quod tam grandia credi- *Iſaiæ 7.*
dit: Deum fieri hominem, Virginem pare- *Lucæ 1.*
re; nec petiit aliquod teſtimonium. Ad ſecundam dico: quod in principio juſte peterent ab eo miracula, quia cæci erant ad Scri-
C pturas. Tamen, quando jam tanta fecerat, juſte de duritia & incredulitate reprehenduntur. Tota ergo Scriptura in fidei roborationem & fulcimentum eſt: nec aliud argumentum quærendum eſt, niſi Dei dicentis authoritas & miraculorum poteſtas. Quomodo autem homo poſſit credere ex miraculis, vide San- (*d*)
ctum Thomam (*d*). Neque tamen ſufficit cre-
D dere tantum, ſed & operibus bonis fides comprobanda eſt. Si pauper & indigus ducat uxorem ditiſſimam: ſic intellectus noſter pauper in virtutibus, ducit uxorem fidei opulentæ, quæ rimatur ſecreta Dei, & contingit ad ſolium Altiſſimi: ſed hæc ſterilis eſt & ſine prole, ſi opera non adſint. Nihil ſtultius quam credere & non ſequi: approbare & non amare.

VI. *Domine, deſcende priuſquam moriatur* *Jo. 4.*
filius meus. Ariſtoteles (*e*), 12. Metaphyſices: (*e*)
Bonum univerſi & ejus pulchritudo, eſt ordo. O quanta confuſio eſſet in natura, ſi non eſſet ordo! Tolle ordinem a rebus, & erit orbis alter infernus. O quantus ordo tam grandis machinæ! Non ſolum in toto, ſed etiam in ſingulis pulchritudo conſiſtit, in ordinatione, in proportione, in harmonia quadam. Verbi gratia: in homine, quantus or-
E do! Quomodo caput ſupereminens, & in eo quinque ſenſus; oculi veluti duo luminaria, dentibus lingua clauſa, anteriores ad ſcindendum, poſteriores ad quaſſandum: manus articulatæ, pedes lati, ad ſuſtinendum nervoſi: perquam pulchra ſtatura, homo. Permuta ordinem, erit monſtrum. Vide etiam: ſi vel ſolæ palpebræ deficerent, eſſet deformis. Nihil ſupereſt, nihil deeſt. Ideo

ex

(*a*) Vide Comment. in Epiſt. ad Hebr. cap. 11. lect. 1. & lect. 5.

(*b*) 2. 2. quæſt. 1. art. 1.

(*c*) Homil. 26. in Euang. num. 1. *Sed ſciendum nobis eſt, quod Divina operatio, ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

(*d*) 3. p. q. 43. art. 1.

(*e*) Metaph. lib. 12. cap. ult.

ex hoc concluditur *ſecundo Phyſicorum:* quod ab intelligente propter finem facta ſunt iſta; quia homo ſic factus eſt a natura, ſicut fieret ab intellectu. Similiter dici poteſt de aliis. Nam ſalus ipſa, humorum proportio & temperamentum eſt; quam ſi tollas, erit ægritudo. Sicut hominis exterior pulchritudo in ipſa proportione membrorum & colorum conſiſtit, ita etiam in homine interiore ejus pulchritudo in ordine conſiſtit. Eſt tamen magna interior diverſitas. Grande re-
Lucæ 17. gnum animæ, de quo Dominus: *Regnum Dei intra vos eſt.* In iſto regno arbitrium eſt rex: ſenſus ſunt miniſtri. Magna perverſitas regni hujus, ſi ſenſus imperent, obediat ratio. O quam pulchrum eſt videre hominem juſtum, ordinatam vitam gerentem! Per oppoſitum, quid peccatore deformius? Agitatur huc illuc, paſſionibus anxiatur, trahitur ventis, rapitur tentationibus, curis, cupiditatibus, accenditur ira, æſtuat luxuria. Nonne febrem maximam habet quam
Iſaiæ 21. ſolus Deus poteſt curare? Clamet ergo *de Seir:* id eſt, mundo hiſpido, rigido, hirſuto, peccatorum ſylva: *Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid de nocte?* Clamet de nocte cul-
Job 3. pæ: clamet de nocte ignorantiæ. Job: Peccator *cujus abſcondita eſt via* per culpam, *& circumdedit eum Deus tenebris* ignorantiæ. Nox etiam concupiſcentia & fomes peccati originalis, & mala inclinatio hominis in peccatum. De hac nocte, inquam, clamet, & cla-
Jo. 4. met cum tempore: *Domine deſcende priuſquam moriatur filius meus*, id eſt, ſpiritus meus. Libero enim arbitrio inordinato, ſpiritus extinguitur, gratia perditur. Vita noſtra in calore naturali conſiſtit: quando calor extraneus vincit naturalem, ſequitur febris & deinde mors. Amor Dei calor vitalis; calor extraneus, amor creaturarum; ſi vincit ægrotat anima. Ignis in ſua ſphæra perpetuus, non eget nutrimento; non creſcit nec minuitur: ſed in inferioribus, combuſta materia extinguitur ignis. O ſtulte homo quomodo vis durare amorem, ſi creatura tranſit, quam amas? Apponis ſtuppam; & ignis non extinguetur combuſta ſtuppa? Quid eſt voluptas, niſi ſtuppa brevis? Fomentum ignis quam cito tranſit. Cœleſtis a-
1. Cor. 13. mor, quia æternorum eſt, æternus eſt: *Charitas* enim *numquam excidit.*

VII. Iſta ægritudo fuit in orbe ante incarnationem. Totus febricitans, in ratione cæcus. Jam moribus turpis vitia ſine fræno ſequebatur, dæmon adorabatur. Quanta inordinatio! Deſcende Domine: noli mittere Prophetam, non Angelum, non alterum
Cant. 1. Moyſen; *Oſculetur me oſculo oris ſui. Veniat*
Ibid. 5. *Dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum*, & capiat poma arborum quas ipſe plantavit. Ut quid alius raperet? O quantum deſcendit! Apoſtolus: *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Pondera verbum: *formam ſervi accipiens.* Uſque ad formam ſervi. Amplius: *factus obediens* cui erat æqualis. Deus, Dei ſervus. *O Domine, quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus!* Amplius: uſque ad labores, uſque ad alapas, uſque ad injurias, & ſi parum, *uſque ad mortem.* Et non qualemcumque: *mortem autem crucis.* Et non ubicumque, ſed in Jeruſalem. Et non quomodocumque, ſed inter latrones tamquam malefactor. O quale eſt mori ſub titulo malefactoris! Deſcendiſti Domine, & plus quam debuiſti exinanitus es. *Ego*, inquit, *ſum vermis, & non homo: opprobrium hominis, & abjecto plebis.* Nec fuit infructuoſus talis deſcenſus; ſanatus eſt totus homo in illa hora benedictæ paſſionis. Sed & ego Domine totus infirmor. Deſcende iterum, non in perſona, ſed in dono. Fateor Domine, filius meus, ſpiritus meus valde ægrotat inter tot ſæculi hujus delicias & tumultus. Deſcende cito, & ut ait Pſalmus: *Adjutor meus & protector meus cum ſis, Deus meus ne tardaveris;* ſed ſollicitus ſis mei, *priuſquam moriatur* ſpiritus meus morte æterna. Bernardus (*a*): Veni Domine Jeſu, aufer ſcandalum de regno tuo, anima mea. Venit ibi avaritia & vindicat ſibi ſedem: luxuria dicit, ego regnabo: ira, invidia, & cætera vitia militant in me, &c. Quibus ego: Non habeo Regem niſi Dominum Jeſum Chriſtum. Veni ergo Domine Jeſu, & *diſperge illos in virtute tua, depone eos protector meus Domine;* & regnes tu, qui debes in ea regnare. *Dicit ei Jeſus: Vade, filius tuus vivit.* Dices, quomodo Deus expectat tantillam diſpoſitionem peccatoris, ut ſe convertat, & ſtatim ait ei: *Vade, filius tuus vivit.*

Philipp. 2.
Pſ. 116.
Pſal. 21.
Pſal. 39.
Jo. 4.
(*a*)
Pſal. 58.
Jo. 4.

IN DOMINICAM XXI. POST PENTECOSTEN CONCIO.

DE FRUCTIBUS ORATIONIS, ET QUOMODO ORANDUM.

Quoniam rogaſti me. Matth. 18. v. 32.

I. O Quantus eſt fructus Orationis! Inter omnia efficaciſſimum animæ remedium oratio. Si in tribulatione es, ora; ſi tentaris, ora; ſi frænare velis corpus, ora; ſi fortificare ſpiritum, ſi aliquid a Deo petendum, ſi peccata delenda, ſi gra-

* CONCIO CX.

(*a*) Homil. 4. ſuper Miſſus eſt num. 2. *Veni interim Domine Jeſu, aufer ſcandala de regno tuo, quod eſt anima mea, ut regnes tu (qui debes) in ea. Venit enim avaritia, & vindicat in me ſibi ſedem: jactantia cupit dominari mihi: ſuperbia vult eſſe mihi rex: luxuria dicit, ego regnabo: ambitio, detractio, invidia, & iracundia certant in me ipſo de me ipſo, cujus ego potiſſimum eſſe videar. Ego autem quantum valeo reſiſto, renitor quantum juvor. Dominum meum Jeſum reclamo; ipſi me defendo; quia ipſius me juris agnoſco. Ipſum mihi Deum, ipſum mihi Dominum teneo, & dico: Non habeo regem, niſi Dominum Jeſum. Veni ergo Domine, diſperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Jacob.*

si gratiæ impetrandæ omnia perficit oratio: si mitiganda ira Dei, si denique aliquid a Deo vis, oratione perficies. Nonne Elias pluviam abstulit, & dedit oratione? *Elias*, inquit Jacobus in Epistola sua Catholica: *Homo erat similis nobis passibilis: & oratione oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursum oravit: & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.* Oratione Moyses sæpius placavit Dominum. Dominus ad Moysen: *Cerno quod populus iste duræ cervicis sit: dimitte me ut irascatur furor meus contra eos & deleam eos. Moyses autem orabat ad Dominum Deum suum ... Placatusque est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.* Josue fecit stare solem. *Locutus est Josue Domino in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu Israel, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis ... Non fuit antea nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel.* Moyses expugnavit Amalech oratione. Pugnans enim Josue contra Amalech: *Moyses & Aaron & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque elevaret Moyses manus, vincebat Israel ... Fugavitque Josue Amalech & populum ejus in ore gladii.* Anna meruit habere filium Samuel oratione. Orans enim Dominum flens largiter: *Post circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel: eo quod a Domino postulasset eum.* Testimonia novi Testamenti. Homo Rex volens rationem ponere cum servis suis: cum oblatus esset ei unus, qui debebat ei millia talenta, neque haberet unde redderet; & procidens oraret eum dicens: *Patientiam habe in me & omnia reddam tibi; misertus Dominus servi illius, dimisit eum, & omne debitum dimisit ei:* & iterum: *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.* Et filius: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te:* ad quod statim pater: *Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus est. Et cœperunt epulari.* Ecce quomodo impetratur venia oratione. Similiter oratione vincitur tentatio. *Vigilate, & orate ut non intretis in tentationem.*

(a) Chrysostomus (a), *in Sermone Orationis:* Impossibile enim est hominem congruo precantem studio, Deoque continue supplicantem, umquam peccare. Et infra: non enim ita fontes aquarum hortos reddunt fertiliores; ut orationis plantam lacrymarum fontes irrigantes. Orans debet convocare quasi ad capitulum omnes suas cogitationes & affectiones. Et dicere cum Bernardo (b): *Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas. Venite, & ambulemus in lumine Domini.* Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea: *venite & ascendamus* in *montem Domini:* in locum ubi Dominus videt & videtur. Curæ, solicitudines, anxietates, pœnæ: *expectate hic cum asino* corpore isto, donec ego cum puero, id est intelligentia, cum voluntate, *illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Revertemur enim ad vos: sed heu revertemur quam cito!

II. O quanta debet esse reverentia & devotio in oratione! Nam, ut ait Bernardus (c): Debet cogitare qualiter ingreditur spiritus ejus inter medios choros Angelorum, Prophetarum, & Apostolorum, usque ad sedentem super Cherubim & Seraphim, & in conspectu tantæ majestatis se præsentat, petens ab eo quod vult. Quantus timor, quantus tremor sic adstare, sic alloqui æternam illam & sublimem Deitatis altitudinem! Si coram homine homo timet allocuturus Imperatorem; quanto magis, allocuturus viventem in sæcula? Si quis amicum diligit, noctes, diesque cum illo confabulari, colloqui, conversari non fatigatur: & omne tempus amanti modicum est in præsentia dilecti sui. Quantæ ergo tepiditatis indicium est, cum possis, & in tua manu sit, ita obliviscI Deum, & cum illo, dum tibi libet, non conversari, & dicere ei tuum cor, modo conqueri, modo petere dona, modo laudare celsitudinem, modo gratificare immensam illius dilectionem? Chrysostomus (d): Considera, quanta est tibi concessa felicitas, quanta gloria attributa: orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare. Moyses, ex consortio sermonis Domini, faciem rutilo splendore coruscantem retulit. Ita etiam animæ facies, splendore & lumine fulgida est, si sæpius cum Domino conversetur.

III. Nota figuram optimam *Geneseos* decimo quinto capite: *Sume tibi vaccam trienem; & capram trinam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens universa hæc, divisit ea per medium,*

(a) Homil. 79. ad Popul., quæ est de Oratione: sub initium habet, quæ hic adducit S. Orator: complenda est periodus hoc pacto: *Ut orationis plantam lacrymarum fontes irrigantes ad maximam excrescere faciunt altitudinem, & orantem coram Domino constituunt: hinc enim maxime fit ut exaudiatur.*

(b) Hic locus excerptus est ex libro de Contemplando Deo cap. 1., qui passim Bernardo tribuitur. Librum tamen hunc Bernardo abjudicat Mabillonius, eumque Guillelmo Abbati S. Theodorici prope Remos, postea Monacho Signiacensi, tamquam legitimo auctori tribuit. Vide admonitionem libro præfixam, tomo 5. pag. 267. editionis Mabill. Alii falso allegant testimonium hoc ex tract. de Diligendo Deo: alii ex lib. de Amore Dei.

(c) Plura hac de re S. Bernardus habet Serm. 25. de Diverf. num. 7. & 8.

(d) Lib. 1. de Orando Deum, paulo post initium. *Jam vero quis non obstupescat, & admiretur, tantam benignitatem, ac benevolentiam, quam in nos homines declarat Deus? qui mortalibus tantum honoris largiatur, ut dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraque vota apud ipsum deponamus. Nam vere profecto cum Deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi.*

dium, & utraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit: aves autem non diviſit. In iſta figura ſenſibiliter explicantur ea, quæ fiunt inſenſibiliter in anima contemplativi. Ternarius animalium, & annorum; fides Trinitatis. Aves, ſpirituales motus ſunt animæ; bruta vero, motus animales appetitus; utrumque ſacrificatur Deo: nam iſti mortificantur, illi vero offeruntur Deo in odorem ſuavitatis. Sic enim in templo duplex
Exod.40. altare; ſcilicet, ſacrificii, & thymiamatis,
Ibid.30. ut duplex ſacrificium ſignificetur: *Sacrifi-*
Pſal.49. *cium*, inquit, *laudis honorificabit me, &c.* Et alibi: Immolabimus votum labiorum noſtro-
Jonæ 2. rum: ſed primi dividuntur, & ponuntur con-
Gen. 15. tra ſe partes. Audi diviſionem incontinen-
1. Cor.7. tiæ. *Vir cogitat quomodo placeat uxori & di-*
Rom. 2. *viſus eſt.* Non ſic diviſa virginitas. Audi iterum diviſionem: cogitationem, inquit, accuſantium & defendentium in die qua judicabit Deus. Omnis avarus diviſus eſt; & non concordat ſecum, neque omnis luxurioſus, neque ambitioſus. Declara exemplo. Quanta unitas, quanta pax, quantus conſenſus omnium deſideriorum bonorum in corde juſti. Animalia ergo dividuntur, id eſt,
Gen. 15. motus ſenſuales: aves vero non dividuntur,
Ibidem. id eſt, motus ſpirituales. Quod autem vo-
(*a*) lucres cœli abigebat Abraham, ut Gregorius (*a*) ait, malas cogitationes, quas immittunt ſpiritus mali, ſignificat, quas debet abigere qui orat.

Ibidem. IV. *Cumque ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus & tenebroſus invaſit eum, & facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diviſiones illas.* Occaſus ſolis autem ad literam ideo ponitur; quia nox
(*b*) orationi aptior eſt, ut ait Chryſoſtomus (*b*); aut occaſus ſolis. Tria autem poſuit; ſcilicet: ſoporem, horrorem, & caliginem. Tres effectus in contemplatione. Primus, extaſis: quando ſilent omnes ſenſus, omnia phantaſmata, omnes motus animæ. In ſummo illo ſilentio omnium virium animæ, tenuis illa vox Sponſi auditur. Ut P. Auguſtinus de ſe, & matre ſua Monica, *in libris Confeſſionum, libro nono, capite decimo.* Raptus ergo ſpiritus primus effectus eſt, in quo omnia ſenſibilia capiuntur. Secundus eſt horror, id eſt, peccatorum cognitio: ſe-
Pſal.30. cundum illud: *Ego dixi in* extaſi mea, *projectus ſum a facie oculorum tuorum:* homo enim ſupra ſe levatus, ex alto culmine contemplationis in imo peccatorum jacentem ſe conſpicit, qui ante oculo depreſſo non ſe videbat. Aut horror iſte humiliationem & ſtuporem Divinæ Majeſtatis ſignificat: quæ, quia prius an-
Exodi 19. te raptum non cognoſcebatur, non timebatur;
2. Paral. ſicut ſolemus in proſpectu leonis. Tertius,
6. eſt caligo. Nam, ut ait Sapiens, habitat in caligine Dominus. Et Pſalmus: *Poſuit tenebras latibulum ſuum.* Et ita apparebat in ne-
Pſal.17. bula Dominus ſuper tabernaculum, & in
3.Reg.8. templo. Caligantem ergo oculum, caligo iſta ſignificat. Sicut in proſpectu ſolis, præ nimietate lucis ſolet oculus caligare. Clibanus fumans, & lampas ardens ardorem ſignificat devotionis, inflammantem, & illuſtrantem animam, qui eſt quartus effectus: ſecundum illud Pſal. *In meditatione mea exardeſcet ignis.*
Pſal.38. Tranſit autem inter diviſiones. Hoc magna indiget expoſitione: tamen, memento quod dicitur in Pſal. *Vox Domini intercidentis flammam*
Pſal.28. *ignis.* Et alibi: *Vivus eſt ſermo Dei: pertingens*
Heb. 4. *uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus.* Iſte ignis eſt qui tranſit inter diviſiones, & tunc fit pactum a Deo cum anima & confœderatio, & promittit Deus dare ſemini ejus terram. Se-
Gen. 12. men proprius amor eſt. Poſſidet ergo jam terram, id eſt, corpus ſine rebellione, & popu-
Ibid. 15. los illos *Cinæos & Cenezæos, &c.*, qui ſignificant multitudinem variorum appetituum, & deſideriorum, & concupiſcentiarum. Qui omnes ex virtute Dei collata animæ in illo raptu contemplationis jam poſſidentur ab anima, & ſubjectantur ad libitum ejus: ſecundum illud Pſal. *Qui ſubdit populos meos ſub me*, id
Pſal.17. eſt: varios cordis motus. Oportet ſemper orare. Non ceſſat orare, qui non ceſſat benefacere. Pſal. *Præparationem cordis eorum*
Pſ.H.10. *audivit auris tua.* Pſal. *Confitebor tibi in di-*
Pſal.18. *rectione cordis.* Pſal. *Sed tu paraſti directio-*
Pſal.98. *nes.* Job: *Non parcam eis verbis potentibus, &*
Job 41. *ad deprecationem compoſitis.* Oratio ſimplex & humilis, & devota penetrat cœlos. Non curioſa, non ornata, non ſententioſa; nam om-
1. Cor.3. nis noſtra ſapientia, ſtultitia eſt apud Deum.

IN DOMINICAM XXII. POST PENTECOSTEN

CONCIO.

QUOMODO HOMO SIT IMAGO DEI.

Cujus eſt imago hæc & ſuperſcriptio?
Matth. 22. v. 20.

I. IN redemptionem generis humani, non erat in mundo moneta ſufficiens. Miſit Deus de cœlo aurum Divinitatis ſuæ, Verbum ſuum. Et miſſum eſt in fornacem ventris Virginalis & exivit moneta ſpecioſa infiniti pretii. Opus erat, ut cuderetur in camino crucis. O quam bene ſigillata! *A planta pedis uſque ad verticem*, tota
Iſaiæ 1. rubricata. Dicite: O Virgo, *cujus eſt ima-*
Mat. 22. *go hæc?* Non agnoſcitis? *Non eſt*, inquiunt,
Iſaiæ 53. *ſpecies ei neque decor.* Non agnoſcimus. Legite, legite ſuperſcriptum & agnoſcetis. O Virgo! Superſcriptio: *Jeſus Nazarenus Rex*
Jo. 19. *Ju-*

CONCIO CXI.

(*a*) Moral. lib. 16. cap. 42. *Abraham, cum ad occaſum ſolis ſacrificium offerret, inſiſtentes aves pertulit, quas ſtudioſe, ne oblatum ſacrificium raperent, abegit. Sic nos, cum in ara cordis holocauſtum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus cuſtodiamus; ne maligni ſpiritus, & perverſæ cogitationes rapiant, quod mens noſtra offerre ſe Domino utiliter ſperat.*

(*b*) Homil. 37. in cap. 15. Geneſeos. *Quare tempore occaſus ſolis, cum jam ad veſperam inclinaretur dies? Quia omnibus modis attentiorem eum facere vult.* Noctem etiam orationi opportunam indicat idem Chryſoſt. lib. 1. de Orando Deum, prope fin.

Judæorum. Agnoscimus imaginem: Cæsaris A
Mat.22. est, Dei Patris est quod latet; sed quod apparet, *os de ossibus meis, & caro de carne*
Gen. 2. *mea:* imaginem hanc o homo & similitudi-
Ibid. 1. nem refers. *Ad imaginem quippe Dei factus*
Ibid. 9. *est homo*. Sed, quia *ignoras te, o pulcherri-*
Cant. 1. *ma inter mulieres*, egrederis & abis *post vestigia gregum* tuorum, & pascis *hædos tuos, juxta tabernacula pastorum*. Ad nos, Fratres, dirigitur hic sermo: nostra est hæc parabola. O homo! mulierum omnium, id est, creaturarum omnium corporalium pulcherrima: nam viris, id est, spiritibus Angelicis non te comparo: quia ignoras te, tuam B
excellentiam, egrederis a te. Quo? Ad exteriora, vana, & inania. Quomodo? Per januas tuas, sensus tuos, vagus, distractus, sparsus; & sequeris vestigia sodalium tuorum. Quorum? Ipse videto: leonum, canum, luporum, equorum, brutorum. Heu! Heu! Socius quamquam Angelorum, nunc horum socius sum. Ad quid sequeris vestigia? Quæ vestigia? Carnales cupiditates & delectationes; comedere, dormire, luxuriari: hæc brutorum officia: hæc exerces, & pascis hædos tuos. Quos? Petulantes, & lubricos sensus tuos in deliciis vanis. Ubi? juxta taberna- C
cula pastorum, in consortio mundanorum. Unde tantum malum? Ex ignorantia tui. *Au-*
Psal.48. *dite* me filii Adam, *quique terrigenæ & filii hominum;* audite spiritus peregrini, qui navigatis mare hoc sæculi præsentis in navibus testeis, corporibus fragilibus. Audite: quisnam, obsecro, finis cogitationum vestrarum; desideria & proposita vestra, cupiditates vestræ & curæ quid prætendunt? Numquid nostis qui sitis? Numquid scitis vos metipsos? Si dixero vobis, forsitan non credetis; si aperuero vobis, non audietis: si interrogavero non respondebitis: Angelici spiritus pro- D
pemodum estis inserti corporibus istis terrenis, exules ad tempus a cœlesti illa patria Beatorum; ac veluti negotiatores quidam cœlestis illius hæreditatis. Non respiciatis quod patet, attendite quod latet. Non estis quod videtur, sed quod non videtur. Vide igitur ista opera brutorum. Unde istæ illecebræ? Unde ista exercitia carnalia venenata? Unde
Mat. 22. istæ tam noxiæ curæ? Dicite o stulti, *cujus est imago hæc, & superscriptio?* Numquid non Dei? Numquid non divina? Divini ergo estis & cœlestes: divina & cœlestia diligite. Pudeat Spiritum divinum saginare fœ- E
no, & deificam imaginem cœno miseræ voluptatis delinire. Opus ergo nostrum in præsenti sermone erit, vobis vestram ipsam excellentiam demonstrare: ut sic agnoscentes naturæ vestræ dignitatem, pudeat inter brutalia degenerare: ut stipitem nobilem fructus consimiles fructificare non pigeat.

II. Magna hominis excellentia & dignitas, quod imago Dei est. Quid majus quam Deo assimilari? Quod dedit mihi Pater, majus omnibus est, ait Dominus: Et quid de-
Heb. 1. dit illi Pater, nisi ut esset *splendor* ejus, &

figura substantiæ ejus? Imago ergo Dei, Filius: & imago Dei, homo; sed aliter: nam ille imago substantialis & naturalis; homo imago imitationis. Potuit Deus generare sibi æqualem, non potuit creare. Creavit ergo naturam sibi similem, non æqualitate, sed imitatione suæ naturæ. Sic est imago Dei in homine, sicut imago Regis in nummo aureo. Solent Principes parvas litteras sui nominis in moneta vili imprimere; in argento vero, insignia, in auro vero imaginem. Ita Deus in creaturis infimis, vestigia quædam; in cœlestibus corporibus arma; solem, lunam; in homine nobilissima creatura, imaginem. Sed quæres, in quo consistat hæc imago? *Glossa super Genesim:* Imago in naturalibus perfectionibus. S. Bonaventura (*a*) ait: Imago in potentiis est; & similitudo in donis gratuitis. (*a*)
Imago ergo indelebilis; similitudo autem mutari & perdi potest. In hoc igitur homo est imago Dei, quod est in eo excellentia Dei: id est, in mente, in spiritu: & consistit in hoc: scilicet, in simplicitate, in incorruptibilitate, libertate animæ; sicut Deus est simplex, incorruptibilis, & liber. Ecce quam magnæ perfectiones Dei in anima. Item: in unitate potentiarum, in una simplici essentia. Et similis modus productionis in actibus potentiarum. Sicut in Divinis Personis ex memoria fœcunda speciebus verborum; & utroque amor; sic in humanis. Similiter sicut Deus vita vivificans animam; sic anima vita vivificans corpus. Sicut Deus indivisibilis totum occupans mundum totus in toto, & in qualibet parte; sic anima in corpore. Sicut Deus in diversis partibus mundi diversa exercet; sic anima in diversis partibus corporis. Sicut ad nutum Dei omnia disponuntur in mundo; sic ad nutum animæ potentiæ moventur, & membra obediunt. Quid ergo anima in corpore nisi unus Deus in suo mundo? Item: sicut Deus potest omnia producere in esse reali; sic anima omnia in esse intelligibili intra se, producit leones, equos, cœlos, solem, id est, horum similitudinem. Quia enim Dei similitudo est anima: ideo in se omnium rerum similitudines continet, sicut Deus omnium rerum perfectiones. Ideo Philosophus ait (*b*) quod (*b*)
anima est quodammodo omnia. Item, sicut Deus includit omnia eminenter; ita homo, omnia quodammodo includit: nam spiritualia & temporalia amplectitur. Ideo, ut ait Gregorius (*c*), vocatur omnis creatura. Ecce in (*c*)
quo consistat imago Dei, & quam multis & mirificis modis homo assimiletur Deo. Non enim vacat, quod cum Deus omnia fecerit; quasi ex consilio ait: *Faciamus hominem ad* *Gen. 1.*
imaginem & similitudinem nostram. Relucet Deus in natura nostra quoad essentiam, relucet in gratia quoad clementiam. Trinitas potentiarum, Trinitatem Personarum repræsentat: multitudo gratiarum, bonitatis magnitudinem repræsentat. Ubique lucet Deus in justo. Relucet in natura, relucet in corde, relucet in operatione. *In Canticis* Spon-

(*a*) Lib. 1. Sent. dist. 3. part. 2. art. 1. q. 1. (*b*) De Anima lib. 3. cap. 8. (*c*) In Euang. Homil. 29. num. 2.

sus: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super humerum tuum*, id est: habeto me formam cordis, habeto me formam operis. Exemplum in Adam. Primus homo de terra terrestris; sed secundus Adam de cœlo cœlestis. Exemplum, inquam, in his quæ cogito, in his siquidem, voluit prædestinatos *conformes fieri imaginis Filii sui*, intus & foris. Quoniam ipse reformator extitit cordis, reformator apparebit corporis, quando *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. Similitudo ergo imaginis est splendor & fulgor. Tolle similitudinem,& imago turpis remanebit & obscura.

Cant. 8. Rom. 8. Philipp. 3.

III. Sed quæres duo. Primo: quare cum Spiritus sanctus sit æque similis Patri sicut Filius, non dicitur imago Patris, ut Filius. Secundo: an in Angelo sit similitudo & imago Dei. Responsio ad primum, ex S. Thoma (a), *prima parte, quæstione trigesima quinta*. Quod Spiritus sanctus non dicitur imago, licet sit æque similis: quia non producitur per modum similitudinis ut Filius. Nam Filius producitur per modum Verbi & notitiæ: de cujus ratione est similitudo: Spiritus sanctus per modum amoris, de cujus ratione non est similitudo. Licet aliqui Doctorum Græcorum (b) etiam dicant Spiritum sanctum esse imaginem Patris. Ad secundum dico: quod in Angelo quoad aliquid perfectior est imago, scilicet, quoad id in quo principaliter consistit imago. Sed tamen homo in pluribus assimilatur Deo quam Angelus, extrinsece, ut ex dictis patet. Est igitur in nobis nunc in præsenti vita imago Dei obscura & occulta. Solent pictores imaginem, verbi gratia, Imperatoris, ut effigiem depingant & assequantur, assumere nummum aliquem qui repræsentat Imperatorem in magnitudine, in statura, in membrorum dispositione; postea vero adumbrant illam vivis coloribus. Et tunc omnino repræsentat, in vultu, colore, pulchritudine Imperatorem. Sic *nunc*, Fratres, ut ait Joannes: *Filii Dei sumus*: non natura, sed imitatione naturæ Divinæ: tamen *nondum apparuit quid* sumus. *Cum* apparuerit, tunc *similes ei erimus*: tunc anima recipiet colores divinos, ut carbo ignitus: tunc, addito colore fulgentissimo luminis gloriæ Dei sui, ad naturaliter insertam imaginem, quid aliud apparebit quilibet homo quam unus Deus? Implebitur quod scriptum est: *Ego dixi: Dii estis, & filii excelsi omnes*. *Tunc*, o anima sancta *videbis, & affluES, & mirabitur & dilatabitur cor tuum*, cum aspexeris Deum, & aspexeris te, & videris te veluti

(a)

(b)

Jo. 3. Psal. 81. Isaiæ 60.

A alterum Deum. O gloria! O excellentia! O lætitia! Anima beata, inquit P. Augustinus (c), plus habet de Deo, quam de anima. *Hugo* (d) *de Arrha Animæ*: O anima! Si te ipsam videres, si pulchritudinem tuam attenderes, numquam aliquam creaturam magis quam te ipsam amares: Bernardus (e) *in Declamationibus*: O anima insignita Dei imagine, decorata similitudine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, decorata spiritu, deputata cum Angelis, quid tibi cum carne? Pudeat tam pulchram creaturam, tam viles res amare, & eis involvi. *Si* ergo *spiritu vivimus*, ut ait Apostolus, *spiritu & ambulemus*, fructificemus ut spiritus. Aliis namque arboribus præceptum est, ut juxta germen suum producant fructus, solus homo degeneres fructus faciet? Quare tota vita carni & ventri dabitur? Si Regina quædam potens, dives, & pulchra, virgo decora a quodam deformi servo invitaretur ad stuprum, mercede duorum dipondiorum: quis non indignaretur, si tam vili pretio illi admisceretur, contempto Principe speciosо? Sic est omnino, sic est. O anima: tu Regina potens orbis & dives, pulcherrima sponsa Dei es. Quam miserum est, si vili vitio, deformique cuidam appetitui subjecta & captiva sis, vili pretio unius transitoriæ momentaneæ voluptatis! P. Augustinus (f): O iniquitas! O perversitas! ut animam, quam Christus redemit suo sanguine pretioso, luxuriosus quispiam propter unius momenti delectationem, diabolo pessimo suo inimico vendat ac tradat. Si te non æstimas, saltem agnoscito quo pretio redempta sis; quantum dedit pro te sapiens ille mercator; qui everrit domum suam totam, ut inveniret drachmam perditam: & inventa una pretiosa margarita, dedit omnia sua pro ea, honorem, statum, divitias, personam.

(c) (d) (e) (f)

B Galat. 5. Gen. 1.

C

D Luc. 15. Mat. 13.

IV. In denario isto, id est, corde nostro, quod est tributum Dei, secundum illud: Fili præbe mihi cor tuum; tria Deus posuit. Scilicet: imaginem suam, & similitudinem, & superscriptionem. Superscriptio autem imaginis, lex est naturalis, lumen rationis, sinderesis animæ. De qua Psalmus: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: de qua Apostolus: *Ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*, non manu scriptoris, sed opere conditoris. De quo ipse ait in Euangelio: *Principium, qui & loquor vobis*. Est enim naturæ conditor & naturæ Instructor. Principium illuminans, & lumen principians. Veritas creatrix, & Creator verificans. Principium & magister, celavit quod

Prov. 23. Psal. 4. Rom. 2. Jo. 8.

E

crea-

(a) Loco allegato in textu art. 2.

(b) S. Thomas loco præallegato. *Dicendum, quod Doctores Græcorum communiter dicunt, Spiritum sanctum esse imaginem Patris, & Filii. Sed Doctores Latini soli Filio attribuunt nomen imaginis.*

(c) Aliquid simile extat in lib. de Spiritu, & Anima cap. 57., & Medit. cap. 27. Append. tom. 6. in novis. edit.

(d) Hugo a S. Victore de Arrha animæ, non longe ab initio. *O si te ipsum suspiceres; o si animam tuam videres, quæ specie sua omnium visibilium decorem, & pulchritudinem vincit, agnoscerES certe quanta reprehensione dignus fueris, cum aliquid extra te amore tuo dignum existimabas.*

(e) Legendum *in Meditationibus*, nam in Declamationibus ista non legi; legi autem in Meditationibus Bernardo attributis cap. 3., hæc, quæ parum ab allegatis a S. Oratore differunt: *O anima, Dei insignita imagine, decorata similitudine, desponsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne, unde ista pateris?*

(f) Serm. 293. in Append. novis. edit. num. 3., alias tom. 9., & post tom. 10., Serm. de Tempore 250.

creavit, legem naturæ dedit, imaginem depinxit, & ſuperſcriptum poſuit. Superſcriptio, cujus ſit imago, oſtendit. Omnia enim appetunt bonum, & ratio ad optima deportatur. Lege o anima ſuperſcriptum in te boni deſiderium: & cujus imago, cujus denarius agnoſcito. Sed & ſimilitudinem ſuperſcripſit; ſuperſcriptum audi. Joannes in Apocalypſi: *Dabo* tibi *calculum: & in* eo *nomen novum* Apoc. 2. *ſcriptum, quod nemo* novit, *niſi qui accipit*. Calculus ignitus de altari, gratia de cœlo. nomen novum ſuperſcriptum, *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*. Jo. 19. (a) Bernardus (*a*): An non nomen novum eſt: Deus homo, Deus crucifixus, Deus paſſus, Deus mortuus? Quæ major novitas? Gratia fide Jeſu Chriſti inſcribitur, & paſſionis ejus. Apoſtolus: *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes,* 2. Cor. 4. *ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Virtutem hujus nominis nemo novit, niſi qui accipit. Apoſtolus: *Nos autem prædicamus* 1. Cor. 1. *Chriſtum crucifixum: Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam; ipſis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam*. Hoc ſuperſcriptum habebat Beatus Ignatius, in cujus corde repertum eſt impreſſum, Jeſu nomen ſanctum. Iſaias de illo dicit: Et *confortabit faber ærarius* Iſai. 41. *percutiens malleo eum, qui cudebat. Faber*, Spiritus ſanctus, *percutiens malleo* in perſecutionibus, in tribulationibus Martyrum. *Confortabit* figuram vitæ, quam Chriſtus exemplo vitæ ſuæ, & doctrina ſua cuderat inter homines.

V. Veniet ergo Judex, oſtendens formam ſigilli, id eſt humanitatem, tot plagis, tot vulneribus plagatam. Eja: videamus quis ſic inſignitus eſt: quis ſe conformat ſigillo? Quo- 2. Tim. 2. niam ſi compatimur, & conregnabimus. Dicet omnibus: Vos dicitis quod mei eſtis. Et experiamini. Vocamini. Oſtendite ergo numiſma cenſus. Cujus eſt imago hæc & ſcriptio? Cæſaris utique eſt hæc vita veſtra, & hæc intentio veſtra: quoniam opus imago eſt, inſcriptio vero eſt intentio operis. De opere audi: Cujus opera facitis, ejus filii eſtis. De intentione vero audi: *Si oculus tuus*, id eſt, intentio tua Mat. 6. *fuerit ſimplex; totum corpus*, id eſt, opus *lucidum erit*. Intentio denominat opus. Facis eleemoſynam bonum opus eſt. Sed titulum videamus: ſi pro vana gloria, dæmonis inſcriptio eſt ſuper imaginem. Si recta intentione & propter Deum, Cæſaris eſt iſte nummus: id eſt, operatio iſta. Illos ergo in theſauris ſuis cœleſtibus collocabit, quos ſuo ſigillo inſignitos repererit. Jeremias: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore* Thren. 4. *antiquo, ſapphiro pulchriores. Sed hei! Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum: Filii Sion inclyti*, per naturam imaginis: *amicti auro primo:* gratia & ſimilitudine Divina; *Quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli!* O quanta diligentia ſervari debet ſigillum ne pereat moneta animæ, quæ non agnoſcitur ſine ſigillo! Abſconde eam a latronibus dæmonis, ab hominibus, ne vana gloria deleat ſigillum, & moneta pereat. Bernardus (*b*): Cogitatio & delectatio deturpant imaginem; ſed conſenſus delet omnino ſimilitudinem, mortificans imaginem. Mortua eſt enim imago animæ ſine vita gratiæ & ſimilitudinis. Omnes ergo peccatores tunc interrogabit Deus: *Cujus eſt imago hæc?* Qui præ confuſione maxima vellent abſcondi ſub montibus; & dicent Mat. 22. *montibus cadite ſuper nos*, & operite nos. *Tunc* Luc. 23. *omnis iniquitas oppilabit os ſuum*, & *muta* fient Pſ. 106. *labia doloſa*. Illis ergo tacentibus, interroga- Pſal. 30. bit Deus ſigillatores qui exterius cudunt verbo, ſcilicet Apoſtolos; & qui interius cudunt inſpirationibus, ſcilicet Angelos. Dicite vos, *cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio?* Dicent: Mat. 22. non Cæſaris, ſed principis tenebrarum, ſed Epheſ. 6. illius qui fuit homicida ab initio, diaboli. Jo. 8. Tunc dicet: Ite ergo imagines cum illo, quem Mat. 25. imitati eſtis diabolo, in ignem æternum. Vos vero qui meam ſervaſtis imaginem, venite mecum in regnum æternum & ſempiternam gloriam: ad quam nos perducat, &c.

(b)

Poſtilla Euangelii.

Abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt ut ca- Ibid. 22. *perent eum in ſermone*. Phariſæi malitioſi, invidi, videntes quod opera Domini non poſſent calumniari, quoniam mirabilia erant; paraverunt inſidias, & conſilium inierunt. Quod accommodari poteſt viſioni D. Joannis in Apocalypſi: multorum ſcorpionum qui aſcendunt de abyſſo: *Aſcendit fumus putei, ſicut fumus* Apoc. 9. *fornacis magnæ: & obſcuratus eſt ſol & aer de fumo putei: Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ. Et facies earum tamquam facies hominum. Et cruciatus earum, ut cruciatus ſcorpii cum percutit hominem. Et habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum*. Scorpiones, primo nihil mali judicantur facere: poſtea venenum evomunt. Sic iſti: *Magiſter ſcimus quia verax es, & viam* Mat. 22. *Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum:* ſed, *ut caperent eum in ſermone*. Hic enim faciliter cadunt etiam perfecti. Quoniam ut ait Jacobus: *Si quis in verbo non offendit: hic per-* Jacob. 3. *fectus eſt vir*. Stulti & cæci, Verbum Dei volunt capere in verbo. Pſalmus: *Foderunt an-* Pſal. 56. *te faciem meam foveam* animæ meæ. Prophetaverat de eis Jacobus: *Simeon & Levi fra-* Gen. 49. *tres: vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea. Quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum quia dura*. Inſidiantur *ſan-* Prov. 1. *guini*, abſcondunt *tendiculas contra inſontem fruſtra*. Intentant deglutire *eum ſicut infernus viventem, & integrum quaſi deſcendentem in lacum. Pedes illorum ad malum currunt, & feſtinant, ut effundant ſanguinem*. Sed: *fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum. Docuerunt* Jer. 9. *lin-*

(*a*) Vide Homil. 2. ſuper *Miſſus eſt*, num. 9. (*b*) Serm. 32. de Diverſ. num. 3.

linguam ſuam loqui mendacium: ut inique agerent, laboraverunt. Infelix ſchola, in qua id elaboratur, ut homines verſutias, fraudes, calumnias addiſcant. Veritas ſimplex eſt, nullius difficultatis eſt, dicere veritatem; ſed in fingendo veritatem, difficile eſt ut conſonent omnia. *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Verba bilinguis, quaſi ſimplicia: & ipſa perveniunt uſque ad interiora ventris.* Pſalmus: *Molliti ſunt ſermones ejus*, ſcilicet populi, *ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.* Non ſtudio dicendæ veritatis, ſed exercendæ malignitatis, quæſtio iſta proponitur Domino. Impletum eſt & illud Pſalmi: *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.* Sequitur: *Induantur confuſione & reverentia qui magna loquuntur ſuper me.* Job: *Ad increpandum tantum eloquia conjungitis, & in ventum verba profertis. Ut caperent eum in ſermone*, ut redarguerent. *Non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum.* Non eſt acceptor perſonarum Deus: paupercula æquabitur Imperatori. Quanta hic differentia! Sed mors omnes parificat. Sicut in luſu latrunculorum; poſt ludum, omnes ſimul in burſa, Rex & populus. *Cognita autem Jeſus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Oſtendite mihi numiſma cenſus.* Repetens Deus tributum, non ait: reddite, vel præbete; ſed oſtendite: *Quoniam bonorum meorum non eget.* Vult autem quæ ipſe inſeruit, vitio noſtro & incuria noſtra non eſſe deleta, vel deturpata. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* Eſt ſententia Domini. Hoc temporale tributum, Cæſaris imaginem habens, Cæſaris eſt: date Cæſari. Nummum cordis veſtri divino inſignitum ſigillo, reddite Deo. Tributum reddere apud homines, ſervitus; tributum Deo reddere, gloria noſtra eſt.

(a) Bernardus (a): Quare non petat amoris tributum, qui dedit tibi potentiam unde amare poſſis? Ab omnibus potentiis tributum operationum petit Deus. Reddat intellectus tributum contemplationis; voluntas, amoris; memoria, gratitudinis; corpus, operis. Cui fructificare debet arbor niſi plantatori? Nonne juſtum eſt agricolam de fructibus edere? Agrum ipſe conſtituit, cum creavit: ſeminavit cum docuit; aravit cum redemit tanto labore. O glorioſum agricolam! Quanto labore ſudavit in laborando agro. Tributum debes creationis, quoniam *ipſe fecit nos & non ipſi nos.* Similiter debemus tributum majus redemptionis. Tributum etiam ſuſtentationis. *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Pro me; me totum debeo. Dedit ſe; quid pro eo dabo?

IN DOMINICAM XXIII. POST PENTECOSTEN CONCIO.

DE QUADRUPLICI MORTUORUM RESUSCITATIONE.

Ecce princeps unus acceſſit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta eſt. Matth. 9. v. 18.

I. SAnctus Thomas (b): Omnibus ineſt appetitus perpetuitatis ex ſimilitudine ad Deum. Quare, cum homo ſit Deo ſimilior cæteris, ideo magis appetit perpetuari. Secundo: quia ſi cætera, quæ ſuapte natura corruptibilia ſunt, creata ut ad tempus ſint, cupiunt perpetuari; quanto magis homo, creatus ut in æternum Deo fruatur? P. Auguſtinus (c) *ſuper Geneſim*: Homo ſi non peccaſſet, nunquam de paradiſo exiiſſet: nam de terreſtri paradiſo ad cœleſtem migraſſet. Quia autem in ſe homo non poteſt perpetuari, appetit in ſpecie & in ſimili. Et hic appetitus fecit, ut iſte pro filia ſua anxius deprecaretur. *Ecce princeps unus acceſſit, & adorabat.* Venit princeps Judæorum, ad principem Angelorum. *Dicens: Domine, filia mea modo defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet.* Duplex vita animæ: vita juſti, & vita Beati. Beatus enim nec modicum flectit oculos a Deo; ſemper videt Deum. Juſtus autem quamquam in imagine pertranſeat, tamen dum eſt in vita præſenti, ſemper vane conturbatur: ut ait Pſalmus. Ita duplex mors: mors peccati, mors gehennæ, quæ opponitur vitæ Beati. Hanc Joannes *in Apocalypſi* vocat mortem ſecundam. *Timidis*, inquit, *& incredulis, & execratis homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure; quod eſt mors ſecunda.* Analogia: ſicut corpori vitam præſtat anima; ita Deus præſtat vitam animæ. Duplex mors: prima & ſecunda; ſimilis effectus. Sicut mors naturalis privat ſenſu, motu, vigore, & pulchritudine; ita mors ſpiritualis etiam privat ſenſu: nam peccator neque guſtat ſpiritualia. Ratio eſt: quia non audit conſilia & voces Domini vocantis, neque videt periculum animæ ſuæ. Quia jam ſententia data, ſolo corpore deterretur ab igne. Item, non videt vilitatem & fœditatem, non videt ſpolium, non videt irriſionem dæmoniorum. O anima, quæ eras prius habitaculum Dei, templum ſplendidum, paradiſus voluptatis; modo verſa es in dæmoniorum cloacam, & ſterquilinium! *Iſaiæ* trigeſimo quarto: *Poſſidebunt illam onocrotalus & ericius: ibis, & corvus habitabunt in ea... & orientur in domibus ejus ſpinæ, & urticæ, & paliurus in munitionibus ejus, & erit cubile draconum, & pa-*

Concio CXII.

(a) Serm. 12. in Pſal. *Qui habitat* num. 7., & tract. de Dilig. Deo cap. 5. num. 15.
(b) In Summa contra Gent. lib. 3. cap. 19. (c) De Geneſi ad litteram lib. 9. cap. 6.

& pascua struthionum, & occurrent dæmonia.

II. Figura hujus: Samson ille fortissimus
Judic.16. captus amore Dalilæ, &c. Sic anima, quæ prius virtute Dei nuptias dæmoniorum abhorrebat; misere capitur amore Dalilæ unius concupiscentiæ; illa primo ligat: secundo radit capillos inspirationum sanctarum a capite defluentes Christo, in quibus est tota virtus animæ. Dat eam Philisthæis, tradit illam dæmonibus. Illi, primo, oculos eruunt; secundo, illudunt; tertio, faciunt servire carni, & molere miseram farinam diversorum appetituum cum magno labore. *Isaiæ* quadragesimo septimo: *De-*
Isaiæ 47. *scende, sede in pulvere virgo filia Babylon, sede in terra: non est solium filiæ Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis & tenera. Tolle molam, mole farinam.* Anima, vita est corporis, sed ipsam vitam habet Deus. Anima igitur animæ Deus est. Hos igitur effectus, quos anima facit in corpore, Deus in anima. Anima pulchrificat, vigorat, dat sensum & motum corpori; & animæ Deus. Sine Deo, hæret anima, dormit, sine sensu, sine opere. Omnia difficilia peccatori, fœtida, vacua, debilia. Si esset homo sine gratia, ejus vita non esset donum, sed tormentum & damnum. Nihil enim nasci profuit, si non redimi profuisset. Nam tunc homo esset vacuus suo fine, & otiosus. Gratias tibi Domine: plus debeo, quia me redemisti, quam quia me creasti. Esse sine te mihi inutile est, & pœnosum, quia ad te factus
(a) sum. P. Augustinus (a): Mallem esse cum Deo in inferno, quam sine Deo in cœlo. Si homo omnium creaturarum esset possessor, miser esset, si ipse non possideretur a Deo. Et tamen anima sæpius mortua est. Mortuam ferimus in lectica corporis fœtentem coram Deo, & Angelis, & mundo, & sustinemus. Væ qui potest tolerare, dormire in peccato vel per horam. Audacior est, quam si dormiret circumdatus serpentibus & basilisco.

III. *Domine filia mea modo defuncta, &c.*
Mat. 9. Quatuor mortui. Primus mortuus est per solum consensum. Exemplum: ut in ista filia Archisynagogi. Quis consensus occidat animam mortaliter, difficile agnoscitur. Hic sine voce suscitatur faciliter ad persuasionem, vel consilium, vel inspirationem, vel cognitionem sui. Voca patrem & matrem, cognitionem tui. *Pu-*
Job 17. *tredini dixi: pater meus es; mater mea, & soror mea, vermibus.* O Homo utinam te cognosce-
Lucæ 7. res! Secundus mortuus, filius viduæ; jam defertur extra murum, quia ponitur jam peccatum in opere. A quatuor defertur in feretro. Quatuor hominem ad sepulchrum portant; fiducia misericordiæ Dei inordinata; spes longæ vitæ; verecundia confitendi; amor delectationis. Tertius fuit Lazarus: non nisi gemitu, & voce, & fletu suscitatur, qui in consuetudine
Psal.10. est. Quartus non suscitatur. Psalmus: *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ.* Isti Magnates qui habent jam licentiam peccandi.
Lucæ 9. *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos;* & adulatores blandientes peccata. Ad hos non venit Christus. Vitam gentiliciam agunt, ut opera eorum testantur. Totaliter mortui sunt. Uti etiam illi qui peccant ex malitia, & contemptu Dei omnino mortui sunt desiderio, & proposito, & in vitio. Nulla cura salutis. Job: *Quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt.* Exemplum: de *Job 34.* blasphemis joco, de lascivis joco, de detractoribus joco. *Proverbiorum* secundo: *Qui relin-* *Prov. 2.* *quunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas; qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis: quorum viæ perversæ sunt, & infames gressus eorum.* Psalmus: *Operti sunt ini-* *Psal.72.* *quitate & impietate sua. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis. Cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt. Posuerunt in cœlum os suum.* Væ qui lætati estis in die malo. Psalmus: *Hæc via illorum scandalum ipsis: in ore suo* sibi ipsis *complacebunt.* *Psal.48.* *Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos. Sicut vulnerati dor-* *Psal.87.* *mientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: & ipsi de manu tua repulsi sunt. Cum di-* *1. Thess.* *xerint pax, & securitas, tunc repentinus eis su-* *5.* *perveniet interitus. Ne dixeris,* in corde tuo, *Eccli. 5.* *peccavi, & quid mibi accidit triste? Audi popu-* *Jer. 5.* *le stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, non videtis; & aures, & non auditis. Me ergo non timebitis: & a facie mea non dolebitis? Me, inquam, qui posui arenam terminum mari?* Tu me vilipendis qui feci cœlum & terram? Tu musca & vermis contra me? Me audes habere *Gen. 1.* inimicum? Me vilipendis? Unde hoc? Non habes cor: oculos habes, & non vides. Non quia ego terribilis non sum, quia ego severus non *Ps. 134.* sum; sed quare non timetis? *Populo huic,* inquit, *factum est cor incredulum, & exasperans.* *Jer. 5.*

IV. Sed redeamus ad historiam. Hos etiam peccatores, significat illa puella jacens mortua in lecto. Quod remedium? Veniat pater puellæ, Spiritus *qui interpellat pro nobis* gemitibus *Rom. 8.* inenarrabilibus. Cui anima ut filia conversa: *Domine, filia mea modo defuncta est.* Ecce vivus appareo, intra me mortuus peccato. Domine *Mat. 9.* modo defuncta est: veni antequam putrescat. Ita Fratres non prolongemus iniquitates nostras, non differamus conversionem, ne intra nos putrescat mortua anima: sed modo, statim clamemus. Gregorius (b): Tanto duriora sunt (b) peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam. *Veni, impone manum tuam* *Ibidem.* *super eam, & vivet.* Nota quod secundum Marcum Euangelistam, Dominus suscitaturus puellam etiam locutus fuerit: *Et tenens manum* *Marc. 5.* *puellæ, ait illi: Talithacumi, quod est interpretatum: Puella (tibi dico) surge.* Remedia: veni, tange, voca. Ista tria: venit, quando cognoscitur peccatum: tangit, quando dat contritionem: vocat cum inspirat gratiam. In Canticis: *Veniat Dilectus meus. Dilectus meus* *Cant. 5.* *misit manum suam per foramen. Anima mea liquefacta est, ut locutus est.* Sed audiatur vox Dei tenera, ut sibilus auræ tenuis: Job: *Vocem* *Job 4.* *quasi auræ lenis audivi.* Ejiciatur turba, quæ

(a) Aliquid simile extat apud S. Bernard. Serm. 7. in Psal. *Qui habitat* num. 4.
(b) Vide Comment. in Ezechiel. lib. 1. Homil. 11. num. 24., & Moral. lib. 25. cap. 9. num. 22.

facit ſtrepitum curarum & ſolicitudinum. Item tibicines voluptatis. *Veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet.* Mitte manum tuam, miſericordiam tuam. Pſalmus: *Emitte manum tuam de alto; eripe me & libera me.* Tangit item nos Deus, & ejus tactus; primo, excitat nos ad timorem. Sponſa: *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & ad tactum ejus venter meus contremuit.* Tangit ſecundo, & anima liquefit amore. De contactu ſpirituali varia dices. *Et reperies ſupra, Dominica quarta Adventus, Concione quarta: De Adventu ſpiritali Domini.* Quis extentam omnipotentis manum non timebit? Quæ primo in cœlo percuſſit ſuperbum, & apoſtatam Luciferum cum tota ſua ſocietate, in profundum laci demerſit. Quæ etiam primos illos parentes in terreſtri paradiſo proſtravit, quæ percuſſio uſque ad poſteros eſt transfuſa. Percuſſit in terra magna imperia, & regna, & omnia imperia ſubſunt ei & proſtrata ſunt. Percutit in purgatorio, percutit irremediabiliter in inferno. *Et ſuper omnibus his non eſt averſus furor ejus, ſed adhuc manus ejus extenta.*

V. *Domine filia mea modo defuncta eſt. Et ecce mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus dicens*, &c. In ſenſu allegorico P. Auguſtinus (*a*) & Hieronymus: Duæ iſtæ mulieres typus ſynagogæ, & Eccleſiæ ex Gentibus. *Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Utique ad oſculandam & dandam obedientiam, & accipiendam benedictionem. Medici philoſophi pollicebantur viam ſalutis & viam veritatis oſtendere; ſed neſcierunt uſque dum venit ille, qui paratus eſt *ante faciem omnium populorum; lumen ad revelationem gentium, illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* In ſenſu morali, duæ mulieres duos modos peccatorum ſignificant. Quidam per infirmitatem vel ignorantiam peccant; alii per malitiam; de quibus dicitur Numerorum 15. *Si anima una neſciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato ſuo: & deprecabitur pro ea Sacerdos, quod inſcia peccaverit coram Domino, impetrabitque ei veniam, & dimittetur illi. Anima vero quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit (quoniam adverſus Dominum rebellis fuit) peribit de populo ſuo. Verbum Domini contempſit, & præceptum illius fecit irritum: idcirco delebitur, & portabit iniquitatem ſuam.* Per infirmitatem peccat ille qui nolens peccat. Habet bonum deſiderium, ſed vincitur paſſione. Sunt enim aliqui fortis complexionis, iracundi, vel inquieti, vel ſuperbi, vel carnales. Alii vero ſive ex complexione, ſive ex indole ſibi congenitis, naturaliter mites, humiles, pacifici, modeſti, temperati. Donat enim Deus conditiones prout vult. Illi tamen primi cum magna vi navigant per viam mandatorum. Magna corona ſi vicerint. Quicumque ergo patitur fluxum ſanguinis ex ſenſualitate influente intus in corde, ſive ex ſenſualitate corrupta, ſive ex conſuetudine, ſive Deo diſponente, qui ponderat aquas in menſura; clamet cum Propheta: *Domine vim patior, reſponde pro me*, vel: *Salvum me fac Deus: quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris: Et tempeſtas demerſit me. Laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum. Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis: qui oderunt me gratis. Confortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei.* Et iterum: *Miſerere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: Tota die impugnans tribulavit me. Conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adverſum me. Ego vero in te ſperabo.*

VI. Quod ſi non auditur; audi conſilium: Tangat fimbriam veſtimenti Domini; id eſt: *Voca, ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Hoc conſilium amici Job leproſo, in ſterquilinio. *Multum enim valet* apud Deum Sanctorum *deprecatio.* Moyſes oratione tenuit Deum, ne populum deſtrueret. Oratione, Gedeon vicit Madianitas. Joſue, oratione fecit ſtare ſolem. Elias, oratione clauſit cœlum. Ezechias, oratione promeruit vitæ prolongationem. Vel certe, tangat fimbriam Domini, carnem in Sacramento, non premat, ſed tangat fide. Nihil enim ſic quietat cor, & tranquillum facit, ſicut Euchariſtiæ devota ſuſceptio. *Dicebat enim intra ſe: ſi tetigero tantum fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero. At Jeſus converſus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te ſalvam fecit. Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora.* In medio egreſſa mulier, clanculum de theſauro Divinæ potentiæ furata eſt ſanitatem, furtim rapuit virtutem; nam Dominus ſenſit virtutem a ſe exiiſſe. Quo autem ſenſu cognoverit, & an in humanitate Chriſti fuerit aliquando talis virtus, quæri poteſt. Nota: quod ſecundum S. Thomam (*b*), in humanitate Chriſti fuerit aliqua virtus, continens eminenter virtutem omnium herbarum & lapidum, cum qua humanitas Chriſti concurrebat ad miracula. Et in humanitate Chriſti fuit virtus inſtrumentalis operandi miracula & ſanandi. Et Divinitas operabatur principaliter. An vero erat inſtrumentum, ſicut ſerra, vel aſcia, vel ſicut ignis habens formam, ideſt, an ſolo tactu; an, quia erat in humanitate virtus lapidum vel herbarum curativa & ſanativa? Si quis diceret, quod ſicut pomex habet virtutem reſtringendi ſanguinis, ita & veſtis Chriſti: non omnino erraret.

VII. *Et cum veniſſet Jeſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite.* Hos vocat Chryſoſtomus latrones meridianos, qui dulciter & ſine ſenſu pecuniam de burſa emungunt. Nota, quod hæc puellæ ſuſcitatio, ſignificat peccatorum ſuſcitationem, & non ſuſcitatur niſi ejecta

Mat. 9. — Pſ. 143. — Cant. 5. — Iſaiæ 14. — Gen. 3. — Iſaiæ 10. — Mat. 9. — Pſalm. 67. — Lucæ 2. Ibid. 1. — Num. 15. — Job 28. — Iſaiæ 38. Pſal. 68. — Pſal. 55. — Mat. 9. — Job 5. — Jacob. 5. Exodi 32. — Jud. 7. Joſue 10. 3. Reg. 17. 4. Reg. 20. — Mat. 9. — Marc. 5. — Mat. 9.

(*a*) Vide P. Auguſt. Serm. 62., & Hieron. in Matth. lib. 1. cap. 10.
(*b*) De hoc egit S. Orator in Concione, cui titulus: *In Proceſſione*; poſt Concionem *in Rogationibus*.

ejecta turba & tumultu cogitationum, & desideriorum, & cupiditatum sæculi. Si vis suscitari, pelle ab animo turbas. Væ qui sequitur sæculi præsentis consolationes. Hieronymus (*a*): Impossibile est hic replere ventrem, & ibi mentem. Impossibile est ut a deliciis ad delicias transeas. Abraham hæreditatem servavit Isaac; Ismaeli autem utrem aquæ dedit: Ismael advena interpretatur, non civis sanctæ civitatis. Apostolus: *Jam non estis hospites & advenæ*. Ismael ergo dives sæculi est. Istis dat Deus utrem, divitias, aquam voluptatis; sed finito utre sitit Ismael. Audi sitim. Dives ille desiderabat guttam aquæ, & nemo illi dabat. Postquam receperat bona in vita, post mortem sepultus est in inferno. Hieronymus: Impossibile est, inquit, ut in utroque sæculo gloriosus appareas. Hinc prudenter Sisara sive sæcularis fugit de prælio, de mundi certamine, & recipit eum fugitivum Jahel, id est religio. Videat autem talis, ne ingressus tabernaculum claustri, pro aqua spiritualis consolationis, bibat ibi lac pingue de utre, id est temporalem lætitiam: videat ne somnolentum, & otio torpentem, ipsa tranquillitas, quæ refugium putabatur, præ nimio torpore & vacatione figat clavum concupiscentiæ fortis & indelebilis. Quoniam otium sanctum gignit sapientiam salutarem, otium vero stultum parit concupiscentiam. Sit igitur, *Issachar asinus fortis*, qui *accubans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, & terram quod* esset *optima, & suppossuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens. Issachar asinus fortis*, id est, religiosus vel Christianus constans, *accubans inter terminos*, scilicet, vitæ & mortis; vel nativitatis & mortis. *Vidit requiem* sempiternam, *quod esset bona, & terram*, scilicet, viventium, *quod* esset *optima*: & libens ac placens, *suppossuit humerum suum ad portandum* onera religionis, vel onera pœnitentiæ. Et *factus est serviens* Deo *tributis* quotidianis orationum, & horarum canonicarum, vel *tributis* amoris, devotionis, laudis, & orationis. Talis sit qui renuntiat mundi illecebris ac sæculi voluptatibus: & erit *mens* ejus *secura* delicioso refecta pabulo cœlestium, *quasi juge convivium*. De quo Tullius (*b*) *de Senectute*: O magnum bonum, securitas conscientiæ.

VIII. *Dicebat enim intra se: si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero... & salva facta est mulier ex illa hora. Et cum ejecta esset turba, intravit: & tenuit manum ejus. Et surrexit puella*. Nota: quod contactu vestis sanatur ægritudo, & contactu carnis suscitatur mortua. Erat autem etiam ipsa Christi caro, vestis Verbi. *Et habitu inventus ut homo*. Adhibuit Dominus generi humano ægro plurima medicamenta in lege veteri; in nova autem unum, Christi passionem, sed validum: quando in proprio sanguine *introivit semel in Sancta*. Quod si multiplicitatem respicias; videtur melius provisum in veteri lege, ubi erant tot oblationes: sed, si virtutem sacrificii respicias, una nobis tantum hostia est, sed omnes infinite superat. Quanto magis; quod omnia quæ illi offerebant, exterius & corporaliter, tu potes offerre spiritualiter. Si enim peccata remittis, & iram mitigas; agnum obtulisti. Si in lege ejus meditaris; columbam. Si peccata gemis; turturem. Si per devotionem in Deum elevaris; vitulum saginatum. Si vero per solertiam & diligentiam fratribus provides: hircum de capris. Non opus est ergo ut in campum eas, & rete vel laqueos pares in venationem animalium, & brutorum ad sacrificium; in corde tuo habes unde offeras, quodcumque volueris. Et nota: quod sacrificia veteris legis populo rudi data sunt, propter duo. Primo, propter exercitium; hoc est, ut non sacrificaret diis: erant enim proni ad idololatriam. Hoc tangitur Levitici 17., ubi dicitur: *Et nequaquam ultra immolabunt hostias suas dæmonibus*. Non ergo tamquam bonum, sed tamquam remedia. Non quod placeret Domino in his, ut dicitur Isaiæ, & in Psalmo: *Sacrificium & oblationem noluisti*: & iterum: *Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem utique*: hostiis *non delectaberis*. Secundo, data sunt in signa eis. Nam ex quo, propter cæcitatem & infirmitatem eorum, Deus dedit eis præcepta non bona; miscuit in eis repræsentationem passionis per multas cæremonias, ut inde aliquid valeret, & essent in Prophetiam, & in doctrinam, & in sanctificationem: non ex opere operato, sed tamquam in signa, & signa quædam repræsentantia, non effectiva salutis. Ideo omnis purificatio sanguine fit, & omnis consecratio sanguine fit, omnis unctio sanguine fit. Ideo in mundatione leprosi unus passer occiditur, & alter mittitur liber, & in hirco alter occiditur, ille dimittitur. Ad signum mysticum, occisi hominis & immortalis Dei, in uno suppositio Christo.

IX. Ad nostram ergo utilitatem attinent omnia illa, quibus placuit Deo revelare mysteria, & occidere in lumine claro vetustatem in spiritu suo. Apertis oculis ut attendamus & videamus, tam longe ante prænuntiatam & præfiguratam, & in veteribus sacrificiis descriptam formam salutis, & redemptionem, postea tam longe exhibitam mundo. Ut videntes credamus, & credentes intelligamus, quoniam Christus est verus Deus, in lege & Prophetis promissus Redemptor mundi. *Tenuit manum ejus, & surrexit puella; & dixit dari illi manducare*. Nota, quod secundum Marcum Euangelistam, Dominus postquam suscitavit puellam, jussit, ut ei daretur cibus.

Gen. 21. *Ephes.* 2. *Luc.* 16. *Judic.* 4. *Gen.* 49. *Prov.* 5. *Mat.* 9. *Philipp.* 2. *Heb.* 9. *Levit.* 14. *Ibid.* 12. *Ibid.* 14. *Ibid.* 1. *Ibid.* 4. *Ibid.* 17. *Isaiæ* 4. *Psal.* 39. *Psal.* 50. *Ezech.* 20. *Levit.* 14. *Ibid.* 16. *Jo.* 20. *Rom.* 16. *Act.* 7. *Mat.* 9. *Marc.* 5.

(*a*) Epist. 92. ad Julianum, alias 34., prope finem. *Difficile, immo impossibile est, ut & præsentibus quis, & futuris fruatur bonis; ut & hic ventrem, & ibi mentem impleat, ut de deliciis transeat ad delicias; ut in utroque sæculo primus sit; ut & in cœlo, & in terra appareat gloriosus.*

(*b*) De Senectute, non procul ab initio: *Conscientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio jucundissima est.*

bus. Chryſoſtomus: Aliter curat Dominus: aliter medici corporales: nam iſti curant dietando, Dominus autem cibando ægrum multis gratiis, multis inſpirationibus ſpiritualibus. Ideo poſtquam vocavit Matthæum, ſtatim factum eſt convivium. *Confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat: & dixit dari illi manducare.* Tria ſigna redivivi. Primum, ſi ſurgit. Secundum, ſi ambulat. Tertium, ſi comedit. Adoleſcens quem Dominus ſuſcitavit: ſedit in lecto qui erat mortuus. Iſti ſunt qui afficiuntur, & manent in vitio, in occaſione. Si ſurrexiſti: dimitte lectum, id eſt vitium: abjice occaſionem, exi foras a tumulo ut Lazarus: alias, iterum morieris cito. Nec ſufficit omnino declinare a malo; ſed fac bonum, ambula, perge per viam rectam; ſatisfac bonis operibus pro delictis commiſſis. Quid hæres, quid ſtas? Quod ſi jam tertio guſtas quam ſuavis eſt Dominus; ſi tibi ſapit ſpiritus, delectat oratio, placet lectio ſpiritualis verbi Dei; jam ſignum eſt, quod vere vivus omnino es. Pſalmus: *Notum fac mihi Domine finem meum.* Noverint alii virtutes herbarum, motus cœlorum, virtutem aſtrorum, tu Domine, *notum fac mihi finem meum.* Hæc eſt mihi expediens ſcientia. Qui neſcit, quo vadat, quomodo dirigat vitam? Ariſtoteles (*a*): Utilis eſt notitia finis. Sicut ſagittarius habens ſignum dirigit ſagittam. O, ſi ſemper finem quæreremus, non in vanitatibus deviaremus! *Et numerum annorum meorum quis eſt:* nam iſti anni tranſeunt, & non ſunt, non habent conſiſtentiam, ſuum eſſe, eſt labi, & non permanere. Felix æternitas, in qua totum eſt præſens; nihil præterit, nihil advenit. Sed ad quid hoc? *Ut ſciam*, ait, *quid deſit mihi.* Conſidero, quid ſum, & ad quid ſum, & parvus ſum, & vilis ſum; ſed ad magnum aliquid creatus ſum. Modicum eſt quod ſum, ſed magnum eſt ad quod conditus ſum. Multum deeſt mihi, notitia finis: oſtendit curator terrenorum quantum a cœleſti deſiderio, & ebrietate deeſt.

Mat. 9. Ibidem. Marc. 5. Lucæ 7. Jo. 11. Pſal. 38. Ibidem. Ibidem.

(*a*) Ethicor. lib. 1. cap. 2.

IN DOMINICAM XXIV. POST PENTECOSTEN

CONCIO.

De Judicio, Morte, et Peccato.

Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat.
Matth. 24. v. 15.

* Concio cxiii.

I. HOrtatur nos Dominus ad intelligentiam. Vult enim ſervos ſuos eſſe ſapientes in bono, ſimplices autem in malo. Siquidem ignorans, ignorabitur. Sed, quid eſt hoc, quod intelligere debemus, non declaravit. Et forte id notum eſſet, ſi oculi noſtri pulvere temporalis curæ non caligaſſent. Forte vult Dominus ut intelligamus cœlorum motus, ſiderum curſus, lapidum & herbarum vires, elementorum alterationes, maris fluxus & refluxus, terrarum & cœlorum ſpatia? Eſtne hæc intelligentia, quam petis Domine a nobis? O quanta hominum curioſitas, quanta inquiſitio, quantus labor in vanitate! Clamat Pſalmus: *Filii hominum uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Ecce ſerpens antiquus pollicitus eſt Evæ ſapientiam: *Quocumque die comederitis* de ligno ſcientiæ boni & mali, *aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum.* Et parentes iſta curioſitate victi, dum Dei ſapientiam quærunt, brutalem ignorantiam incurrunt. Vos *filii hominum* patrum veſtrorum impletis menſuram, eadem curioſitate vexati. *Filii hominum*, uſquequo non vos deterret Adæ patris veſtri caſus? Exemplum vobis Adam. *Gravi corde, ut quid diligitis vanitatem?* Quænam igitur eſt utilis intelligentia. *Gens abſque conſilio, & ſine prudentia; utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.* Hæc intelligentia eſt. Comparatio. Si quiſpiam Regis proditor morti & laceranti ſententiatus, ſolicite agat in carcere de emptionibus & venditionibus, cui jam paratur in platea patibulum: nonne ſtultus eſſet? O infelix peccator! Sententia data eſt, ignis exſpectat te, deputatus æternis ſuppliciis: oblitus miſeriæ, ſolicitus es de motibus cœlorum, quos non ingredieris! Menſura motus cordis tui, contemplare conſcientiæ tuæ reatus, vulnera animæ tuæ. Recogita viam qua evadas ſententiam mortis æternæ & tantorum ſuppliciorum. Penſa Dei horrendum judicium, & diſcuſſionem acerrimam, & rationem uſque ad minuta, quam redditurus es. Sophonias primo capite: Ego *ſcrutabor Jeruſalem in lucernis; & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis: qui dicunt in cordibus ſuis: non faciet bene Dominus, & non faciet male. Juxta eſt dies Domini magnus, juxta eſt & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris ſuper civitates munitas, & ſuper angulos excelſos. Et tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt... in igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia conſummationem cum feſtinatione faciet cunctis habitantibus terram.* Ego *ſcrutabor Jeruſalem in lucernis.* Jeruſalem ſanctos ſignificat, quorum etiam juſta opera Deus judicabit. Pſalmus: *Ego juſtitias judicabo.* Væ mihi peccatori! cujus peccatis diſcutiendis, non lucernarum, ſed ſolis & lunæ, & ſtellarum lumine, præ tenebrarum caligine opus eſt. Ideo ſequitur: *Et viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis.* Illos ſcrutabitur furendo, iſtos viſitabit diſcutien-

1. Cor. 14. Pſal. 4. Gen. 3. Pſal. 4. Mat. 23. Deut. 32. Sophoniæ 1.

tiendo. *Qui dicunt in cordibus ſuis: non faciet bene Dominus, & non faciet male.* Nota, quod peccatores ſunt hæretici occulti. Nam licet exterius non audent negare gloriam & gehennam, tamen *in cordibus ſuis*, ut ait littera Prophetæ, dicunt: *Non faciet bene Dominus, & non faciet male.* Dicunt, inquam, ſi non cogitationibus, dicunt tamen factis: non timentes tormenta, nec amantes promiſſa Dei.

II. Audiant autem, quomodo ſuper illos Propheta vim divinæ animadverſionis intendat dicens: *Juxta eſt dies Domini magnus &* horribilis, dies illa dies iræ, *dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris ſuper* omnes *civitates munitas & ſuper* omnes *angulos excelſos.* Quid per civitates munitas exprimitur, inquit Gregorius (*a*); niſi ſuſpectæ mentes & fallaci ſemper defenſione circumdati peccatores, ſeu occulti hæretici, qui, quoties eorum culpa corripitur, veritatis ad ſe jacula non admittunt? Et quid per *excelſos angulos* niſi duplicitas impuræ mentis intelligitur? Duplex quippe ſemper eſt in angulis paries. Quid per angulos parietis niſi impura corda ſignantur? quæ dum veritatis ſimplicitatem fugiunt, ad ſemetipſa quodammodo duplicitatis perverſitate replicantur: & quod eſt deterius, apud cogitationes ſuas in faſtu prudentiæ ex ipſa ſe culpa impuritatis extollunt. Dies igitur Domini vindictæ atque animadverſionis plena, ſuper civitates munitas, & ſuper excelſos angulos venit, quia ira extremi judicii humana corda & defenſionis contra veritatem clauſa deſtruit, & duplicitatibus involuta diſſolvit. Tunc enim munitæ civitates cadunt, quia mentes Deo ſuſpectæ damnantur. Tunc excelſi anguli corruunt, quia corda quæ ſe per impuritatis prudentiam erigunt, per juſtitiæ ſententiam damnabuntur. Et hoc eſt quod ſequitur: *Tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt: In igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia conſummationem cum feſtinatione faciet cunctis habitantibus terram.* *Notum* ergo *fac mihi Domine finem meum.* P. Auguſtinus (*b*): Non cœlorum motus, *ſed finem meum;* rationem peccatorum quam debeo reddere. Et ad quid? *Ut ſciam quid deſit mihi. Ut ſciam*, quantum diſtem a perfectione. *Ut ſciam quid* pœnitentiæ *deſit* pro peccatis meis. Ideo, hoc eſt, ſecundum quod intelligere debemus. Quid prodeſt ſcire finem diſtrictum, ſi non ſuppleatur operatione quod deeſt, ut paratus ſis ad rationem? Pſalmus: *Et nunc reges intelligite: Erudimini qui judicatis terram.* De quo, obſecro, erudiri? Quid intelligere debemus? Sequitur: *Apprehendite diſciplinam.* Non ſolum doctrinam de moribus, emendantes vitam priorem; ſed, *apprehendite diſciplinam:* id eſt, pœnitentiam. Non leviter, non lente, quaſi ſummis digitis ſumite; jejunantes cum gula, orantes cum faſtidio, vigilantes in negotio; ſed, *apprehendite* ambabus manibus: fortiter, perſeveranter & fixo capite amplectimini diſciplinam; *ne quando iraſcatur*, imo quia iraſcetur procul dubio *Dominus, & pereatis, cum exarſerit in brevi ira ejus.* Prope eſt enim dies Domini, ut veniat, & dies Domini ſicut fulgur. *Memento iræ, quoniam non tardabit.* Sophonias: *Juxta eſt dies Domini magnus, juxta eſt, & velox nimis.* Joel: *A, a, a: diei: quia prope eſt dies Domini, & quaſi vaſtitas a potente veniet.*

III. Ut autem dies illa non nos inveniat incautos, ſed paratos; Dominus in Euangelio hodierno dat ſignum dicens: *Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat.* Daniel ſic dixit: *Et erit in templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Quæ eſt hæc abominatio? Nunquid non a diebus antiquis in loco ſancto abominatio idolorum ſæpius viſa? Nunquid non alibi lamentatur idem Propheta? *Polluent ſanctuarium, & auferent juge ſacrificium: & dabunt abominationem in deſolationem.* Nunquid non ſæpius ante hac Altaria deſtructa, Eccleſiæ violatæ, Templa profanata? Si locum ſanctum Sacerdotes intelligis; quam diu jam in loco ſancto peſtis avaritiæ, luxuriæ reperta eſt? Quod ergo ſignum hoc futuri judicii? Credo hoc de Anti-Chriſto primo intelligi debere. Illa enim eſt abominatio qualis non fuit ante. Euangeliſta: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque modo, neque fiet.* Et alibi: *Erunt dies illæ tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus uſque nunc, neque fient:* erit enim notabilis ſuper omnes. Apoſtolus: Prius debet revelari *homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Hæc eſt abominatio intolerabilis, quando vix Chriſtianus, pro quo Chriſtus mortuus eſt, genua flectet, & adorabit diabolum in homine inveſtitum. Sed ne imparati ſimus ad illam tribulationem, Dominus in Euangelio ſex adviſamenta ponit.

IV. Primum: *Qui legit, intelligat.* Ille enim homo, peccator antiquus, primum quod intentabit eſt: omnino depravare Scripturas, & doctrinæ Euangelicæ adverſari; nam omnes Prophetias ad ſe applicabit: verbi gratia illam: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*, dicens: quod ipſe regnet in domo David: quod ipſe congregabit diſperſos Iſrael a quatuor ventis: & quod ipſe eſt, de quo Scriptura ait: *Mittet eis Salvatorem & propugnatorem, qui liberet eos. Emitte Agnum Domine dominatorem terræ; de petra deſerti ad montem filiæ Sion. Rorate cœli deſuper & nubes pluant Juſtum: aperiatur terra,*

Sophoniæ 1. — *Ibidem.* — *Pſal.* 38. — *Pſal.* 2. — Mat. 24. — Dan. 9. — Ibid. 11. — Mat. 24. — Marc. 13. — 2. Theſſ. 2. — Mat. 14. — Pſ. 131. — Lucæ 1. — Iſaiæ 11. — Ibid. 19. — Ibid. 16. — Ibid. 45. — Eccli. 7. — Sophoniæ 1. — Joel 1.

(*a*) Regul. Paſtoral. part. 3. cap. 11. Gregorii verba ſunt uſque ad teſtimonium Sophoniæ, nonnullis tamen immutatis. (*b*) Vide Enarr. in Pſal. 38. num. 10.

terra, & germinet Salvatorem: & justitia oriatur simul. Tunc ergo qui leget Scriptu-
Mat. 24. ras, intelligat. O quantum juvabit bonos sensus Scripturarum pius! Væ illis qui in expositione Scripturarum derelinquunt Doctores sanctos, Parentem Angustinum, Hieronymum, Ambrosium, Bernardum; in quibus Spiritus Dei fuit ad interpretandas Scripturas: & sequuntur expositiones Rabbi Samuelis, & aliorum Judæorum; cæci & ignorantes, sequentes cæcos, & in tenebris sic palpantes in meridie; id est, in clara luce Scripturarum tenebrosas expositiones requirentes. Isti faciliter declinabunt post Anti-Christum. Pro quo nota figuram in Job. Venientes amici ad Job, & videntes eum in sterquilinio vulneratum, *scissis vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum.*
Job 2.
(a) Gregorius (a) ibi: Job iste dolens, Christus est in fine sæculi vulneratus, plagatus in membris, & in Ecclesia fere dissipata, & humiliata. Amici ejus falsi, de quibus Psal-
Psal. 37. mus: *Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt & steterunt;* scissis vestibus Scripturarum, dividentes novum Testamentum a veteri, & dissipantes Scripturas; spargent pulverem, id est sensus terrenos & carnales, in cœlum, id est cœlestem & spiritualem doctrinam. Sed cum ille iniquus viderit, quod non possit omnes convincere, in quibus Spiritus Dei est, depravando Scripturas; tentabit decipere faciendo prodigia & miracula sine numero. O qualis ista tentatio, quando falsitas miraculo & mortui resuscitatione comprobabitur.
(b) Gregorius *in Moralibus* (b): In tempore primitivæ Ecclesiæ miraculum faciebat cruciatus & flagellatus, tunc faciet miraculum persecu-
Mat. 24. tor. Ideo: *nisi abbreviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro;* & iterum: *ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.*
(c) V. De falsitate miraculorum Scotus (c) in prologo ait: Petendum ab illo, ut sicut Paulus vidit Deum, ita ipse ostendat, vel ut dicat, quid ego cras cogitabo, &c. Pro hoc
Ibidem. consulit Dominus dicens: *Tunc qui in Judæa sunt;* id est, confessione fidei, *fugiant ad montes;* id est, Sanctorum orationes, & deprecationes, & contemplationem, petentes cum lacrymis ne seducantur. Psalmus: *Montes*
Ps. 103. *excelsi;* id est, sacrorum Doctorum sensus: *cervis;* id est, literatis & contemplativis, qui sciunt saltare super terrenas voluptates

A & delicias; sed *herinaciis;* id est, fidelibus simplicibus *petra;* id est, fides *refugium.* Nam literati in sublimitate sensuum Scripturarum, & doctrina Doctorum non seducentur, refugientes ad scripturas Doctorum. Simplices vero tunc ad petram refugient, dicentes: Ego credo, quod tenet Sancta Mater Ecclesia. Tertia fallacia Anti-Christi erit: cum viderit aliquos, nec per Scripturas, nec per miracula convinci; donis & muneribus corrumpet. O quanta multitudo divitum sequeretur hodie Anti-Christum! Pro hoc monet: *Qui in tecto est, non descendat tollere*
B *aliquid de domo sua.* Hilarius (d): Tectum est fastigium domus. Qui in tecto, id est perfectione domus, id est cordis constiterit regnare, non descendat in humiliora rerum sæcularium. Quarta fallacia erit per tormenta crudelissima, magis quam in principio. Pro hoc dicitur: *Et qui in agro;* id est, in campo belli & certamine martyrii; *non revertatur tollere tunicam suam;* id est, non faciat curam de carne sua, nec ei compatiatur, sed exponat eam pro Deo suo. *Canti-*
corum, capite quinto, ait Sponsa: *Expoliavi*
C *me tunica mea, quomodo induar illa?* Ac si diceret: Audiens Christum pro me crucifixum, & exposuisse pro me corpus suum, ego quoque ipsi affixa sum cruci, & desideravi exponere pro ipso corpus meum tormento: quomodo ergo induar illa, curando ne patiatur? Quinta fallacia erit per blanditias: ut, quos non potest vincere per asperitatem, vincat per blandam admonitionem, & regulam & legem voluptuosam. Nam dabit luxuriosis regulas amplas, & vitiis habenas solvet: ut habeat quisque quantas voluerit mulieres. De hoc dicitur: *Væ prægnantibus, &*
nutrientibus in diebus illis. Et *Danielis* unde-
D cimo: *Et erit in concupiscentiis fœminarum.*
P. Augustinus (e) *de Verbis Domini:* Prægnans, id est, concupiscens aliena: nutriens, qui jam rapuit quod concupivit.
VI. Ultimo vero ait: *Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato.* Hilarius (f): *In hieme:* in frigiditate peccatorum; *sabbato:* in otio bonorum operum ne reperiamur. Hiems animæ, carentia & elongatio gratiæ est. Sicut corpus hieme constringitur & rugatur, ita & mens frigiditate peccati. Orate ergo, ne fiat discessus *in hieme*, id est, in tepiditate peccati, *vel sabbato* quietis temporalis. *Dies Domini, sicut fur*

Mat. 24. Dan. 11.
(e)
Mat. 24.
(f)
1. Thess. 5.

(a) Vide Moral. lib. 3. cap. 13.
(b) Lib. 32. cap. 15. num. 24. *Nunc enim fideles nostri mira faciunt cum perversa patiuntur: tunc autem Behemot hujus satellites, etiam cum perversa inferunt, mira facturi sunt.*
(c) Prolog. Sentent. quæst. 2. *Unde contra falsa miracula Anti-Christi posset sibi objici saltem de istis duobus hoc modo. Si tu es Deus, fac me videre essentiam Divinam, &c. Si tu es Deus, dic mihi, quid faciam, vel quid cogitabo, vel appetam pro tali hora.*
(d) Comment. in Matth. cap. 25. num. 5. *Tectum est domus fastigium, & habitationis totius celsa perfectio. Domus enim nulla dici poterit, vel esse sine tecto. Qui igitur in consummatione domus suæ, idest in corporis sui perfectione constiterit, regeneratione novus, Spiritu celsus, & divini muneris absolutione perfectus, non descendere in humiliora rerum sæcularium cupiditate debebit, neque inferioribus corporis illecebris provocatus, de tecti sui sublimitate decedere.*
(e) Serm. 75. in Append., alias 20. de Verb. Dom., & post in Append. 4., ita legitur num. 4. *Quando enim concupiscit aliquis rem alienam, sicut jam dictum est, anima sua quasi concepisse videtur: si vero quod concupiscit, per aliquam callliditatem, aut nequitiam potuerit obtinere, quasi natum filium osculari, ac nutrire cognoscitur.* Simile quidpiam habet S. Parens Enarr. in Psal. 39. num. 28.
(f) Comment. in Matth. cap. 25. num. 7. *Atque idcirco orare admonemur, ne vel hieme fuga nostra, vel sabbato sit, ne aut in peccatorum frigore, aut in otio bonorum operum reperiamur.*

fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint A
pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuper-
veniet interitus, ſicut dolor in utero habenti,
& non effugient. Adveniet autem dies Domi-
2.Petr.3. *ni ut fur: in quo cœli magno impetu tran-*
ſient, elementa vero calore ſolventur, terra au-
tem & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.
Cum igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales
oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus &
pietatibus, expectantes & properantes in ad-
ventum Domini, per quem cœli ardentes ſol-
ventur, & elementa, ignis ardore tabeſcent.
Apoc.16. *Ecce venio ſicut fur. Beatus qui vigilat, &*
cuſtodit veſtimenta ſua; ne nudus ambulet, B
& videant turpitudinem ejus. Apud Deum
opera noſtra quaſi veſtimentum nos tegunt.
Turpitudo vero noſtra tunc cernitur, cum
vita reprehenſibilis ante juſtorum oculos in
judicio, nequaquam ſubſequentis boni operis
tegmine velatur. Oportet non frigore labo-
remus, nos præcipue, quos Dominus conſtituit
ad laborandum in Eccleſia, & quibus gratiam
dedit perficiendi alios. Apoſtolus: Fratres, *ne*
2. Cor.6. *in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Exemplum
Lucæ19. de ſervo qui mnam habens repoſitam in ſu-
dario, cui Dominus: de ore tuo te judico
ſerve nequam: ſi colligo quod non ſemina-
vi, a fortiori colligam quod ſeminavi.
VII. *Orate autem, ut non fiat fuga veſtra*
Mat. 24. *in hieme, vel ſabbato.* Job: *Viro cujus abſcon-*
Job 8. *dita eſt via, & circumdedit eum Deus tene-*
bris. Via difficilis, viator cæcus; quomodo
non labetur; quomodo perveniet ſine duce?
Hæc via, hæc fuga eſt illa indubitata mor-
tis, via brevis ad quam properamus. Ad
hanc feſtinamus, ſive comedentes, ſive biben-
Pſ. 125. tes, ſive ambulantes, ſive dormientes. *Eun-*
tes ibant. Hanc ambulat omnis homo, ſive
juvenis, ſive ſenex, ſive pauper, ſive dives,
ſive ſanus, ſive ægrotus, omnes æqualiter feſ- D
tinant: ſiſtere vel modicum impoſſibile eſt.
Etiamſi quis omnes divitias ſæculi daret, pro
modica quiete, ut parumper ſtaret; non poſ-
ſet emere. Sed heu! cum tam velociter pro-
peremus, credimus miſeri, quod non venie-
mus ad terminum: obliti ſumus, quod ali-
quando tandem veniemus ad finem. Quid de
hoc ait Scriptura? De Adam: *Factum eſt om-*
Gen. 5. *ne tempus quod vixit Adam, anni nongenti tri-*
ginta, & mortuus eſt. De Seth: *Facti ſunt om-*
nes dies Seth nongentorum duodecim annorum,
& mortuus eſt, ſic de Moyſe, ſic de Eliſæo,
Deut.34. &c. Sic de Matathia: fecit hoc & hoc, &c. E
4. Reg. 13. tandem mortuus eſt, & *appoſitus eſt ad Pa-*
1.Mach. 2. *tres ſuos.* O quam celeriter properamus ad
mortem! Inſtat mors a tergo: ideo fuga. Qui
fugit velociter, properat evadere: & nos, dum
fugimus quantum poſſumus, tamen propera-
mus, & quamvis nolentes feſtinamus ad mor-
tem. Job: *Homo natus de muliere, brevi vi-*
Job 14. *vens tempore, repletur multis miſeriis. Qui*
quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit ve-
lut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.
Ibid. 8. *Interroga generationem priſtinam, & diligen-*
ter inveſtiga patrum memoriam. (*Heſterni quip-*
pe ſumus, & ignoramus quoniam ſicut umbra
dies noſtri ſunt ſuper terram.) *Et ipſi docebunt*
te: loquentur tibi, de corde ſuo proferent elo-
quia. Numquid vivere poteſt ſcirpus abſque hu-
more? aut creſcere carectum ſine aqua? Cum
adhuc ſit in flore, nec carpatur manu, ante
omnes herbas areſcit. Sic viæ omnium. Pſal-
mus: *Domine quid eſt homo, quia innotuiſti* Pſ. 143.
ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Ho-
mo vanitati ſimilis factus eſt: dies ejus ſicut
umbra prætereunt. Quid enim fuit Alexan-
der, quid Auguſtus, quid Salomon, niſi um-
bra præteriens in ſtadium hujus vitæ? Quid
apparatus, quid honores, quid pulchritudo
niſi umbra? O felix eſſe quod ſemper eſt!
Ipſi peribunt, tu autem permanebis, & *omnes* Pſ. 101.
ut *veſtimentum veteraſcent:* & velut ami-
ctum *mutabis eos, & mutabuntur: tu autem*
idem ipſe es, & anni tui non deficient.
VIII. Orate ergo ne iſta fuga fiat hieme Mat.24.
vel ſabbato: id eſt, otio. Damnabilis otio-
ſitas illius, qui brevi ſpatio mercari debet
portum æternæ ſalutis. Joannes Hurtado, *de*
Navi: Pejus quam ſi quis in inſula poſitus
recedente navi negligenter colligeret lapi-
des. Eſt & aliud otium ſanctum, de quo
Pſalmus: *Vacate & videte.* Vacate a paſſio- Pſal.45.
nibus, a curis ſæcularibus. Tranquillitas cor- C
dis, & quies animæ. Iſaias: *Vocaveris ſab-* Iſaiæ58.
batum delicatum, & Sanctum Domini glorio-
ſum, & glorificaveris eum, dum non facis vias
tuas, & non invenitur voluntas tua ut loqua-
ris ſermonem: Tunc delectaberis ſuper Domi-
no, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, &
cibabo te hæreditate Jacob Patris tui, os enim
Domini locutum eſt. Vocaveris ſabbatum deli-
catum. Vere delicatus qui nullum ſtrepitum
cogitationum ſuſtinet. *Tunc delectaberis ſu-*
per Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines
terræ & cibabo te. Beatus qui hanc cordis
tranquillitatem recipit, qui omnem ſtrepitum D
deſideriorum repulit. Uti orandum eſt, ne
fuga fiat ſabbato damnabilis otioſitatis, ita
etiam ſupplicandum eſt, ne fiat in hieme,
in gelicidio peccati. Nihil refert quomodo
de vita exeatis, tantum iſta duo cavete: pec-
catum & otium. Nam peccatum damnat in
æternum; otium etiamſi non damnet in æter-
num, privat æterno bono, id eſt, augmen-
to gloriæ. De damno peccati & ejus mali-
tia, nota: peccator poſtquam decipitur pec-
cato, egreditur ſicut Cain a facie Dei, &
ambulat profugus & alienatus a Deo per ſil- Gen. 4.
vas creaturarum, curarum, concupiſcentia-
rum mundanarum, valde elongatus ab omni
ſenſu ſpirituali. Nihil peccato pejus; imo,
ipſum ſolum malum. Natura diabolus non
eſt malus, niſi propter peccatum: & infer-
nus non eſt malus niſi propter peccatum. Tol-
le culpam, non eſſet malum pœnæ. Pejor eſt
culpa venialis, omni inferno. Vide quantum
malum peccatum: quod tam ſubito creatu-
ram tam pulchram, ut Luciferum, fecit tam
deteſtabilem & horrendam. Ex pœna conji- Iſaiæ14.
cio malitiam culpæ. Ecce creatura omnium
ſpecioſiſſima æterno igne comburitur propter
levem ſuperbiæ cogitationem. Quid de al-

tero

tero dicam, Adam ſcilicet principe orbis; peccavit: nunquid non punitus eſt morte? *Stipendia enim peccati, mors*. Quid morte horribilius, quid vita amabilius? Ecce, vide filios tranſgreſſoris: qualiter non anguſtiantur? O quomodo te vindicas Deus! Quod ſi animas videres! Anima damnati habet quidquid odit, caret omni eo quod optat; ſibi ſupplicium; æſtuans cupiditatibus quas non poteſt conſequi. Bernardus (*a*): Quid tibi blandiris o pulvis? Superbienti Angelo non pepercit, & parcet tibi? Ex pœna ergo primum magnitudo culpæ; ſecundo, ex remedio cognoſcitur. Bernardus (*b*): Ex remedio peccati æſtimo quantitatem. Filius Dei jubetur occidi. O vulnus egens tali medicamine!

IX. Peccatum eſt inordinata quædam in orbe ordinatiſſimo perverſio. Quid in elementis, quid in aſtris, quid in imaginabilibus omnibus inordinatum niſi peccatum? Unde licet Beatus Pater Auguſtinus (*c*) *in libro de Ordine & in Enchiridio* dicat, malum quodammodo ad ordinem univerſi pertinere, eo quod pulchrificat bonum, eo quod ordinatur a Deo; tamen, ut ait S. Thomas (*d*), malum per ſe inordinatio eſt: nec eſt de ordine, licet Deus malum culpæ ordinaret per pœnam, ne in univerſo maneat aliquid inordinatum. Unde malum, cum omnia eſſent bona? Quomodo prodiit primum peccatum? Omiſſione, oblivione. Peccatum facit hominem bruto deteriorem. Chryſoſtomus (*e*): Quanto majores beſtialitates reperiuntur in homine otioſo quam in bruto? Brutum non adulterat naturam ſuam: homo ſic. *Homo, cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Imo pejor. Sponſa: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos*. *Gregum tuorum* pecudum poſtire: quia pejor conditio; illa non puniuntur, homo autem æterno igne punitur; illa non reddunt rationem vitæ ſuæ. Ideo ait: *Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo;* ſed lapis vel petra. Homo per peccatum, non ſolum pejor bruto, ſed nihilior nihilo. P. Auguſtinus (*f*): *Omnia per ipſum facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil*. Peccatum, ait, nihil eſt, annihilans facientem. Pſalmus: *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus. Ad nihilum redactus ſum & neſcivi*. Imo, pluſquam nihil. Nam homo antequam eſſet, indifferens erat, ut eſſet: poſt peccatum demeretur eſſe: habet meritum non eſſendi. *Miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti*. Item, nihil, obedit Deo: *Vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*. Peccator contradicit, repugnat, & contrariatur Deo. Non ſolum hominem annullat, ſed totum mundum caſſat & annullat peccatum. Propter quid enim ſol? Propter quid aſtra? Propter hominem. Si homo perverſus, mundus otioſus; id eſt: deſtructor, & injuriator, & violator naturæ eſt peccator; & omnis creatura injuriatur, & faciet vindictam. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos* in die judicii. Quam deteſtandum ſit peccatum, patet ex duobus Scripturæ locis. Primus, de Jacob; qui noluit tradere Benjamin filio ſuo Ruben, cum dixiſſet ei: Si non reduxero eum tibi, duos filios meos interfice. Sed cum Judas poſtea dixiſſet: *Ego ſuſcipio puerum: de manu mea require illum, niſi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore;* prævaluit hæc adjuratio peccati, morte oblata: quia durius morte filiorum, peccatum reputavit Jacob, & ideo tradidit ei Benjamin. Secundus locus eſt: *Levitici vigeſimo quarto*, ſecundum Septuaginta. *Homo, Homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum: & qui acceperit in vanum nomen Domini, morte moriatur*. Quare repetitur homo? Dicens: *Homo Homo?* Id eſt: Homo, ſi tamen homo eſt qui Deo maledicit, utique diabolus eſt homo. Contra blaſphemos: Si *maledixerit*, inquit, *portabit peccatum ſuum: ſi acceperit in vanum, morte moriatur*. Nunquid non pejor maledictio quam accipere in vanum? Utique: major ergo pœna illi debetur; ita eſt: ſed non poterat pœna in iſta vita proportionalis reperiri. Ideo ait: minori peccato detur mors, ultima pœna: majori ſufficiat illi peccatum ſuum, quod eſt miſeria major morte: remaneat ita, quia puniri non poteſt pro magnitudine. Quis autem perpetrator peccati? Non oculus, non manus: naturæ hæc inſtrumenta ſunt. Prævaricator, voluntas. Hæc quomodo punietur? Mori non poteſt nec flagellari. Omnia ſic tortor ordinaſti, Dominus: & ita eſt: ut omnis animus inordinatus ſibi pœna ſit. Iſaias: *Concipietis ardorem, parietis ſtipulam: ſpiritus veſter ut ignis vorabit vos*. Intus punitio inteſtina rodens.

Gen. 3. Rom. 6. (a) (b) (c) (d) (e) Pſal. 40. Cant. 1. (f) Jo. 1. Pſal. 14. Pſal. 72. Thren. 3. Rom. 4. Sap. 5. Gen. 42. Ibid. 43. Levit. 24. Iſaiæ 33.

(*a*) Serm. 2. in Dom. 1. Novemb. num. 3. *Quid putas indifferenter admittet homines in illud tantæ beatitudinis templum, qui ne ipſos quidem Angelos indifferenter reliquit in eo? Aut non diſcernet inter glebas, qui diſcrevit inter ſtellas? &c.* Fuſius hoc ipſum habet S. Bernardus Serm. 54. in Cant. num. 7. & 8.

(*b*) Serm. 3. in Nativit. Dom. num. 3. *Utique quia ex conſideratione remedii, periculi mei æſtimo quantitatem.*

(*c*) De Ordine lib. 1. cap. 6. num. 18. Enchirid. cap. 11.

(*d*) 1. part. quæſt. 19. art. 9.

(*e*) Vide Homil. 4. in cap. 1. Epiſt. ad Romanos.

(*f*) In Joann. Euang. tract. 1. num. 3. *Peccatum quidem non per ipſum factum eſt: & manifeſtum eſt, quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cum peccant.*

EXPLICIT FELICITER PARS PRIMA OPERUM S. THOMÆ VILLANOVANI ARCH. VALENTINI, QUÆ HABET CONCIONES DOMINICALES, IMPRESSA MEDIOLANI A JOSEPHO MARELLO, ANNO DOMINICI NATALIS MDCCLIX.

ESTANTE 4.°
Tabla 4.ª
N.° 4

4

21
117

S THOME
A
VIL. NOVA

M. I.

5.628